
37
37 B
10

D. JOANNIS MABILLON
PRÆFATIONES
ET
DISSERTATIONES.

D. JOANNIS MABILLON

Presbyteri & Monachi Benedictini

CONGREGATIONIS S. MAURI

PRÆFATIONES

IN ACTA SANCTORUM ORD. S. BENEDICTI

Nunc primùm conjunctim editæ.

EJUSDEM

DISSERTATIONES V.

I. DE PANE EUCHARISTICO AZYMO ET FERMENTATO.

II. DE CULTU SANCTORUM IGNOTORUM *edit. secund. cui accessit* *EPISTOLA AD STEPHANOTIUM nunquam antea typis descripta.*

III. DE VETERIBUS RELIQUIIS DISCERNENDIS.

IV. DE VOCIBUS MISSÆ ET COMMUNIONIS IN REGULA S. BENEDICTI ADHIBITIS.

V. DE PRIMARIO ROMARICI MONTIS INSTITUTO.



TRIDENTI MDCCXXIV.

Apud Joannem Baptistam Paronum Typogr. Episc.

PRÆSIDUM PERMISSU.

Reverendissimo & Amplissimo Domino

DOMNO BLASIO

Hujus Nominis Tertio

ABBATI AD S. BLASIUM

In Sylva Hercinia

DOMINO IN BONDORFF ET GURTWEIL &c.

S. C. ET C. MAJESTATIS CONSILIARIO,

SACRI PALATII COMITI PERPETUO,



ORDINUM ECCLESIASTICORUM ANTERIORIS AUSTRIÆ PRÆSIDI

Felicitatem precatur

Joannes Baptista Paronus

Typographus Tridentinus.

Reverendissime & Amplissime Domine.



Mnes quidem, qui res gestas litteris prodiderunt, unum æquè spectasse videntur, ut comme moratis Majorum virtutibus ac vitiis, quid sit in vita optandu m aut fugiendum posteritati præciperent: at impositas nobis à republica nostra partes implere ex eorum potissimùm scriptis docemur, à quibus peculiaris illius cœtus historia tractata est diligenter. Quamvis enim in hominum quo-
rum-

rumcunque moribus latè patentia honesti principia, animisque innata semina deprehendere interdum liceat; contractioris tamen societatis jura & domestica disciplina, nisi perspecta ejusdem populi, & varia temporum conditione, cognosci vix unquam possunt. Quòd si plus operæ Scriptores illi in examinandis suorum institutis & studiis, quàm in simplici rerum narratione insumpserint: cùm optimum philosophiæ genus colant, æquum ab iniquo, & ab erroribus veritatem separantes; tum incredibilem vel ideo utilitatem afferunt, quòd communis felicitatis originem, & labefactatæ consociationis caussas nos ignorare non sinant. Atque hunc esse uberrimum fructum existimarunt Veteres, quotquot ad formandas Civitates, vel ad publica privatave officia definienda incubuerunt, quem ex historia collegit Mabillonius: dum meliore proposito ea suæ Gentis facta illustraret, quæ vitæ simul intra claustra agendæ ac Exteris omnibus proficuæ præcepta contineant. Verùm quemadmodum non hoc satis Civitati consulitur, si Leges solùm justissimæ condantur; ut necessaria est in Magistratu potestas, ut conditarum sanctitatem tueatur: sic priscis exemplis deest plerumque illicium; nisi hisce reverentiam, qui dignitates obtinent, speciem in se ipsis exprimendo concilient. Prospiciendum igitur nobis erat, ne tot præclara Monachorum facinora, in unum jam librum inclusa, nemini prorsus commendata prodirent: quin imitationem potiùs primoris cujuspiam Viri authoritate urgeremus, cujus actiones cum præscriptorum norma apprimè congruerent. At quis Te magis oculos ad se nostros raperet Antistes amplissime? cujus eximiæ virtuti in celeberrimo totius Orbis theatro plausum est: cùm Vindobonam ad procuranda Monasterii tui, ceterorumque Brisgojæ Ordinum negotia traductus, dum antiquis Tuorum vestigiis sedulò insistis; æqualibus & posteris, quem sequantur, ex eminenti loco ostensus videreris. Sive enim in consiliis prudentiam requirent: ea tanta fuit, ut ab ipso posteà sapientissimo Cæsare ad res arduas perficiendas adhibitus, non laudem modò ab Illo & Proceribus; sed magnifica etiam dona reportaveris.

Seu

Seu Inſtituti veſtri obſervantiam perpendent : ita auſteris legibus in palatiis adſtrictus vixiſti ; ut meritò abſenti ſuprema hæc dignitas raro exemplo ſit delata . Jam monaſticæ diſciplinæ ſtudium, ſuſceptumque litterarum patrocinium, & pro utilitate publica labores quid in aliis ſpectamus? Uſi ſunt Principum favore ſapienter Ananienſis Benedictus quidem , quo collabentem Regulæ ſeveritatem fulciret, at Alcuinus ad promovenda ſtudia , & pro Gallorum bono Suggerius . Horum facta poſtquàm legerint , inflammari ſeſe ad veræ gloriæ conſecutionem Benedictini ſentient ; ſi in tuas curas animum retorquebunt : qui vixdum Abbas creatus vel minimam, qua monaſticam abſtinentiam diſcingi poſſe metuebas, occaſionem à Familia tua abeſſe volueris , & in Friburgenſi Academia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcholam aperiendam curaveris : Briſgoicæ verò Nationis commoda tantoperè dilataveris, ut mirabilem omnium Ordinum benevolentiam ſis adeptus . Omitto cetera ; ſciet enim multa , quibus commotus, qui nobis ſyntagmatis hujus congerendi author fuit, idem tuo nomine inſcribi in primis mandavit : cùm Te præterea hoc velut invitamento excitare cupiat ad Monaſtices decus ampliandum editis Cænobii tui Annalibus, qui Te auſpice nunc ex egregiis monumentis cuduntur. Quare ſuſcipe hoc qualecunque munus non invitus, ac tantam mittenti gratiam impertire : quanto Opus iſtud deſiderio omnibus per Te commendari optamus.

*   AD

AD LECTOREM

Joannes Baptiſta Paronus.



UM primùm jacentibus Litteris dignitas priſtina reſtituta eſſet, atque neglecti diu veteres Libri denuo vigere cœpiſſent; adeò crevit in Hominum animis antiquitatis exiſtimatio, ut ii eruditi ferè uſurparentur, qui in Ethnicorum ſcriptis explanandis operam ponerent: aut; quod laborioſis negotii dabatur, ad decerpendum Græcos Romanóſve ritus ætatem ſuam occuparent. Pauci ſanè de Chriſtianorum inſtitutis laborabant: nam neque edita in Conventibus Pontificum acta multi ſcrutabantur, nec quid Eccleſiaſtici Scriptores tradiderint, admodùm expendebant. Qui verò ſeſe ad ſanctiores diſciplinas applicabant, abſtruſis plerumque diſputationibus impliciti pridem ejuſmodi ſtudia reſpuerant quaſi Divinitatis contemplatoribus minimè neceſſaria. Itaque vix ab ullo ampliùs colebantur, cùm alii mallent Exterorum virtutes admirari eleganter deſcriptas: alii perplexas ſubtilitates pluris æſtimarent. Aggreſſi ſunt quidem ex his nonnulli commentationes SS. Patrum interpretari; ſed à potioribus adjumentis inopes nihil egregium in lucem protulerunt. Verùm ſerò cognitum eſt in quanta utrique ignoratione & caligine verſarentur: poſteaquàm ab improbis hominibus diſſeminatæ ſunt peſtiferæ quædam opiniones. Quis enim tunc graſſanti malo obſiſteret? an ii qui in Majorum facta ne inſpexerant quidem, unde ſibi ac populo exempla depromerent: num iſti potiùs, qui priſcâ ſuorum ſapientiâ vix leviter erant delibuti? Et manabat latiùs in dies contagio: donec ſummo Dei beneficio melioris illius ſcientiæ amor invaluit, quæ mox à præſtantiſſimis ingeniis tractata ſæculo tandem ſuperiore perfecta eſt Criticæ artis auxilio. Floruit autem præ ceteris hac arte ad noſtram uſque memoriam Joannes Mabillonius Benedictinus, qui & Monachos ſuos ad optima ſtudia informavit,

& ipse pro Ecclesiæ bono immensum laborem cum singulari prorsus perspicacia conjunxit. cujus famam qui nondum percepit, celeberrima nomina ignorare inde conficitur; quòd cùm eximiam Christianæ antiquitatis peritiam laudare in quopiam voluerunt, hunc *alterum Mabillonium* denominaverint Viri litteratissimi. Certè doctrina ac pietas in scriptis etiam abundè expressa tantum ei bonorum omnium favorem & opinionem conciliarunt, ut non Thomasius modò *Venerabilis* Cardinalis, si optio sibi daretur, unum aliquem in amplissimum Purpuratorum ordinem adlegendi; Mabillonium se continuò pronuntiaturum dixerit: sed & Clemens XI. Pont. Max. hominis morte dolens corpus discretè ab aliis honesto in loco humari debere censuerit. Taceo Norisium, Bonam, Coloredum, Aguirreum, laudatores ceteros. taceo Lucubrationes æternitati transmissas, cùm exstet vita gallicè à Ruinarto socio conscripta, & auctior latinè reddita. At unum prætermittere non possum: quòd idem Clemens incredibili Pontifex prudentia & probitate, quo tempore Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Ben.* omnino ediderat, datis * ad Præfectum Congregationis S. Mauri litteris ea *piè ac disertè explicata* sit gratulatus. Quæ quoniam rariùs jam in tabernis librariis prostabant, neque omnibus par est facultas carò comparandi opus magnis novem voluminibus exaggeratum; Præfationes in unum corpus colligere destinabat nuper Parisiensis quidam Typographus, ut quidquid fermè in illo doctrinæ & eruditionis continetur sejunctim proponeret, amputatis quidem Sanctorum vitis & scriptionibus, quas stylo inquinato confecerunt Homines sanè religiosi, at nisi æqualium actiones commemorent non æquè diligentes. Sed ne lucrum alii præriperet, qui integrum opus typis descripserat, impeditus, nobis ejus consilii occupandi locum dedit. Quare nos operæ pretium facturos credidimus, si detersa barbarie librum exhiberemus, qui de Monasticis rebus justos commentarios sufficiat. Videlicet hîc habent Monachi ubi discant, quorumnam conatu ætateque Benedictina Religio plerasque Europæ, ac longinquas Regiones pervaserit: quo pacto sibi asserant Gregorium, Amandum, aliosque vel sanctitatis laude vel litterarum gloriâ illustres Viros: qua de causa Abbates Episcopis obedientiam diu profiteri detrectaverint, quandove Pontificalia ornamenta sint consecuti. Habent sanctissimi Patris Benedicti obitum certo tempori probabiliter assignatum: Sanctæ Scholasticæ genus Instituti: Congregationum origines & consuetudines: enumeratos Martyrologiorum Scriptores; præcipua suorum studia, scholas & inventa; Ordinis de-

Fabrit. in Præf. ad Iter. Germ. Mab.

Fontanin. in epist. ad Ruinart. in Mab. vita latina & alibi.

Id. ib.

Mabil. vita latina num. 118.

* VI. Jun. 1702. *ibid. num. 20.*

decora : ad obtrectationes responsa. Habent præclaram ad virtutes hortationem, si traditum legerint, quantis contemptis molestiis eorum Majores Christi cultum amplificaverint, & ab erroribus ac contrariis ritibus liberaverint: quam domesticæ disciplinæ languenti medicinam fecerint: quem sibi ciborum potusque modum præstituerint: quantâ vel Germani temperantiâ: quanto omnes solitudinis, corporis exercitationum, bonarum artium amore fuerint. Atque hæc cùm Monastices splendorem augeant, tum præcipuè sectatorum provocant imitationem. Ne tamen quemquam titulus fallat; alia se legendo deprehensurum sciat ad universam sacrorum notitiam pertinentia. Quod præfari voluimus, quamvis nemo ignorare queat, nisi in Ecclesiastica Historia omnino puer; bonam hujus partem Monachorum rebus gestis absolvi: de universali dico; nam unde Germanos & finitimos populos Christianis mysteriis initiatos: unde tot majorum Ecclesiarum, & scholarum institutionem: doctrinæ rudibus sæculis progressum: agrorum culturam propagatam, si Benedictinorum labores nescias, unquam comperisti? Quid quod ipsi diutissimè Christianam Rempublicam administrarunt continuata sibi alicubi Episcoporum successione, imò supremam Pontificum dignitatem Romæ obtinentes; ut adeò maxima ex Ecclesia discidia sustulerint, legesque condiderint saluberrimas? Verùm ut ad propositum revertar, invenient in recessu quotquot litteras pendunt, reconditam eruditionem, & ne definitam tot incertorum temporum mensuram commemorem; erutas summo acumine ex multis Authoribus narrationes de Scottorum Græcorumque à Latinis dissensione, de Gothescalci turbis, de Joannis Scotti Erigenæ & Berengarii erroribus, de Sæculi decimi statu, de Rabani, Ratramni, Paschasii, Cellotiani anonymi, pluriumque aliorum scriptis, ætate, nomine judicium. Quæ omnia partim obscura è tenebris evolvuntur, partim ab aliis visa nova monumentorum luce illustrantur. Quid Theologus? cùm hujus generis & circumfusa capita occurrent de Indulgentiis, Sanctorum Canonizationibus, certis B. V. Deimatrem venerandi modis & precationibus, Symboli Apostolici Angelicæque Salutationis additamento, flagellorum ictibus sibimet à Piis inflictis, denique de anniversariis diebus & Sodalitiis ad expiandas mortuorum animas excogitatis? nonne aptè dijudicare ac tueri docebitur, quæ utiliter usus antiquus aut recentior invexerit, ac Religionis nostræ Antistites edictis confirmaverint: non solùm dubiarum vocum significationem & ad vitandas lites necessariam prudentiam assequetur. Quòd si superioribus adiiciat,

quæ

quæ graviter hîc disputantur ad SS. Imaginum cultum, Missæ sacrificium, Eucharistiam, Pœnitentiam, ceteraque Sacramenta spectantia; petitum à consensu omnis ætatis locum abundè instruet, atque argumenta de Sacrorum fide nunquam interrupta vehementiùs urgebit: dum tamen in ritibus & disciplina statuendis caveat, ne quidquid factum olim intelliget, id propterea probari, aut quæ pridem obtinuerunt, nunc etiam in præceptis posita credat. Scilicet duplex officium Scriptoris dignoscere opus est; quandoquidem Critici Mabillonius, & aliquando Narratoris tantummodò partes agit. Quotiescunque igitur factum aliquod nudè referri audiet, non ideò laudari: aut si laudabile quondam fuit, nunc restitui debere judicabit. Multa iniquitas temporum invexerat, quæ jam licèt exacta scire convenit, ut tolerantiæ specimen præbeant: at ne porrò suscipiantur, ipsa nos sua turpitudine deterreant. Multa rectè sancita ab Occidentali Ecclesia modò recesserunt, tametsi forsan Orientales retineant: quæ non reduci quidem legibus; attamen cognita animos ad pietatem stimulare possunt. De his appositè S. Augustinus. *Sit ergo una fides universæ, quæ ubique dilatatur Ecclesiæ tamquam intus in membris: etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est impeditur.* Secus arbitrari licet, cùm animadvertes pronuntiatum quodpiam Authoris judicio ponderari appenso Historicorum testimonio, quo frequenter Catholicorum Dogmatum vetustatem confirmat: tum enim accuratas ejus disceptationes validè adhibebis ad veritatis cognitionem, & profluentem ex quacunque re utilitatem percipiendam. Hinc nos in Indice, ubi ritus antiquatos signavimus, & quidquid à Latinis in exemplum trahi non oportet, adjecto ad oram asterisco vel alio verborum indicio Lectori cautum voluimus. Ceterùm in illo ordinando Mabillonii diligentiam imitati sumus, qui dispersa in unoquoque Actorum volumine morum argumenta, illustres eventus, & exoletarum vocum interpretationem in tres indices incluserat, nos verò in unum compegimus: quem cum aliis ab ipso ad sex Præfationes additis collatum; servatis priorum titulis *Moralem*, *Historicum*, & *Onomasticum* inscribimus. Quoniam autem post descriptas typis Præfationes supplementa quædam in Actis invenimus; ea nequid deesset, unaque *Observationes* subjecimus *De Vetula Civitate Vellavorum*, *De Antiquis Notitiis*, & *quinque à Martino I. Pont. Romm.* serie: quos locos ut ex *Appendice* & *Chronologica Tabula* desumerentur integros * reliquerat Mabillonius. Atque hæc potissimùm nobis caussa fuit Opuscula quoque attexendi de eodem

Ep. 86. ad Casul.

* *In Præf. in Sæc. II num. LXIII. & Præf. prima in Sæc. IV. num. CCXII.*

dem

dem ac Præfationes aut fimili argumento fcriptæ : inter quæ locum præcipuum obtinent duo *de Pane Azymo*, *& de Cultu Sanctorum Ignotorum*. Primum quidem excitavit ipfe cui id nuncupatur Joannes Bona Cardinalis clariffimus : ut enim Mabillonii affertione de perpetuo Azymorum ufu in Latina Ecclefia Sirmondi opinionem de fermento impeti cognovit; mediam oppofuit, qua cibarium quemcunque panem ante Photianum fchifma ad facrificia adhibitum dicit, nec Azymum penitus removet ab altari. Quocirca rogatus refpondit Mabillonius, & fententiam prefsè in Præfationibus propofitam ibi latiùs explicavit. Quamquam autem ejus & Chriftiani Lupi ratio ubique non valuit, cùm multi nunc Eruditi diffentiri videantur : memorabilis eft nihilominus adverfarii modeftiffimi confeffio, qui fecundam refutationem hifce verbis orditur. *Legi avidè ejus* (Mabillonii) *lucubrationem, ex qua ut ingenuè fateor, me profeciffe, ita illi gratias egi, quòd quædam à me non obfervata in publicam utilitatem contuliffet, & aliquid etiam in quo lapfus eram emendaffet*. Laudandam aperti animi æquitatem, cui fola eft propofita veri indagatio. Nempe quod ob conceptæ opinionis ftudium multi rixando amittunt, facilius reperirent; nifi turpe ducerent fateri, fe humanitus decipi potuiffe. Nunc de altero opere videamus. Vulgaverat Mabillonius Epiftolam illam contendens in Summorum Pontificum leges peccare, qui immodicos quofvis honores deferrent quibufcunque Reliquiis Sanctorum, quorum adhuc nomina ignorantur. Cum fententiam notare inftituerunt religiofi quidam Viri (fic enim eos pro fua modeftia ipfe vocat) quòd perniciofas confecutiones malè colligerent. Ne tamen imminutam à fe in Apoftolicam Sedem obfervantiam criminari pergerent; Epiftolam retexuit ac iterum publicavit. Quapropter nos curas pofteriores utpote Summo Pontifici probatas defcripfimus conjectis in finem Litteris ad Stephanotium miffis eo confilio, ut ex familiari hujufmodi & privato colloquio Scriptoris mens liquidò appareat. Quod quidem monumentum à Reverendifs. P. Abbate Erafmo Gatula acceptum nobifcum communicavit R. P. Thomas Minorellius Magifter Dominicanus & Cafanatenfis Bibliothecæ Præfectus : Mabillonii credo amicitiæ memoriam præftare cupiens, qui utriufque doctrinam commendavit, ac Gatulam prætereà adeò amaverat, ut quidquid fubinde Sodales fui elaboraturi effent, illi dono mitti antequàm moreretur, optaverit. Reliquarum Differtationum planum eft argumentum. Sit igitur horum finis, poftquam illud monuerimus, nos Parifienfem Ortographiam etfi variam fecutos effe (ne nimia cu-

Rer. Liturg. lib. 1. cap. 23. n. 2. fecundæ editionis.

Vi. a lat. Mab. n. 58.

curioſitate Authorem carpere videremur, ſi receptas ab ipſo formulas ſcribendi alicubi immutaſſemus.) tum autem Lectorem rogaverimus ut noſtris conatibus faveat, quibus maximè Studioſorum commoda juvare conſtituimus.



JOANNIS MABILLON

PRÆFATIO

IN SÆCULUM PRIMUM

ORDINIS

SANCTI BENEDICTI

Quod est ab anno Christi D. ad DC.

impressa Parisiis anno 1668.





D Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti unum in corpus redigenda tandem Deo duce aggredior, non quidem auctor, sed adjutor Operis; non primarius architectus, sed minister succedaneus. Quod antequam exponam, instituti nostri causas & rationes viris piis ac eruditis aperire & approbare operæ pretium est. I

Inprimis id persuasit amor sacræ Antiquitatis, cui pro facultate illustrandæ partes suas deesse non sustinuerunt Congregationis nostræ Præpositi, veri istius consilii auctores. Quippe in subjectis sibi Monasteriis cùm scriptorum codicum recondatur egregia supellex, quamvis majori ex parte direpta; præclara rei litterariæ monimenta tenebris premi nefas esse duxerunt. Hinc veterum Scriptorum Spicilegia hominibus doctis adeò accepta: hinc ad antiquorum exemplarium fidem expurgata SS. Patrum opera: hinc denique erutæ Beatorum Illustriumque Virorum vitæ & gesta in communem Reipublicæ Christianæ utilitatem. II

Non minor hac in Collectione fuit Veritatis, quam Antiquitatis cura. III
Cùm enim in Sanctorum Actis, si uspiam alibi, miserè laboraverit hominum imperitorum licentia; maximè interest sincera secernere ab spuriis, certa ab incertis, ut rebus piè ac sanctè gestis sua constet auctoritas. Quod etsi assequi in tantis superiorum temporum ambagibus sit difficillimum; id tamen pro viribus ab unoquoque tentari, nemo sanæ mentis improbabit umquam. Huc veterrimos ac primarios, quoad licuit, conquisivimus Vitarum Scriptores, quos integros & nullo fuco adulteratos repræsentamus, nil morati dictionis ac stili barbariem; quandoquidem non à comptiori oratione, sed ab auctorum religione petenda est vera ac genuina rerum ante actarum cognitio.

Tertia demum, eaque præcipua propositi nostri causa est, ut Benedictini Ordinis alumni Majorum suorum exempla in promptu habeant, & novella Congregationis nostræ soboles ad eorum normam studeat mores suos componere. Eò nos jam dudum provocavit Leo Papa IV. dum statuit in Synodi Romanæ cap. 28. *Ut quotidie lectione aut pia inter se agitatione Monachi instruantur, qualiter Monachorum Auctores non tantùm habitu sequantur & nomine, sed magis operibus & virtute pertingere valeant.* Alia in hoc argumentum testimonia perquirere opus non est, quando S. P. Benedictus discipulos suos revocat ad *Vitam & instituta Patrum*, quòd non sint aliud, *nisi bene viventium & obedientium Monachorum exempla.* Unde insignis ille cognominis Benedictus Anianæ Abbas, *dum communi utilitati consulens attentiùs quæreret, quomodò utiliùs posset cunctis prodesse; cœpit Sanctorum Vitas Regulasque legere Patrum.* Quibus instructus copiis collabentem Vitæ Monasticæ disciplinam in Gallia, tantùm non in Europa instauravit. IV

Apud Holsten. 2 parte Collect. Rom. pag. 10.

Reg. c. ult.

Prol. in Concord. Regul.

V Intellexit hoc magnus ille Congregationis nostræ quondam Præpositus Generalis Gregorius Tarissius, vir prudentiæ, doctrinæ, pietatisque singularis. Cùm enim ultimis hisce temporibus renascentem in Gallia Benedictinæ Regulæ cultum fovere ac promovere modis omnibus cogitaret, id omnium maximè curavit, ut SS. Patrum nostrorum Vitæ perlustratis quaquaversum Bibliothecis colligerentur. Sed quoniam non unius anni res erat, negotium istud eo movente inchoatum, sub ejus successore venerandæ memoriæ Domno Johanne Harelio promotum, tandem felicibus Reverendissimi Patris Bernardi Audeberti auspiciis, cura, studioque incomparabili occipit prodire in lucem. Porrò in his, qui disquirendis Sanctorum Monachorum Actis præpositi sunt, meritò primas tenet noster Lucas Acherius, reconditæ antiquitatis studiosissimus. Is non tantùm San-Germanensis Bibliothecæ sibi jamdudum commissæ forulos revolvit diligentissimè, sed etiam vetusta monasteriorum Gallicanorum aliarumque Ecclesiarum Legendaria sedulus excussit, exscribique curavit: immò & litteras direxit ad exteras provincias, ut quotquot posset Sanctorum nostrorum Vitas compararet. Fasciculis magna ex parte congestis, cùm ætatis viriumque defectum sentiret, alióque distraheretur, jubente Reverendissimo Præfecto Generali Domno Audeberto, huic studio animum devovi, qui forsitan tantum onus refugere tenuitatis meæ conscius debuissem. Verùm in Sanctorum gloriam aliquid audendum est, *nec ulli fuit vitio Divos colere, quoquomodo posset.*

Plin. præfat. in Hist. nat.

VI Non deerunt fortasse, qui post varios clarissimorum virorum hoc in genere labores, operam nostram causabuntur otiosam. Scimus equidem Laurentium Surium, virum optimè de Ecclesia meritum, isto in stadio laudabiliter desudâsse: nec satis prædicare possumus eximium illud par, Johannem Bollandum & Godefridum Henschenium, qui opus immensum de Sanctorum omnium gestis tanta cum diligentia & eruditione inchoarunt, nihil ut prætereà desiderandum videatur. At quis umquam iniquo animo tulit, si præter generales rerum veterum Annales scribuntur peculiares locorum vel familiarum historiæ, in quibus facta distinctiùs & scrupulosiùs commemorari solent? Sanè cùm ordo rebus novam speciem novamque formam inducat, dicere procul jactantiâ possumus, aliam esse omnino ab illorum Auctorum proposito instituti nostri rationem. Illi mensium fastos, nos sæculorum ordinem sequimur: illi Natales Sanctorum dies juxta Kalendarium observant, nos Natales eorumdem annos juxta singulorum ætatem distinguimus. De utraque dispositione judicium penes alios esto: nemo verò interim inficiari potest, quin ex litteraria illa multorum sæculorum collectione consurgat amplissima Benedictini Ordinis Ecclesiasticarum rerum historia, veterrimis ac sinceris adornata monimentis. Ordo quippe a S. P. Benedicto institutus tot præclara Ecclesiæ lumina subministravit, ut clarissimæ eorum actiones suo tempore concinnè dispositæ non minimam Ecclesiasticæ Historiæ partem componant.

VII His ita expositis, nunc ejus quam in opere nostro servamus methodi ac distributionis ratio reddenda est. Relaturi igitur Sanctorum Monachorum Acta in Sæculorum ac temporum classes, primum Sæculum Benedictinum cum Christi concepti Sæculo Sexto, quod ab Eræ Christianæ anno D. ad DC. excurrit, componimus. Cùm enim S. Benedictus anno Domini CCCC. LXXX. Orbi natus (quæ communior sententia est) in eremum paucis ab infantia elapsis annis, seu, ut vulgò creditur, ætatis anno XIV. secesserit, tandemque anno circa D.XLIII. diem supremum expleverit; conveniens nobis visum est solida & integra Ordinis Benedictini Sæcula solidis & integris Christiani calculi

Sæ-

Sæculis comparare. In diſponendis autem Sanctorum Actis hunc ordinem tenemus, ut quo quiſque anno obiiſſe exiſtimantur, eorum Vitæ referantur ſingillatim. Iſta ſiquidem epocha ideo viſa eſt præferenda, quòd quavis alia notior ſit & illuſtrior.

Ad hæc, Sanctorum Acta, ſi edita erant, cum ſcriptis codicibus contulimus: ſi nondum edita, ex vetuſtis eruimus membranis. Ubi plures ac diverſæ de eodem occurrerunt lucubrationes, eam, quæ melioris notæ viſa eſt, in cenſum noſtrum adduximus: ſi quid in aliis ſingulare legebatur, in margine inferiore curavimus adnotari. Dum verò duos aut plures, qui de uno eodemque Sancto Monacho ſcripſerint, illuſtres nacti ſumus Auctores, eorum ſingulas ſcriptiones edimus, ut minimum deſit ad hiſtoriæ auctoritatem. VIII

Hinc ſtilum primigenium, quantumvis rudem & impolitum, intactum ſervavimus, ne ſcriptoribus fidem mutatis verbis detraheremus. Non enim paramus amænitates delicatis Criticis, ſed rerum piè geſtarum veritatem veræ pietatis & antiquitatis cultoribus ſartam tectam exhibere optamus. Porrò melior eſt ſimplex ruſticitas, quàm fucata ac ſuſpecta eloquentia. Optandum quidem eſſet, ut Vitas Sanctorum eo quo par eſt rerum ac verborum delectu, ſplendore, ac majeſtate litteris commendatas haberemus: ſed quidquid tulerunt ſæcula, ferendum eſt nobis. Poſtquàm geſta Cælitum noſtrorum legitimis allerta erunt monimentis, fortaſſe quidam ex noſtris bonas Muſas cum Sanctis in gratiam redire coget. Quod jam Gallico idiomate feliciter exſecuta eſt Jacquelina *Boüette de Blemur*, Parthenonis S. Trinitatis Cadomenſis Religioſa Benedictina. Quamquam non deſunt Vitæ à probatis deſcriptæ auctoribus, in quibus eloquentiam, non ſtudio quæſitam, ſed naturæ obſequentem haud deſideres. In Actis à nobis relatis Capitum partitiones ac ſummaria, ubi in libris Mſs. occurrunt, ſervamus: alias narrationes in varias ſectiones marginalibus numeris appoſitis diſtinguimus, ut codicum antiquorum reddamus integram fidem. IX

Quia verò contingit nonnunquam, ut quorundam Sanctorum Vitæ, ſeu Scriptorum defectu, ſeu temporum injuria, reperiri non poſſint; eas vel ex veterum Auctorum dictis ſparſim exceptis conteximus, quas *Elogia Hiſtorica* appellamus: vel ex recentioribus, qui de iis ſcripſerunt, rariùs quidem, exprimimus. Sicubi verò nihil ſani aut explorati potuimus aſſequi, incertis relationibus prætermiſſis ſilentii noſtri rationem poſt primum indicem in Operis fronte reddimus. X

Præter Vitas Sanctorum Miracula adducimus & Translationes, quas in propria Sæcula, ut Chronologiæ nobis propoſitæ ſequamur ordinem, monito prius lectore rejicimus. In Miraculis recenſendis, ſi uſpiam reſecamus aliqua minoris momenti (ſit verò illud perquàm rariſſimè) ejus rei admonitionem ſuis locis apponimus, ne quis de fide noſtra ſuſpicetur. XI

Ad delectum Beatorum Monachorum, quos Ordini noſtro aſſerimus, ut plurimùm conſiſtimus intra Martyrologii Benedictini cancellos. Quoniam verò Sancti nonnulli, quos ad Benedictinæ Regulæ præſcriptum vixiſſe non conſtat, in primo ſæculo admiſſi ſunt; eos, ne proprio arbitrio nimiùm indulgere videremur, retinuimus quidem, at proprios & germanos majori charactere, dubios & adſcriptitios, quos quidem putavimus, diſtinctionis ergo donavimus minoribus typis. Si in quibuſdam nobis vindicandis abdicandiſve hallucinati ſumus, nemo nos in calumniam rapiat, quando utriſque fecimus ſatis. De Sanctis viris in peculium ſibi aſſerendis diſputationes & rixas inter religioſos viros fervere, credo nec ipſis Beatis glorioſum eſt. Ignotæ apud priſcos Monachos hujuſmodi lites, quas ultro abjicimus. Omnibus Monaſticam XII

Vi-

Vitam profitentibus hoc in opere prodesse cupimus, & ex omnibus prodesse: nec interest cujus Sancti exemplis, Basiliani an Benedictini, ad bene vivendum informeris. In commune Christiani omnes vivunt, in commune Sancti vixere, in commune eorum exempla posita sunt, ut omnes indè proficiant. Placet Bernardi sententia: *Unum* (Ordinem) *opere teneo, ceteros caritate*. Porrò caritas nihil proprium sibi vindicat. Et tamen Sanctos nostros, quantum in nobis est, ab alterius instituti Monachis distinguimus, non ad faciendum pompam, sed ad illustrandam historiæ veritatem. Sed quia in Sanctorum nostrorum syllabo recensiti sunt nonnulli, quos & paullò ante S. P. Benedictum in cœlum migrasse, & S. Benedicti discipulos non fuisse constat; hos conjecimus in Appendicem, ut à Legislatoris nostri Vita exordium faceremus.

In apolog. ad Guill.

XIII Jam ne in plerisque locis salebrosis Lectorem hærere contingeret, Adnotatiunculæ margini paginæ inferiori suppositæ sunt, ut loca repugnantia conciliarentur, complanarentur difficilia, & barbaræ explicarentur dictiones. Si observationis prolixioris faciendæ opportunitas fuerit, illius tractatio in Præfationem remissa est. Demum si quid ad Vitæ alicujus elucidationem, Sancti vel Auctoris gratia, in antecessum præmittendum fuit, id præstant Observationes præviæ. Si aliquando hæsit aqua, cogitet Lector quàm sit *res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem*.

Plin. præfat. Hist. nat.

XIV Denique his omnibus quatuor accesserunt Indices, Primus in ipso locatus limine Sanctorum nomina, qui in unoquoque Sæculo quo de agitur vixerunt, comprehendit: ubi Sanctorum prætermissorum rationes afferuntur, & Auctorum qui de Sanctis scripsêre notitia perstringitur. Secundus Index est de rebus Historicis, Tertius de moralibus, Quartus de vocibus exoticis & barbaris, in Operis calce appositi. Insuper brevis Chronologia singulis præmissa est sæculis, in qua Sanctorum Pontificum, Regumque nomina & ætates, Monasteriorum constructiones, aliaque id genus breviter commemorantur.

XV Ceterùm de Vitarum quas referimus auctoritate præmonendus esset Lector, ne ancipiti fide in illis versetur. Verùm habent suos plurimæ Auctores in fronte designatos. Si Auctor est anonymus, ex narratione, quoad ejus fieri potest, exprimitur ipsius ætas, ex qua pendet scriptorum auctoritas præcipua. Deinde genius hominum aliæque conditiones ex ipsorum scriptis satis deprehenduntur ab eruditis, ut non sit necesse alios de ipsis interrogare. Occurrent in Actis à nobis relatis nonnulla (fatemur ingenuè) ad Lydium lapidem non omni ex parte probata: „ Sed si ob unum errorem vel alterum in Vitis „ Sanctorum inventum, cetera quæ remanent fide carere dixerimus, (inquit „ Illustrissimus Card. Baronius) profectò omnes ferè Sanctorum Vitas in maxi- „ mum discrimen adducimus: Cum pænè in omnibus aliquid notari possit, „ quod corrigendum videatur, sitque canonicarum tantummodo scriptura- „ rum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaque „ narrentur. „ Neque Baronii dictum locum habet solùm in Sanctorum Actis, Historicos ferit propè omnes, nullus non homo fuit. Quibusdam nihilominùs magis innatum est quidlibet fingendi seu credendi vitium ex soli natura, quod Armoricis, Anglicisque Vitarum scriptoribus plures jam impegerunt. Vetus est Petri Cellensis querela in quadam Epistola ad Nicolaum Monachum Anglum. *Insula est*, inquit de Anglia, *circumfusa aquâ: unde hujus elementi propria qualitate ejus incolæ non immeritò afficiuntur, & nimia mobilitate in tenuissimas & subtiles phantasias frequenter transferuntur, somnia sua visionibus comparantes, ne dicam præferentes*. Quod tamen citra calumniam relatum à me velim

In martyrolog. 7. Id. Octobr.

lim, nam magnos alioquin viros tulit fertque hodie illa insula: Sed Scriptorum vulgo imperito id vitii tribuendum est.

Postquàm propositi nostri ordinem exposui, nunc res postulat, ut nonnulla in hac Præfatione expendantur: quæ cùm diligentiorem exigant tractationem, in quosdam Articulos apposité distinguenda videntur. Primo loco agendum est strictim de Monasticæ vitæ origine in Occidente, deque Regulis ante S. Benedictum isthic observatis. Secundò inquirendum est de tempore obitûs S. P. Benedicti, de Regulæ suæ promulgatione & propagatione sæculo sexto facta; ubi in transcursu mentem nostram de vulgata ipsius ad S. Remigium Remorum Episcopum Epistola aperiemus. Tertiò de S. Scholastica dicendum erit, ac de Benedictinæ Regulæ usu etiam ad Virgines Deo sacras transmisso. Quartò S. Placidi missio in Siciliam ac Martyrii tempus agitabitur. Quintò exponetur S. Mauri Abbatis legatio in Galliam. Sextò de Regulæ progressu in Hispaniam sermo erit. Septimò de Gregorii Magni studio in S. P. Benedicti Institutum: ubi Benedictina ipsius professio contra Cæsarem Baronium asseretur. Octavò de Augustino aliisque S. Gregorii discipulis in Britanniam missis disputatio succedet. Nonò denique Observationes quasdam de rebus cùm Ecclesiasticis tum Monasticis notatu dignis subjiciemus. In aliud sæculum remittimus Germaniæ Benedictinæ tractationem pleniorem. XVI

§. I.

De Monachorum origine, statu, & Regulis in Occidente ante S. P. Benedictum.

Fidei Christianæ ortum, & progressum pænè è vestigio subsecuta est Monastica institutio, & naturali quadam lege ex Oriente in Occidentem pervasit. Basilium Ducem præcipuè celebrant Orientales, Benedictum Occidentales Monachi, utrumque rectiùs Monastices præconem, propagatorem, ac legislatorem dixeris, quam auctorem primarium. Basilium brevi quidem intervallo præcessit magnus ille Antonius Ægyptius, Benedictum duobus ferme sæculis, qui in occiduas partes induxerunt Monachorum Instituta. Hæc (si Baronio credimus) accepit Roma ab Antonio Magno per Athanasium Episcopum Alexandrinum: à Romana verò Ecclesia velut è promptuario disciplinæ, aliæ omnes Occidentalis Orbis Ecclesiæ mutuatæ sunt. Athanasius Anno Domini CCC.XL. in Urbem accessit. *Nulla eo tempore*, inquit Hieronymus, *nobilium familiarum noverat Roma propositum Monachorum, nec audebat, propter rei novitatem, ignominiosum (ut tunc putabatur) & vile in populis nomen assumere. Hæc* (Marcella) *ab Alexandrinis priùs Sacerdotibus Papaque Athanasio, & posteà Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant Vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide, Pachumii, & Virginum, ac Viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere agnoverat.* Deinde Hieronymo Romæ commorante fuerunt *tam crebra Virginum Monasteria, Monachorumque innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod priùs ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.* Augustinus *Roma etiam plura* Monasteria *cognovit, in quibus singuli gravitate atque prudentia & divina scientia pollentes, ceteris secum habitantibus præerant Christiana caritate, sanctitate, & libertate viventibus.* Eu- XVII

Baron ad an 328. n. 20.

In epist. 16. ad Princip. de Marcella epitaph.

Idem ibidem.

August. de morib. Eccl. c. 33.

Ambrof. lib. 10. epift. 82. August. lib. 8. conf. c. 6. Ughel. tom. 4. Ital. fac. Sever. vita S. Martini c. 4.

Eufebio primo Vercellarum Epifcopo ab anno circa CCC. XL. ad CCC. LXXI. id elogii tribuit Ambrofius, quòd *primus in Occidentis partibus diverfa inter fe conjunxit, ut & in civitate pofitus inftituta Monachorum teneret, & Ecclefiam regeret jejunii fobrietate*. *Et erat*, Auguftino tefte, *Monafterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis mœnia fub Ambrofio nutritore*. Quo Monafterio nullum fortè in tota Italia antiquius, fi ante annum CCC. XIII. (quemadmodum Ferdinandus Ughellus affirmat) à Mirocle Mediolanenfium Antiftite conditum fuit. Legimus apud Severum Sulpicium, S. Martinum Turonicum poftea Epifcopum, *Mediolani fibi Monafterium ftatuiffe*, ubi *eum Auxentius auctor & princeps* Arianorum graviffimè infectatus eft, multifque affectum injuriis de civitate exturbavit. Indè Martinus in Infulam Gallinariam fe recepit, ubi aliquandiu vitam Monafticam coluit.

Poffidon. in vita S. August. Hieron. ep. 2. Id. ep. 30.

S. Auguftinus Ambrofii exemplo edoctus, *factus Presbyter Monafterium intra Ecclefiam* (Tagaftæ in Africa) *mox inftituit & cum Dei fervis vivere cœpit, fecundùm modum & regulam fub Sanctis Apoftolis conftitutam*. Taceo *in infulis Dalmatiæ choros à Nepotiano frequentatos*, ut fcribit Hieronymus ad Heliodorum: taceo *Infulas, & totum Etrufcum mare, Volfcorumque provinciam, & reconditos curvorum litorum finus, in quibus*, tempore Hieronymi, *Monachorum confiftebant chori*. Mitto Caprariam, & Gorgoniam Infulas à Monachis cultas. Satis hæc funt ad demonftrandam vitæ Monafticæ in Italia originem fæculo quarto. Elanguit Monaftica Inftitutio in illis Regionibus fæculo fequente ob Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, & Erulorum irruptiones: fed tandem ineunte fæculo fexto refpirare cœpit, & Benedicto auctore AEgyptiorum Monachorum celebritatem adæquavit.

Sever. Sulp. in vita S. Mart. c. 5. Gregor. Turon. lib. 4. mirac. S. Mart. c. 30. Sever. ibid. c. 7. Sever. epift. ad Baffulam.

XVIII Italiam in Monaftico ftatu excolendo æmulata eft, ac propemodum fuperavit Gallia. Martinus ex Infula Gallinaria ad S. Hilarium Pictavorum Epifcopum ab exilio reverfum fe recipiens, *haud longè fibi ab oppido Monafterium collocavit*. Gregorius Turonicus Epifcopus *Monafterium Locociagenfe* appellat, *diftans ab Urbe Pictavis quafi Stadiis quadraginta*. Procedente tempore Martinus *factus Epifcopus Turonenfis aliquandiu adhærenti ad Ecclefiam cellula ufus eft. Deinde, cùm inquietudinem fe frequentantium ferre non poffet, duobus ferè extra civitatem millibus Monafterium fibi ftatuit*. Majus Monafterium hactenus vocatur. Brevi adeò Monachorum numerus Martino auctore accrevit, ut ad Antiftitis *exfequias Monachorum ferè duo millia conveniffe dicantur. Specialis*, inquit Severus Sulpicius, *Martini gloria, cujus exemplo in Domini fervitute ftirps tanta fructificaverat*.

Gregor. Turon. de gl. Conf. c. 22.

XIX Infulam Barbaram paullò fupra confluentes Araris, & Rhodani in medio Araris fitam, Monachos ab antiquis retrò temporibus habuiffe conftat, fortaffe ante S. Martinum. Eò, fæviente Septimii Severi perfecutione, Chriftianos fe recepiffe ferunt. Certè apud Gregorium Turon. S. Maximus B. Martini difcipulus occultare fe cupiens, *apud Infulam Barbaram Monafterii Lugdunenfis* perfugiffe legitur.

Hilarius in vita S. Honorati.

XX S. Honoratus anno CCCC. XXVI. Epifcopus Arelatenfis ordinatus in Infula maris mediterranei extremæ Prouinciæ Phocenfi adjacente, quam Lerinum nuncupant, Monafterium Lerinenfe excitavit. Is primùm divenditis facultatibus, & in pauperes diftributis, & cum eo Venantius frater, duce Caprafio fene, *in Orientis oras*, inquit S. Hilarius ipfius difcipulus & in fede Arelatenfi fucceffor, *& quæcunque alia plena Sanctis loca accipiendi exempli gratiâ accedunt*. Mortuo in Achaja Venantio, Honoratus in Galliam redux, *vacuam Infulam* ob nimietatem fqualoris, & inacceffam venenatorum animalium metu,

tu, *Alpino haud longè jugo subditam petit:* ubi constructo Cœnobio *certatim se jam illuc omnis regio quærens Deum dirigebat; Honoratum expetiit quisquis Christum desideravit, & planè Christum, quisquis Honoratum expetiit, invenit: itaque velut ulnis effusis, protensisque brachiis in amplexum suum omnes hoc est in amorem Christi invitabat, omnes undique ad illum certatim confluebant. Etenim qua adhuc terra, quæ natio in Monasterio illius cives non habet? in proxima* Lerino *Insula* hoc est in Lerone, degebat S. Eucherius, qui in sermone de laude Eremi multa præclarè de Lerino adducit, ubi erant *Auctore Honorato sancti senes, qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis intulerunt.*

XXI An verò prætermittemus illustrem Galliæ nostræ hospitem, immò popularem * nostrum Joannem Cassianum, qui sæculo quinto in civitate Massiliensi inclytum Asceterium ædificavit, ac quinque millia Monachorum rexisse dicitur. Is ultimas collationes septem *ad sanctos qui in Stoechadibus consistebant insulis fratres* scripsit, quæ insulæ ab urbe Massilia brevi millium sexaginta freto distant.

*Holsten. præfat. in cod. Regular. probat Gallum fuisse Cassianum.

XXII Eodem ferè tempore Monachi Condatescenses in locis Turensibus, Autissiodorenses à B. Germano instituti, Divionenses S. Benigni, Ternodorenses apud Burgundiones, Menatenses apud Arvernos, Micianenses Aureliæ, Grinniacenses Viennæ, Agaunenses Octoduri, sanctitate florebant. Et hic quidem Reipublicæ Monasticæ status ad S. P. Benedicti ætatem in Galliis erat. Superest, ut de Hibernia, Gothia, Illyrico, & Hispania, quæ solæ ex Europa nationes Monachismum ante S. Benedictum suscepisse videntur, paucis absolvamus.

XXIII S. Patricium à Cælestino Papa circa annum D.XXX. in Hiberniam missum, fidem vitamque monasticam propagâsse, Probus in ejus vita auctor est. E Mesopotamia in Scythiam Monachorum Instituta transtulit Audæus, qui teste Epiphanio, a *Constantio relegatus Monasteria fecit in Gothia.* Severinus Noricorum dictus Apostolus, *tempore, quo Attila Rex Hunnorum defunctus est,* (nimirum anno CCCC. LIV.) *de partibus Orientis adveniens, in vicinis Norici Ripensis & Pannoniarum partibus, quod Asturis dicitur, opido morabatur, vivens juxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam.* Deinde *ad secretum habitaculum, quod Purgum opidum appellatur ab incolis, quinque à Favianis distans milliaribus secessit. Daturus Monachis formam sollicitior admonebat B. Patrum vestigiis inhærere,* ut ex ipsius vita ab Eugippio Abbate Lucullanensi subpari scripta carptim delibavimus. Denique *prior in Hispaniam Monasticæ observantiæ usum & Regulam dicitur adduxisse* apud Ildefonsum Toletanum Episcopum Donatus, qui *professione & opere Monachus, cujusdam Eremitæ in Africa fertur exstitisse discipulus. Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens ferè cum septuaginta monachis copiosisque librorum codicibus navali vehiculo in Hispaniam commigravit; qui ab illustri religiosaque femina Minchæa subsidii ac rerum opibus ministratis, Sirbitanum Monasterium visus est construxisse.* Persecutio illa referenda videtur ad Trasamundum Vandalorum Regem, qui in vita S. Fulgentii Ruspensis Episcopi Christianos legitur divexâsse ineunte sæculo sexto. Tempus satis congruit Donati ætati apud Johannem Biclarensem ad annum quintum Justini relatæ in hunc modum: *Donatus Abbas Monasterii Servitani, mirabilium operator clarus habetur.* Æqualis Donato fuit B. Victorianus Abbas, qui teste Fortunato *plurima per patriam Monachorum examina fudit,* & Monasterium Asanense in Aragonia construxit, ut in ipsius gestis referemus.

Epiphan. hær. 70.

Ildef. lib. de Virg. illustr. c. 4.

l. 4. c. 11.

XXIV Investigata Monachorum origine & progressu in Occidentis partibus, superest, ut de primariis eorum Regulis pauca dicamus. Ut in Oriente, sic in

Cassianus Occidente, *tot propemodum typi ac Regulæ* erant, *quot cellæ ac Monasteria*. Aliis *lib. 2. Inst. c. 2.* pro regula erat Abbatis voluntas, aliis leges scriptæ imponebantur: in uno eodemque Cœnobio plures in simul Regulæ scriptæ non raro observatæ, detractis vel assumptis, quæ pro locorum ac temporum conditione opportuna videbantur. Et tamen in tanta Regularum diversitate maxima erat Monachos inter omnes animorum consensio, una societas, facilis ac promiscuus transitus, mutuusque commeatus. Nondum invaluerat illud Corinthiorum: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ;* Unus Monachorum in Ecclesia Ordo censebatur. Nomen istud in varias partes scindi cœpit sub finem sæculi noni, quando Congregatio Cluniacensis, ob consuetudines Benedictinæ Regulæ superinductas Ordo Cluniacensis dici cœpit. Et nobiliora etiam Monasteria, ob ritus peculiares, suum Ordinem constituerunt, quamvis S. Benedicti *Guill. Gem.* Regula esset omnibus communis. Sic *ordo Majoris Monasterii* apud Guillelmum *l. 7. c. 37.* Gemeticensem, Ordo S. Dionysii, &c. Res postea in infinitum abiit.

XXV Ergo ut ad id, unde digressus sum, me referam, variæ erant ante S. Benedictum Regulæ in Occidente, quædam à pluribus receptæ. Sancti Basilii Regulam, posteaquàm Rufinus Aquilejensis Presbyter petente Urseio Pineti Abbate eam Latini juris fecit, Monachi Itali præferebant. Nam Eugippii Abbatis Lucullanensis, & Virgilii Diaconi Regulæ non admodum terebantur. *Regulæ c. 37.* Certè S. Benedictus Basilii Regulam familiarem habuit, eamque suis discipulis commendavit. Eandem in Gallia servabat Aredius cum Cassiani institutis, quæ etiam in pluribus Galliarum Monasteriis tenebantur. Erant & Lerinensium, Grinniacensium, & Agaunensium seu Tarnatensium Instituta. Regula S. Macarii in Reomaensi Monasterio vigebat, fortè ex Lerinensium censu; nam apud illos Joannes Reomaensis Abbas primus diu egerat. Apud Miciacenses SS. Antonii & Pauli norma colebatur; apud Turonenses Monachos S. Mar- *In vita S. Mart. c. 7.* tini vivendi forma à Severo Sulpicio descripta: quam etiam S. Patricius in Hiberniam invexisse fertur. Qualem Regulam Donatus ex Africa ad Hispa- ** n. 72.* nos detulerit non facile est divinare: hac de re postea recurret oratio *. Interim ad alia pergamus.

§. II.

De die & anno obitus S. P. Benedicti ipsiusque Regulæ propagatione in Italia: ubi Dialogorum libri Gregorio M. asseruntur, & vulgata S. Benedicti ad B. Remigium epistola expenditur.

XXVI Cùm Orbi natus est S. Benedictus, miserabilis Europæ facies erat. Italia quippe sub Odoacre Erulo, Hispania & Aquitania sub Alarico Vesigotho, Arianorum Principum jugo addictæ gemebant: Suevis Arianis parebat Cal-

Callæcia, regnabat in Gallia Childericus Francorum Rex idolorum cultui deditus, Burgundionibus Arianis non modicam Galliæ partem occupantibus: Germania verò & Britanniæ Insulæ pars verum Deum ignorabant. Annum CCCC.LXXX. S. Benedicti natalem non tam veterum probat auctoritas, quàm recentiorum scriptorum consensus. Vix pueritiæ annos prætergressus, in Sublaci specum se recepit, eo ferè tempore, quo Chlodoveus Francorum Rex cum sua gente Idola ejuravit. Constructis apud Sublacum Monasteriis duodecim, S. Benedictus Cassinum montem petiit anno (ut creditur) D. XXIX. ut indè per universam Europam suum Ordinem diffunderet: quasi funestissima illa ætate (liceat mihi hoc de Benedictino dicere, quod de Monastico statu universim dixit Johannes Mareshamus) comparatum fuisset hoc vivendi institutum, tutissimum adversùs humanas miserias refugium. Et quidem Europa ferè tota Benedicti sæculo Monachis adlaborantibus veram religionem suscepit. Quo die vel anno vir sanctus in Cœlum abierit, lis est inter auctores. Diversas recensere sententias otiosum videtur, cùm id jam præstiterint nonnulli ex nostris. Rem totam ex Gregorio, si fieri potest, repetamus. Sed quia Dialogorum libros, quibus niti præcipuè volumus, Gregorio Magno quidam timidè adscribunt, quidam temerè abjudicant: operæ pretium arbitror, si quàm potero brevissimè hos libros genuino auctori asseruero.

Præfat. in tom. 1. Monast. Anglic.

V. Haeften. in c. 37. vitæ S. Bened.

XXVII. Gregorium hujus nominis primum Pontificem Romanum lucubrationem de *Miraculis Patrum, quæ in Italia facta sunt* cogitâsse, ac parturisse, testatur ipse in libro 2. Epistola 50. ad Maximianum Syracusanum Episcopum, à quo in hoc argumentum suppetias postulat. *Fratres mei*, inquit, *qui mecum vivunt, omnimodò me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ caritatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit mihi breviter indicetis*. Auctor verò Dialogorum tantùm de sanctis Italiæ viris agit, idque statim ab initio lib. 1. Petro interloquente satis innuit his verbis: *Non valde in Italia aliquorum vitam virtutibus fulsisse cognovi: ex quorum igitur comparatione accenderes ignoro. Et quidem bonos viros in hac terra fuisse non dubito, signa tamen atque virtutes, aut nequaquam ab eis facta existimo, aut ita sunt hactenus silentio suppressa, ut utrùmne sint facta nesciamus* &c. & lib. 3. c. 14. *hic itaque venerabilis Isaac ortus ex Italia non fuit, sed ea illius narro miracula, quæ conversatus in Italia fecit*. Quis hìc non videat Auctori non alium esse scopum, quàm ut de miraculis in Italia factis scribat? pergit Gregorius M. in laudata ad Maximianum Epistola. *De Domno enim Nonnoso, qui juxta Domnum Anastasium de Pentunis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, & si qua sunt talia tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti*. At Dialogorum scriptor in lib 1. cap. 7. & 8. de Nonnoso plura refert, aliaque non pauca de aliis, quæ à Maximiano Episcopo accepisse se affirmat.

XXVIII. Deinde tam valida ex ipsis Dialogorum libris in Gregorii M. causam erui possunt argumenta, ut vel stolidus sit, qui non assentiat, vel impudens, qui mentitum scriptorem dicere audeat. Primò Dialogorum auctor in lib. 4. cap. 14. 15. 16. 19. 27. 37. easdem refert historias, quas in Evangeliorum Homiliis à se commemoratas asserit. Et certè Homilias 40. in Evangelia, Gregorii M. germanum esse fetum, & ipsissimas in illis recitari historias nemo negare potest. Deinde Dialogorum opifex nomen suum passim interponit Gregorii, tum se Romanum Pontificem in lib. 1. cap. 8. & lib. 3. cap. 3. & 8. omnino indicat: ad hæc in lib. 3. cap. 32. & 36. meminit legationis suæ in ur-

bem Conſtantinopolim, ac cap. 31. prodit familiari ſibi neceſſitudine dudum junctum fuiſſe Leandrum Hiſpalitanum Epiſcopum, quem Gregorius in amicitiam Conſtantinopoli à ſe receptum fuiſſe præfat. in lib. Moral. teſtatur. Denique Dialogiſta in lib 2. initio ait, ſe ea, quæ de S. Benedicto narrat, quatuor ejus diſcipulis referentibus agnoviſſe. Producant igitur adverſarii Gregorium quemdam Romanorum Pontificem, Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo familiarem primis S. Benedicti diſcipulis ætate comparem, alium a Gregorio Magno: & tunc demum illum Dialogorum auctorem agnoſcemus. Quod ſi non poſſunt, ceſſent apertæ repugnare veritati, cùm alioqui Dialogorum ſtilus Gregorium Magnum ubique ſpiret.

XXIX Verùm quoniam adverſarios ſuſtinemus contumaces, obruere eos auctoritate neceſſe eſt, ſi ratione vinci nolint. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Gregorio M. pænè æqualis de Vir. illuſt. cap. 27. tradit ipſum edidiſſe *Dialogi more cum Petro habiti de virtutibus Patrum libros quatuor*. Et S. Ildefonſus Toletanus ejuſdem ferè ætatis de Vir. Illuſt. cap. 1. *de vitis Patrum* inquit *per Italiam commorantium edidit etiam libros quatuor, quos volumine uno compegit, quem quidem codicem Dialogorum maluit appellari*. Præ tantis viris piget adducere insuper Venerabilem Bedam. apud quem hæc de Gregorio Magno leguntur:
Beda Hiſt. lib. 2. c. 1. *libros etiam Dialogorum quatuor fecit in quibus rogatu Petri Diaconi ſui virtutes Sanctorum, quos in Italia clariores noſſe vel audire poterat, ad exemplum vivendi poſteris collegit*. Bedæ ſuccinuit Aldhelmus Epiſcopus, immò prævit, utpote
Id. lib. 4. c. 19. anno DCC.IX. Beda teſte denatus, qui cùm S. Benedicti vitam a Gregorio M. ſcriptam dicat, eum procul dubio Dialogorum auctorem reſcierat. En Aldhelmi diſtichon ex carmine de laude Virg. ubi agit de S. Benedicto:

Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præſul chartis deſcripſerat olim.

Adeò ut aquam in mare miſſurus ſim, ſi Pauli Diaconi ſuffragium rogem, qui in lib. 4. de geſtis Langob. cap. 5. quatuor libros Dialogorum a Beatiſſimo Papa Gregorio editos, & Theudelindæ Langobardorum Reginæ directos affirmat.

XXX Valeant igitur Credenus, aliique ejus ſequaces, qui Gregorium Dialogorum auctorem tempore Leonis Imp. cognomento Iſauri vixiſſe putant, nimirum anno DCC.XXVI. integro ferè ſæculo poſt Iſidorum, & Ildefonſum. Adquieſcant tandem manifeſtæ veritati Huldricus Coccius, Chemnitius, & Andreas Rivetus modeſtiores utique Roberto Coco, qui procaciter auſus eſt negare, quod alii dumtaxat revocârant in dubium. Nimirum heteredoxi æquis oculis legere non poſſunt iſtos libros, in quibus hæreſes ſuas damnari vident. Hæc digreſſio graſſanti errori debebatur: ad propoſitum redeo.
Coce. præf. in Greg. Op. Baſileæ 1551. Riveti Critici Sacri. Coce. cenſura quorumdã librorum.

XXXI Ad ſtatuendum S. Benedicti, quem modò inquirimus, obitum, duo altrinſecùs termini figendi ſunt, quos ultra citráque divagari Gregorius non ſinit. Unus terminus repetitur ex principatu Totilæ Regis, qui B. Benedictum conveniſſe in lib. 2. Dialogorum cap. 15. dicitur: alter ex clade Monaſterio Caſſinenſi, à Langobardis aliquanto poſt S. Benedicti exceſſum illata.

XXXII Totila Gothorum Sceptrum adeptus eſt belli Gothici anno ſeptimo, hoc eſt Chriſti D.XLI. ſiquidem bellum iſtud orſus eſt Juſtinianus Auguſtus annum
Procop. belli Goth. lib. 1. agens imperii nonum, *εὐθὺς καθίςατο ἐς τὸν πόλεμον ἔνατον ἔτος τὴν βασιλείαν ἔχων*, inquit Procopius. Porrò annus Juſtiniani Imperii nonus Eræ Chriſtianæ anno D.XXXV. reſpondet: Cùm enim ex Victoris Tununenſis calculo Juſtinianus quadrageſimo Imperii ſui, anno Domini D.LXVII. vitæ finem ſuſceperit; ipſius principatûs annus primus cum Chriſti anno D.XXVII. no-

nus

nus cum D.XXXV. componendus est. Denique ut Procopius auctor est, Hildebaldus anno sexto belli Gothici vertente occisus à Vila est. Huic successit Eraricus anni septimi initio. Sed Eraricus iste nihil gessit memoratu dignum, nam cùm paucis supervixisset mensibus, ex humanis decessit. Totila verò ex convento suscepit Imperium. Illud in Procopio advertendum est, annos militares à verno tempore inceptos ipsi adhibitos fuisse. Annus proinde Belli Gothici septimus, anno Christi D.XLI. Vere inchoatus Regem excepit Eraricum, paucisque post mensibus Totilam, qui ante annum belli Gothici octavum Christi D.XLII. Benedictum adire non potuit. Eo quippe anno postquam Cæsenæ, mox Petræ præsidia ceperat Totila, paullò post se in Tusciam contulit, locisque in ea jam pertentatis, cùm ad se nemo concederet, amne Tiberi transmisso, non tamen urbis ingressus confinia, ad Campanos & Samnites divertit. Quo in itinere sinè dubio Cassinum in Samnitibus positum accessit, ac vitæ suæ sortem a B. Benedicto didicit: factumque est id, quod dicit Gregorius, ut mitior ex illo congressu Totila redderetur. Nam Neapoli exinde capta, eam in captivos, teste Procopio, præ se tulit benignitatem, quæ utique nec barbaro nec hosti satis convenit. Quippe qui Romanorum inediâ confectorum inprimis curam suscepit; & morte affecto milite, qui virginem vitiârat, bona quoque ejus quæcumque fuêre, vitiatæ mox tradidit. Unde factum, ejus ut nomen ut sapientiæ, ita & benignitatis celebre, apud Romanos jam esset, ac maximi fieret. Si ergo Totila ineunte belli Gothici anno VIII. priùs Cæsenæ ac Petræ præsidia cepit, Tusciam peragravit, variisque in ea tentatis locis Tiberim transmisit, quam ad Campanos & Samnites divertit; isthuc se conferre non potuit ante finem ipsius anni, Christi D.XLII., nec proinde obitus S Benedicti, quem tum invisit, ante mensem Martium insequentis anni collocari potest. Hic primus limes eorum refellit sententiam, qui S. Benedictum vel ad annum D.IX. vel D.XXXI. vel D.XXXVI. vel denique D.XLII. ad superos migrasse existimârunt.

Idem lib. 3.

Gregorius lib. 2. Dial. c. 15.
Procop. lib. 3. belli Goth.

XXXIII Præter ista nihil nos cogit, ut B. Benedicti annum extremum ulteriùs differamus. Nam ipsius cum Canusinæ Ecclesiæ Antistite colloquium de *ingressu Regis Totilæ & Romanæ urbis perditione* erat paullò post futurâ. Et Zallæ militis Totilæ factum omnino accidisse videtur ante ejusdem Totilæ Collationem cum S. Benedicto habitam: neque enim exinde, quis esset Benedictus, a Zalla ignorari potuit. Fixum igitur esto, S. Benedicti mortem ante annum D.XLIII. statui non licere: jam ex alio quem præfiximus cladis Cassinensis cardine, an ultra hunc annum differri possit videamus.

Greg. lib. 2. Dial. c. 15. Ibidem c. 31.

XXXIV Langobardos a Narse Patricio anno D.LXIX. invitatos duce Alboino in Italiam irrupisse, scribit Paulus Diaconus. Alboino post septem annos demortuo, cum Clephus paucos menses postea regnâsset, *per annos decem Langobardi Regem non habentes sub ducibus fuerunt*. Quibus annis expletis Autharium Clephi filium Regem sibi statuerunt, eoque post sex annos exstincto, Theudelinda ipsius relicta Agilulfum Taurinatium Ducem in Regnum & Thalamum adscivit, Regia dignitate quinque annos supra viginti potiturum. Itaque quandoquidem Cassinense Monasterium ante Gregorii M. Pontificatum à Langobardis eversum fuisse constat, quærimus Langobardorum Ducibus an Regibus Cladem istam acceptam referre debeamus. Sanè Ducibus tribuendam esse, ideoque ante annum D.LXXXV. eam accidisse subjectæ rationes persuadere videntur.

Paul. Diac. l. 1. de gest. Lang. c. 7. Idem c. 31. & 32.

XXXV Leo Marsicanus Cardin. Ostiensis auctor est, Monachis Cassinatibus Cænobii sui excidio à Langobardis patrato subductis Lateranense Patriarchium à

Pela-

Pelagio Romano Pontifice concessum fuisse in Monasterium erigendum; cui Valentinianus multis annis præfuerat, antequàm Gregorius Dialogis scribendis daret operam, uti & libri 2. exordio constat. Dialogos scribebat Gregorius anno D.XCIII. ut igitur Valentinianus annis multis Lateranensem Ecclesiam rexisse Gregorio tum dici potuerit, annis minimùm decem Valentiniani præfectura, adeoque Monasterii Cassinensis ruina Gregorii scriptionem præcessisse debuit. Et verò credi vix potest, eversionem illam accidisse anno (ut passim recentiores scribunt) D.XCIX. regnante Authario, *cujus diebus*, inquit Paulus Diac. *in Regno Langobardorum nulla erat violentia, nulla struebantur insidiæ, nemo injustè aliquem angariabat, nemo spoliabat. Non erant furta, non latrocinia: unusquisque quò libebat securus sinè timore pergebat*. E contrario *per hos Langobardorum Duces spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque qui more segetum excreverant exstinctis (exceptis his Regionibus quas Albuvim ceperat) Italia ex maxima parte capta est, & Langobardis subjugata*. Hinc colligere licet, cladem Cassinensem anno circa D.LXXX. patratam à Langobardis fuisse, citiùs fortasse.

Paul.Diac. l. 3. c. 16.

Id. l. 2. c. 37.

XXXVI Nec refert, quòd strages illa Gregorio Dialogos scribenti *nuperna* dicatur. *Nuper* enim nonnunquam de longo tempore dici maximè apud Gregorium, in vita S. Benedicti cap. 17. demonstrabimus. Si quis verò ad superioris argumenti vim elevandam contendat, Patriarchium Lateranense Monachis Cassinatibus ante Monasterii sui ruinam concessum fuisse; id Leonis Marsicani auctoritate, cui nulla antiquior nec recentior opponi potest, refellemus. Et certè primis illis Ordinis florentissimi temporibus intra urbium mœnia Monachi nonnisi ob ingruentes bellorum tempestates se recipiebant.

XXXVII A S. Benedicti obitu ad Cassinensem eversionem quatuor Abbates Cœnobio Cassinensi præfuisse, scribit in primis Paulus Diac. his verbis. *Ceterùm B. Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, post quem Vitalis, ad extremum Bonitus Congregationem ipsam rexit, sub quo hæc destructio facta est*. Nec dissentit in libri 2. Dial. principio Gregorius M. qui Constantinum S. Benedicto *in Monasterii sui regimine successisse*, Simpliciumque tertio loco *Congregationem* rexisse affirmat. Quid demum inde probamus? Nimirum S. Benedictum non anno D.LX. vel D.LXI. (ut nonnulli hocce tempore persuadere conantur) sed citiùs mortem obiisse. Demus enim primos S. Benedicti successores tres decennio quemque præfuisse Cassino; nec certè minus temporis Abbatibus perpetuò quoad viverent in sua dignitate manentibus tribuere potes. Fac deinde stragem Cassinensem, quam anno ad summum D.LXXX. prorogandam diximus, accidisse sub Bonito Abbate primos Præfecturæ annos agente; S. Benedicti annum supremum, ultra annum D.XLIV. differre vix poteris. Hactenus ex Gregorio extremum S. Benedicti annum expendimus; nunc quid veri, hoc ex S. Mauri Abbatis Vita ab Odone interpolata elicere possimus, indagandum est.

Id. l. 4. c. 18.

XXXVIII Vulgatis illis B. Mauri actis submediæ ætatis scriptores tantam tribuerunt auctoritatem, ut cùm in eis S. Benedictum XII. Kalendas Aprilis in pervigilio Paschæ excessisse legissent, id sibi retinendum constantissimè putaverint, adducti existimatione Fausti B. Mauri Discipuli, cujus lucubrationem omni ex parte integram credebant. Ea res multis implicata difficultatibus viros minimè indoctos, Abbonem Floriacensem Abbatem, Marianum Scottum, Sigebertum Gemblacensem, aliosque non mediocriter exagitavit, & in pugnantes distraxit sententias. Cùm enim homines illi animadverterent, Paschæ sollennitatem proximis S. Benedicti temporibus in XII. Kalend. Aprilis nonnisi annis

nis D. IX. & DC. III. secundùm Dionysii Exigui Cyclum incidisse; in eas abierunt opiniones, ut ex vulgati Fausti persuasione Sigebertus ad annum D. IX. Marianus ad DC. III. Abbo denique correctis Dionysii Cyclis ad annum D. XXXI. S. Benedicti obitum retulerint. Abbonis ea de re opusculum (id monere interim liceat) in ipsius Vita designat Aimoinus, ab eruditis viris diu desideratum. Istud verò non aliud esse arbitror à Præfatione Dionysii circulis apud Bedam præmissa: tum quòd auctor sub finem secundi anni magni Paschalis, qui anno M. LXIV. concluditur, se vixisse indicat; tum quòd Dionysii Cyclos corrigit ad Evangelicam veritatem, quemadmodùm de Abbone Aimoinus refert. Ceterùm ex calculo jam superiùs constituto apparet, nullum ex tribus illis auctoribus non hallucinatum esse in designando S. Benedicti anno extremo, quem neque citra annum Christi D. XLIII. neque ultra annum D. LXXX. collocare fas est. S. Mauri acta paullisper attendamus. *Aimoin. in vita S. Abbonis c. 13. apud Boscium.*

XXXIX. S. Benedicti obitus XII. Kalend. Aprilis cum vigilia Paschæ coincidere nullatenus potest, sive Prosperianum sive Alexandrinum, sive Victorinum, Dionysianumve Cyclum sequaris, sive tandem antiquo Gallorum utaris calculo, qui Pascha perpetuò die 25. Martii observabant. Nam in quocunque cyclo ab Anno D. XLII. ad LXXX. nusquam Pascha ad 21. Martii propiùs accedit, quam anno D. XLVII. quo in diem 24. prædicti mensis incidebat. Nec alicujus momenti est, si varias lites proferas de Paschatis die identidem exortas etiam Benedicti ævo, apud Gregorium Turon. duobus in locis, nimirum Childeberti II. anno secundo in lib. 5. Hist. Franc. cap. 17. ejusdem Regis anno quinto decimo in lib. 10. cap. 23. siquidem duplex illa controversia tum nata est ob Cyclorum discrepantiam, quæ rarò evenire solebat, nec in præfixo à nobis ab anno D. XLII. ad D. LXXX. intervallo, nisi semel emersit, nimirum Childeberti anno secundo, Christi D. LXXVII. ob diversitatem Victorini Cycli, quem plerique Gallorum tenebant, à Prosperiano Hispanis familiari. Alia enim controversia a Gregorio Turon. anno ipsius Childeberti XV. Christi D. XC. relata, ex discrimine processit Alexandrini & Victorini Cyclorum, qui nonnunquam octiduo diffidebant, ut Ægidius Bucherius Comment. in Victorii Can. Pasch. cap. 10. eruditè animadvertit. Verùm quamvis anno D. XLIII. Cycli discrepâssent, nullo tamen pacto cum die 22. Martii (quemadmodùm nonnullis videtur) componi potest. Etenim post Concilium Nicenum Pascha celebrare ante plenilunium nusquam licuit. Quod tamen anno prædicto secus contigisset: siquidem luna eo anno nata 21. Martii, insequenti die à plenilunio diebus duodecim abfuit. Hinc necessariò consequi arbitramur, S. Benedicti diem ultimum cum vigilia Paschæ XII. Kalend. Aprilis seu 21. Martii nullatenus convenire posse. Alterutrum itaque negandum est, ut si in vigilia Paschæ S. Benedictum mortuum esse sentias, alium diem à 21. Martii in Kalendario tribuere ei necesse sit, si diem 21. Martii retinere velis (quod quidem magis mihi probatur) à vigilia Paschæ B. Benedicti obitum removere debeas.

XL. Certè in veterrimis quibusque Martyrologiis Bedæ, Vvandelberti, Usuardi, Adonis, ceterisque anonymorum Auctorum, Natalis S. Benedicti XII. Kalend. Aprilis nusquam non consignatur. Nec objicias, Auctores illos Actis S. Mauri ab Odone interpolatis adhæsisse. Nam etsi hoc de quibusdam dici possit, nec Bedæ sincerum Martyrologium habeamus, id tamen non cadit in Vvandelbertum, qui Lotharii Imperatoris anno XXV. Christi DCCC. XLII. suum opus composuit: nec in Usuardum Odone antiquiorem, cujus fastos omnino integros in pervetusto codice servamus. Cur autem Odo Abbas Glannafolien-

liensis Faustum hoc in loco vitiaverit, conjicere utrumque possumus. Faustus in vita S. Mauri fortean scripserat, S. Benedictum in vigilia Resurrectionis dominicæ, hoc est in sabbato (nam dominicum diem veteres non raró diem Resurrectionis Dominicæ appellabant) excessisse, quod de sabbato Sancto Odo interpretatus sit. En & alia conjectura: in vetustis Kalendariis legimus diem 22. mensis Martii solitam vocari apud Latinos *Primum Pascha*, quòd ipsis citimus Paschæ terminus fuerit. An Faustus fortasse prodidit B. Benedicti mortem in Vigilia primi Paschatis accidisse, eoque loquendi modo Odonem in errorem induxit. At diutius hariolari non licet. Si Benedictus in Vigilia Paschæ, seu sabbato Sancto in cœlum abiisset, adduci non possum Gregorium tam insignem, ut ajunt, circumstantiam omissurum fuisse. Pænè oblitus sum institutæ brevitatis; sed Patris amor me rapit, & reddit excusatum. Esto hujusce disputationis summa, S. Benedictum XII. Kalend. Aprilis, sabbato ante Dominicam passionis anni Domini concepti D.XLIII. carne solutum fuisse. Ad Benedictinæ Regulæ promulgationem in Italia factam transeo.

XLI S. Benedicti Regulam ipso vivente in Italia maximè promulgatam ac disseminatam fuisse, nemo ante Gallonium Cæsaris Baronii patronum dubitavit. Nimirum Gallonius ut sibi commissam Baronii causam, de Gregorii M. professione Æquitiana propugnaret, Benedicti Regulam quoad vixit latuisse, & a Simplicio duntaxat tertio ejus successore divulgatam fuisse commentus est infeliciter. Illud enim etsi Gallonio concederemus, nec sic tamen, quod cupit, evinceret, uti infra dum de S. Gregorio agemus apparebit. Certè non pauca monasteria a S. Benedicto excitata, ac suismet sinè dubio instructa legibus fuisse, nemo inficias ire potest: siquidem præter duodecim, quæ in solitudine Sublacensi condidisse legitur, Cœnobium Terracinense teste Gregorio in lib. 2. Dial. cap. 22. construendum curavit. Quid, quòd ipse brevì moriturus Mauro discipulo suo in Galliam proficiscenti Regulam manu propria exaratam concessit: An fortasse invidendo subtraxit popularibus, id quod cum exteris benignè communicavit? suppetit & aliud argumentum ex Fundani Abbatis ad Simplicium Abbatem Cassinensem Epistola paullò post S. Benedicti obitum scripta petitum: cujus Epistolæ exemplar Cassini asservatum, cùm Lucas Holstenius Bibliothecæ Vaticanæ nuper custos, vir doctus, calculo suo probaverit, eam prout a V. C. Angelo de Nuce Abbate Cassinensi ex codice MS. edita est, referre non pigebit.

Angel. de Nuce in Chron. Cass. lib. 3. c. 29.

Reverendissimo Monachorum Patri Simplicio B. Abbas Monasterii apud Fundanam urbem obedientiæ subjectionem.

Experientiâ compertum est, multorum Rectorum mores varias vivendi normas in Monasteriis peperisse. Hinc factum est, ut jam omnia Monasteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum Provinciarum Italiæ, certam & rectam regulam vivendi, quam Sanctissimus & Deo acceptus Benedictus Magister tuus instituit, servare decreverint: ut juxta illam viventes nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare præsumant: hanc ergo servandam proposui huic Congregationi, cùm nuper me in suum Abbatem elegit indignum. Quam cupientes in hoc Monasterio, sicut in Cassinensi, observare inviolabiliter, decrevimus ad Sanctitatem vestram destinare religiosos ex eadem Congregatione viros Hugonem & Paulum Fratres nostros juxta prædictam sanctam Regulam, & observantiam pleniùs instruendos in Cassinensi sancta Congregatione, quos commendatos apud Paternitatem tuam humili obsequio rogamus. Datum in Monasterio prope urbem Fundanam VII. Kal. Aprilis.

Hoc

Hoc argumento cùm ſe feriri ſentiret Galonius Bernardi & Hugonis nomina in iſta Epiſtola expreſſa, Simplicii ævo in Italia fuiſſe inaudita exclamavit. At Bernardi nomen haud exprimit Epiſtola, ſed vocem decurtatam in ancipiti reliquit; nec unius Hugonis nomen ſufficit elevandæ Epiſtolæ auctoritati. XLII

Præter Regulam S. Benedicto nonnulli tribuunt quædam opuſcula, nempe librum *de Ordine vitæ* & Epiſtolam ad S. Remigium Remorum Epiſcopum ſcriptam. Primum ſatis refutavit Haëftenus, qui illud in Monaſt. Diſquiſitionum calce edidit; de altero hîc paucis dicendum. Refert in vita S. Remigii Remorum Epiſcopi vetus Auctor, Fortunatus Hincmaro creditus, puellam quamdam Toloſanam à dæmone vexatam, Romam ad B. Petri ſepulcrum deductam fuiſſe, *ubi quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis plurima patrabat ſigna virtutum*, negaſſe tamen dæmonem ſe ab alio, quàm à Remigio expelli poſſe. *Tunc* inquit Auctor, *parentes ejus & ipſius Benedicti ſervi Dei & Alarici Gothorum Regis affatibus ſuffragati, cum ægrota ſobole ad S. Remigium Antiſtitem pervenerunt*. Legerat hæc verba Hincmarus, cùm in vita ejuſdem S. Antiſtitis à ſe interpolata de S. Benedicto iſtud factum explicavit, non S. Remigii Teſtamento malè intellecto, ut putavit Baronius, ſed hocce teſtimonio deceptus. Nam *benedicti* vocabulum adjectivè hîc ut ſæpe alias* uſurpatum in nomen viri proprium Hincmarus commutavit. Quod etſi ita eſſe concedamus, hunc tamen locum negamus S. P. Benedicto aptari poſſe. Nam ille Dei ſervus, de quo vetus ille ſcriptor, *in Romana urbe degebat ad B. Petri ſepulcrum*, & quidem tempore Alarici Junioris apud Toloſam Gothorum Regis anno Chriſti D. VII. exſtincti: quo tempore Benedictus adoleſcens in ſpecu Sublacenſi adhuc latebat, nec inde in urbem receſſiſſe legitur. Præterea non probat Baronius, Remigium Epiſcopum in vulgata illa epiſtola Benedicto Abbati *Fratrem* appellari. Vereor ne ſatis validum non ſit iſtud argumentum, cùm Friardus Recluſus apud Gregorium Turonicum Epiſcopum Fratris nomine Felicem Namnetenſem Epiſcopum compellaverit. Quæ diximus, ſpuriam Epiſtolam omnino demonſtrant. Valeat proinde Epiſtola illa à Monachis S. Remigii Remenſis ad Caſſinates præfixo Benedicti nomine tranſmiſſa: cujus falſitas vel ex eo deprehenditur, quòd Monachi Remigiani ajunt, ſe Caſſinatibus dirigere S. Benedicti ad B. Remigium Epiſtolam eatenus ipſis ignotam, ſenſu quidem genuinam, ſed verbis aliis à ſe *caraxatam*. Nam ſi illius Epiſtolæ verum exemplar habebant, cur mutabant verba auctore ſuo conſecrata? ſi non habebant, quis eis ſenſum revelavit, non verba? aut quomodò tandem nulla apud Caſſinates iſtius Epiſtolæ memoria? nimis verborum in his terimus minutiis: at non facilè opiniones præjudicatæ ex animis evelluntur. XLIII

Fortun. apud Sur. 1. Octobr.

* *Initio ejuſdem vitæ*: matri ſuæ benedictæ Ciliniæ.

Gregor. Turon. de vit. PP. c. 10.

Exſtat apud Haëft. comment. in vita S. Bened. c. 16.

§. III.

De Inſtituto Sanctimonialium ad Regulæ S. Benedicti præſcriptum per S. Scholaſticam præmunito.

Virorum agmen ducit Benedictus, Virginum Scholaſtica choris præit Dux & Magiſtra in Schola fratris ſui edocta. V. C. Joannes Bollandus Commen- XLIV

Bolland. To. 2. 10. Febr.

mentario prævio in S. Scholasticæ vitam, duplex de Scholastica dubium movet. Unum, an Religiosa claustralis fuerit, Monasticis addicta Regulis; an Devota, modesto quidem sed communi amictu communique instituto religiosam vitam ducens. Alterum an juxta Cassinum habitârit: quorum istud negat, illud pia tantùm ductus persuasione se credere profitetur. Ego verò utrumque certissimum existimo.

XLV S. Benedicto paruisse Virgines sacras, ab eoque leges accepisse ex vitæ capp. 19. & 23. clarum & exploratum videtur. In istarum Virginum ordine Scholasticam fuisse, id argumento est, quòd Gregorius eam Sanctimonialem nuncupat, eique Cellam tribuit. De istorum verborum sensu, non extranei, non profani rogandi sunt auctores, sed Gregorius ipse, qui ea in totis Dialogorum libris non nisi ad personas, resque Monachicas traducit. Virgines in Monasterio degentes in Dialogorum lib. 1. cap. 4. Sanctimoniales vocat. In lib. 3. cap. 14. quamdam Gregorium refert nuptiarum timore in Ecclesiam fugisse, & *sanctimonialis vitæ conservationem quæsisse, & ad eum, quem desiderabat habitum perductam fuisse*. Erat igitur peculiaris non communis Sanctimonialium habitus. Et si adhuc hæres, audi rursus Gregorium in lib. 4. cap. 15. *Redempta quædam nomine*, inquit, *in sanctimoniali habitu constituta* &c. quod nescio cur Gregorius dixerit, si communis esse potuit Sanctimonialium quarumdam, id est Devotarum habitus; Mitto libri 3. capp. 21. & 23. & lib. 4. cap. 13. in quibus *Sanctimoniales*, ut semper alias, Gregorius Virgines in Monasterio Deo dicatas appellat: pias verò feminas, nonnumquam Religiosas nominat in lib. 2. cap. 12. Sanctimoniales, quod legerim nunquam.

Greg. lib. 2. Dial. c. 33. & 34.

XLVI Neque Cellæ vocabulum apud Gregorium minùs exploratam significationem habet, ut semper vel pro Monasterio, vel pro privato Monachi conclavi usurpetur. Pro Monasterio quidem, dum in libri 1. cap. 4. Æquitius Basilium Monachum de *Cella* expelli jubet: dum in lib. 2. cap. 8. *hortum Cellæ* cap. 9. *habitacula Cellæ* cap. 21. *fores Cellæ* legimus: denique dum in lib. 3. cap. 15. quatuor vel quinque pecudes in *Cella* remansisse memorat. Pro Monachi verò cubiculo privato usurpatur in lib. 3. cap. 16. ubi Martii Eremitæ *Cellam*, & cap. 18. ubi itidem Benedicti Monachi *Cellam* dicit, cùm ergo apud Gregorium legis, Scholasticam *Sanctimonialem ad Cellam propriam* se recepisse propriè Sanctimonialem fuisse non dubites. Unde S. Bertarius Abbas Cassinensis anno DCCCLXXXIV. martyrio coronatus apud Angelum de Nuce in caput 33. Vitæ S. Benedicti *venientes ad locum*, inquit, *in quo Virgo Domini Scholastica, dum adhuc viveret, simulque cum aliis religiosis, sanctisque Virginibus Domino serviebat, quas illa docuerat* &c. Hìc Scholasticam & Monacham audis, & Monacharum Magistram. Accedit carmen de S. Scholastica, vetus quidem, sed Paulo Diacono perperam attributum, quod integrum suo loco referemus, cujus modo hoc distichon prælibamus.

Castalides Proceres precibus concita Prædux
Illuminabas ovans Castalides Proceres.

XLVII Ex eodem carmine discimus Scholasticam (quod alterum controversiæ caput est) juxta Cassinum habitâsse, sic canit Poëta:

Virginal * *ecce tuum Fratris conjunxeras adi,*
Staret ut invulsum Virginal ecce tuum.

* id est Parthenona seu Monasterium Sacrarũ Virginum.

Hoc ipsum verò ex Gregorio tam evidenter exprimitur, ut mirum sit, id à quoquam negari posse. Nam die altero fratris congressu *ad Cellam propriam recessisse* Scholastica dicitur, ejusdemque post triduum mortuæ corpus fratris jussu Cassinum manibus Monachorum delatum, ibique sepultum est. Quod certè brevissimum à Cassino intervallum satis denotat. Hæc

Greg. lib. 2. Dial. c. 34.

Hæc cùm sint, Scholasticam Virginum Benedictinarum Ducem, & Magistram, & Antesignanam pronuntiare non dubitamus: quamquam an subitò plurimas Instituti sui socias ac participes habuerit, non omnino certum est. In Gallia Regulam S. Benedicti non antè Sanctimonialibus receptam arbitror, quam Donatus Vesontionensis Episcopus circa annum DC.XX., petente Flavia Matre, eam feminis aptavit. Sic enim in prologo suo loquitur: *sæpiùs mihi iujungitis, ut exploratâ S. Cæsarii Arelatensis Episc. Regulâ, quæ specialiùs Christi Virginibus dedicata est, unà cum Beatissimorum Benedicti quoque & Columbani Abbatum, ut puta quibusdam (ut ita dixerim) collectis in unum flosculis ad instar Enchiridion excerpere vobis vel coacervare deberem, & quæ specialiùs femineo sexui custodienda competerent, promulgarem, dicentes, quòd regulæ prædictorum Patrum vobis minimè venirent; cum easdem viris potiùs, & nequaquam feminis edidissent*. Postea verò S. Benedicti norma usque adeò invaluit, ut generali constitutione canon ultimus Concilii apud Liptinas in agro Cameracensi anno DCC.XLII. habiti definiat, *ut Monachi, & ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare studeant, & vitam propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.* Quod decretum non in primariam Regulæ receptionem, sed in laxioris observationis restitutionem sancitum est. Sed antequam ex Italia in Galliam faciamus gradum, de Sicilia, quò prima Regulæ translatio facta creditur, agendum est. XLVIII

Exstat in Cod. Regul.

§. IV.

De Regulæ S. Benedicti in Siciliam invectione per S. Placidum.

AD difficilem pervenimus locum, ubi de S. Placido Benedictinorum Monachorum protomartyre, ipsiusque in Siciliam accessu, & Martyrio tractandum incumbit. Res est obvoluta tot spinis, totque anfractibus intricata, ut aculei undique, & imperviæ se objiciant ambages, quibus removendis probati nos deficiunt Auctores. Petrus Diaconus Cassinensis, sæculi XII. scriptor non malus quidem, sed non satis diligens, S. Placidi ejusque Sociorum gesta à Gordiano Placidi comite scripta vel interpolavit, vel supposuit. Nam Gordianum inter scriptores Monasterii Cassinensis in libro hac de re singulari non memorat, etsi Faustum ob similem de S. Mauri Abbatis Vita lucubrationem non omittit. Acta illa non quidem perpurgata reddere, sed atrocioribus mendis exonerare conabimur. Nunc in tempus, quo S. Placidus Siciliam petiit, quóve martyrium complevit, inquirendum est. XLIX

Leo Marsicanus in Chron. Cassin. lib. 1. cap. 1. S. Placidi legationem in Siciliam describit his verbis: *Beatum etiam Placidum discipulum suum vir Domini Benedictus tunc ad Siciliam misit, ubi Pater ejusdem Placidi Tertullus Patricius decem & octo patrimonii sui curtes eidem B. Benedicto concesserat*. Auctorem Leone antiquiorem legi neminem, qui de ista B. Placidi profectione scripserit. De ejus martyrio, primus se offert Usuardus in Martyrologio *III. Non. Octob. apud Siciliam Natalis SS. Placidi, Eutichii, & aliorum triginta*. Utrumque silet Gregorius Magnus in libris Dialogorum, ubi nimirum res in Italia dumtaxat gestas commemorare in animo habet. In vulgatis S. Placidi actis num. L

20. iter ejus in Siciliam anno D. XXXVI. consignatur. Mallem anno D. XXXIV. ante bellum Gothicum, præcipuè cùm Sabinus Canusinus Episcopus, quem Placidus tum invisisse dicitur anno D. XXXVI. Constantinopoli versaretur; ut suo loco dicendum erit.

LI Nec minor est difficultas de Martyrii anno, qui malè in iisdem actis anno Christi nati D. XLI. Justiniani XIIII. illigatur. Nam annus Justiniani XIII. in Christi annum DXXXIX. incidebat, ut Baronius in notis ad Martyrol. adnotavit. At qui in iisdem gestis de Mamucha cædis auctore, de Saracenorum classe ex Hispania in Siciliam advecta legitur, intolerabilis error est: Siquidem non nisi post centum & septuaginta annos Saraceni Hispaniam occuparunt. Nec facilè invenias, quibus nefarium illud scelus auctoribus tribuas, si temporis calculo à Petro Diacono constituto inhærere velis. Procopius rerum illius temporis ad Italiam Siciliamque pertinentium Scriptor, ad annum belli Gothici quintum, sextum, septimumve nullius hujusmodi incursionis meminit. Si à prædictis annis paullulum discedimus, nonnullas observamus Siciliæ vastationes, cuinam ista Sanctorum Martyrum cædes adscribi debeat, definiat qui potest.

LII Primùm enim apud eundem Procopium in lib. 3. ad belli Gothici annum XV. Christi D. XLIX. Totila, aliis Baduila, postquam Rhegium à suis obsessum relictâ custodiâ circumcluserat, ipse trajectis in Siciliam copiis Messanæ adortus est mænia: cui cùm Domentiolus urbis Præfectus restitisset, Gothi nemine sibi deinceps obviam procedente Siciliam ferè omnem depopulantur. Quibus peractis in Italiam remeâsse dicuntur. Et quidem hìc vulgatis S. Placidi actis cùm nonnulla satis conveniant, tum illud maximè consentit, quòd prædones Rhegium (quod paullò ante Gothis se dediderat) utrobique petiisse navigio feruntur. Id tamen discriminis inter utramque narrationem est, quòd Totila feliciter in Italiam appulsus est, Mamucha verò cum suis naufragio periisse dicitur.

LIII Est etiam quædam ratio, cur S. Placidi necem possimus aptare Sclavinis ferocibus populis, quos Procopius eodem loci per Histrum, Thraciam, Illyricum, & Dalmatiam grassatos commemorat, nec Siciliæ pepercisse verisimile est à Totila fortè conductos. Nam Procopius Sclavinorum immanitatem describens tradit, eos nulli ætati pepercisse, & quoslibet obvios sinè delectu necâsse, non ense, non telo, vel armorum genere aliquo consueto, sed acutissimos in terram palos figentes summa vi miseros super imposuisse, summumque pali idque præacutum per inferiorem pudendamque partem trudendo, & in viscera adigendo interiora excruciâsse. Addit & aliud tormenti genus à Sclavinis adhiberi solitum. Nempe ad sudes quernas & crassiores altiùs in terram defixas pedes, manusque captivorum deligabant, fuste deinde caput diverberantes, veluti in canes serpentesve & ejusmodi cetera desæviendo, morte conficiebant: alios verò cum bobus pecudibusque, & id ceteris genus, quos abigere domum non satis commodè præ senio poterant, locis arctioribus coërcendo igne inclementiùs cremabant. Quæ planè tormentorum genera in S. Placidum, ejusque Socios in editis eorum gestis partim perpetrata leguntur. Sclavinorum porrò religionem Procopius ad annum belli Gothici XI. commemorans ait, his lege cautum esse, ut inter Deos aliquem unum, qui fulminis sit fabricator, rerum omnium Dominum, ac solum Deum esse credant, illique boves, & hostias ceteras mactent. Silvas inquit, præterea & Nymphas colunt & dæmones alios, hisque sacrificia peragunt, & inter sacrificandum vaticinantur. Gregorius Magnus in lib. 9. Epistola 45. bis in hebdomada letanias fieri

fieri ob Barbarorum in Siciliam incursiones præcipit: at Gregorii Pontificatus à B. Placidi tempore nimiùm remotus videtur.

LIV In appendice ad Marcellini Comitis Chronicon, & in Chronico Hermanni Contracti dicitur Bucelinus Comes per annos aliquot Italiam Siciliamque infestâsse, & Romanum sæpè exercitum superâsse, tandemque exercitus ejus profluvio ventris attritus, à Narse pugna victus & profligatus, ipseque Dux occisus esse: quod etiam in annalibus Bertinianis Justiniani principatu factum traditur. Hæc ferè sunt, quæ de Siciliæ vastationibus circa S. Placidi ætatem factis in probatis auctoribus leguntur, non eo animo à me adducta, quò vulgatis S. Placidi Actis omnimodam fidem detraham, sed quò probem, obscuræ veritatis illustrandæ studium mihi non defuisse. *Tom. 3. Chesnii pag. 233. Hist. Franc.*

§. V.

De S. Mauri missione in Gallias, deque Benedictini Instituti facto per eum accessu.

LV SI B. Mauri Vita à Fausto ipsius socio descripta ad nos integra pervenisset, non esset nobis in iis, quæ ad ipsum pertinent, immorandum. At cùm Odo Glannafoliensis Abbas, homo noni sæculi, in Acta illa jam vitiata, ut in epistola sua prævia testatur, inciderit, novaque ipse addiderit errata; nonnulla, quæ lectorem cespitare faciunt, discutere mihi incumbit: nimirum quis S. Benedicto fuerit auctor mittendi B. Maurum in Galliam, quove anno id acciderit. Deinde qualem commendationem Regula per eum in hoc Regno acceperit, ac demum quo anno vitâ sit defunctus.

LVI S. Benedicti discipulos a quodam Episcopo Cenomannensi in Galliam fuisse invitatos, consentiunt omnes: ast interpolatorem hallucinatum fuisse, dum istius legationis auctorem nobis obtrudit Bertchramnum, aliis Bertigrannum, qui seriùs, quàm S. Mauri historia ferat, hoc est à Childebetti II. anno undecimo, Christi D. LXXXVI. ad annum Domini DC. XX. Ecclesiæ Cenomanniæ præfuit. Quærendus igitur est alius, & siquidem nullus ante ipsum cognominis prædictam Ecclesiam rexit, pro Bertchramno in S. Mauri vita substituendus est Innocens, seu Innocentius, in quem totius negotii causa refundenda videtur.

LVII Antequàm ad id probandum aggrediar, statuenda est Episcoporum Cenomannensium per sæculum VI. successio, in quibus primus occurrit Principius, qui Concilio I. Aurelianensi subscripsit anno D. XI. & intra sequens biennium habuit Innocentium successorem. Innocentius interfuit Concilio II. Aurelianensi anno D. LXXXIII. & Aurelianensi item IV. anno D. XLI. nec diu supervixisse videtur. Eo mortuo diu vacavit sedes, tandemque anno D. LX. suffectus est Domnolus, si locus Gregorii Turon. in lib. 6. cap. 9. interpolatione vacat. Domnolo verò anno Childeberti junioris VI. Christi D. LXXXI. successit Badegisilus, qui anno D. LXXXVI. Bertchramnum, superiùs memoratum, successorem accepit.

LVIII Atque ut S. Mauri in Galliam accessum Innocentio vocanti tribuamus, suadet inprimis ejus ætas cum S. Benedicti supremis annis, ac Theodeberti Regis principatu consentiens: tum in monasticum Institutum humanitas ac liberali-



ralitas Innocentii, qui quotquot potuit Monachos probatissimos in Diœcesim suam invitavit, excepit, & recreavit benignissimè. Testes appello Carilesum, Avitum, Almirum, Leonardum de Vendopera, aliosque sanctissimos viros, quibus prædia, cellas, aliaque necessaria suppeditavit. Adeò ut *triginta sex Monasteriola in ipso Episcopatu essent, quando Gauzlenus* (is Pippino regnante sedem tenuit) *prædictum Episcopatum assumpsit; in quibus Monachi sub Regula degentes, sanctè ac regulariter vivebant. Sed quando ipse defunctus est* (*quod pudet dicere*) *pauci & quasi in his nulli remanserunt, quoniam inde ille omnes ejicere indesinenter studuit, & laicis ac sæcularibus hominibus ipsas cellas beneficiario jure possidendas, tradidit* &c. Hæc ex Actis MSS. Episcopatus Cenomannensis.

Acta Mss. Episc. Cenom.

LIX Ita ergo res gesta esse videtur. Innocentius paullò post Concilium Aurelianense IV. anno D.XLI. celebratum, Frodegarium Archidiaconum & Harderadum Vice Dominum misit ad B. Benedictum, ut Regulam ac discipulos ad Regulæ præscriptum institutos ad se transmitteret. Frodegarius & Harderadus Belli Gothici difficultatibus præpediti Cassinum ægrè tandem accedunt, ac B. Maurum cum quatuor Sociis sibi à S. Benedicto concessis in Galliam cùm adducerent, Innocentium morte sublatum audiunt. Fortè jam vel in demortui locum intrusus erat, nescio quis decessoris sui votis malè respondens; vel sede omnino destituta, nemo Innocentii partes suscipiebat: cum Florus Vir illustris, Harderadi consobrini monitu, S. Mauro Glannafoliense Monasterium in territorio Andecavensi paravit. Certè Innocentium ante Concilium V. Aurelianense anno D.XLIX. convocatum jam vitâ functum esse, vel idem probat, quòd neque isti Concilio, neque Parisiensibus II. & III. annis D. LI & D. LVII. subscripsisse reperitur, immò nec quivis alius Cenomannensium Episcopus: ut meritò sedem Cenomannicam toto illo tempore vacuam fuisse, vel legitimo pastore destitutam liceat affirmare. In S. Domnoli Actis ab vetustissimo Auctore Haduini Antistitis jussu sæculo VII. exaratis diutina sedis vacatio discretè exprimitur: *Domnolus relictâ Patriâ & Parentibus, cunctisque rebus quas possidere videbatur; Romam profectus est limina Apostolorum orationis gratiâ visitaturus, ubi cùm animi sui devotioni fecisset satis, post longa itineris emensa spatia Domino gubernante ad Cenomannes appulit, quos propter obitum sui Pontificis magno offendit animi mœrore affectos. Jam pridem enim beatus Innocens ad Dominum migrârat, & laboris sui præmia consecutus: in ejus verò locum needum alius subrogatus fuit.* Neque his obstat vulgatus Gregorii locus in lib. 6. cap. 6. ubi *migrante Innocentio* Domnellus à Chlotario Episcopus *destinatus legitur*. Vox enim *Migrante*, indefinito Græcorum modo effertur, tantumque indicat Domnolum Innocentio successisse, seu brevi, seu multo tempore vacua sedes fuerit.

Vita S. Domnoli apud Surium 16. Maii.

LX B. Maurus exactis in Gallia annis quadraginta cum mensibus aliquot, XVIII. Kalend. Febr. ad cælestem patriam discessit. Cujus intra tumulum paullò post sancti viri obitum, Bertulfus Abbas S. Stephani Protomartyris Reliquias in Buxtula lignea recondidit cum hoc pittacio: *Hic requiescit corpus B. Mauri Monachi, & Levitæ, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venit, & XVIII. Kalend. Febr. migravit à sæculo*. Hanc inscriptionem detexit Gauzlinus Abbas Glannafoliensis, dum B. Mauri corpus è tumulo levavit anno DCCC. XLV. eamque retulit Odo Gauzlini successor in historia Translationis S. Mauri à nobis sæculo IX. Deo dante proferenda. Quam inscriptionem verissimam arbitror, nec in re tam levi Odonem, qui Monachos ipsius translationis testes audisse se testatur, mentitum credere par est. Pittacium istud cum reliquiis *juxta prædicti Patris tumulum ob ejus venerationem in buxtula lignea reconderat Bertulfus*, & quidem *tempore Chlotarii Regis*, nimirum secundi, qui Chilperico

Odo in Hist. Translat. apud Bollandum 15 Jan.

co patri anno D.LXXXIV. exeunte in Regnum successit. Proindeque Januario insequenti, qui secundùm computum Gallicanum ad finem anni superioris pertinebat, S. Maurus vivere desiit: vel si Januario præcedenti, prædictæ reliquiæ paullò post ipsius mortem in ejus tumulo reconditæ sunt.

Biennio ferè, quam S. Maurus hominem exueret, Monachos centum, & sexdecim in cœlum præmisit. Tantus hominum brevi in eodem Cœnobio mortuorum numerus facilè persuadet, pestem aliquam tunc temporis grassatam esse: eoque spectare credimus, lucem illam, quam Gregorius Turon. Childeberti II. anno VII. Christi D.LXXXII. describit in hunc modum: *Magna eo anno lues in populo fuit, valetudines variæ, milinæ cum pusulis, & vesicis, quæ multum populum adfecerunt morte.* Hac peste correptos B. Mauri discipulos existimo, immò & Monachos S. Ebrulfi Uticensis Abbatis septuaginta octo, ut in propria ipsius Ebrulfi vita infra videbimus. Nam & locorum vicinia id credere nos cogit, & temporis ratio in S. Ebrulfi Actis num. 17. sic notata: *Elapso interea anno vicesimo secundo inchoationis eorum in ipsa eremo, in eodem Monasterio ab incursione insidiatoris generis humani pestifera clades subitaneæ mortis ingressa adfuit;* & num. 19. *Eodem mortalitatis urgente incommodo, mortui sunt ex Monachis septuaginta octo, sed & famulorum non minima multitudo.* Quæ idcirco refero, ut B. Mauri tempus mortis anno circa D.LXXXIV. collocandum demonstrem. LXI

Gregor. Turon. lib. 6. c. 14.

Aliud argumentum de extrema S. Mauri Vitæ Periodo eruere licet ex antiquissima inscriptione fronti majoris portæ Castrensis Ecclesiæ quondam insculpta, quæ in Chronico Episcoporum Albigensium, & Abbatum Castrensium refertur hoc modo. LXII

To. 7. Spicil. vet. Script. pag. 338.

Faustinus lapsis à Mauri morte decem octo
Lustris, has Sancto Benedicto dedicat aras,
Impensisque suis tota est structura peracta,
Aptavitque suis humeris de more cucullam,
Religionis amans, cellis se devovet istis,
Atque Abbas factus, mira pietate refulsit.

De istius epigraphes antiquitate dubitare nefas est. Retulit eam Petrus Borellus in Historia Castrensi, affirmatque lectam fuisse in majori janua Ecclesiæ Castrensis adusque annum M.CCC.XVII. quo anno novum portalitium constructum est. Atqui in laudato Chronico Castrensium prima constructio Castrensis Monasterii ita designatur. *Anno Domini DC.XLVII. Robertus, Anselmus, & Daniel tres viri pii & nobiles, relicto cingulo militiæ sæcularis in pago Albigensi juxta fluvium Agouti sub Regula S. Benedicti Deo militantes castra metati sunt, & inde nomen loco inditum, Castra. Tres cellas manibus propriis sibi construxerunt ex lignis silvaticis, terra & foliis: vacabant orationi, jejuniis, & vigiliis, & operationi manuali. Tantæ pietatis fama spargitur circum quaque, plurimorum fit concursus, multiplicantur cellæ usque ad num. XXIX. advenit Faustinus miles strenuus opibus abundans, Deus tetigit cor ejus, fit Monachus, Ecclesiam S. Benedicti à fundamentis magno sumptu ædificat, & per mortem Roberti fit secundus hujus Monasterii Abbas.* Infrà verò in catalogo Abbatum: *Anno sexcentesimo septuagesimo tertio Ricardus Episcopabat, Faustinus Abbatiabat.* Supra istum annum DC.LXXIII. reducto calculo si *octodecim* lustra, hoc est annos nonaginta numeres ad obitum S. Mauri, hunc anno D.LXXXIV. à me jam constituto mortuum intelliges.

Hist. Gallica Castr. l. 2. c. 1.

Quosdam ab hac sententia retrahit Gregorii Turon. silentium; quem cum nec in libro de Gloria Conf. nec de Vitis Patrum, B. Mauri meminisse legant, S. Mauri obitum ultra Gregorii Turonensis annum supremum, scilicet LXIII

Chri-

Christi D.XCV. differendum existimant. At certè non omnia scripsit vir optimus Gregorius, nec omnia ipsius scripta ad nos pervenerunt, fortassis in libro de Cursibus Ecclesiasticis, qui una cum ejus commentario in Psalterium intercidit, cursus seu divini, ut vocant, Officii à S. Benedicto instituti, ac per B. Maurum in Galliam introducti mentionem fecerat. Objiciebatur nobis nuper venerabilis Bedæ altum ubique de Benedictina Regula silentium. Et ecce in minutissima Monasterii sui historia ab Jacobo * Vvaræo recens edita S. Benedicti Regulam non semel legitur celebrâsse. Si tamen Gregorius ex toto B. Maurum prætermisit, non deest excusandæ reticentiæ causa. Quippe Gregorius in libris de Gloria Conf. & de Vitis Patrum haud multos memorat Sanctos præter Galliarum indigenas, non Samsonem, non Malgorium Episcopos Dolenses, ac provinciales suos, non Gildam Reuvinensem Abbatem cognomento Sapientem nominat, clarissimos alioqui sanctissimosque viros ex Britannia Insula profectos in Armoricam, Metropolitæ Turonensi subjectam. Quin etiam Sancti populares non pauci, qui non longè ab Urbe Turonica sanctitate florebant Gregorii ætate, in ipsius libris locum non habent. Cur enim quæso Maximum Miciacensem, Lifardum Magdunensem, Carilefum Anisolensem, Leonardum Vendoperensem, Abbates, cur Almirum, Boamirum, Constantinianum, aliosque viros apud Aurelianos, & Cenomannenses solemni cultu celebratos Gregorii calamus expunxit? Nimirum unus omnibus non sufficit; & dum Gregorius apud patrios Anvernos, dum apud Turones in S. Juliani & B. Martini miraculis occupatur, extranea minùs cogitat, & attendit.

* V. inf. n. 88.

LXIV Quantos agente B. Mauro progressus in Gallia fecerit S. Benedicti Institutum, declarat S. Odilo in Vita S. Majoli Abbatis Cluniacensis his verbis. *Processu temporis post transitum videlicet supradicti piissimi Patris per B. Maurum ejus discipulum omnis pæne Gallia ejus Institutionis suscepit exordium. Deinde per eum & eos, quos ipse ad justitiam erudivit, per plurima temporum spatia eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit. Nec abs re credimus contigisse*, inquit B. Odo itidem Cluniacensis Abbas primus serm. de S. Bened. *quòd clientem unicè dilectum, Beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc vivens direxit S. Benedictus, & demum se transferri voluerit. Fortè enim cùm sancta mens ejus adeò dilatata esset, ut omnem mundum simul conspiceret, hunc locum sibi quodam occulto consilio specialiter delegavit*, non tamen adeò clara & aperta sunt normæ Benedictinæ sæculo sexto in Gallia propagatæ vestigia. Nec mirum certè; nam ne quid de temporum longinquitate querar, hæc propagatio facta solùm non est per coloniarum transmissa huc illucque examina, per novas Monasteriorum constructiones; sed per Regulæ tacitam susceptionem & observationem, quam cum primævo more vivendi antiqua primum usurpavere Cœnobia, tum solam crescente sanctæ Regulæ existimatione & auctoritate retinuerunt. Concilium Turonense II. anno D.LXVII. celebratum can. 17. & 18. Monachis quemdam præscribit jejuniorum & psalmodiæ modum, qui cùm à Regula nostra diversus omnino sit, vulgatum à B. Mauro Institutum nondum passim invaluisse satis arguit.

S. Odo in serm. de S. Bened.

LXV Verùm procedente tempore tantam brevì apud omnes obtinuit auctoritatem Regula Benedictina, aliasque regulas tanto post se intervallo reliquit, *ut etiam in ipsorum Patrum Cœnobia, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgârunt, hanc proprii clientes eorum maluerint profiteri: non immeritò arbitrantes, quòd hunc* (S. Benedictum) *specialiter tanquam alterum Moysen Deus prædestinaverit, per quem Monasticæ legis decreta sanciret*. Hæc S. Odo loco supracitato. Carolo Magno imperante Respublica Monastica à S. Mauro condita

S. Odo ibidem.

tam

tam profundas radices egerat, ut quæstionis esset, *Utrùm aliqui Monachi esse possent præter eos, qui Regulam S. Benedicti observant: Item si in Gallia Monachi fuissent, priusquàm traditio Regulæ S. Benedicti in has parochias devenisset*, Quemadmodùm legitur in Capitulari Interrogationum ad Episc. & Abbates, Interrog. XII. Et in Brevi proximè subsequente: *Inquirendum* ait Carolus M. *quæ Regula Monachi vixissent in Gallia, priusquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuisset; cùm legamus inquiunt Sanctum Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multò ante S. Benedictum fuit*. Adeò Regulæ omnes ceteraque Instituta Monastica in desuetudinem, & oblivionem tunc temporis abierant. Unde sola Benedicti Regula tum audiebat in Conciliis, Augustodunensi anno DC. LXX. Liptinensi anno DCC. XLIII. Suessionensi anno DCC. XLIV. Vernensi anno DCC. LV. Francofordensi anno DCC. XCIV. Moguntiacensi, Cabillonensi II. Remensi itidem II. & Turonensi III. anno DCCC. XIII. Aquisgranensi demum anno DCCC. XVII. duoque duntaxat in Gallia erant Monasteriorum Ordines Monachorum nempe, & Canonicorum, non tantùm pro Viris, quod ex prædictis Conciliis patet, sed & pro Virginibus sacris. Ita enim in Concilio Moguntiacensi canon. 13. statuitur: *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus, quæ verò professionem S. Regulæ Benedicti fecerunt regulariter vivant; sin autem, canonicè vivant pleniter*. Et in Cabillonensi II. can. 53. *Libuit namque huic sacro Conventui quasdam admonitiunculas breviter ejus Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant; quoniam hæ, quæ sub Monasticæ normæ Regula degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem, quam profitentur, Regula scriptum habent*: nimirum Regula S. Benedicti, quæ κατ' ἐξοχὴν Regula, Regula sancta cùm in laudatis Conciliis, tum in Capitularibus solet appellari.

Capit. Interrog. XII. To. 2. Conc. Gall. pag. 261.

LXVI Ex iis, quæ superiùs de Carolo M. retulimus, manifestè apparet, Regulam istam jam pridem ante ejus principatum usu generali receptam fuisse, quemadmodùm canon. 25. Concilii III. Turonensis anno DCCC. XIII. habiti disertè confirmat: *Monasteria Monachorum in quibus olim B. Benedicti Regula conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur, ut ad pristinum revertantur statum*. Jam ex S. Donato Episcopo Bisuntiensi supra notavimus, Virgines sacras ab eo postulasse, aptaret feminis Regulam S. Benedicti, quod ex Virorum æmulatione processisse nemo non videt. Itaque in Virorum Cœnobiis B. Benedicti norma trita erat S. Donati ætate, hoc est ineunte sæculo septimo. Eo ipso tempore Desiderius anno DC. XXIX. factus Cadurcæ civitatis Episcopus S. Benedicti discipulos in sua Diœcesi excepit. *Nullum quidem eo tempore*, inquit vitæ ipsius scriptor gravis, *in urbe Caturca propositum Monachi, neque habitus Religionis aut Regula Cœnobialis intraverat. Secta Columbani procul aberat. Instituta B. Benedicti longè distabant. Desiderii autem tempore hæc secta Caturcæ intravit, hujus sub die hæc Religio adolescere cœpit. Nam & Marciliacense Cœnobium hujus tempore à viris laudabilibus Ansеberto & Leutado initiatum est, & in ipso opido S. Viri Monasterium his diebus exorditum est, & alia complura Monasteria suo tempore sata creverunt*: Sed præclarum inprimis de Regulæ Benedictinæ progressu testimonium in Vita S. Salabergæ Auctor pænè coævus nobis suppeditat. cap. 4. *In B. Eustasii locum jam pridem beatæ recordationis Walbertus in Regimine fratrum subvectus est, Vir omnium famâ laudabilis eximiæque sanctitatis hujus temporis per Galliarum Provincias agmina Monachorum, & sacrarum Puellarum examina non solùm per agros, villas vicosque atque Castella; verùm etiam per Eremi vastitatem, ex Regula dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Colum-*

To. 1. Biblioth. Ph. Labbe.

Exstat in fine operum Guiberti de Novig.

lumbani pullulabant, cùm ante illud tempus Monasteria vix pauca illis reperirentur in locis.

LXVII Ex hoc loco manifestum est S. Columbani Regulam in Benedictinam ab ipso coaluisse principio: Cùm primi B. Columbani discipuli utramque simul propagaverint, ut in proximo sæculo ampliùs declarabimus. Nec dubium, quin vivente Columbano S. Benedicti Regula in Luxoviensi Monasterio recepta fuerit: siquidem permulta Cœnobia Besuense Diœcesis Lingonensis, Resbacense Lemovicensis, Altivillarense Remensis, Solemniacense Lemovicensis, quorum primi Institutores ex Luxoviensi Asceterio educti sunt, sub SS. Benedicti & Columbani Regula condita & erecta leguntur. Immò omnia ferè Monasteria sæculo VII. ædificata, qualia sunt Corbeïense, Floriacense, Gemeticense, Fontanellense, & Puellare B. Mariæ apud Suessionas ad SS. Benedicti & Columbani Regulam ordinata sunt, ut ex primariis eorum instrumentis constat. Ubi dum Regula singulari exprimitur signo, utriusque Regulæ convenientia, & promiscuus usus evidenter exprimitur.

LXVIII In antiquioribus Asceteriis sæculo VII. Benedictinæ leges familiares erant, nimirum apud Insulæ Barbaræ Monachos ante Chlodovei junioris principatum, cujus rei Regiæ litteræ ab eruditissimo viro Claudio *le Laboureur* relatæ faciunt fidem; apud Lerinenses qui S. Aigulfum Monachum Floriacensem Regulæ Benedictinæ subditum in Abbatem cooptârunt. In Monasterio S. Martini intra urbis Turonicæ mœnia (quod etiam de Majori Monasterio dicendum est) S. Benedicti documenta viguisse ante annum DC. XC. patet ex Bertoni seu Berti Episcopi charta, qua in confirmationem privilegii Basilicæ Martinianæ à Chrotperto decessore suo concessi tribuit Monachis facultatem eligendi Abbatem secundùm Regulam S. Benedicti: idque similiter Ibbo anno DCC. XXI. Guntramno Abbati ratum fecit, voluitque, *ut si Abbas ab hac luce discesserit, per electionem memoratæ Congregationis Monasterii, quorum vita perfecta creditur, sicut Regula S. Benedicti edocet, in eorum consensu solidetur, sicut & auctoritas Papæ urbis Romæ ADeodati continet per privilegii seriem.* Et quibusdam versibus interpositis; *Nos inspirante Domino plena devotione deinceps in idipsum venerabilem Guntramnum Abbatem suamque Congregationem vel præfati Monasterii S. Martini Antistitem volumus confirmare, ut inspecta ipsa privilegia tam decessoris nostri Chrotperti Bertoni, quàm & ADeodati Papæ urbis Romæ, seu confirmationis gloriosorum Regum, ut nostro tempore, vel successorum nostrorum omnimodis inviolabiliter conserventur, &c. Ego in Christi nomine Ibbo etsi peccator Episcopus hoc privilegium -- integra voluntate & devotione ad Monasterium S. Martini, ubi Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conservari videntur.* Perduravit in eadem Basilica Monachorum cœtus ad Iterium Abbatem Cœnobii Cormaricensis conditorem, immò ad Alcuinum ipsius successorem, qui Monachos in dictum Cœnobium induxit. Nam litteris primariis ejusdem Monasterii Cormaricensis, *quas unà cum consensu fratrum Iterius Abbas* fieri jussit, plures Martinianæ Ecclesiæ subscripsêre hoc modo: *Christianus Monachus subscripsit, Lambertus peccator Monachus* &c. Et Carolus M. Diplomate Alcuino Abbati inscripto anno DCC. XCV. antiqua Ecclesiæ Martinianæ Privilegia confirmat, & Monachis res suas omnis vectigalis immunes esse præcipit.

Hist. Gallica Ins. Barb.

LXIX Seriùs in nonnullis Armoricæ seu Britanniæ minoris Cœnobiis Regula S. Benedicti generali usu recepta est. Monasterium S. Johannis de Gaëlo, nunc S. Mevenni, auctore Jucaële Britanniæ (ut vocant) Rege sub Benedicti legibus militavit, uti & Antrense in Diœcesi Namnetensi à S. Hermelando conditum, & Rothonense S. Salvatori nuncupatum: at S. Vvinvvaloëi Monasterium,

rium, Landevenecense dictum, & fortasse alia quædam Ludovici Pii jussu in easdem concesserunt. En Ludovici præceptum ex Landevenecensi tabulario descriptum.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri I. C. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus omnibus Episcopis, & universo Ordini Ecclesiastico Britanniæ consistenti notum sit, quòd dum Matmonocus Abba ex Monasterio Landevvinoch nostram adiisset præsentiam & illum sive de conversatione Monachorum illarum partium, sive de tonstone interrogassemus & ad liquidum nobis, qualiter hæc forent patefecisset, cognoscentes ab Scotis, sive de conversatione, sive de tonsione Capitum accepisse, dum Ordo totius sanctæ Apostolicæ atque Romanæ Ecclesiæ aliter se habere dignoscitur; Placuit nobis, ut sive de vita, seu etiam de tonsura cum universali Ecclesia Domino dispensante nobis commissa concordarent. Et ideo jussimus, ut & juxta Regulam S. Benedicti Patris viverent, quæ possibilis & laude digna est; & de tonsura Capitis juxta taxatum modum cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ per orbem terrarum dilatata est, concordarent unitate. Et ut eumdem vivendi morem juxta quod in sancti, atque eximii Patris Regula scriptum est, in hoc Monasterio prædicto teneant, & in subjectis ejus, ceterisque nostrum plenissimum jussum exsequi valeant. Hæc piissimi Ludovici Imp. Præcepta de manu ejus roborata.

Scripturam hanc Auctor anonymus in Vita S. Vvinvvaloëi, qualis penes nos manu descripta habetur, commemorat cap. 9. his verbis: *Nullum uvæ liquorem,* nec mellis, nec lactis, nec cervisiæ sumpsit. Potus ejus constabat ex aqua plurima, & aliquibus malorum agrestium succis. Nesciebant omnes usum vini. Et hæc lex diu in isto refulsit Monasterio, à quo tempore Grallonus, quem appellant Magnum, Britanniæ Sceptrum tenebat, ad annum Ludovici Imperatoris quintum, Dominicæ Incarnationis DCCC. XVIII. Propter infirmitates fratrum, qui in tanta austeritate vivere vix possunt, idem Imperator dum in eadem Britanniæ provincia castra fixisset super fluvium Elegium juxta silvam, quæ dicitur Brisiaci, hæc propria manu direxit mandata Martinoco Abbati de Monasterio Landevenne, ut uempe Regulam S. Benedicti sequerentur possibilem & laude dignam, deque tonsura juxta taxatum modum cum Ecclesia concordarent, de quibus missam epistolam subsignavit.*

** Eadem habet Rogerius Hoveden. ad an. 764. de Monachis Lindisfar. item de Fuldensib. Bonif. Episc. Maguns. in epist. 4 ad Zachariam P.*

Antequam Galliam missam faciamus, nonnulla de Ordinis nostri in Belgio primitiis dicenda essent, quippe S. Amandus Trajectensium Episcopus, istius Gentis Apostolus, varia per Belgium condidit Monasteria procedente sæculo VII. Elnonense, Blandiniense, Gandense, Barisiacense &c. eaque ad Regulæ Benedictinæ præscriptum dirigi voluit. Nam Martinus Papa I. in Bulla pro Monasterio Blandiniensi decernit, ut liceat Florberto Abbati quem S. Amandus Blandinio præfecerat, Monasterium disponere & ordinare secundùm Regulam S. Benedicti. Verùm de his aliàs. Hæc paullò fusiùs persecutus sum in gratiam exterorum Sodalium Benedictinorum quibus diligentiorem rerum nostrarum tractatum debebam. Ad Hispaniam accedo. LXX

§. VI.

De Regulæ Sanctæ traditione in Hispania.

Antonius Yepez, vir doctus, & de Repub. Benedictina perquàm benemeritus in Chron. Bened. ad ann. 537. approbare contendit, ipso anno S. Benedicti Regulam in Hispaniam invectam fuisse, ac Monasterio S. Petri de LXXI

Cardena impositam, priusquàm B. Maurus in Galliam appulerat. Vellem equidem id validis demonstrari argumentis, lubens inexploratam concessurus veritatem. Absit ut privato quovis studio Benedictini Instituti primitias Gallis nostratibus ferventiùs arrogare cogitem. At cùm videam Achilleum Antonii Yepez argumentum Pseudo-Maximi potissimùm auctoritate fulciri, patiantur Hispanici Patres nostri, aliunde repeti originis suæ primordia.

LXXII S. Donatum ex Africa in Hispaniam Monasticam intulisse Regulam jam superiùs observatum est *: at qualis fuerit, nondum est definitum. Pseudo-Maximi Somnium id de Regula S. Augustini Eremitarum interpretantis nihil moror. Donatus teste S. Ildefonso Episcopo Toletano *cujusdam Eremitæ in Africa fertur exstitisse discipulus*. Donati Magister fuit Facundus Episcopus Afer (haud dubiè Hermianensis, qui de tribus Capitulis ad Justinianum scripsit) si germanum est Eutropii Abbatis Servitani Epitaphium S. Donato decessori suo positum, cujus en primi versus à Johanne Tamayo accepti:

* n. 23.

Ildefon. de viris illust. c. 4.

Joh. Tamayus in Martirol. Hispan. To. 6 pag. 23.

Clauditur hic sanctus Donatus, quem Africa dignum
Obtulit ipsa Patrem, quemque & Ibera tulit.
Isteque Facundi quondam præcepta Magistri,
Præsulis & Monachi dulcia sæpe bibit.
Gentibus ast prorsus barbaricis Africa tota
Scatens Hispanos protinus ipse fovet.
Septuaginta sibi conjuxit divus in oris
Adversis Monachos, quos velut unda maris.

His consona refert laudatus Ildefonsus Toletanus: sic verò quibusdam versibus interpositis clauditur Epitaphium.

Hoc posuit carmen Eutropius ultro Magistro
Cælicolo, cujus occupat ipse locum.

Quæ ut vera sint, de Regula a Donato Hispanis tradita adhuc incerti sumus.

LXXIII Eutropius Abbas Donati discipulus, & in Monasterio Servitano successor, de disciplinæ monasticæ rigidiori censura interpellatus, in epistola Apologetica * ad Petrum Irtabicensem Episcopum Regulæ sanctæ meminit in hunc modum: *Sed quamvis hoc à multis, qui locum officii nostri intelligunt, sæpè dicatur, tenenda est tamen discretio & sancta Regulæ institutio: ut quæ Patres instituerunt, etiam successores, & filii integra illibataque custodiant, & observent.* Hic sanctæ Regulæ nomine Benedictinam intelligi, suspicari fortè quis posset: mihi tamen non omnino probatur: nam Regula, cujus de severiori observatione Eutropius exagitabatur, illa ipsa fuit, quam Donatus ex Africa adductam Monasterio Servitano imposuit. Sic enim prosequitur Eutropius in laudata Epistola: *Nos sicut* Fundatores, *& Patres istius Monasterii tenuerunt & nobis tradita dimiserunt, auxiliante Domino & tenuimus & tenemus -- ut per hæc Domnos & Patres nostros, qui Regulam secundùm antiquiorum normam Deo sibi inspirante statuerunt, in judicio Dei non adversarios, sed patronos in omnibus habeamus.* Cùm ergo parùm verisimile illinc Donatus discederet, penetrâlle, aliam Monasterio Servitano proposuisse dicendus est, non quidem (ut arbitror) scripto, sed usu ac moribus secundùm antiquiorum (ut præfertur) *normam* compositis. Nisi id de Cassiani Institutis ab antiquis Patribus acceptis interpretemur; quandoquidem *Cassiani dicta Victor Martyritanus Episcopus Afer purgâsse, & quæ minus erant addidisse* apud Cassiodorum legitur: fortè ut sine offendiculo legi a Monachis Africanis possent.

* Hæc epistola, cujus meminit Isidor. de vir. illust. c. 32. exstat in Cod. Regul. Holsten. ubi Romæ directa perperam dicitur.

Cassiod. lib. 2. Inst. c. 6.

LXXIV At quo auctore demum, quove tempore Benedictina Regula vigere in Hispania cœpit? Fateor, hic mihi hærere aquam, Existimo tamen, id factum esse

esse operâ S. Martini Abbatis & Episcopi Dumiensis primi, qui ex Pannonia ortus facilè ob Italiæ viciniam, susceptasque peregrinationes S. Benedicti famam atque mores hausisse potuit, & cum Hispanis circa annum D. LX. communicâsse. Si quis tamen dicat Benedictinam Religionem sensim ex Gallia Narbonensi Vesigothorum Regibus subdita in Hispaniam fuisse diffusam, is fortean à vero non aberrabit. Certè S. Æmilianus Abbas apud Cantabros, cognomento Cucullatus, Monasterium suum condidisse, ac rexisse ad Regulæ nostræ præscriptum dicitur in ipsius epitaphio Gothicis litteris exarato. Hîc verò anno Domini D.LXXIV. vivere desiit. Et in Concilio Toletano IV. anno DC.XXXIII. cap. 48. pueris in Monasterio à parentibus oblatis potestas ad sæculum revertendi intercluditur, ad mentem videlicet Regulæ S. Benedicti, quæ cap. 59. id fieri vetat*. Hinc Isidorus Hispalensis, qui prædicto Concilio præfuit, istam constitutionem in Regulam à se conditam transcripsisse videtur cap. 4. pluraque alia ex eodem fonte mutuatus est, ut in tota ipsius Regula licet advertere, maximè capp. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 20. 21. 22. quam Regulam in cap. ultimo admonitionem tantùm appellat, eamque ità custodiri præcipit, ut *majorum præcepta Patrum per omnia conserventur*.

* *S. Basilius pueros in Monasteriis admissis Interrog. 7. at sollemnem oblationem non præscribit, nec eis adimit libertatem revertendi in sæculum.*

Verùm nihil æquè confirmat, Benedictinas leges tum apud Hispanos fuisse observatas, quam S. Fructuosi Regula in cap. 8. *obedientia* (Præceptum est LXXV
Regulæ) *ut impossibilibus quoque rebus opere atque affectu ostentetur, & teneatur usque ad mortem*. Quæ enim alia Regula nisi Benedictina hîc intelligenda est, cujus in cap. 68. præceptum est, ut *si cui fratri impossibilia injunguntur, suscipiat jubentis imperium?* Nam & Hebdomadariorum ministrorum benedictionem, ceteraque officia Isidorus cap. 9. ad instar Regulæ nostræ cap. 35. præscribit, & jejunia ab Exaltatione Sanctæ Crucis ad Pascha, & pœnas tardiùs ad officium divinum, & mensam accedentium cap. 18. dispensat omnino ad mentem S. Benedicti. Quòd si Regulam ipsius communem dispiciamus, inveniemus pleraque capita Benedictinæ etiam verbis tenus omnino consentanea. Nam cap. 6. *Eligatur* inquit *Cellerarius bonæ patientiæ probatus, quem communis elegerit collatio, & ab omni excusetur Monasterii servitio, & coquinæ officio. -- Et si major fuerit Congregatio, junior ei detur pro ipso officio discurrendo*: quæ S. Benedicti verbis cap. 31. omnino respondent. Ejusdemque Regulæ inscriptionem capitis 14. desumpsit Isidorus ad verbum ex cap. 27. Benedictinæ. Hîc enim legitur: *Qualiter debeat esse solicitus Abbas circa excommunicatos*, illic: *qualiter debent Abbates esse soliciti erga excommunicatos*. Isidori verba in cap. 18. *in plumbi natura mollitus* arguunt eum non oscitanter S. Benedicti perlegisse Regulam, quæ cap. 1. eadem verba habet. In eodem capite Isidorus annuam probationem exigit, & facultates in pauperes impendi præcipit, antequàm Novitius sollemnem faciat professionem: *Post quam*, inquit *exuatur sæcularibus vestibus & induatur Monasterii religiosis simplicibus*. Quid verò Benedictus? *Mox ergò in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterii*. Cap. 58. Ovum ovo similius non est. Ceteris comparandis supersedeo: id unum addere juvat, Leandri, Isidori, & Fructuosi Regulas censendas potiùs *admonitiones*, ut loquitur Isidorus, & quasdam in S. Benedicti Regulam commentationes, locis ac personis accommodatas.

Paullò explicatior se se offert Regulæ Benedictinæ mentio sæculo VIII. LXXVI
apud Hispanos. Nam Fromista Abbas unà cum sobrino suo Maximo Presbytero Era DCCC. XIX. quæ anno Christi DCC. LXXXI. respondet, Monasterium S. Vincentii de Oveto condidit *in honorem S. Vincentii Martyris atque Levitæ, & accepit Regulam S. Benedicti*, ut in charta quadam apud Antonium

Ye-

Anton. Yepez Chron. Bened. Tom. 3. Append. Script. 11. Yepez legitur. Et Adelgaster * filius Silonis Regis eàdem Erâ construxit *Cœnobium in loco nominato Obona ad honorem Dei, & Beatæ Matris ejus, & S. Michaëlis Archangeli, & S. Joannis Evangel. S. Antonii Mart. & S. Benedicti Abbatis, cujus Ordinem* inquit, *in ipso Monasterio constituimus*. At quis putet sancti Benedicti Regulam fervente Maurorum tyrannide in Hispania primùm radices egisse? *Ibidem Script. 17.* Jam ergo superioribus sæculis ab Hispanis exculta fuerat, quemadmodùm argumenta nuper allata confirmant. Denique dum per Mauros licuit eversa ab eis Monasteria, instaurata fuêre sub Benedicti legibus, nempe Cœnobia S. Petri de Montibus ab Ordonio Rege, & Eluira Uxore Erâ DCCCC. XXXVI. tum SS. Facundi & Primitivi ab Aldefonso M. Erâ DCCCC. XLIII. item S. Petri de Elsonia ab Hurraca Ferdinandi Regis filia Erâ DCCCC. L. aliaque non pauca, de quibus Diplomata apud Prudentium de Sandoval referuntur. *Sandoval de fund. Hisp.* Et Monasterium S. Andreæ in agro Coxano Diœcesis Elnensis à septem Sacerdotibus Urgelitanis anno DCCC. LXXI. erectum fuisse ad normam S. Benedicti, testantur litteræ Caroli Calvi Imp. quas in Tomo 8. Spicilegii Acheriani videre licet. *Spicil. To. 8. p. 149.*

§. VII.

De S. Gregorii Papæ Magni studio in promovenda Regula Benedictina, cui addictum fuisse, demonstratur.

LXXVII Gregorio tantum debent Benedictini Monachi, ut etiamsi ad ipsos nullo alio jure pertineat, hoc nomine in suis historiis locum ei dare teneantur, qualem certè meretur is, qui B. P. Benedicti vitam peculiari diligentia elaboravit, qui ejusdem Regulam eximio commendavit elogio, & cunctis Latini orbis Monachis auctoritate sua approbavit, qui Monasteriorum quieti paternâ semper consuluit Providentiâ. Adeò ut amore, studio, paterna sollicitudine Gregorius noster sit: at, quod etiam dicere meritò possumus, & debemus, noster est ejusdem Instituti societate. Primus hac de re in jus nos vocavit Illust. Card. Cæsar Baronius, cum quo nobis res est, non rixa, de inquisitione veritatis. Sed priùs de Gregorii mora in proposito Monastico cum eo nobis agendum.

LXXVIII Gregorium abdicatis sæculi curis Monasticæ vitæ dedisse operam, nemo est, qui negare audeat, cùm in Præfatione moral. ad Leandrum, & in lib. 1. Dial. exordio atque etiam cap. 4. ad gloriam usque id ipse fateatur. Eum verò privatam Monachi vitam ne solido quidem egisse anno Baronius contendit, hoc *Baron. To. 8. ad an. 581.* adductus argumento, quod anno D. LXXXI. Præfecturam Urbanam adhuc gesserit Gregorius, ac paullò post è Monasterio eductus, Constantinopolim à Pelagio Papa accepta Diaconi Cardinalis dignitate directus sit. Verùm Baronii sententiam duæ vel maximè convellunt rationes. Gregorii nimirum eximia cùm in virtute, tum in sacra scientia perfectio, in Monasterio haud dubium comparata, cui comparandæ tam breve tempus sufficere non potuit. Priùs enim quàm ad Ecclesiasticas dignitates faceret gradum, eum assecutus erat animi statum, quem ipse dolens in lib. 1. Dial. initio ita describit. *Infelix animus*

meus

meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit, qualis aliquando in Monasterio fuit, quomodò ei cuncta labentia subter erant, quantùm rebus omnibus, quæ volvuntur eminebat: quòd nulla nisi cælestia cogitare consueverat, quòd etiam retentus corpore ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat, quòd mortem quoque, quæ pæne cunctis pœna est, videlicèt ut ingressum vitæ & laboris sui præmium amabat. At nunc ex occasione curæ Pastoris sæcularium hominum negotia patitur, &c. Intelligit profectò quisquis hæc legit, tanquam perfectionem, nec homini Præfecturæ Urbanæ & quidem Romanæ officiis occupato, nec Novitio Monacho posse convenire.

At permitto hîc describi Gregorium, non qualis ante Leviticum gradum fuit, sed qualis post Legationem Constantinopolitanam evasit: nec sic tamen alio argumento facilè se Baronius expedierit. Admirabilem ac propè divinam sacrarum Scripturarum, ac rerum moralium intelligentiam in libris moralium suspiciunt omnes, quos libros, compellentibus Leandro Hispalensi Episcopo, & Fratribus suis, Gregorius aggressus est eo tempore, quo Constantinopoli cum Leandro versabatur, utì in præfatione sua testatum reliquit. An verò fieri potuit, ut Gregorius inter varias Romanæ Præfecturæ solicitudines curasque tumultuantes tam exquisitam hauserit sacrorum librorum cognitionem, tam intimè res morales calluerit degustaveritque? Aliud sanè de se nobis reliquit judicium in illa moralium Præfatione, dum se *inolita consuetudine devinctum, non jam specie tenus sed mente in mundum retentum dici longéque conversionis gratiam distulisse* confitetur. Non itaque in sæculari palæstra virtutis & sapientiæ apicem Gregorius apprehendit, sed in Monasterio, ubi proinde ante plures annos, quam Diaconus crearetur, vixisse dicendus est. LXXIX

Jam ad Baronii momentum facilis videtur responsio. *Diversis*, inquit, *verbis Gregorius testatur, se tunc in Præfecturæ magistratu fuisse, cùm Laurentius adhuc esset Mediolanensis Episcopus*. Rectè, id enim ex lib. *3*. Epist. 1. constat *Laurentius* addit Baronius, *diem obiit, cùm jam ipse Gregorius ageret in Sede Romana annum tertium: tunc enim de ejus obitu, & in ejus locum subrogatione Constantii, extant ipsius Gregorii lib. 2. Epistolæ 30. & 31. anno D. XCIII. scriptæ*. Et hoc ultro admitto. At Laurentium duodecim annos dumtaxat Sedi Mediolanensi præfuisse infitior. Nam etsi id affirmant Ecclesiæ Mediolanensis vulgati indices, quò minùs tamen iis assentiamur, non levis efficit conjectura. Post Honoratum illius Sedis Antistitem anno D. LXX. seu D. LXXXIII. demortuum Frontonius, aliis Junctus appellatus, malis artibus Cathedram occupavit, haud inter legitimos ejus Ecclesiæ Præsules numerandus, ait Ferdinandus Ughellus. Quis credat interim cives Mediolanenses æquo animo tulisse illum invasorem, nec de Canonica electione cogitâsse ad usque annum D. LXXXI. quo Frontonius morte correptus creditur. Quin potiùs credere par est, Honorato mortuo brevi post intervallo subrogatum fuisse Laurentium, statimque cautionem suam, cui Gregorius adhuc Prætor Urbanus subscripsit, ad Romanum Pontificem direxisse, quamvis fortasse ante Frontonis mortem non habuerit sedem pacatam atque tranquillam. LXXX

Ughellus Italia sac. To. 4.

His de mora Gregorii in Monasterio prælibatis, rursus nobis cum Baronio agendum est, qui Gregorium Æquitianis Sodalibus accensendum putat contra veterum sententiam, Johannis Diaconi in lib. 4. Vitæ cap. 16. Aimoini in Prol. Mirac. S. Bened. Thomæ Aquinatis in Opusc. 17. Antonini parte 2. tit. 15. cap. 12. omniumque posterorum, qui Gregorium Benedictinis Monachis constanter adnumerant. Quod quidem jam asseruerunt benè multi ex nostris, Antonius Yepez in Chron. Bened. ad annum 576. cap. 2. Constantinus LXXXI

Ca-

Cajetanus, omnium verò optimè Henricus Vanden-Zipe singulari ea de re opusculo. Sed nonnulla hoc loco argumenta commemorare juvat. Et quandoquidem testibus Gregorio posterioribus non credit Baronius, Gregorium ipsum interrogemus, affectum in Patrem suum dissimulare non poterit. Gregorium plus studii, diligentiæ, & curæ posuisse in describendis sancti Benedicti, quàm cujusvis alius Sancti, ne dum B. Æquitii Gestis legenti libros Dialogorum liquidò patet. Nam liber 2. totus de Benedicto est, quatuor testes ab initio fidei adstruendæ gratiâ adducuntur: Benedicti genus, ortus, vitæ progressus, mortis conditiones curiosiùs explicantur, tum idem eximiis antiquæ legis hominibus studiosè comparatur, Regulæ ipsius, & doctrina præclaro commendatur elogio, & omnibus Monasticen profitentibus proponitur. At verò Æquitii facta uno lib. 1. cap. 4. comprehenduntur. Petrum plura scire cupientem ad Albinum Episcopum remittit Gregorius. Næ tu de Æquitio malè meruisti, Gregori, (pace tua dixerim) qui cùm discipulus ejus fuisse dicaris, in Benedicti laudibus totus es: de Æquitio securus, aliis committis operam. Immò verò Benedictum disertè parentem agnoscis, quem sic amas, & colis. Nec solùm Benedicti Regulam commendat Gregorius, sed Urbicum *Lucusiani Monasterii a se conditi in Sicilia Abbatem arguit admissi piaculi contra Regulæ Benedictinæ auctoritatem, nimirum parvæ eulogiæ a Bono Monacho contentiosè expostulatæ: *quod quanta* inquit, *amaritudine cordis descenderit, poterat tua dilectio scire, si Regulam Monachorum nosse voluisset*, nempe Regulam sancti Benedicti, qui eulogias sine Abbatis licentia a quoquam accipi cap. 54. vetat. Denique Gregorius in lib. 4. Reg. citat eamdem Regulam sancti Benedicti, *quem artissimæ vitæ Magistrum optimum, & summæ veritatis discipulum eruditum* appellat. Nusquam autem Æquitii Regulam adducit in medium.

* *Eum in lib. 4. ep. 4. Monasterii sui Præpositum vocat.*

Id. lib. 9. ep. 42.

LXXXII Nec refert, Valentinum (quod Achilleum Baronii argumentum est) in Provincia Valeria primò Abbatem, ubi S. Æquitius floruerat, Gregoriano S. Andreæ Monasterio præfectum fuisse. Nusquàm enim Valentinum Æquitii discipulum exstitisse reperies. Provincia Valeria vicina erat Sublaco, quo in loco S. Benedictus XII. Monasteria primitus construxerat. Adde in externis etiam Valeriæ Monasteriis Benedictinam Regulam antè fuisse receptam, quàm Gregorius S. Andreæ Cænobium ædificaret, (ut superiùs* ostendimus) quo tempore jam dudum Æquitius nullâ scriptâ Regulâ ad superos concesserat. Verùm his aliisque relictis conjecturis ad prævalidum nos convertamus argumentum, quo ex Regulæ nostræ in Britanniæ propagatione per Gregorii discipulos facta Gregorium nobis vindicemus.

* *num. 41.*

§. VIII.

Augustinum, sociosque Monachos non tantùm Fidei Christianæ, sed etiam rei Benedictinæ in Britannia esse auctores.

LXXXIII Quamvis Baronium hac in parte nobis apertè repugnantem non sustineamus, ea tamen est Gregorium inter, & Augustinum necessitudo, ut si Augustinum nobis vindicare possimus, Gregorium jure a Baronio repetamus.

Au-

Auguſtinus Gregorii M. diſcipulus in Britanniam Inſulam cum ſociis aliquot miſſus à Gregorio anno D.XCVI. Indict. XIV. *fecit Monaſterium non longè ipſa civitate Dorobernenſi ad Orientem*, in quo Monachos ad vitæ ſuæ genus inſtitutos ab eo collocatos fuiſſe. & ratio perſuadet, & Gregorii epiſtola 31. lib. 12. in Reſponſione ad 1. Auguſtini quæſtionem. *Quia tua fraternitas Monaſterii Regulis erudita ſeorſum fieri non debet à Clericis ſuis, in Eccleſia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris*, &c. Quod ab Auguſtino factum legimus in Epiſtola Bonifacii IV. ad Ethelbertum Regem ita ſcribentis: *Fili glorioſe, quod ab Apoſtolica Sede per Coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulatis, libenti animo concedimus, id eſt ut veſtra benignitas in Monaſterio in Dorobernenſi civitate conſtituto, quod S. Doctor veſter Auguſtinus beatæ memoriæ Gregorii Diſcipulus S. Salvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat, Apoſtolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtri Prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent.* Huc ſpectat, quòd Johannes Mareſhamus in Monaſticum Anglic. rectè prænotavit; in Eccleſiæ noſtræ cunabulis, inquit, Monachi non fuerunt à Clericis diſparati. Siquidem à temporibus antiquis in Lindisfarnenſi Monaſterio & Epiſcopus cum Clero, & Abbas ſolebat manere cum Monachis, qui tamen & ipſi ad curam Epiſcopi familiariter pertinerent. Etiam hodie Eccleſia Cathedralis vocatur Monaſterium. Ita ille. At nuſquam Monachos Æquitianos in Anglia audiiſſe, ſed Benedictinos tum in ipſa Dorobernenſi primaria Eccleſia, tum in Monaſterio S. Salvatoris, tum aliis in locis facilè demonſtrari poſſe confido. LXXXIV

Beda lib. 1. c. 33.

Johannes Mareſhamus jam laudatus in προπυλαίῳ ad Monaſt. Anglic. etſi ſcribit, S. Benedicti Regulam poſteaquàm à Zacharia Papa non modò in Italia inſtaurata, ſed etiam ultra Alpes propagata fuit, tantam demum obtinuiſſe perfectionis ſuæ exiſtimationem, ut nullum ferè non eſſet in Occidente Cœnobium ad normam Benedicti vel primitus inſtitutum, vel denuo formatum; in hoc tamen à ceteris ferè Anglicis ſcriptoribus diſſentit, quòd exiſtimet eandem Regulam in Concilio Vvintonienſi anno DCCCC. LXV. ſub Dunſtano Archiepiſcopo Cantuarienſi ab omnibus primùm in Anglia receptam fuiſſe. *Tunc primùm*, inquit, *Monachis præſcripta fuit conſtitutio generalis, tam ex Benedicti Regula, quàm ex veteribus conſuetudinibus contexta, quæ dicta eſt Regularis Concordia Anglicæ nationis*. Et infrà. *Bellenſes Monachi inſtituti ſunt ad Benedicti Regulam, cujus maxima fuit apud nos ab Edgari tempore reverentia*. Verùm cùm omnino nulla ſit in Concilio Cloveshoviæ Benedictinæ Regulæ mentio, licèt aptiſſima eſſet illius commemorandæ occaſio, & altiſſimum ſit ea de re apud Bedam ſilentium, videamus quomodò, quove tempore Regula illa Eccleſiæ Occidentali increbuit. Tria ergo hoc in loco diſpungenda ſunt. 1. Num ante Edgarum Regem, & Dunſtanum Epiſcopum S. Benedicti Regula in Anglia non viguerit. 2. An nulla iſtius Regulæ in Concilio Cloveshoviæ mentio. 3. An altiſſimum de ea apud Bedam ſilentium: quibus nonnulla pro cauſa noſtra ſubjicimus argumenta. LXXXV

Johannes Diaconus in vita S. Gregorii à ſe ſcripta præter alia, quibus utitur ad Gregorium Ordini Benedictino aſſerendum, hoc momentum proponit. *Quòd verò Monachi, qui à Gregorio in Saxoniam* (id eſt tranſmarinam Saxoniam ſeu Angliam) *miſſi ſunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud oſtendit, quòd ex ipſius diſcipulis vix poteſt in illis partibus Mona-* LXXXVI

Joh. Diac. l. 4. Vita S. Gregor. c. 82.

chus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito, quàm in habitu Regula Benedicti. Quid clarius aut validius adversùs Mareshamum proferri potest. Johannes Diaconus suam lucubrationem dedicavit Johanni VIII. qui ab anno DCCC. LXXII. ad decennium Romanæ Sedi præfuit. Pressiùs Johannes Diaconus Gregorii vitam scribebat tempore Johannis Papæ VIII. Indict. VIII. (ut notat in lib. 3. cap. 58.) quæ Indictio anno DCCC. LXXV. respondet, quo tempore Regula Benedictina ita apud Anglos invaluerat, *ut vix posset in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observaretur tam in proposito, quàm in habitu Regula Benedicti*. Longè ergo ante annum DCCCC. LXV. in Angliam inducta est Regula ista, immò longè ante Johannis Diaconi ætatem: cùm ab omni memoria post Augustini Prædicationem illic eam viguisse, homines noni sæculi persuasum habuerint.

LXXXVII Neque proinde necesse fuit S. Benedicti Regulam in Concilio Cloveshoviæ anno DCC. XLVII. commemorari; sed satis fuit, Monachos ad communis ac receptæ Regulæ normam revocare; at certè si Mareshamus Concilium istud cum Benedictina Regula attentè comparasset, hanc non obscurè expressam advertisset can. 14. in hæc verba: *Vicesimo quarto sancitum est capitulo, ut si quis sæcularium sanctæ professionis famulatum subire desiderat, non antea tonsuræ habitum suscipiat, quàm illius conversatio, ac morum qualitas secundùm Monasticæ Regulæ definitionem manifestiùs probetur juxta Apostolicum Præceptum: Probate spiritus si ex Deo sunt, nisi aliqua rationabilis causa, ut ante suscipiatur in Congregationem, ritè persuadeat*. Quænam est rogo illa Monastica Regula, nisi Benedictina, cujus verba cap. 58. Concilii verbis omnino respondent? *Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt*. Deinde membrum illud, *suscipiatur in Congregationem*, ex eodem Regulæ nostræ capite desumptum est. Cùm igitur Concilium Monasticam interponens Regulam, B. Benedicti locutione utatur, nullus justæ dubitationi superest locus, Regulæ Monasticæ nomine Benedictinam à Concilii Patribus fuisse intellectam. Nec enim in aliis Regulis antiquioribus quidquam reperitur, quod prædicti Concilii dictioni disertè conveniat, ut ex Concordiæ Regularum cap. 65. evidenter colligitur.

To. 1. Conc. Angl. pag. 251.

Reg. S. Benedicti cap. 58.

Hinc conficimus firmissimum & gravissimum argumentum. Regula Benedictina Patribus Concilii Cloveshoviensis anno DCC. LVII. celebrati absolutè Regula Monastica appellatur: Non alia itaque Regula tum temporis apud Anglos vulgata erat. Sed parcendum Mareshamo, viro quidem docto, qui licèt res Monasticas haud segniter versaverit, Monasticam tamen, hoc est Benedictinam Regulam memoriâ tenere non debuit: nec indignandum, quòd nobis Venerabilis Bedæ silentium opponat, qui Bedæ aliquot opuscula recèns edita non legerit.

LXXXVIII Historiam Abbatum Monasterii sui duobus libris à se exaratam testatur Beda Presbyter Anglus in fine Epitomes Historiæ Anglorum, ubi operum suorum Indicem texuit: Eamque diu desideratam nuper tandem edidit Jacobus Vvaræus cum duabus Bedæ Epistolis atque Ecgberti Eboracensis Episcopi Dialogo: nuperrimè verò Ludovicus Billaine Bibliopola Parisiensis anno M. DC. LXVI. recensuit elegantioribus, & commodioribus typis, in libro 1. ipsius historiæ, quæ *Historia Abbatum Vviremuthensium, & Girvvicensium* inscribitur, legimus Biscopum cognomento Benedictum Egfrido Rege Transhumbranæ regionis prædia largiente, Monasterium construxisse *anno ab Inc. Domini sexcentesimo septuagesimo quarto Indict. II. anno autem IV. Imperii Ecgfridi Regis*. Deinde quibusdam interjectis quartam profectionem Romam aggressus dicitur Bi-

Pag. 22. Edit. Paris.

Biscopus *post compositum juxta Regulam Monasterium*. Celebrem fatearis necesse est, ac vulgatissimam fuisse Regulam illam, quæ nullo adjuncto discrimine *Regula* vocatur, sub eadem Regula Biscopus *post annum Monasterium Beati Pauli construxit, præposito Abbate ac Presbytero Ceolfrido*. Ne verò pro arbitrio quænam illa sit Regula interpreteris, tandem sub finem libri I. proprio eam nomine designat Biscopus sæpè laudatus in oratione extrema ad discipulos habita. *Multùm cavetote Fratres semper*, inquit, *ne de foris aliunde vobis Patrem quæratis, sed juxta quod Regula Magni quondam Abbatis Benedicti, juxta quod Privilegii vestri continent decreta, in Conventu vestræ Congregationis communi consilio perquiratis, qui secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam aptior ad tale ministerium perficiendum, digniorque probetur*, &c. Idem Ceolfridus Abbas, Biscopi successor, mare transmissurus in lib. 2. inculcâsse legitur. *Utilius decrevit*, inquit Beda, *dato Fratribus præcepto, ut juxta sui statuta Privilegii, juxtaque Regulam S. Abbatis Benedicti de suis ipsi Patrem, qui aptior esset, eligerent*. Nihil interprete opus est. Desinent nunc tandem Adversarii, opinor, Bedæ nobis opponere silentium de Regula S. Benedicti, agnoscent vocem hactenus ignotam, nec nobis ultra non modò Biscopum & Bedam, sed Augustinum eorum ducem ac parentem denegabunt.

pag. 21. pag. 25. & 26. pag. 31. pag. 38.

LXXXIX Suboleo non nihil (ne quid dissimulem) quòd huic consequentiæ reponi possit: nempe Biscopum auctorem fuisse, ut Regula Benedictina primùm in Angliam inveheretur. Nam brevi moriturus, teste Beda, *satagebat advenientes sæpius ad se Fratres de custodienda, quam statuerat, Regula firmare. Neque enim putare habetis, inquit, quòd ex meo hæc quæ vobis statui decreta indoctus corde protulerim. Ex decem quippe & septem Monasteriis, quæ inter longos meæ crebræ peregrinationis discursus optima comperi, hæc universa didici, & vobis salubriter observanda contradidi*. Verùm illud quodcumque est argumenti, adeò nobis non officit, ut causam nostram egregiè fulciat. Biscopus cùm secundò Româ revertit, *ingrediens ad Insulam Lerinensem, ibidem se Monachorum cœtui tradidit, tonsuram accepit, & disciplinam Regularem Monachi voto insignitus debita cum solicitudine servavit: ubi per biennium idoneâ Monasticæ conversationis doctrinâ institutus, rursus B. Petri Apostolorum Principis amore devictus, sacratam ejus corpore civitatem repetere statuit*. Reversus cum Theodoro, & Hadriano in Angliam, *venit Cantiam, & suscepit Monasterium B. Petri Apostoli ad regendum, quod duobus annis rexit*. Ex illis ergo septemdecim Monasteriis, in quibus Biscopus hausit sua Decreta seu Instituta, id est S. Benedicti Regulam variis hinc inde ritibus observatam, erat Cœnobium S. Petri Cantuariense, quod proinde, uti & Lerinense, tum B. Benedicti legibus obsequebatur.

Ibidem lib. 1. pag. 31. Ibid. pag. 19. Ibid. pag. 21.

XC Jam quidem Johannis Mareshami momentis, si quid judico, factum est satis. Nunc ea qua fas erit brevitate quædam alia persequi juvat argumenta, quibus B. Augustinum Benedictini Ordinis in Anglia antesignanum ulteriùs demonstrabo.

XCI Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus anno Domini DCC.LV. Martyrii laureâ donatus, adhuc puer, teste Vvillibaldo Eistatensi Episcopo ipsius discipulo & vitæ scriptore in Monasterio Britanniæ *ad Escam Castrum* oblatus est sub Abbate susceptus, *labore manuum quotidiano, & disciplinali officiorum administratione incessanter secundùm præfinitam B. P. Benedicti rectæ Constitutionis formam insistebat*. Posteà in Germaniam à Gregorio Papa II. missus anno IV. imperii Leonis, ut constat ex Gregorii litteris ad ipsum scriptis, Christi anno DCC.XX.; deinde annuente Zacharia Pontifice Romano, *in loco silvatico, in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis suæ, Fuldense Mo-*

Apud Sur. 5. Junii. To. 1. Conc. Gall. p. 511.

Ibid. p. 577. *nasterium construxit sub Regula S. Benedicti*, prout scribit ad Zachariam Papam: demumque in Concilio ad Liptinas anno DCC. XLIII. coacto statui curavit can. 7. *Ut Monachi, & Ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia & Xenodochia ordinare, gubernare, vivere studeant*. Eam tibi Bonifacius Germaniæ Apostolus ex Anglia in exteras nationes transfert Benedictinæ vitæ rationem, quam ab Augustini discipulis in patria didicerat.

XCII Si ad Aldhelmum Bonifacio paullò superiorem reducimus oculos, eum causæ nostræ impendio suffragari probabimus. Is Haeddi Occidentalium Saxonum Episcopi anno DCC. V. vitâ functi partem Episcopatûs obtinuit, alterâ Davidi cuidam attributâ, ac post quatuor annos ad Superos migravit, quemadmodùm B. Beda in lib. 5. Hist. Ang. cap. 19. testatur. Aldhelmus inter alia *scripsit de virginitate librum eximium*, inquit Beda, *quem in exemplum Sedulii geminato opere, & versibus hexametris, & prosa composuit*. In utroque B. P. Benedictum magnificè commendat, sic verò orationis elogium concludit.

al Primus.
*Primò * qui statuit nostræ certamina vitæ,*
Qualiter optatam teneant Cœnobia normam,
Quoque modo properet directo tramite Sanctus
Ad Superos scandens cœlorum culmina cultor.
Cujus præclaram pandens ab origine vitam
Gregorius Præsul chartis descripserat olim,
Donec æthralem felix migraret in arcem.
al Hujus,
*Cujus * alumnorum numero glomeramur ovantes*
Quot gerit in gremio fœcunda Britannia cives:
A quo jam nobis Baptismi gratia fluxit,
Atque Magistrorum veneranda caterva cucurrit.

XCIII Hac auctoritate cùm in litteris suis Johannem Mareshamum ursisset noster Lucas Acherius, eò redegit hominem, ut quatuor extremos Aldhelmi versus, non de S. Benedicto, sed de B. Gregorio interpretandos esse dixerit. Fac ita esse, nec sic tamen te expedies. Quid enim ad illud?

Primò qui statuit nostræ certamina vitæ.

Aldhelmus Monachus Monachos alloqui tibi videtur, an Laicos? si primùm: agnoscis ergo Benedictum Vitæ Monasticæ, quam populares sui profitebantur, primarium auctorem. Sin alterum magis placet: Benedicto per discipulos suos Christianæ vitæ apud Anglos restitutionem tribuas necesse est.

XCIV Ad ipsa rerum primordia tandem accedamus. Paucis annis post stabilitam in Anglia fidem, ac Monasticam vitam, *venit Mellitus Lundoniæ Episcopus Romam* (ut scribit Beda lib. 2. Histor. Angl.) *de necessariis Anglorum Ecclesiæ causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cùm idem Papa reverendissimus ageret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno VIII. Imperii Focatis Principis Indict. VIII. tertia die Kalend. Martiarum*, hoc est anno Christi DC. X. Quid in illa Synodo Bonifacius in Monachorum gratiam decreverit; refert in parte 7. cap. 22.; & ex eo Gratianus partim. En tibi verba ex MS. Codice sincerè descripta.

Beda lib. 2. Hist. Angl. c. 5.

Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo vivunt, Sacerdotali officio indignos, neque pænitentiam, aut Christianitatem, seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur; nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar B. Gregorius Monachico habitu pollens, ad summum api-

apicem nullatenus conſcenderet, cui * ſolvendi, ligandique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque ejuſdem Sanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum Prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus*, aliique quam plurimi Viri ſanctiſſimi pretioſorum Monachorum habitu fulgentes nequaquam anulo ſubarrharentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor: ſed omnes ſæcularium negotiorum dicit expertes eſſe debere. Quod quidem Apoſtolicis documentis, & eorum inſtitutis, non ſolùm Monachis, ſed etiam Canonicis ſummopere imperatur.

*Apud Ivonem perperà interponitur oſtiatim.

* Epiſcopus Dumienſis.

Interrogo, propter Anglóſne Bonifacius hoc Decretum condidit, an propter aliarum regionum Monachos? Si propter Anglos (ut quidem ex Beda ſatis conjicimus, dum Mellitus *de neceſſariis Anglorum Eccleſiæ cauſis cum Apoſtolico Papa Bonifacio tractaturus*, Romam profectus ſubditur;) conſequens eſt, ut Monachi Anglicani B. Benedicti profeſſi fuerint Regulam, cujus auctoritate Bonifacius eos tuetur. Nemo enim ad peregrini, ſed ad proprii juris præſcriptum abſolvitur, damnaturve. Si verò Bonifacius in aliorum Monachorum gratiam id pronuntiat; ſaltem ex hoc loco tria conficimus. Primùm jam tum in Canonem (ut vocant) tranſiiſſe Benedictinam Regulam, ex qua Pontifex ſuam ſententiam derivavit. Alterum, S. Benedictum abſolutè dici *Monachorum Præceptorem*, quod argumento eſt eum paſſim hoc nomine Monachis notum, & deſignatum fuiſſe. Tertium eſt, inde probari, Gregorio, Auguſtino, & Martino Pannonienſi, qui fuit Abbas & Epiſcopus Dumienſis, interdictas non fuiſſe Eccleſiaſticas dignitates, quòd *Benedictus Monachorum Præceptor hujus rei non fuit interdictor*. Certè Bonifacius Gregorium, & Auguſtinum ad S. Æquitii leges provocâſſet, ſi Benedictinæ Regulæ ſubditi aliquando iſti non fuiſſent.

Multa alia congerere poſſem argumenta. Nempe Theodorum Cantuarienſem Epiſcopum, qui *à Vitaliano Papa anno Dominicæ Incarnat. DC. LXVIII. ordinatus eſt*, teſte Beda, in ſuo Capitulari penes nos manu deſcripto ſtatuere, *ut in Monachorum Ordinationibus Abbas debeat Miſſam agere, & tres Orationes complere ſuper caput ejus, & ſeptem dies velet caput ejus cucullâ, & ſeptimo die Abbas tollat velamen de capite Monachi*. Qui ritus velandi Monachos in profeſſione ex antiqua & peculiari Ordinis noſtri conſuetudine proficiſcitur, ut conſtat tum ex Concilii Aquiſgranenſis cap. 35. tum ex S. Udalrici lib. 2. Conſuet. Cluniac. cap. 6. & aliis. Adducere in medium poſſem Regem Ethelredum, qui in Privilegio Eccleſiæ Cantuar. anno M. VI. conceſſo, cur Monachos Benedictinos reſtituerit in eamdem Eccleſiam, hanc rationem ſuggerit: *hoc ideo*, inquit, *effeci, & Monachos ejuſdem Ordinis, quem huc attulit S. Auguſtinus, in Eccleſia poſui, Ordinis ſcilicet, quem ille ex præcepto S. Gregorii, & ex Magni Regis Ethelberti conſtitutione, & auxilio in terram hanc intulit*. Mitto Diplomata Regia, chartas, & alia ejus generis ſexcenta. At certè præterire non deberem Johannis Seldeni validiſſima argumenta, quibus cauſam noſtram quaſi conductus propugnat vir eruditiſſimus. In his refert Bonifacii Papæ IV. litteras interminantes, ne quis Monachos in Monaſterio Dorobernenſi ſemel inſtitutos tranſmutare in poſterum, alioſve alterius Inſtituti inducere auderet. Sed jam metas excedo Præfationis, ad reliqua pergendum eſt.

XCV

Beda lib. 3. Hiſt. Angl. c. 1.

To. 1. Conc. Angl. p. 504. & ſeq.

Seldenus in not. ad Eadm. Hiſt. Novor. pag. 200. & 215.

§. IX.

§. IX.

Observationes quædam Ecclesiasticæ, & Asceticæ, ex primi sæculi Benedictini Actis erutæ.

XCVI OBSERVATIO I. De extrema Unctione.

EX Sanctorum gestis in sæculorum seriem relatis cùm plura proveniant commoda, tum illud inprimis consurgit, quòd res Ecclesiasticæ meliùs exinde illustrentur. Quamobrem ut studiosorum hominum labori non nihil accedat adjumenti, non incongruum visum est, in Præfatione adnotare, quid in unoquoque sæculo consideratione dignum venerit, ne hac in parte antiquitatis amantes nostram opellam desiderent.

XCVII Et primò quidem in Vita S. Augendi, vulgò Eugendi, Abbatis Turensis ab ejus discipulo elaborata occurrit insignis locus de sacræ Unctionis, quam Extremam nunc vocamus, Sacramento ad hæc verba: *Cùm ultra sexagenariam ætatem sex ferè mensibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, sic tamen quòd numquam Canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad se de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissimè quoque sibi pectusculum petiit (ut moris est) inungi.* Neque id facit Eugendus sanitatis gratiâ, quem in finem dumtaxat à priscis Christianis adhiberi solitam unctionem contendit non nemo magni apud novatores nominis: sed causâ præmuniendi exitûs. Eugendus siquidem tunc apud discipulos querelam deponit, quòd se jam morti proximum in vita precibus suis retinerent. Ad metam ergo properabat, aut potiùs accedebat.

XCVIII Nec quemquam movere debet, quòd sola pectoris unctio isthic memoretur. Varii fuere cùm in aliis Sacramentis, tum in isto ritus ac ceremoniæ. Baptisandos tertiùm mergi toto corpore, olim mos fuit. Baptismi tempora Paschate & Pentecoste definiebantur. Sic in unctione infirmorum non eædem partes semper inunctæ sunt, nec servata eadem temporis ratio. Præcipua peccati organa, nimirum quinque corporis sensus, unctionem antiquissimo ritu exceperunt. Parvi pendenda non sunt verba vitæ S. Theoderici Abbatis Remensis, qui Theodorici Regis filiam suscitaturus, *Oleo sancto in morem reconciliantis quinque corporis sensus* illinisse dicitur. Illius vitæ scriptorem sæculo IX. vixisse ex num. 13. apparet. Pectus cordis sedem, ex quo omnes culpæ procedunt, ungi solitum fuisse aliquando, immò plerisque in locis, uti apud Græcos etiamnunc id fieri, Menardus noster in lib. Sacram. observavit. De tempore conferendæ infirmis Unctionis etiam variavit usus. Unctionem Viatico præmittebant veteres, qui ritus apud solos Cistercienses Monachos, & quasdam fortè Ecclesias illibatus hactenus perdurat. Mos iste antiquus ineunte sæculo XIII. in desuetudinem abiit. Sanctus Gilbertus de Semprinham anno Domini M.C.LXXXIX. denatus, *nocte, qua natus est Dominus* inquit vitæ auctor, *apud Monasterium, quod est in Insula de Kadeneia, Extremæ Unctionis Dominicique corporis munitus est Sacramentis.* Guillelmus Archiep. Bituricensis mortuus anno M.CC.IX. *Cùm jam omnibus ritè peractis, etiam testamentum multis assi-*

Vita S. Theod. n. 11. tom. 1. Act. SS. Ord. S. Bened.

Menard. in Sacram. pag. 358.

Tom. 2. Monast. Angl. pag. 669.

Sur. 10. Jan.

assistentibus viris edidisset, Fratribus convocatis Extremæ Unctionis Sacramentum humiliter ac devotè percepit. Eo percepto, etiam Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissimè postulavit. Hæc Vitæ scriptor coævus præferendus utique alteri supari apud Bollandum, qui Viaticum Extremæ Unctioni habita sui temporis ratione præponit. Ergo Unctio infirmorum ante Extrema dicta est, quam Viatico posterior esset. Porrò Extrema sub finem sæculi XII. vocari cœpit. Locus in Vita S. Mauræ à B. Prudentio scripta apud Camuzatum, ubi *Unctionis Extrema* fit mentio, interpolatus videtur. Nam nec in Sacramentorum libris a Menardo editis, nec apud Udalricum in libris Consuetud. Cluniac., nec apud Lanfrancum, Anselmum, Petrum Damiani, Petrum de Honestis in Regula Cleric., nec apud S. Bernardum, aut Petrum Lombardum, *Unctionis Extremæ* nomen occurrit. *Boll. 10. Janu.*

XCIX

Et tamen non ipso morbi principio, sed periculo imminente, infirmi ungebantur, & continuò Viaticum subministrari mos erat*, quod nonnunquam in eodem morbo iterabatur, ut ex Sacramentorum libris quibusdam, & ex vita S. Adelradi Abbatis Corbejensis, manifestè verò ex vita Ludovici VI. Francorum Regis in Sugerio scripta patet. S. Chrothildis Regina in istis Actis *tricesimo die vocationis suæ secundùm Apostolum inuncta à Sacerdotibus oleo sancto, & sacri corporis & sanguinis Christi percepto Viatico in Confessione Sanctæ Trinitatis corpus exuit.* Legi vitam S. Hunegundis à duobus auctoribus altero Anonymo coævo, altero Bernero Abbate Hummolariensi litteris traditam. Iisdem verbis uterque auctor, à nobis sæculo Benedictino proximo sincerè repræsentandus, Hunegundis extremam periodum ità describit. *Adstantibus circumquaque utriusque sexus Christo famulantibus, qui ad decessum tantæ Matris, atque Virginis convenêre ex vicinis & longinquis regionibus, dolor ingens & mæror & singultus erat omnibus, quoniam videbant se frustrari nimio solatio, licèt essent fidentes, quòd ejus semper in cœlis devotissimo fruerentur patrocinio. Inter hæc conversa eos, qui assidebant sibi Presbyteros Unctionis oleum, & Communionem expetiit.* Quod circa annum DC.LX. contigit. Paschasius Radbertus in Vita S. Adelardi Abbatis Corbeïensis, *Interrogavimus eum*, inquit, *utrumne vellet* oleo perungi, *quem procul dubio sciebamus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum obsecrabat ut fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus, quantis tunc replebatur lacrymis. Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus verò extensæ.* An fortè ut sanitatem flagitaret? Audi quod sequitur: *Invitansque Sanctum Spiritum dicebat, nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui Mysterii Sacramenta. Et nunc quid superest? nisi ut ad te veniam?* En cujus rei gratia *Unctionis Sacramentum* postulaverat. Denique B. Petrus Damiani ita de se ipso testatur: *Dum hæc & his similia frequentiùs itero, funereæ mihi parantur exsequiæ; sacrati olei delibutione perungor, in cineris, ac cilicii strato tamquam illic emoriturus exponor.* Hinc manifestum est, morituris unctionem collatam, antequàm *Unctio* vocaretur *Extrema*, ejusque finem præcipuum non corporis sanitatem, sed animæ gratiam ab antiquis æstimatum fuisse.

* *Riculf. Suess. Episc. Constitut. X.* Oportet, ut Presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem oleo sancto ungant, & tunc communicent.

Sur. & Boll. 2. Janu.

Petr. Dam. lib. 6. ep. 19.

C

Ceterùm quamobrem sæculi tertii decimi homines vetustum Unctionis infirmorum Ordinem mutaverint, ex Britanniæ Conciliis utcumque conjecisse mihi videor. Quippe falsa hæc vulgi animos eo tempore invasit persuasio, non ampliùs post susceptam semel infirmorum Unctionem licere uxoratis, si convaluissent, reverti ad opus conjugale. Quæ superstitio ad alia erroris capita sensim prolapsa effecit, ut Unctioni Viaticum præmitterent. Ricardus Episcopus Saresberiensis in Constitutionibus circa annum M.CC.XVII. factis, ubi

Ordo unctionis infirmorù quando mutari cœpit, & cur?

To. 2. Conc. Angl. p. 115. ubi de Sacramentis Extremæ Unctionis agit. *Dicant etiam*, inquit, *ac denuntient confidenter Sacerdotes, quòd post susceptum hoc Sacramentum licitum est reverti ad opus conjugale*. *Ibidem pag. 235.* Illud idem in Constitutionibus anonymi; Episcopi sub annum M.CC.XXXVII. repetitur. Eam verò persuasionem non modò non desiisse, sed accrevisse discimus ex Synodo Uvigorniensi tribus pòst annis habita. Sic *Ibid. pag. 247.* enim loquuntur Patres ad Capitulum de Extrema Unctione. *Sunt autem quidam, ut audivimus, qui post perceptionem hujusmodi Sacramenti sanitati pristinæ restituti, nefas reputant vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem utpote doctrinæ sanæ contrarium exsecramur, & eos comminationibus & monitionibus duximus corrigendos*. Et post pauca: *quidam etiam abhorrent hoc percipere Sacramentum, quòd hoc sibi vix in ipso mortis articulo sustinent exhiberi: propter quod forsan accidit, quòd ejus expertes plurimi ab hac luce subtrahantur. Contra hunc igitur errorem cum aliis eos per Sacerdotes suos & Prædicatores alios crebris exhortationibus præcipimus præmuniri*. Gliscentem errorem non sustulit istud Concilium, ut apparet ex Synodo Exoniensi anno M.CC.LXXXVII. convocata, quæ con- *Ibid. p. 357.* jecturam meam omnino confirmat his verbis: *Et quoniam quidam Laici imperiti de hoc Sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent, in tantum quòd vix velint illud suscipere etiam in Extremis, fatuè æstimantes, quòd post ipsius susceptionem carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima sibi fore penitus interdicta, præcipimus Parochialibus Presbyteris, ut ubi nove- *Ibid. p. 448.* rint tantam hæresim pullulare contrarium prædicent*, &c. Idemque denuo in Synodo Vvintoniensi anno DCCC. VIII. iteratur decretum: ut verisimile sit, ob ea vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in mortis articulum reservari cœpisse, ac sensim usum in omnes Ecclesias fuisse propagatum.

CI *De curationibus oleo factis.*

Ad istam de Unctionis Sacramento observationem pertinet quæstio, an oleum ad Unctionis Sacramentum consecratum illud ipsum fuerit, quod Sancti in curandis infirmitatibus sæpiùs cùm in his Actis, tum in aliis adhibuisse leguntur. Non eodem ubique oleo curationes divinitùs perpetratæ sunt. Oleum ex tumulis Sanctorum, seu ex lampadibus ad eorum corpora lucentibus acceptum, non rarò usui fuit. In vita S. Aredii Abbatis infrà: *Aliam potiùs de Chrismario suo protulit ampullam, oleum quòd de S. Martini Ecclesia tulerat, continentem*. Et apud Gregor. Turon. de Glor. Conf. cap. 9. *Aredius Presbyter ampullulam olei de sepulcro S. Martini abstulit*. Venantius Fortunatus Pictavorum Episcopus oculis inunctis ex oleo ad S. Martini effigiem Ravennæ lucente lumen desperatum, ut ipse in lib. 4. de Vita S. Martini fatetur, recuperavit. Etiam oleum in infirmorum curationem de improviso sancti homines benedi- *Sever. lib. 3. Dial. c. 3.* cebant. S. Martinus, referente Severo Sulpicio *pauxillum olei cum exorcismi præfatione benedixit, atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem infudit*. Nec fe- *Greg. Tur. de vita Pat. c. 19.* minis sanctis etiam id negatum. Gregorius Turonensis Episcopus scribit, Monegundem à Sodalibus rogatam oleum salemque pro infirmis benedixisse. Episcopi in via positi oleum benedictum secum deferebant. *Vitæ S. Germani n. 47.* S. Germanus Parisiorum Episcopus, ut vitæ scriptor Fortunatus habet, procedens Namnetas *Diaconum cum Chrismariis suis* curando homini ægroto mittit. *Act. SS. Ord. S. Bened. tom. 1.* In Capitulari lib. 6. cap. 175. præscribitur. *Ut Presbyteri sine sacro Chrismate, oleoque benedicto, & salubri Christi Eucharistiæ alicubi non proficiscantur: sed ubicumque vel fortuitu requisiti fuerint, ad officium suum veniant parati reddendo debito*. Notanda verba *Sever. loco cit.* Severi Sulpicii: *Non prætermittendum videtur, Avitiani Comitis uxorem misisse Martino oleum, quod ad diversas morborum causas sicut est consuetudo, benediceretur*. Certè benedicebatur oleum *pro infirmis, sive pro populo*, ut constat ex Me-

car.

nardi nostri libris Sacrament. Quid est autem *pro populo*, nisi pro usibus populi? inquit Goar. Id omnino ex vitæ S. Cæsarii Arelatensis Episcop. lib. 2. num. 13. manifestum est. *Nam ad oleum benedicendum competentibus diebus in Baptisterio annis singulis veniebat. Et ingrediens cucumula, cùm ad consignandos infantes sederet, parvuli illic pueri vel puellæ à parentibus missi certatim currebant exhibentes vascula cum aqua, alii cum oleo, ut eis benediceret.* Verùm Carolo M. imperante Concilium Arelatense anno DCCC. XIII. decrevit can. 18. *Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & ut nulli sub prætextu medicinæ vel cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim Sacramenti est, & non ab aliis nisi à Sacerdotibus contingi debet.* Idem in Concilio Maguntiacensi can. 27. definitum est. Utrobique Chrismatis nomine intelligendum Oleum infirmorum. Huc facit Theodori Cantuar. Episcopi Capitulare MS. *Romani*, inquit, *non velant viduam. Secundùm Græcos Presbytero licet Virginem sacro velamine consecrare, & reconciliare pænitentem, & facere Oleum exorcisatum, & infirmis Chrisma, si necesse est. Romanis autem non licet, nisi Episcopo soli.* Hinc apparet, Innocentii Pontificis Romani sententiam in epist. ad Decentium Eugubinum Episc., ubi *ægrotantes sacro Oleo Chrismatis perungi posse in sua necessitate* docet, non rectè à Novatore detorqueri in Chrisma, quo baptisati chrismabantur. Nam Oleum exorcisatum, quod à Chrismate infirmorum distinguitur, in Sacramentorum libris Remensi & Ratoldi Abbatis Corbeiensis Oleum baptisandorum dicitur. De Oleo satis.

Menard. Sacram. pag. 67. *Goar in Euchol. p. 432.* *Menard. in Sacram. pag. 142.*

CII OBSERVATIO II. Moribundi in Ecclesia Sacramenta suscipiebant.

Secundo loco observandus venit piorum hominum ritus verè Christianus. Quippe in extremis positi in Ecclesiam se deferri postulabant, ut illic Sacramentis muniti animam agerent. Id patet in Actis S. P. Benedicti, SS. Mauri, Gildæ, & Spei Abbatum à nobis hîc relatis. Exstat hujusce rei præclarum exemplum de S. Cuthberto Lindisfarnensi Episc. auctore Beda, qui in vita ejus metricè scripta, quam sæculo Bened. proximo in lucem edemus, ita cecinit:

Ecce sacer residens Antistes ad Alta
Pocula degustat vitæ, Christique supinum
Sanguine munit iter.

Hoc ampliùs ex sequenti observatione elucescet.

CIII OBSERVATIO III. Triplex modus profitendi pænitentiam in extremis.

Tertia observatio erit de triplici modo profitendi pœnitentiam in extremis. Primò quidem per Reconciliationem atque Extremam Unctionem, quæ, sicut Confirmatio Baptismi, ita Pænitentiæ complementum censebatur. S. Theodoricum Abbatem Remensem, dum Theodorici Regis filiam suscitare à mortuis vellet, *Oleo sancto in Morem Reconciliantis quinque corporis sensus illinisse* superiùs vidimus*. Unde Græci etiam sani Unctione infirmorum utuntur in Pænitentiæ signum, & peccatorum expiationem, ut Goar in Euchol. animadvertit.

**num. 98.* *Euch. pag. 432. & 433.*

CIV

Alter profitendæ Pænitentiæ modus erat per cineris ac cilicii susceptionem, à sanctis Viris maximè frequentatus. Cujus rei exemplum in Vita S. Mauri Abbatis habemus. Auctor Vitæ S. Arigii Episc. Vapincensis. *Nudato corpore*, inquit, *ante Altare S. Eusebii cum cinere ac cilicio jacens, Viaticum Corporis & Sanguinis Christi de manibus Isicii Episc. & Diconcii Presb. cùm accepisset dixit*, &c. Antiquius & luculentius exstat hujusce ritus vestigium apud Severum Sulp. in epist. ad Bassulam de obitu S. Martini, qui morti proximus *in cinere & cilicio recubans cùm à discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi; non decet*, inquit *filii*, *Christianum, nisi in cinere & cilicio mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.* Transiit pia illa consuetudo

To.4.Spicil. Script. Vet. ad nostros Cluniacenses, eamque S. Udalricus in lib. 5. Consuet. Cluniac. cap. 29. describit hoc modo: *Famuli, qui sunt in talibus multùm exercitati, multùmque periti, cùm viderent jam ejus exitùs horam imminere, cilicium expandunt, cinerem desuper spargunt, & infirmum de lecto levatum in cilicium submittunt, ab uno eorum percutitur tabula contra ostium Claustri crebra, & quasi continua percussione. Quod cùm signum sit obituri, illico ut auditum fuerit, Fratres omnes accurrunt.* Eumdem olim observabant ritum Carthusienses, ut testantur vetera eorum Statuta, & simile quid à Laicis etiam actitabatur. Nam ante Unctionem

Menard. in Sacram. pag. 345. Presbyter *faciebat crucem ex cinere super pectus infirmi, & imponebat cilicium super caput ejus.* Præclarum est hac in re Ludovici VI. Franc. Regis exemplum, qui referente Sugerio Abbate *præcipiens tapetum terræ & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus, signo sanctæ crucis præsentiam* * *suam muniens, XXX. Regni administrationis, ætatis verò ferè LX. anno Kal. Aug. spiritum emisit.* Nec alio abludit Vita S. Isidori Hispalensis Episcopi, qui *dum in Vincentii Martyris Basilica juxta Altaris cancellum in medio poneretur choro, mulierum turbas longiùs stare præcepit, ut in accipiendo ipse pænitentiam, virorum tantùm, non illarum circa eum cerneretur præsentia. Et dum à prædictis Sacerdotibus, ab uno cilicium, ab altero super se mitti exposceret cinerem, expandens manus ad cœlum ita exorsus est,* &c. Respondebat usus iste pænitentiæ publicæ, de qua

* forte pænitentiam.

V. Conc. Tolet. 3. c. 12. in Capitular. lib. 5. cap. 58. *Pænitentes tempore, quo pænitentiam petunt, impositionem manûs super caput, & cilicium à Sacerdote sicut ubique constitutum est, consequantur.* Et cap. 71. *Qui pænitentiam publicè gerunt, debent unum annum esse cum cilicio inter audientes.* Perseveravit praxis illa ad usque sæculum XIII. in infirmis. Nam Guillelmus Archiepisc. Bituricensis anno M. CC. IX. in extremis jacens, *voce & manu significavit se velle in terram deponi. Parent illi jussis ejus: & quia non decet Christianum nisi in cinere & cilicio mori, in sparsos humi cineres eum deponunt.* Quin Anonymus sancti Dionysii Monachus, qui S. Ludovici Francorum Regis gallicè vitam scripsit, eum *in cinere ac cilicio*, brachiis in modum crucis compositis, spiritum emisisse refert.

CV Tertiam denique pænitentiæ publicæ formam infirmi ad incitas redacti profiteri cœperunt suscepto habitu Monastico mediæ ætatis homines. Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii à se scripta exemplum nobis suppeditat Lu-

Joh. Diac. lib. 4. c. 90. cidi Ficulini Episcopi, qui mortem sibi imminere præmonitus, *Monachicum habitum suscepit, & paullatim ingravescente molestia sexta feria diluculo subdormivit.* Idem refert Letaldus Monachus de Ermenthæo Episcopo Aurelianensi in lib. Mirac. S. Maximini Abb. Miciacensis num 40. Et Gregorius M. in Epist. ad Johannem Syracusanum Episc. de Venantio Patricio ex Monacho scribens mo-

Greg. lib. 9. epist. 31. net, *ut de anima ejus cogitare debeat exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ut ei reatus tantæ culpæ in æterno judicio non obsistat.* Plura hujusce rei exempla offendes apud Ordericum Vitalem, ex quo discimus, illis, qui habitum Monasticum in exitu ita suscepissent, convalescentibus non licuisse habitum susceptum deponere. Quippe Monasticæ professionis vin-

Reg. S. Bened. c. 58. culum ex ipsa Religiosi habitus susceptione olim contrahebatur, ex Regulæ nostræ præscripto. Nec Regibus in extremis positis indignum visum est depositâ purpurâ cucullam assumere. Ludovicus VI. Francorum Rex, auctore Sugerio Abbate in ipsius vita, *ut erat in consiliis providus, sibi ipsi consulens, & miseratus animæ suæ Deo placens, frequentata confessionis & orationum sibi devotione providebat: hoc unum toto animi affectu peroptans apud SS. Martyres protectores suos Dionysium Sociosque ejus se quomodocumque deferri, & ante sacratissima*

co-

eorum corpora, Regni & Coronæ depositione coronam pro corona, pro regalibus insignibus, & imperialibus ornamentis humilem B. Benedicti habitum commutando, Monasticum Ordinem profiteri. Videant qui Monasticæ paupertati derogant, inquit Sugerius, *quomodo non solùm Archiepiscopi, sed & ipsi Reges transitoriæ vitam æternam præferentes, ad singularem Monastici Ordinis tutelam securissimè confugiunt.* Quin etiam feminas in extrema vitæ meta Religiosum habitum a viris accepisse, sed muliebrem non virilem, probat charta Institutionis Vallis Scholarium Ord. S. Augustini, anno M. CC. XV. confecta in hæc verba: *Mulieres ad habitum suum non recipiant, nisi in extremis, & quæ fortè apud eos elegerunt sepulturam.* Istius ritus origo ex Conc. Tolet. III. can. 12. & IV. cap. 54. manâsse videtur.

Spicil. tom. 8. pag. 227.

CVI OBSERVATIO IV. De Electione Episcopi Lugdun.

Vita S. Consf. n. 10. tom. 1. Act. SS. O. S. B.

Quarto loco notanda sunt, quæ in Vita S. Consortiæ Virg. de electione Episcopi Lugdunensis referuntur. *Accidit eo tempore, ut Pontifex Ecclesiæ Lugdunensis* (Viventiolus) *migraret ad Dominum. Mos autem erat præfatæ Ecclesiæ, ut quoties lege cunctis mortalibus debita suo viduaretur Episcopo, in eligendo successore revelationem Domini expectaret. Tunc ergo triduano à cunctis præmisso jejunio, cuidam puerulo apparens in visu Angelus Domini,* Eucherium Episcopum designavit. Certè jejunium triduanum ante Episcoporum electionem olim præmitti solitum fuisse, Acta Sanctorum passim testantur. Vita S. Aniani Aurelianensis Episc. *Atque ut in ipsum concordia divinæ electionis claresceret, cùm triduanum jejunium more Ecclesiastico indixisset, Brevibus & libris super Altare positis, nec dum loquentem parvulum afferri præcepit, ut ipse Breves ab Altari sublevaret.* Cùm verò infans Anianum Episcopum inclamasset, ut *votis omnium fieret satisfactum, aperto Psalterio versum, quem primum invenerunt legentes dixerunt: Beatus quem elegisti &c. Prolato quoque Apostolico Codice, in primo repererunt sermone. Fundamentum aliud nemo potest ponere &c. Sed & in Evangelii pagina hanc primam repererunt sententiam. Super hanc petram ædificabo* &c. Etiam in S. Martini Turonens. Episc. electione adversùs Defensorem intervenit sors ex Psalterio, quam Theodorus Cantuariensis Episcopus in Pænitentiali vetat. In Vita S. Evurtii Aurelianensis item Antistitis. *Tunc illi* (Episcopi) *ex communi tractatu indixerunt triduo jejunium universæ plebi, quærentes quem sibi vellet Deus Antistitem purum officium atque libationem offerre.*

Theod. apud Burch. l. 10. c. 26.

CVII OBSERV. V. De Baculo & Cruce Episc.

Vita S. Cæsarii lib. 2. n. 22. in Appendice nostra.

Vita S. Germ. n. 27. t. 1. Act. SS. O. S. B.

Vita S. Samf. lib. 2. n. 10.

* *adde laminis.*

Quinta etiam animadversio ad Episcopos pertinet, ante quos Baculum pastoralem præferri antiqui moris erat. In lib. 2. de Vita S. Cæsarii Arelaten. Episc. legimus: *Cùm ecce Vir Dei ibidem requisitus ad aliam Ecclesiam pergeret, Clericus, cui cura erat Baculum illius portare (quod Notariorum officium erat) oblitus est*, &c. Item in vita S. Germani Parisiorum Episcopi, *cujus Minister* (inquit Fortunatus) *quo loco Sancti tenebat Baculum, illic inerguminus pendebat religatus aërio vinculo.* Crucem etiam tum ante Episcopos gestatam, testatur Auctor anonymus ferè æqualis, qui Acta S. Samsonis Dolensis Episcopi duobus libris composuit, infra nunc primùm edita. *Post cujus obitus aliquod intervallum* (verba sunt libri secundi Vitæ) *imago Crucis, quæ ante eum ferri semper solebat, quámque benedixerat, quæ denique auri atque argenti * circùm fuerat solidata, à quodam malefico ac pessimo homine furtim detecta ac dehonestata est.*

CVIII OBSERVATIO VI. De Stola Diaconorum.

Vita S. Mauri n. 15.

Sextò consideranda sunt verba Vitæ S. Mauri Abbatis, qui claudum & mutum curaturus, *Stolam cum qua eodem anno jubente beato Magistro suo ordinatus ad ministerium fuerat Leviticum, & quam juxta morem sanctitatis gratiâ primo indesinenter ferebat anno, de collo suo protulit, & super caput infirmi crucis signum faciens posuit.* In decretis Canonum, & Regula S. Benedicti nulla istius ritus fit mentio. In Concilio Maguntiacensi anno DCCC. XIII. statutum est cap. 28.

28. *ut Presbyteri sine intermissione utantur orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Huc respicit lib. 6. Capitular. cap. 169. & Concilium Triburiense cap. 26. apud Burchardum: *Ut Presbyteri non vadant, nisi stola vel orario induti*. Denique Johannes Saresberiensis in Vita MS. Thomæ Cantuariensis Episcopi scribit; *Stolam tamen jugum Christi suave circa collum diebus ac noctibus habebat*. Nihil simile de Diaconis præterquàm in Vita S. Mauri legisse me memini. An fortè adhuc tunc temporis vestes sacræ in usu extra mysteria erant? legimus S. Severinum Abbatem Agaunensem, in Clodovei Francorum Regis aulam profectum, post orationem *se Casulâ exuisse*, ac super Regem eam imposuisse: & S. Germano Parisiorum Episcopo mulierem nervis contractam in egressu de Monasterio Turonensi occurrisse, quam *sub Casulam receptam* sanâsse Vir sanctus dicitur. Non me fugit Casulam nonnunquam pro Tunica talari usurpari, ad quem modum Fortunatus in Vita S. Medardi Noviomensis Episcopi à nostro Acherio recèns editâ, *cùm adolescens*, inquit, *ad scholam recurreret, Casulam, quam ei genitrix sua fecerat, per ipsum ad artificem componendam direxit*. Et Concilium Ratisbonense anno DCC. XLII. *Ut Presbyteri vel Diaconi, non sagis Laicorum more, sed Casulis utantur ritu Servorum Dei*; Ubi *Casulæ* sumuntur pro Tunicis talaribus Monachorum, qui *Servi Dei* apud Antiquos appellabantur, Moniales verò *Ancillæ Dei*. At certè indecorum fuisset, vel Germanum excepisse mulierem *sub Casula*, vel Severinum *Casulâ* se exuisse, si Casula in allatis testimoniis pro Tunica accipi deberet. Locus apud Gregorium Turonensem de quodam Diacono Casulam in usum profanum gestante, ad Tunicam vulgarem nulla ratione deflecti potest. *Et quia novimus*, inquit Gregorius, *Priscum Episcopum huic Sancto* (Nicetio Lugdun. Episc.) *semper fuisse adversum, Diacono cuidam hujus Casulam tribuit. Erat autem valida, eò quòd & ipse Vir Dei robusto fulget corpore. Capsa autem hujus indumenti ita dilatata erat atque consuta, ut solent in illis* * *candidis fieri, quæ per Paschalia Festa Sacerdotum humeris imponuntur. Ibatque Diaconus cum hoc vestimento discurrens ac parvipendens, de cujus usibus remansisset, hoc habens in lectulo, hoc utens in foro*. Nec Diaconum arguit Gregorius de istius modi profano usu, sed quòd parvi penderet, *de cujus usu remansisset*. Ut propterea veritati proximum videatur. B. Maurum ex recepto more Stolam Leviticam extra rem sacram gestâsse. Quod eo animo fiebat, ut Diaconi semper gradus sui dignitatem haberent ob oculos, & à Subdiacono distinguerentur. Nec fortè aliò spectat canon. 27. Concilii Bracarensis I. Theodemiri Regis anno III. Christi D. LXIII. celebrati, cujus hæc verba: *Placuit quia aliquanti hujus provinciæ Ecclesiæ Diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, ut de cetero superposito scapulæ utantur orario*.

Burch. l. 6. c. 10.

Vita S. Germ. n. 7. tom. 1. Act. SS. Ord. S. Bened.

Tom. 8. Spicil.

Greg. Tur. de Vit. PP. c. 8.

* id est in Albis unde Dominica in Albis.

CIX

De Chrismali circumferendo.

Simili Religione apud Britannos nefas erat sine Chrismali procedere Christianum. Beda in Pænitentiali cap. 6. *Qui oblitus fuerit Chrismal, pergens procul ad opus aliquod, quinis quinquies percussionibus* (subjaceat) &c. Quid sit Chrismal, necdum satis expositum legi. Variæ sunt Chrismalis acceptiones. Aliquando pro vase, in quo Christi Corpus servatur, vel pro palla (ut vocant) corporali usurpatum Menardus rectè probat: at neutra significatio locis adductis congruit. Columbanum, & Bedam nonnulli interpretantur de velo seu fascia, quâ ligabatur frons eorum, qui ab Episcopo inungebantur. Omnino verò uterque explicandus est de candido illo amictu seu caputio albo, quod Baptizatorum capitibus post factam verticis è Chrismate unctionem imponebatur. Id colligitur ex vetustis Sacramentorum Codicibus. In libro mutilo Sacramentor. Monasterii Anianæ ita scriptum reperitur: *Tunc Sacerdos baptizet*

Menard. in Sacram. pag. 199.

illum

illum dicens: & ego te baptizo in nomine Patris (& mergat semel) & Filii (& mergat iterum) & Spiritus Sancti (& mergat tertiò.) Tunc faciat de Chrismate crucem cum pollice in vertice eorum, cum invocatione S. Trinitatis, dicens Orationem: Deus Omnipotens &c. Tum continuò subditur: *Hic mittat Chrismale in capitibus eorum* dicens: *accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam &c. Postea mittat cereos illuminatos in manibus eorum dicens: accipe lampadem ardentem* &c. In Missali Codice manu antiquitus descripto, qui in Bibliotheca nostra San-Germanensi sub nota 620. observatur, eadem ferè occurrunt, nisi quòd *Chrismal*, non *Chrismale* habetur. Hæc in transcursu dicta sunto.

CX OBSERVATIO VII. De Cantu Laicorum in Ecclesia.

Septimo loco prætermittenda non sunt ex S. Cæsarii Arelatensis Episcopi vita hæc verba: *Adjecit etiam atque compulit, ut Laicorum popularitas Psalmos & Hymnos pararet, altaque & modulata voce instar Clericorum alii græcè, alii latinè Prosas, Antiphonasque cantarent, ut non haberent spatium in Ecclesia fabulis occupari*. Fortunatus in lib. 2. Carm. 10. id etiam à S. Germano Parisiorum Episcopo provisum testatur.

In lib. 1. vita S. Cæsarii n. 11. in Append.

Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, & infans.

Et Theodorus Cantuariensis Episc. in Capitulari MS. sæpè laudato: *Laicus in Ecclesia non debet recitare, nec Alleluja dicere, sed Psalmos tantùm & Responsoria sine Alleluja*? Et tamen in Synodo Laodicena statutum fuerat can. 15. *Non oportet præter Canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*.

CXI OBSERVATIO VIII. De secessu Quadragesimæ.

Octava observatio erit de notissimo secessu, quem homines pii in Quadragesima frequentabant. Auctor vitæ S. Marii Bodanensis Abbatis à nobis relatus; *Cùm autem*, inquit, *ut mos est Religiosorum in Quadragesima, Vir Dei in cella retrusus parciùs solito viveret, Lucretius Diensis Episc. ad eum visitandum assiduè veniebat*. Item S. Braulio in Vita S. Æmiliani: *Mos quippe erat ei his diebus, solùm cellulâ esse contentum, neque quemquam videre solitum, nisi unum è suis, qui propter vitæ hujus subsidium ei parcissimum ac vilem ministrabat cibum*. Sanctus Senoch apud Gregorium Turon. de Vita Patr. cap. 19. à die festo S. Martini usque ad Christi Natale, ac totâ Quadragesimâ recludebatur. Lege infrà Vitam S. Marculfi Abbatis Nantensis, qui in quamdam Insulam quotannis secedebat, *quatenus ibi per illud tempus Quadragenarium corpus rigidiùs solito maceraret, & quo ab hominum conspectu esset remotior*. S. Hermelandus Abbas Antrensis, cujus Acta sæculo proximo referemus, *consuevit Quadragesimæ diebus ob vitandam hominum frequentiam, qui illum Fratresque visitaturi cum oblationibus ad Monasterium adventabant, Antriginum petere, atque illic cum paucis Fratribus multâ abstinentiâ corpus suum macerare, ut in Paschali solemnitate posset se ipsum Deo hostiam gratissimam exhibere*. Etiam Episcopis pia illa consuetudo familiaris erat. Exemplo sunt Dubricius in lib. 1. Vitæ Samsonis num. 33. & Samson ipse in lib. 2. num. 12., quam vitam hoc tomo exhibemus. Palladium Santonicum Episcopum *diebus Quadragesimæ sanctæ in Insulam maris orationis causâ secedere, & ad Dominicæ Cœnæ festa ad Ecclesiam suam populo expectante redire consuevisse*, in libri 8. histor. cap. 43. scribit Gregorius Turonicus Episcopus. *Et in loco secreto ac remoto, qui Leuconaus dicebatur, B. Pontifex Ambianensis Bercundus diebus Quadragesima contemplationi Divinæ insistere solebat*, sicuti ait Auctor æqualis de Vita Walarici Abbatis. Eadbertus Lindisfarnensis Episcopus apud Bedam *sæpius in remotiore ab Ecclesia loco, refluis undique pelagi fluctibus cincto, solitarius manebat. In hoc etenim semper Quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum Natale dies in magna continentia, orationis & lacrymarum devotione transigere solebat*, Quod etiam de Johanne Hagul-

Vita S. Marii n. 4. tom. 1. Actor. SS. O. S. B.

Vita S. Æmil. c. 10. to. 1. Act. SS. O. S. B.

Apud Sur. 25. Mart.

Beda lib. 4. Hist. Angl. c. 30.

Ibidem c. 2. gulstadensi Episc. idem Auctor commemorat. Denique Canonicis Chrodegan-
To. 4. Spicil. gus Mettensis Episc. in Regulæ cap. 34. præcipit, *ut tempore Quadragesimæ foris claustra, nisi necesse fuerit, non egrediantur*. Lege Sophronium de Vita Mariæ Ægypt. cap. 6.

CXII OBSERVATIO IV. De Feminarum accessu ad monachales Ecclesias prohibito.

Nonò, ex eodem secessus ac solitudinis studio feminis quondam in nonnullas Monachorum Ecclesias aditus fuit interdictus, ut patet ex Vita Sancti Carilefi in Appendice nostra relata: immò & viris negatus fuit in Monasterio Sancti Johannis Reomaënsis: cujus Acta cum notis in eadem Appendice legenda sunt. Adrevaldus in lib. 1. Mirac. S. Benedicti cap. 28. ubi de particulis Reliquiarum S. Dionysii, & B. Sebastiani Monasterio Floriacensi concessis agit; *Porrò*, ait, *quia ex antiqua Auctoritate sancitum erat, feminas extra exteriores portas Monasterii haud quaquam transitum introrsus habere, hi qui à longe Memorias Sanctorum secutif uerant, ad preces convertuntur, ut permitteretur eis poscentibus causâ orationis Ecclesiam, in qua Sanctorum Reliquiæ depositæ erant, ingredi, votaque sua persolvere, quod quia adversum erat Religioni Monasticæ, nullo omnino pacto impetrare valuerunt. Illis verò in prece perdurantibus, cœpêre etiam quinque nobiliores causâ tanti rumoris excitati ad tam venerabile undequaque confluere spectaculum: junctisque precibus vix extorquere quoquo modo ab Abbate & Fratribus potuerunt, ut extra portam Monasterii ad Occidentalem plagam in loco nemoribus consito tentorium extendi juberet, quò Memoria Sanctorum certo tempore hoc est vigiliâ Dominici diei deferrentur*. Observatu dignum est, quòd *ex antiqua auctoritate* id fieri dicit Adrevaldus, homo (ut ex eodem capite patet) Ludovico Pio Augusto paullò junior. Quæ Religio potiùs ex quorumdam Monasteriorum peculiari lege profecta est, quàm vel ex S. Benedicti Regula, quæ cap. 59. Parentibus puerum oblaturis in Ecclesiam permittit accessum*, vel ex generali Gallicanorum Monachorum praxi: siquidem baptizari in Monasteriis Gallicanis parvulos solitos fuisse, Terreolus Ucecicensis Episcopus in Regulæ cap. 15. auctor est. Lege Regulæ Tarnatensis cap. 20. Et tamen Monasterii Condatescensis aditus feminis interdictus erat. Unde S. Romanus Abbas apud Gregorium Turon. de Vita Patrum cap. 1. *Non potest fieri*, inquit, *ut ego in Monasterio sepulcrum habeam, à quo mulierum accessus arcetur*. Eadem consuetudo vigebat apud Cœnobii Castrensis Monachos, teste Aimoino in Historia Translationis S. Vincentii Mart. Cæsaraugustani, cujus corpus sæculo IX. Castrum Galliæ Narbonensis opidum advectum est. En Aimoini verba ʃ *Martyris itaque corpus servandum, venerandumque in Ecclesia Almæ Genitricis Dei Mariæ ante ipsius Cœnobii portam collocaverunt ob devotam maximè feminarum frequentiam, quibus Monasterii ipsius aditus ex antiqua Patrum ejusdem loci consuetudine denegatur*. Monasterii nomine comprehendit Basilicam Monachorum Castrensium præcipuam S. P. Benedicto sacram; quòd regulari murorum ambitu contineretur. Ut meritò suspicari liceat, Concilium Autissiod. anno D.LXXVIII. convocatum eodem modo intelligendum esse, dum ita definit can. 26. *Si quis Abbas mulierem in Monasterio suo ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retrudatur, pane & aqua contentus*. Et Gregorius M. in lib. 5. epist. 43. aliisque, in Monasteriis *Missas publicas* fieri prohibet ab Episcopo, *ne in Servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque in scandalum trahat. Frequentior quoque*, ait, *mulierum introitus arceatur*. Mira sunt, quæ de Torneïæ Cœnobio Willelmus Malmesb. in lib. 4. de gestis Pontif. Angl. sub finem memorat his verbis: *Solitudo ingens ad quietem data Monachis, ut eò tenaciùs hæreant Superis, quò castigatiùs mortales conspicantur. Femina ibi si visitur,*

* *V. Concil. Aquisgran. c. 36.*

ʃ *Hist Transl. S. Vinc. apud Boll. 22. Jan.*

Lege decretum Synod. Gregorii apud Baron. an. 601.

tur, monstro habetur: maribus advenientibus quasi Angelis plauditur. Ceterùm ibi nullus nisi momentaneè conversatur: Famuli Monachorum & ipsi feriatis diebus absunt. Verè dixerim insulam illam esse castitatis diversorium, honestatis contubernium, divinorum Philosophorum Gymnasium. O quis mihi det tales Insulas! Priscam illam Ordinis nostri disciplinam revocaverunt initio Patres Cistercienses. Probat Vita S. Bernardi Abbatis Clarevallensis, cujus vitæ lib. 4. cap. 2. ubi de Sancti Viri funere agitur, hæc legimus: *Amariùs tamen pro foribus Monasterii lamentabatur sexus miserabilium mulierum, quòd accedentibus ad beata vestigia viris, Monastici Ordinis disciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum.*

CXIII OBSERVATIO X. De labore manuum.

Decimam adnotationem instituemus de labore manuum, quem Monachi primis illis sæculis exercebant. Nonnosus Soractensis Præpositus, teste Gregorio M. in lib. 1. Dialog. cap. 7. laborem extra Monasterium etiam caritatis gratiâ fieri non probavit, *ne exeuntes Fratres ex Monasterio, animarum damna paterentur.* Unde S. Isidorus in Regulæ cap. 1. *Hortulus sanè intra Monasterium sit inclusus, quatenus dum intus Monachi operantur, nulla occasione exteriùs evageutur.* Omnino ad mentem S. P. Benedicti, cujus hæc sententia in Reg. cap. 66. *Monasterium si fieri potest, ita construatur, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.* Et tamen in cap. 48. concedit, ut ob loci necessitatem Monachi *ad fruges colligendas per se occupentur*, quod ipse, ac S. Maurus factitâsse leguntur

XCIV Antiquariorum labor.

Antiquis maximè placebat codicum scribendorum opera. *Ego fateor votum meum inter vos* ait Cassiodorus ad Monachos suos, *quæcumque possunt corporeo labore compleri, Antiquariorum mihi studia (si tamen veraciter scribant) non immeritò forsitan plùs placere: quòd & mentem suam relegendo scripturas divinas salutariter instruunt, & Domini præcepta scribendo longè latéque disseminant. Felix intentio, laudanda sedulitas; manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitùm dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot Antiquarius Domini verba describit. Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius, audiunt populi, unde se à prava voluntate convertant, & Domino pura mente deserviant. Operatur absens de corpore suo.* Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis Cassiodorum imitatur, ac ferè superat in Antiquarii operis commendatione, ad Gissebertum Reclusum ita scribens: *Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusione perpetua prohibente: sed, quod est utilius, pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis litteris paginæ exarentur. Seratur in Chartula verbi Dei Seminarium, quod maturatis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis letalem animæ famem depellat. Sic planè, sic verbi divini poteris fieri taciturnus prædicator, & lingua silente in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit.* Mira addit, ac demum ita claudit sententiam: *tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quantò (ut ita dicam) durare potuerit vita librorum tuorum.* Julianus defensor à Romano Pontifice ad S. Æquitii Monasterium missus, *Antiquarios scribentes reperit.* Leobardus Reclusus, teste Gregorio Turon. *ad cellulam Majori-Monasterio propinquam accessit, ibique sibi propriis manibus membranas faciens ad scribendum aptavit:* more videlicet Monachorum Majoris Monasterii, apud quos, auctore Severo Sulpicio, *ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur. Cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant.* Hunc laborem strenuè exce-

Cassiod. lib. 2. Inst. c. 7.

Pet. Ven. lib. 1. ep. 20.

Greg. M. lib. 1. Dial. c. 4.

Greg. Tur. de Vit. Pat. c. 11.

Sever. in vita S. Martin. c. 7.

exceperunt S. P. Benedicti discipuli, eumque posteris suis quasi testamento reliquerunt. Adeò ut quidquid apud Antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est; totum id (procul jactantiâ dictum velim) per Monachorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenerit. Ista fusiùs persecutus sum, tum ut hominibus ætatis nostræ nonnullis, quibus adeò invisum est nomen Monachorum, hortator sim, quò his paullulò se præbeant æquiores: tum ut Fratres ac Sodales meos commoneam homo tenuis consilii, ut Majores suos imitari pergant, non jam libros exscribendo, quamquam eos ad id etiam post typorum inventionem speciali tractatu invitat Trithemius noster; sed quà libros editos emendando, quà veteres scriptores eruendo, quà Codices Mss. studiosè asservando & postliminio sibi asserendo, quà Monasteriorum nostrorum historias describendo: ut pro suo quisque modulo Ecclesiam juvent, & Monastici Ordinis decus interire non patiantur. Hæc extra modum dicta benignè accipi etiam atque etiam rogo.

CXV Qui præ corporis infirmitate operosos labores manibus exercere non poterant, iis pro Regulæ indulgentia prolixioribus studiis aliorum operas compensare licebat. Willelmus Malmesb. in lib. 1. de Gestis Pont. Angl. nobis suppeditat Lanfrancum, *qui factus Monachus, homo qui nesciret agresti opere victum quærere, publicas scholas de Dialectica professus est, ut egestatem Monasterii scholarum liberalitate temperaret*. Cùm econtra Herlewinus Abbas coquendis panibus, & fimo tractando occuparetur. Bernardus singulare illud Ecclesiæ, & Ordinis Monastici ornamentum, ex speciali dispensatione manuum laborem frequentiori scriptione commutabat. *Quòd aliquoties* (inquit ad Fratres) *vobis loquimur præter consuetudinem Ordinis nostri non nostra id agimus præsumptione, sed de voluntate venerabilium Fratrum & Coabbatum nostrorum, qui id nobis etiam injungunt, quod tamen sibi quidem passim nolunt omnino licere. Nempe aliam mihi rationem & singularem necessitatem esse noverunt. Neque enim modò loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud fortè vobis efficacius verbum fieret, sed & conscientiæ meæ magis acceptum. Ceterùm quando id mihi peccatis meis exigentibus, & onerosi hujus (ut ipsi scitis) tam multiplici infirmitate corporis, & ipsa quoque temporis necessitate negatur; utinam dicens, & non faciens in Regno Dei vel minimus merear inveniri.* Multa in hanc sententiam habet Isidori Regula, inter cetera verò cap. 6. *Qui sic volunt lectioni vacare, ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est: Operantes panem suum manducent.* Sed tandem, *qui non valet insistere operi, det promptiùs operam lectioni: quicumque agrum non excolit, Deum dupliciter colat,* monet S. Ferreolus. Legendus omnino Guillelmus S. Theoderici Abbas in Epist. ad Fratres de Monte Dei. *Operandum est*, inquit cap. 6. *aliquid manibus, quod injungitur, non tam quòd animum delectando ad horam detineat, quàm quod spiritualium studiis delectationem conservet & nutriat: in quo remittatur ad horam animus, non resolvatur;* Nempe ut *panem suum efficiant operando, quantùm operari possunt testimonio Dei & conscientiæ suæ*, ait cap. 13. Et infrà: *Vescamur saltem secundùm pœnam Adæ pane nostro, si non possumus in sudore vultus nostri, in dolore cordis nostri, in lacrymis doloris, si non possumus in sudore laboris. Magnam hanc jacturam Professionis nostræ suppleat pietas ac devotio conscientiæ humilis.* At libros Morales scribere non est animus. Notationes finio.

[Margin notes: *Bernard. serm. 10. in psal. Qui habitat.* — *Ferr. Reg. c. 28.*]

CXVI Nonnulla in Philologorum gratiam observarem, nisi Lectoris fastidium incurrere onerosa prolixitate vererer. Ambo Gregorii Episcopi, Romanus alter, alter Turonicus, genium Scriptorum sæculi sui, quorum eximia duo lumi,

mina erant, in se ipsis nobis expresserunt. *Non metacismi collisionem fugio*, *scribit Gregorius Magnus*, *non barbarismi confusionem devito*, *situs motusque præpositionum*, *casusque servare contemno*, *qui indignum vehementer existimo*, *ut verba cælestis oraculi restringam sub Regulis Donati*. *Neque enim hæc ab ullius temporis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate servata sunt*: *Ex qua nimirum quia nostra expositio oritur*, *dignum profectò est*, *ut quasi edita soboles matrem suam imitetur*. Ita vir non minùs modestiâ, quam sapientiâ summus. Gregorius verò Turon. *Timeo*, inquit, *ne cùm scribere cœpero*, *qui sum sinè litteris Rhetoricis & arte Grammatica*, *dicat mihi aliquis*: *An tu Rustice & Idiota*, *ut quid nomen tuum inter Scriptores indi æstimas*? *aut opus hoc à peritis accipi putas*, *cui ingenium artis non suppeditat*, *nec ulla litterarum scientia subministrat*. *Qui nullum argumentum utile in litteris habes*, *qui nomina discernere nescis*, *sæpius pro masculinis fœminina*, *pro fœmininis neutra*, *& pro neutris masculina commutas*. *Qui ipsas quoque præpositiones*, *quas nobilium dictatorum observari sanxit auctoritas*, *loco debito plerumque non locas*. *Nam pro ablativis accusativa*, *& rursus pro accusativis ablativa ponis*. Hi flores illius temporis erant. *Contempto*, *fructo*, ceteraque id genus pro sexto casu nominum quartæ declinationis de more sonabant. *Antestis* pro *Antistes* passim antiqui libri, *Sanctæmoniales* Gregorius M. in suis Dialogis præferunt. *Spaniam* apud antiquos, etiam apud ipsummet Apostolum in cap. 15. Epist. ad Rom. ideò scriptum existimo, quod littera S syllabæ nostræ *His* sono æquaretur. Nam in vetustis libris Isidori manu exaratis sæpius lego *storia* pro *historia*, *storialiter* pro *historialiter*, ut codex noster San-Germanensis notatus 265. qui duos Isidori libros ad Sororem continet, in lib. 2. cap. 19. & alter codex signatus 250. qui ejusdem Chronicon ab initio mundi complectitur, in Præfatione legentibus plura hujusmodi loca subministrant.

Greg. M. in Job. c. 5.

Greg. Tur. in Præf. de Gl. Conf.

CXVII Ingratus sim, Præfationem si clausero non habitâ iis gratiâ, qui operâ, consiliis, libris Mss. nobis adjumenta benignè ac liberaliter præbuerunt. Operam in Actis Sanctorum perquirendis transmittendisque contulerunt Domnus Simon Guillelmus Benedictinus Subprior Monasterii S. Gisleni in Hannonia, & D. Jacobus Lannoyus Cistercianus, ambo viri docti. Hic manu, commendaticiis litteris ad exteras etiam Nationes directis, Opus nostrum non secus ac fetum proprium promovere studuit. Consiliis Virorum Clariss. Jacobi *de Saincte Beuve* Doctoris ac Socii Sorbonici, & Hadriani Valesii Historici Regii multùm me debere profiteor. Scriptos Codices nobis suppeditârunt Bibliothecæ San-Victorina & Thuanea; nonnullos commodavit Claudius Jolius Parisiacæ Ecclesiæ Canonicus, vir eruditionis & humanitatis eximiæ. Nobis instar Bibliothecæ fuit, qui juvandis litteris totus natus est, V. C. Antonius Vion Herovallius, Lutetiæ in suprema rationum publicarum Curia Auditor. E nostris plures habuimus laboris adjutores. D. Odonem *de la Mote* & D. Claudium Chantelovium securiùs laudo, quia mortuos: hunc multigena eruditione præditum, qui dum multa meditatur, in ipso ætatis flore interceptus est: illum in historia sacra adeò versatum, ut eum Illustriss. Henricus Spondanus studiorum suorum adjutorem postulaverit, V. C. Andreas Saussaius nunc Tullensis Episcopus subsidiarium expertus sit in condendo Martyrologio Gallicano, quod antea Odo noster cogitabat. Tertium addo itidem vitâ nuper functum D. Franciscum *le Sueur*, virum doctum, qui plures Sanctorum Vitas ipse descripsit & illustravit. Aliorum qui adhuc supersunt modestiæ parcere cogor. Ex Bibliothecis Monasteriorum nostrorum S. Petri Corbeiensis, S. Benedicti Floriacensis, S. Remigii Remensis, & S. Theoderici prope Remos, item S. Cornelii Com-

pendiensis, & S. Petri Conchensis, multum auxilii accepimus, auctores beneficii nominare supersedeo, pluresque alios, quos propriis locis designabo.

CXVIII Superest, ut omnes quorum interest, Sodales nostros, cujuscunque regionis Monachos, quibus S. Benedictus cordi est, subsidio vocem, & in laboris nostri invitem consortionem: immò quoscunque pios doctosque viros, quibus sacræ antiquitatis nomen antiquum est. Juvabunt autem nos plurimùm, si Acta vetera Sanctorum nostrorum, qui peculiari cultu quibusdam in locis honorantur, eorumve Miracula & Translationes, sincerè descripta & diligenter collata nobis transmiserint, notatis ad marginem vulgari idiomate, Locorum, Opidorum, Sanctorumque ipsorum propriis nominibus. Si notiores sunt Sancti, prima & suprema cujuslibet Vitæ verba satis erit indicâsse, quam fortasse jam habemus præ manibus. Hoc facto Sanctos nostros sibi demerebuntur, nosque beneficii sui memores habebunt & præcones.



JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN SÆCULUM SECUNDUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod est ab anno Christi DC. ad DCC.
impressa Parisiis anno 1669.





Ecursis primi sæculi Benedictini salebris, accedimus I
haud inviti ad secundum, in quo paullò jucundior apparet rerum facies, & piorum Monachorum turba numerosior. Aureum verè sæculum! dum præjacta gratiæ virtutumque semina, quæ in se ipso divinitùs recondita habuit *Vir omnium justorum spiritu plenus*, calamitosis temporibus eruperunt in flores, ac demum Orbi Christiano fructus uberrimos protulerunt. Mortuo S. P. Benedicto, Cassinensi Monasterio susque deque verso, cùm sacri Instituti propagandi pæne emortua videretur spes omnis, res è contrario immensùm crevit: & seu Christianis detrimentis succurrente, seu futuris malis providente Numine, ex sacris tum Benedicti, tum Cassini cineribus agminum sanctorum numerosa consurrexit soboles, per partes Europæ præcipuas diffundenda. Postquàm enim Gregorius Magnus S. Benedicti vitam & Regulam voce ac calamo suo celebravit, postquàm Bonifacius Papa IV. eandem Regulam in Synodo Romana commendavit; eam ambabus (quod ajunt) ulnis excepêre Monachi, sive qui ab anterioribus Patribus Institutiones suas hauserant, sive qui nova Monasteria construere volebant. Et, quod fieri solet in principio cujuslibet disciplinæ, Benedictinis affeclis pia æmulatione flagrantibus, tot & tanta Sacri Ordinis lumina mundo illuxerunt, ut non alia umquam ætas piorum Monachorum fecundior fuerit, numquam felicius viderit sæculum Benedictina Religio. Quod quidem magno Dei præpotentis beneficio accidit: ut cùm scientia & doctrina deficientibus invalesceret ignorantia, Ecclesia errorum & herefeon procellis afflicta turbaretur; præstò adesset morum sanctitas, quæ fide & zelo armata periclitanti Ecclesiæ opem ferret. Neque enim homines solùm sapientes & doctos, *salem terræ & lucem mundi* prædicavit veritas Christus; sed etiam sanctos viros, qui & corruptis moribus salem integritatis, & occæcatis mentibus justitiæ lumen opponunt.

Infame tum erat in Oriente nomen Muhammedis Pseudo prophetæ na- II
tione Saraceni, qui ex Judæorum, Arianorum, & Nestorianorum dogmatibus propriisque commentis novam sectam conflavit; ac popularibus suis Arabiæ felicis incolis per se primùm, deinde toti ferme Orienti per suos impiæ superstitionis, dominationisque jugum imposuit. Id Heraclii Augusti principatu infeliciter cæptum, quum Chlotarius II. Francicum Regnum administrabat. Paullò post, id est Dagoberto Chlotarii filio regnante, etiam Orientis Ecclesias infecit Monotheletarum hæresis, Cyro Alexandrino Patriarcha incentore: cui Heraclius Imperator, ejusque nepos Constans, aliis Constantinus dictus, edictis, & authoritate plurimùm faverunt. Ex Regia urbe per Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos Patriarchas malum in alias Ecclesias permanavit: nec pepercisset Occidenti, nisi Theodori, Martini, aliorumque Pontificum Romanorum vigilantia, piorum hominum consiliis

liis & ope adjuta obstitisset. Neque tamen Occidentales seu Aquilonares plagæ ab suo quoque contagio immunes erant. Gallia Paganos aliquot in locis, Corturiacenses, Tornacenses, Gandavenses, & finitimos populos sustinebat. Britannia Insula permistos habebat idololatras, Scottos seu Hibernos à Romanis ritibus de Paschate, deque Tonsura dissentientes patiebatur. Germania majori sui ex parte in Gentilismi tenebris delitescebat. Gallia per Audomarum & Amandum; Britannia per Augustinum, Vvilfridum, & Cuthbertum aliosque Viros sanctissimos resipuit: Germania Kiliano, Vvinfrido, Rudperto, aliisque ductoribus, Evangelii lucem respicere cœpit, Bonifacium sæculo insequenti Apostolum habitura. Columbanus in Gallia Monasticum statum extulit; Eustasius, Agilus, Amandus, Audomarus, Remaclus, Vvandregisilus, Filibertus mirificè propagârunt. Augustinus, Vvilfridus, Cuthbertus, Benedictus Biscopus Britanniam; Fructuosus, Hildefonsus Hispaniam sanctorum Monachorum agminibus implevêre. Et quidem hic ferè erat per septimum sæculum Christianæ ac Monasticæ Reipublicæ status.

III Ut verò præstituto à nobis superiori præfatione ordini ac dispositioni insistamus, quædam argumenta hic fundamenti loco tractanda sunt, quæ subsequentibus Actis non parùm lucis adlatura videntur. Primum erit de S. Columbani Regula & Institutis, an à S. Benedicti Regula diversa sint, an cum illa aliquando coïerint? II. de Monastici status antiquitate in Belgio, ejusdemque per S. Amandum propagatione. III. de Sanctimonialium & Canonicarum origine itidem in Belgio. IV. observationes varias Ecclesiasticas & Monasticas complectetur. V. denique observationes historicas & chronologicas. Quæ antequàm latiùs explicare incipiam, juvat nonnulla diluere objecta, quæ adversùs consilii ac propositi nostri rationem Sæculo primo stabilitam opponuntur.

IV Conqueruntur siquidem è nostris quidam de violato à nobis Sanctorum nostrorum Canone, nimirum quòd sanctos Monachos quam plures in extraneorum classem rejecerimus, minoribusque typis ediderimus eorum Acta, quos in domesticorum ac sodalium numero Scriptores nostri hactenus habuerunt. Ex adverso nonnulli alterius partis homines causantur, quòd historiam nostram Actis Sanctorum subdititiorum oneremus. Quin eos continuò, si tales eos agnoscimus, insalutatos prætermittere libuit, ut germanis ac propriis Sanctis integrum demus locum? Verùm quodcumque utrobique est incommodi; tantum abest, ut Instituti nostri methodum ac rationes convellat, aut attingat, quin potiùs illustrando consilio nostro confert plurimùm: quod paucis demonstrare juvat.

V Nihil convenientius aut accomodatius videtur potuisse inveniri ad utriusque partis conciliationem, quàm si Sanctos dubios, & extraneos, quos tamen nonnulli è nostris proprios & germanos existimârunt, retineremus quidem, sed minoribus characteribus designaremus. Sic enim utrorumque votis fit satis, dum & nostri habent eorum Acta, quæ legant; alii verò distinctos habent, quos eliminandos velint. Nec meliùs, opinor, alumni Benedictini qui Patris, ac Familiæ Benedictinæ legitima decora propugnare debet; vel historici sinceri & veritatis amantis partes explere licebat. At rem propiùs intueamur.

VI Provocamur ad Martyrologii Benedictini edicta, quibus obviam à nobis itum nonnulli queruntur. Nefas quippe existimant violare Sanctorum nostrorum Canonem, quem Majores nostri sanctum esse voluerunt. Verùm nec Canon iste, qualiscumque tandem est, tam sacer videri debet, ut paullùm ab ipso recedere piaculum sit; nec forsitan ullo modo ab eo recessimus.

Qui

Qui viros pios & illustres Ordinis S. Benedicti in numerum primus redegit Trithemius, non ita explicavit aut complexus est omnia, quasi aut nihil ab ipso prætermissum, aut nihil commissum fuerit. Suam profectò laudem meretur eruditissimus vir. At quemadmodùm, qui novæ cujusdam disciplinæ rudimenta præscribunt, non adsequuntur omnia, sed in plerisque deficiunt, allucinantúrve: ita & Trithemio accidit in erudienda Benedictini Ordinis antiquitate: multa siquidem aliis explicanda, illustranda & supplenda reliquit. Certè Arnoldus Vvion primus Martyrologii Benedictini Concinnator, quum uno post Trithemium sæculo Sanctorum nostrorum Fastos ordinare tentavit, adeò obscura invenit omnia, ut nihil incertius Sanctorum Monachorum rebus præclarè gestis fuisse affirmet: „ quorum vitæ, ætas vi„ delicèt, conditio, mors & cetera hujusmodi ita in obscuris latebant, ut „ etiam an Monachi umquam fuissent nesciretur. „ Excusandus proinde Arnoldus sanè de Benedictina Republica bene meritus; excusandus, inquam, si in aliquibus lapsus est, sive nobis Sanctos vindicando extraneos, sive prætermittendo proprios. In his enim errare aliquando hominem per offusas antiquitati tenebras ambulantem necesse fuit. Hinc Menardus noster, qui libros duos Observationum in Vvionis Martyrologium commentatus est, quosdam Sanctos à Vvione admissos secernit à nostris, alios ab eodem prætermissos adjungit; quod etiam præstiterat Antonius Yepezius in Annalibus Benedictinis. Quid enim attinet ementitos & fictitios Ordini Benedictino affingere honores, cùm suo satìs superque splendore illustretur? Næ illi ignavam & otiosam familiæ suæ expendunt operam, qui ejus decora immodicis efferunt elogiis: nec tantum perficere in ejus injuriam possent injusti contemptores aut vituperatores, quantum laudatores nimii ac præcipites, qui dum laudibus sinè delectu student, & vera falsis immiscent, etiam veritatem in discrimen adducunt; contingitque illis, ut nec vera dicentibus credatur. Unde mihi semper maximæ curæ fuit, hunc scopulum vitare, & quamvis eruditione & scientia inferior, nulli tamen sinceritate verique studio cedere umquam sustinebo. Neminem calumniari aut traducere est animus: multa ignoraverunt Majores nostri, quæ dissimulare non possumus. Nimirum postquàm nostro sæculo innumera antiquitatis monumenta eruta sunt è tenebris, postquàm tot clarissimi & eruditissimi viri historicis rebus illustrandis insudaverunt; tot fabularum debellata sunt monstra, adeò res obscuræ in manifestam lucem venerunt, ut qui in antiquitatis rebus clariùs non videt, oculos claudere, vel se ipse excæcare dicendus sit. Nihil igitur mirum, si nonnullos Monachos Sanctos, quos Vvion in nostrorum ordinem retulit, aliquando in dubiorum aut subdititiorum classem rejicimus: cùm eorum Acta aliaque permulta, quibus destitutus erat Vvion, habeamus præ manibus: iisque inspectis faciliùs fit de eorum Instituto ac professionis conditione judicare. VII

Illud etiam addam in excusationem Vvionis & aliorum, quòd etiamsi germanos Ordinis Benedictini Monachos sanctos ab alienis facilè distinguere potuissent, non tamen continuò quoscumque extraneos eliminare & abjicere debuerint. Sunt enim ex his plerique ita Ordini nostro affines, & tanta necessitudine nostris alligati, sive quòd in Cœnobia ab ipsis condita nostri proximè successerunt, sive quòd eorum discipuli in S. Benedicti castra commigrârunt, ut è re nostra esse videatur, eorum memoriam in tabulis nostris conservare, & id exigente affinitatis & necessitudinis lege, quæ inter ipsos adscititios & nostros intercedit. Quemadmodùm qui alterius generis feminam in familiæ suæ consortium vocant, ejus stemma gentilicium, & præclaras stirpis imagines VIII

nes propriæ familiæ adjungunt & immiſcent. Sic qui regionem aut provinciam aliquam in tabella depingunt, finitimarum regionum partes viciniores exprimere ſolent. Uno verbo dicam: manca eſſet & mutila Ordinis Benedictini hiſtoria, ſi ejuſmodi Sanctorum memoriam & res præclarè geſtas prætermitteremus: id quod non ſolùm nobis ingrati animi vitio, ſed etiam rei noſtræ publicæ detrimento verteretur. Iſtud igitur in cauſa fuit, cur pluſculos Sanctos ab Inſtituto Benedictino alienos in primum ſæculum noſtrum admiſerimus: at veritatis amor fecit, ut eorum acta minutioribus typis à domeſticis, & propriis diſtingueremus. Eodem modo dubios & incertos exprimere viſum eſt: ut planè conſilium noſtrum non ſatis intelligant, qui quotquot Sanctorum Acta minoribus edita notis viderint, eos à nobis proſcriptos incunctanter vociferantur. Sanè in primo ſæculo nonnulli ſunt Sancti minutis donati literis, quos non leves conjecturæ Ordini Benedictino vindicare poſſe videntur. Quo in numero SS. Sequanum, Ebrulfum utrumque, Martinum Vertavenſem, & Theodulfum Remenſem, Abbates, ut & S. Baſolum è ſecundo hocce ſæculo, reponimus: quos tamen quia huic rei confirmandæ non ſatis valida ſuppetunt argumenta, in dubiorum claſſem conſultò ſepoſuimus. Hæc interim dicta velim ad conciliandos eorum animos, quibus labores noſtros quantuloſcumque præcipuè devoveri, approbari, & acceptos utileſque, ſi Deus ſirit, eſſe ſemper in votis fuit. Nunc ad rerum ordinem ſe recipiat oratio.

§. I.

De S. Columbani Regula & Inſtituto, an à S. P. Benedicti Inſtituto diverſum, an cum illo aliquando coierit?

IX NOn ſinè fundamento idoneiſque argumentis Scriptores noſtri Columbanum ejuſque diſcipulos in Album ſodalium Benedictinorum retulerunt. Cùm enim animadverterent, S. Benedicti Regulam in Monaſteriis a B. Columbano inſtitutis ab omni Majorum viguiſſe memoria, nec ullum tempus adſignari poſſe, quo in illis primùm recepta fuerit; in hanc demum conceſsêre ſententiam, eamdem Regulam prædictis Cœnobiis ab origine impoſitam fuiſſe: unum proinde, non diverſum S. Benedicti ac S. Columbani cenſeri debere Inſtitutum. Neque recentiorum dumtaxat hac de re perſuaſio fuit, ſed ab antiquorum placitis profecta traditio. Huc teſtimonia quædam adducere juvat, quò Auctorum poſteriorum, qui Columbanum Ordini Benedictino vindicant, opinionem confirmemus.

X Primus occurrit S. Donatus ex Monacho Luxovienſi ac S. Columbani diſcipulo Antiſtes Veſontionenſis, qui ſæpius à Flavia matre aliiſque Juſſani Parthenonis Sanctimonialibus rogatus, *ut explorata S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Regula, quæ ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt, unà cum Feſtiſſimorum Benedicti quoque & Columbani Abbatum collectis in unum floſculis ad inſtar enchiridion excerperet*, id tandem perfecit, & tria ſupra quadraginta capitula ex Regula S. Benedicti adduxit. Quorſum, quæſo, Virgines Juſſanenſes in vicinia Luxovienſium Monachorum conſiſtentes a Donato S. Columbani diſcipulo po-

ſcant

ſcunt aptari ſibi S. Benedicti Regulam, niſi quia à Monachis circumpoſitis obſervari hanc advertebant, eoſque cupiebant imitari? Certè quod ad S. Cæſarii Regulam attinet, eam hac ratione conſulendam exiſtimabant, quòd *ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt*. At inferebant, & quidem rectè, *quòd Regula S. Benedicti ſibi minimè competeret, cùm eamdem viris potiùs, & nequaquam feminis edidiſſet* Benedictus. Ergo Monachorum æmulatione adductæ SS. Benedicti & Columbani Regulas ſuis uſibus aptari poſtulaverunt. Idem egregiè confirmat Auctor libri de vita B Salabergæ æqualis & gravis, de Vvaldeberto poſt Euſtaſium Columbani ſucceſſorem Abbate Luxovienſi ſcribens in hunc modum: *Hujus tempore per Galliarum Provincias agmina Monachorum ac ſacrarum puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicóſque, atque caſtella; verùm etiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cæperunt*. Accedit auctoritas ex vita S. Præjecti ab Scriptore ejuſdem ſæculi petita. Quippe Vir Illuſtris Geneſius conſilio S. Præjecti *Monaſterium Sacrarum Virginum ſuburbano præfatæ civitatis in loco, cui Camelaria nomen inditum eſt, omni niſu atque conamine fabricare adorſus eſt ex Regula dumtaxat Virorum Sanctorum, id eſt S. Benedicti & S. Cæſarii atque Columbani*: quo loco ipſiſſimam S. Donati Epiſcopi lucubrationem ſeu compilationem intelligendam eſſe veriſimile eſt. Denique in hujus rei confirmationem adduci poteſt teſtimonium ex Actis S. Deſiderii Cadurcenſis Epiſc. petitum in hæc verba: *Nullum eo tempore in urbe Caturca propoſitum Monachi, neque habitus Religionis aut Regulæ cænobialis intraverat: Secta Columbani aberat; Inſtituta S. Benedicti longè diſtabant. Deſiderii autem tempore hæc Secta Caturcæ intravit, & hujus ſub die hæc religio adoleſcere cæpit.*

ad ann. 654. *ad ann. 674.* *To. 2. Bibl. Labbæ.*

XI

Si verò ab hujuſmodi teſtibus ad veterrima chartarum inſtrumenta convertamus oculos, inveniemus primordiales Monaſteriorum litteras huic ſententiæ oppidò ſuffragari. Berteſridus Ambianorum Epiſcopus Monaſterio Corbeienſi conceſſit privilegium immunitatis *anno VII. Chlotarii Regis*, in quo hæc verba: *Illud etiam addi placuit, ut ipſi Monachi ſub Regula S. Benedicti, vel S. Columbani converſari & vivere debeant*: quod etiam Patres Concilii Pariſiaci anno DCCC. XLVI. aperte confirmant. Drauſio Epiſcopus Sueſſionicus in Privilegio Parthenoni B. Mariæ *anno XIV. Regni Chlotarii* dato præcepit, *ut infra Monaſterium Virg nes caſtè Domino debeant militare ſecundùm votum Deum timentium, qui conſtruxerunt Regulam S. Benedicti ad modum Luxovienſis Monaſterii, quod S. Columbanus tenuit*. Id paullò ante ſtatuerat Emmo Senonicus Antiſtes Litteris ſuis in gratiam Monaſterii S. Petri Vivi. *Et quia* inquit, *Vir venerabilis Agilenus Abba unà cum Fratribus ſecum conſiſtentibus de Monaſterio S. Petri & Pauli, quod Domna Teodechildis Regina quondam ſuo opere conſtruxit, vel ipſa ibidem ſuum videtur habere ſepulchrum ſub opidum Senonis civitate, religioſa ſuggeſtionis poſtulatis noſtrarum quippe aurium intima penetravit. Sancto igitur deſiderio ſuccenſi, ſub Regula B. Benedicti & modo Luxovienſis Monaſterii devota mente & integra devotione deliberant conſiſtere, &c. Actum Mauſolaco curte Dominica anno III. Domini noſtri Chlothari Regis*. Hujus Privilegii meminère Clarius in Chronico ad ann. 675. & Odoramnus apud Cheſnium. Quid referam Diploma Chlotarii Regis de Beſuenſi Monaſterio, ubi *Monachi ſub Regula B. Columbani ſeu B. Benedicti adunati* fuiſſe dicuntur? Quid teſtamentum Leodeboldi Abbatis de Cœnobii Floriacenſis ædificatione? Quid chartam Nivonis ſeu Nivardi Remorum Præſulis pro Monaſterio Altivillarenſi commemorem, in quibus Regula SS. Benedicti & Columbani itidem commendantur? Nec ſanè inficior, in nonnullis id genus Inſtrumentis veterrimis quædam reperiri errata, quæ & li-

Sirmond. to. 1. Conc. Gall. p. 502. *To. 2. Spicil. Acheriani.* *To. 1. Spicil.*

brariorum audacia & temporum longinquitas induxit. At tam varios tamque dissitos amanuenses in id quasi coitione facta conspirâsse, ut Columbano Benedictum falsò adjungerent, vix profectò credibile est. Certè Frodoardus Canonicus Remensis in Hist. Rem. lib. 2. de Nivardo agens, *construxit*, inquit, *Monasterium quod dicitur Altumvillare petente Berchario Abbate, ubi cum Fratribus suis sub Regula Patrum S. Benedicti, & S. Columbani vivere posset*. Porrò Frodoardus ineunte sæculo X. florere cœpit, quo tempore primaria ejusdem Monasterii Instrumenta videre potuit.

XII Hæc aliaque id genus argumenta nostros adduxerunt, ut Columbanum & ejus discipulos Benedictinis sodalibus adnumerarent. Quod sanè nequaquam temerè factum, nemo prudens non intelligit. Quamquam Ordericus Vitalis, Monachus Uticensis, lib 8. Hist. Eccles. Columbani quidem discipulos, non tamen Columbanum ipsum Benedictinis subjicit Institutis, eò quòd Columbanum S. Benedicti æqualem fuisse, & S. Maurum Columbano mortuo in Galliam accessisse crediderit. Sic enim de S. Columbano sermonem instituit. *Hic admirandæ sanctitatis Pater Monachilem Regulam edidit, primusque Gallis tradidit. Florentissimi de schola ejus Monachi prodierunt Eustasius Luxoviensis, Agilus Resbacensis, Faro Meldensis, Audomarus Bononiensis, Filibertus Gemeticensis, aliique plures Episcopi & Abbates. Ipsi, reor, B. Maurum ejusque socios & discipulos noverunt, & ab ipsis, sicut ab aliis scripta Doctorum, ædificationis causâ, sancti normam suscepere Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent sui statuta Magistri, almi videlicet Columbani. Ab ipso quidem modum Divinæ servitutis & Ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis Ordinibus, qui in Ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium aliasque observationes sumpserunt, quas pro religione & honestate ipsius tenuerunt & sequaces eorum usque in hodiernum reverenter observare appetunt.* Hoc testimonio nihil manifestius adduci poterat ad stabiliendam sententiam nostram, qua S. Columbani Institutum cum Benedictino coaluisse ab initio diximus, uti & inferiùs demonstraturi sumus.

XIII Non placet hæc concordia Bollandi continuatoribus, qui utrumque Institutum perpetuo divortio (si Deo placet) discretum fuisse contendunt, tum in Comment. prævio ad vitam S. Attalæ Bobiensis, ubi ajunt, „Attalam re„xisse Bobiense Monasterium secundùm Regulam & Institutionem S. Colum„bani: id & posteros diu observâsse, & Institutum S. Columbani à Regula „Benedictina ita differre, atque hoc tempore inter se differunt Constitutiones

21. Martii §. 1. n. 2. „Mendicantium: „ tum in Comment. prævio ad Vitam S. P. Benedicti, ubi Regulæ Benedictinæ propagationem a restauratione Cassinensi per Petronacem facta inceptam fuisse innuunt, & a S. Bonifacio Episcopo Moguntino tentatam in Concilio Liptinensi. „Verùm, inquiunt, frequentiores adhibendæ fue„runt inculcationum machinæ, ut propria & hactenus observata Regula „tolleretur, atque alia à S. Benedicto scripta assumeretur. Qua in re sub Lu„dovico Pio Imperatore anno DCCC. XVII. plurima in Concilio Abbatum „Aquisgrani collecto fuerunt peracta. S. Benedictum Anianæ Abbatem huic „negotio adhibitum, ob idque Concordiam scripsisse Regularum, ut ad am„plectendam Benedicti Regulam animi omnium magis benevoli redderentur, „

2. Febr. n. 15. uti Henschenius commentatur in Vitam S. Benedicti Anianæ Abbatis, quod etiam in Comment. Vitæ S. Cuthberti repetit. Horum ergo sententia est, per

20. Martii n. 13. Benedictum Anianensem Abbatem, curante potissimùm Ludovico Augusto, cœpisse Benedictinæ Regulæ propagationem. Cui sententiæ accedit Carolus Cointius in Annal. Tomo 3. passim, præcipuè anno 667. num 20. Immo neque in Floriacensi Monasterio post S. Benedicti Reliquiarum translationem isthuc

isthuc factam admissa S. Benedicti placita existimat ad ann. 675. n. 2. tum ad ann. 667. n. 5. negat Monasterio Fontanellensi impositam fuisse Benedicti Regulam à S. Vvandregisilo, quòd is in Italico itinere nusquam Cassinum profectus esse dicatur. Quasi aut Cassinense Monasterium eo tempore steterit, aut in Cassinensibus Archiviis S. Benedicti Regula sub clave observata fuerit. Denique ad annum 640. n. 36. subscribit Ferdinando Ughello, affirmanti Regulam S. Benedicti in Cœnobio Bobiensi primùm audiri cœpisse posterioribus sæculis, hoc est Lucio II. Summo Pontifice, medio sæculo XII. Ægrè quidem adducor, ut hisce de rebus concertationes suscipiam: tum quia id genus causarum injucundam ac molestam habet tractationem, tum quia adversus homines de Republica Christiana benemeritos stilum exerere me piget. At cùm videam, eos velut ex condicto ad omnem occasionem eadem repetere; meritò ignaviæ ac socordiæ vitio mihi verteretur, si in propugnando Ordinis nostri honore legitimo minus diligentiæ adhiberem, quam isti in minuendo. Itaque porrectum ab ipsis calamum arripere coactus tria præstabo quam brevissimè. Primùm, quid sentiam de SS. Benedicti & Columbani Institutis in unum collatis, ingenuè ac sincerè exponam. Deinde admisso ea fuisse initio diversa, ambas utriusque Sancti Regulas paullò post, id est procedente sæculo VII. in omnibus pene Monasteriis simul observatas fuisse demonstrabo. Tum demum in confutatione objectorum, unam S. Benedicti Regulam sæculo VIII. in Gallia viguisse, idque potissimum perfecisse Benedictum Abbatem Anianensem.

Et fuit hactenus (ut jam dixi) nostrorum persuasio, ut SS. Benedicti & Columbani normam perpetuò unam fuisse existimaverint. Id negant Socii Bollandiani, contenduntque insuper, S. Benedicti Regulam à Columbani Statutis semper fuisse discretam, nec ante sæculi noni principium B. Columbani Regulam Benedictinæ cessisse. In hacce controversia suffragium meum premere aut dissimulare nec possum, nec debeo. Columbanus (ut mihi videtur) diversum à Benedictino vivendi genus in Galliam invexisse non immeritò dici potest. Primò enim ex Hibernia seu ex Bancorensi Monasterio venit in Galliam, antequàm Regula S. Benedicti in Britanniam Insulam, adeóque in Hiberniam penetravisset. Deinde in Gallia constitutus, Monachis Regulam peculiarem scripsit, quam in Codice Regularum unà cum ipsius Pœnitentiali legere licet. In ea nullum ferè vestigium Benedictinæ Regulæ apparet. Præterea Jonas in Actis Columbani ejusque discipulorum sæpe S. Columbani, nusquam S. Benedicti Regulam memorat. Equidem aliquot in locis *Regulam sanctam* laudat, quo nomine Concilia S. Benedicti Regulam commendare solent. At Jonas Columbani Regulam, quam ipse professus erat, designâsse videtur. Ad hæc Columbanus & Monachi ab eo instituti Scottorum habitum, tonsuram, aliosque ritus præferebant, uti ex Concilio Matisconensi Agrestii causâ coacto apparet. Denique in eo Concilio conquestus est Agrestius, teste Jona in Vita S. Eustasii, quòd *Columbani discipuli à ceterorum more desciscerent*. His argumentis adductus inclinat animus, ut Monasticum B. Columbani genus à Benedicto diversum ac separatum principio fuisse concedam. At utrumque paullò post in unum demum vivendi genus, quibusdam ritibus detractis & temperatis, coaluisse, persuasum mihi est: id quod & rationes superiores, aliæque inferiùs referendæ validissimè adstruunt. Et Columbanus quidem in Italiam profectus, S. Benedicti famâ permotus, ejus Regulam ut se moribus Romanis accommodaret, in suo ipsius Bobiensi Monasterio admisisse, dici haud temerè potest. At in Gallia post Synodum Matisconensem anno DCXXV. XIV

 habi-

habitam Columbani ritibus eamdem Regulam accessisse, nemo jure negârit; Id quomodò factum sit exponere juvat.

XV Agrestius ex Theodorici Francorum Regis Notario Luxoviensis Monachus, *ad ann. 625.* dein apostata & schismaticus, *Beati Columbani Regulam offendit, adversùs Regulam* * *al. livido.* *ejus canino * dente garriens*, ut Jonas in vita S. Eustasii auctor est, *Cùmque nihil profecisset, statuit ut Synodali examinatione probaretur. Emanante ergo Regali auctoritate multi Burgundiæ Episcopi in suburbio Matisconensi conveniunt. Sciscitantur Agrestium, quid adversùs Regulam S. Columbani objiceret. At ille ait, superflua quædam & Canonicæ Institutioni aliena eorum studiis teneri: se suæ Regulæ habere, cochleam quam lamberet crebrò Crucis signo signari, & in ingressu cujuslibet domus intra Cœnobium tam introeundo quàm egrediendo, benedictionem postulare. Columbanum à ceterorum more desciscere*, &c. Eustasii Abbatis responsis confusus Agrestius, *addit garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere exprimi, & omnium more desciscí*, notans videlicet Scotticam tonsuram, quæ dimidiatam coronam reddebat. Scilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam cæsus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus in-*ad ann. 625.* tonsus dependebat, sicuti ex Ceolfridi Abbatis Epistola in Actis S. Eustasii inferiùs probabimus. Eustasius aliis Agrestii calumniis fecit satis: ad tonsuræ accusationem, quia rem dissimulare non poterat, nec aliis forsitan approbari posse putabat, nihil respondit. Quantas turbas in Britannia excitaverit Scottica illa tonsura, aliique Scottorum ritus, testatur Venerabilis Beda passim, præcipuè libro 3. capp. 3. & 4. & lib. 6. cap. 16. Reversus è Concilio Matisconensi Eustasius, ut scandalum de tonsura inusitata aliisque moribus ab Ecclesia Romana alienis excuteret, S. Benedicti Regulam cum Columbani Insti-*num. 69.* tutis conjunxit, quemadmodùm Ludovicum Pium Imperatorem in Monasterio Landevenecensi fecisse, in Præfatione Sæculi I. observavimus. Hinc auctor libri de Vita Beatæ Salabergæ supra laudatus affirmat, sub Valdeberti, qui Eustasio paullò post Concilium successit, regimine, complura Monasteria *ex Regula dumtaxat* SS. Benedicti & Columbani ædificata fuisse: quod etiam S. Donati aliorumque testimoniis confirmavimus. Et certè quis credat Audoënum, Eligium, Nivardum, ex Luxoviensi Monasterio arcessituros fuisse Monachos Simoniacâ distinctos coronâ, quam homines Romanis moribus addicti adeò aversabantur? Neque verò Honorius Papa Bertulfum Abbatem Bobien-*ad ann. 640.* sem cum eo honore, qualem in ipsius Bertulfi vita describit Jonas itineris comes, suscepturus erat, si eatenus detrectâsset Romanis parere moribus, quos tantopere commendatos Romani Pontifices semper esse voluerunt. Ita ergo S. Columbani Institutum cum Benedictino coaluisse ante sæculi VIII. initium videtur, eum ad modum, quo in Cœnobio Atanensi *non modò Cassiani, verùm etiam Basilii & reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam instituerunt, celebratæ sunt Regulæ*, ut Gregorius Turonicus Episcopus auctor est in Hist. lib. 10. cap. 29. Adversariorum argumenta discutiamus.

XVI Bollandiani Socii in id conveniunt, ut Benedictum Anianæ Abbatem velint Regulæ Benedictinæ propagatorem primarium in Gallia, Adjutorem Ludovicum Augustum. At Regulam nostram ante utriusque ætatem ubique per Galliam, immo per Europam fuisse diffusam, pronum est comprobare.

XVII Si ante Concilium Aquisgranense anno DCCC. XVII. jussu Ludovici Pii habitum Regula S. Benedicti per Galliam recepta non erat, ridicula est Caroli Magni interrogatio in Capitulari interrog. *Si in Gallia Monachi fuissent, priusquàm traditio Regulæ S. Benedicti in has Parochias devenisset?* Nec minùs inepta illa, quæ in Brevi subsequente extat: *Inquirendum quâ Regulâ Monachi vixissent*

sent in Gallia, prinsquàm Regula S. Benedicti in ea tradita fuisset: cùm legamus, ii qui sunt, S. Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multò ante S. Benedictum fuit. Cur enim, quæso, viros eruditos adhibebat Carolus Magnus ad id inquirendum, nisi quia jam ante suam ipsius ætatem Regula Benedictina ubique invaluerat? Sanè si res suo tempore acta fuisset, eam non adduxisset in quæstionem homo alioquin rerum suo ævo gestarum haud ignarus. Carolo Magno successit Albinus Alcuinus Flaccus, ejus Præceptor, aliquot annis ante ipsum mortuus, in Epigr. 112. de S. Benedicto agens hoc Disticho:

Turba Monachorum celebrat te Sancta per orbem,
Quorum vita fuit famine scripta tuo.

Quis ferat hanc Alcuini sententiam, si unum aut alterum dumtaxat Monasterium in Gallia, nec plura in Britannia, S. Benedicti leges sectabantur? Hæc quidem sufficere debuerant ad propositæ quæstionis illustrationem: at ex ipsis Benedicti Anianensis Actis controversia dirimenda est.

S. Ardo seu Smaragdus, ejusdem Benedicti Anianensis discipulus & Vitæ scriptor, hæc de Præceptore suo commemorat: *Dedit autem cor suum ad investigandam B. Benedicti Regulam, eamque ut intelligere posset satagens, circuivit Monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat.* Ergo passim in Monasteriis Gallicanis antea servabatur Regula Benedictina: alias incassum Benedictus Anianensis Monasteria perlustrabat, ut ejus praxim usumque exploraret. Quis enim Benedictinæ Regulæ studiosus indagator, Augustinianorum aliave Religiosorum hominum collegia adeat, ut ejusdem Regulæ usus & observationes percipiat? Porrò necdum Benedictus ille Anianæ Abbas Concordiam suam scripserat. Sic enim subdit Ardo: *Et omnium Sanctorum quascumque invenire potuit Regulas congregavit, normamque utilem & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas.* Audire mihi videor quemdam insusurrantem, alias Patrum Regulas in Gallicanis Cœnobiis a prædicto Abbate repertas: eas proinde isthic observatas fuisse. Id ejusmodi est, quasi si quis inventâ apud Dominicanos S. Benedicti Regulâ, continuò eos Benedictinos esse proclamet. Si adhuc hærere pergis, audi Ardonem causæ nostræ amplius patrocinantem. *Præfecit eum quoque* (scilicet Benedictum Anianensem) *Imperator Ludovicus cunctis in Regno suo Cœnobiis. Multa denique Monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta: sed paullatim tepescente rigore Regularis penè deperierat Ordo. Ut autem sicut una omnium erat Professio, fieret quoque omnium Monasteriorum salubris una consuetudo, jubente Imperatore aggregatis Cœnobiorum Patribus unà cum quàm pluribus Monachis per plures resedit dies. Omnibus ergo simul positis Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines, assentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitulare Institutum Imperatori confirmandum prabuit, ut omnibus in Regno suo positis Monasteriis observare præciperet. Cui protinus Imperator adsensum præbuit. Perfectum itaque propagatumque est opus Divina opitulante misericordia, & una cunctis generaliter observatur Regula, cunctaque Monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, acsi ab uno Magistro & in uno imbuerentur loco.* Hæc paullò fusiùs retuli, quòd Henschenius eodem loco abutitur, ut opinionem suam fulciat. Huc æquorum hominum, immo Henschenii ipsius fidem appello. Ludovicus Augustus non duobus aut tribus, *sed cunctis in Regno suo Monasteriis*, Benedictum Anianensem præficit: Synodum cogit, *ut sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium Monasteriorum salubris una consuetudo.* Ergo antè una erat Professio in cunctis Galliæ Monasteriis. Separata erant ab invicem

XVIII *Bolland. 2. Febr. n. 25.* *num. 36.*

Mo-

Monasteria, diversis addicta ritibus; alii aliter Regulam Benedictinam interpretabantur, in plerisque Ordo Regularis pænè deperierat. Concilium indicit Imperator; de abdicandis S. Columbani aliorumve Patrum Regulis verbum nullum. Benedictinæ Regulæ dubia explicantur, consuetudines diversæ conciliantur; pravæ reformantur, meliores constituuntur, admittuntur ubique: Abbas omnibus unus providet Benedictus, Anianensis Monasterii Rector. Quis hoc de primaria Regulæ receptione, non de Monasteriorum reformatione & modo vivendi uniformi explicare absque gravi errore possit? Sanè Ardo in consequentibus idem exponens, seu potiùs Monachi Indenses in Epistola sua de obitu sui Benedicti; *Hic est Benedictus*, inquiunt, *per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam S. Benedicti restauravit*. Restauravit, inquam, hoc est in integrum restituit, & ita *in omni Regno Francorum* observandam curavit, ut olim fuerat observata. Jam ergo ante illum *in omni Regno Francorum* hæc eadem Regula stabilita fuerat. Nemo quippe restaurat, quod non antè extitit. At Benedictus hic sæpè laudatus Monachum in Cœnobio S. Sequani induit anno DCC.LXXIII. siquidem post annos Professionis octo supra quadraginta, supremum diem absolvit anno DCCC.XXI. Ergo ante medium sæculum VIII. Regula Sancta *in omni Regno Francorum* recepta erat. Neque demum Caroli Martelli aut tandem filii ejus Pippini Principatu Ordo Benedictinus in Cœnobiis Gallicanis florere cœpit. Quin potiùs ob bellorum tempestates Monasteria desolata, sæcularibus viris in beneficium attributa, denique omni ferme Religionis cultu & observatione destituta sunt. Hinc mali labes, ob quam *Regularis Ordo penè deperiisse* ab Ardone dicitur. Longè proinde ante Monasterii Cassinensis instaurationem per Petronacem Gregorio tertio Romano Pontifice peractam per Galliam vigebat Ordo noster: aliàs qui fieri potuisset, ut ab anno DCC.XL., quo Cassinensis restitutio perfecta est, ad annum DCC.LXXIII. quo Benedictus Gallus Monasticum habitum sumpsit, hoc est intra annorum triginta trium spatium Regularis Ordo S. Benedicti primùm quidem ubique admitti, exin florere, demum abjecto omnis pænè Religionis cultu in omnibus Monasteriis deperire potuerit? Et tamen ista approbare coguntur Adversarii, si idem Ordo per Galliam à Cassinensi dumtaxat instauratione propagari cœpit. Verùm quid tandem respondebunt ad canonem 15. Concilii Augustodunensis anno circà DC.LXV. habiti, quo statuitur de *Abbatibus & Monachis, aut quidquid Canonicus Ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant*. Reponent fortasse, mirum non esse, si Leodegarius, qui Regulam S. Benedicti in Maxentiano Pictonum Monasterio observari viderat Abbas, eamdem Regulam jam Episcopus Monachis Augustodunensis Diœcesis imponere curavit, (sic enim ferè Carolus Cointius reponit;) nec tamen constare, an Monachi ipsi istam Regulam admiserint. Bene est. Jam ergo Regula S. Benedicti a Maxentianis Monachis medio sæculo VII. recepta erat, an verò ab ipsis solis? probent Adversarii: nos verò ab aliis etiam receptam interim probamus. Et Concilium Augustodunense Regulam S. Benedicti non imponit Monachis, sed eam ab iis *impleri*, *custodiri*, *conservari* exigit. Neque solent Ecclesiæ Patres Regulas legitimè susceptas & probatas, qualis fuit S. Columbani Regula, è Monasteriis eliminare; nec Monachos ad alienum Institutum, sed ad proprium religiosè observandum inducere.

Le Cointe ad ann. 663. n. 18.

XIX Denique ut manifestum fiat, Benedictum Anianensem Concordiæ librum non consarcinâsse, quò ad amplectendam Benedictinam Regulam (ut Henschenius opinatur) animi omnium magis benevoli redderentur; Concordiæ opus nuncupat *Abbatibus & Monachis omnibus*, objicitque sibi ea, quæ à tepidis

dis fegnibufque Monachis dici folent: *Quid cetera huic conferant Regulæ? quid ad me quas non promiſi pertinet legere?* Sanè fi Regula S. Columbani vel alius cujufvis è Patribus in Gallicanis Monafteriis tum vigebat, abfurda fuiffet hæc objectio: Vovi Regulam S. Benedicti, aliæ Regulæ quid ad me? Immo fi Concordiæ auctor alieni Inftituti Monachos ad S. Benedicti leges pertrahere in animo habebat, opponere fibi debuerat B. Columbani Monachos: Quid ad me quam non promifi Regulam S. Benedicti pertinet legere? Denique idem Concordiæ concinnator in Præfatione metrica Monachos univerfim monet, ut monita fancta quæ in Regula Benedictina eatenus affiduè lectitaverant tum aliorum Patrum teftimoniis confirmata fufcipiant.

Sumite hac Monachi monita, quæ Regula Sancta
Vos monet aſſiduè.

Cùm ergo *Monachis & Abbatibus omnibus* lucubrationem fuam Auctor infcribat, innuatque *Regulam Sanctam*, id eft Regulam S. Benedicti eatenus ab ipfis affiduè frequentatam; planè non aliis quam Benedictinis Monachis, qui tum foli *in omni Regno Francorum* erant, opus fuum dirigit.

Ex his fatis, fi quid fapio, refutata manet Adverfariorum de fera Benedictinæ Regulæ propagatione opinio. Nec tamen ea, quæ adducta funt argumenta, aliaque id genus non pauca ignorare potuerunt viri oculatiffimi: at quâ causâ factum fit, ut in contrariam abierint fententiam, divinare nec poffim, nec velim. Supereft, ut Caroli Cointii objectis nonnullis faciamus fatis. XX

S. Vvandregifilus, fi Cointio affirmanti credimus, non S. Benedicti, fed potiùs S. Columbani, immo diverforum Patrum Regulam Fontanellenfi Monafterio præfcripfit. Atque ut omnem auferat dubitationem, teftem adducit Aigradum Monachum, qui in Vita S. Anfberti laudat Landbertum Abbatem, quòd in regendo Fontanellenfi Monafterio cuncta ftrenuè atque irreprehenfibiliter *fecundùm normam Sanctorum Patrum* gefferit. Verùm obfervare debuerat Vir eruditiffimus, hoc vocabulum rectè convenire Regulæ S. Benedicti, quæ antonomafticòs *Regula SS. Patrum* nonnunquam appellatur. Et ne longiùs funem ducam, liber antiquus qui *Ordo Romanus* infcriptus eft, hoc nomine Regulam S. Benedicti defignat. Nimirum in capite *de Ordinatione Abbatis* præmiffis verbis Theodori fubjicitur hæc *Allocutio. Eccleſia noſtra, Fratres cariſſimi, Pater electus ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Unde Apoſtolica priùs cenſemus eum auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & S. Benedicti Regulam ſi velit ipſe obſervare*, &c. Et longè infrà poft Abbatis confecrationem: *Tunc det ei Regulam dicens: Accipe Regulam à SS. Patribus nobis traditam ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum. Accipe Monaſticæ converſationis Regulam*, &c. En Regula S. Benedicti dicitur *Regula à SS. Patribus tradita*, nempe quòd à viris fanctitate ac dignitate præftantibus quam plurimis eoufque per manus tradita fuerat. Porrò fcriptus eft liber ille *de Ordine Romano* circiter Pippini Regis Principatum. Jam ergo ante illud tempus Regula noftra eam auctoritatem obtinuerat, ut *Regula Sanctorum Patrum*, feu (quod idem eft) *Regula à SS. Patribus tradita* vocaretur, ob præftantiam fcilicet SS. Monachorum, qui illam fervaverant. Et tamen Adverfarii noftri unum S. Maurum, & fortaffe pauciffimos difcipulos, agnofcunt Regulæ Benedictinæ primarios cultores adufque Ludovici Augufti cognomento Pii Imperium, quo tempore Ordinis noftri (fi Superis placet) incrementa locant. At fi Aigradi teftimonia de Regula per S. Vvandregifilum Fontanellæ inftituta probat Cointius, probet etiam neceffe eft, quod S. Vvandregifilus Anfberto Fontanellam primùm accedentem XXI *LeCointe ad ann. 667. n. 3.*

den-

denti auctoritatem Regulæ S. Benedicti proponit. Ansberti quippe *postulationem audiens, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle: ut sicut Apostolica & Monastica docet Regula, sciret ad quid venerat*. Quibus sanè verbis intelligit Regulam S. Benedicti, quam *Regulam Monasticam* per excellentiam vocat, id cap. 58. præcipientem. Accedit auctoritas Chronographi Fontanellensis, qui Ludovico Pio imperante opus suum absolvit, ita scribentis de Teutsindo Abbate cap. 9. *Ab isto tempore, quo lugendus iste regiminis suscepit locum, status vitæ innocentis, quem in eodem Cœnobio secundùm eximii P. Benedicti normam excolendum fore B. P. Vvandregisilus instituerat, ob inopias plurimas fluctuare cæpit.* Vides mentem istius Auctoris esse, *normam S. Benedicti* apud Fontanellam primitus institutam a Vvandregisilo fuisse. Denique neque Lantbertus neque Ansbertus Vvandregisili successores vivendi genus a Patre suo institutum mutaverunt. Porrò ne deinceps mutaretur, Ansbertus jam Episcopus teste Aigrado, in Synodo Rotomagensi statuit, *ut sicuti sub ejus regimine, ita inantea & ipsi & posteri eorum secundùm Regulam S. Patris Benedicti fideliter Christo deservirent*. Ergo antea sub ejus regimine Regula S. Patris Benedicti illic servabatur. Proferant ergo Adversarii validum aliquod argumentum, quo Ansbertum Regulæ Benedictinæ Fontanellam inductæ auctorem demonstrent: sin minùs, verbis ludere desinant.

XXII Venio ad Cœnobium Bobiense, in quo (si Ferdinando Ughello ejusque approbatori Carolo Cointio credimus) postremis temporibus Regulam S. Benedicti receptam fuisse, ratum est. Theodorus Papa in Litteris Privilegii Bobuleno Abbati Bobiensi concessi meminit *Regulæ sanctæ memoriæ Benedicti*. Ughellus interpolationem in hæc verba irrepsisse dicit, additque nullum de S. Benedicti Regula testimonium ante Lucii II. Pontificatum in monumentis Bobiensibus extare. Ughello Cointius supplaudit. Verùm esto, nulla extet mentio Regulæ Benedictinæ in aliis ante Lucium diplomatis; an propterea interpolata Theodori bulla dici debet? Ughellus tabulas Bobienses, adeoque Pontificia diplomata revolvit, ac diligenter (ut quidem opinor) inspexit. Unas Theodori & Lucii II. Litteras vulgavit cum variis Regum & Imperatorum Privilegiis: de ceteris cùm ea videre mihi non licuerit, nec sententiam ferre licet. Alios proinde auctores consulo: & ecce mihi Gerberti, Bobiensis quondam Abbatis, postea Romani Pontificis epistolas legenti occurrit epistola octava decima, in qua ferè duobus ante Lucium II. sæculis Regulæ nostræ apud Bobienses præclarum extat testimonium. Gerbertus siquidem labente sæculo X. scribens ad Bobienses suos, sic eos compellat: *Qui Regulam S. Benedicti professi estis & Pastorem deferendum abjecistis, colla tyrannis sponte subdidistis*. Interpolationem, opinor, non causabitur Ughellus, aut ejus quivis secutor hoc loco, quo nihil afferri luculentius potest. At fortasse reponent, Gerbertum ex Floriacensi (ut ajunt) Monacho Abbatem Bobiensem, rejectâ S. Columbani Regulâ, Benedictinam Bobio primùm imposuisse. Bona verba quæso: longè aliter res se habet. Monachus quidam Bobiensis anonymus librum de Miraculis S. Columbani a nobis hic primùm editum composuit ante medium sæculum

ad ann. 615. X. in cujus libri cap. 23. Auctor laudat *privilegia S. Sedis Apostolicæ, Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ, & aliorum* Monasterio Bobiensi concessa, è quibus Auctor recitat fragmentum privilegii Theodori Papæ, inter alia decernentis, *ut si Monachi Bobienses tepidi in Dei amore & in Institutis Patrum torpentes quandoque existant, secundùm Regulam ab Abbate, id est à P. Monasterii corrigi debeant. Si autem & ipse Abbas in ignavia aliqua contra Instituta Patrum & Regulæ tenorem fuerit deprehensus, & in aliquam sinistram partem* incli-

inclinatus, à Sede Apostolica, sub cujus constitutione consistit, corrigatur, &c. Ex his Theodori verbis apud Ughellum vitiatis intelligimus, Theodori privilegium à prædicto miraculorum scriptore visum ac lectum, uti nunc se habet, si paucas Ughellanæ editionis mendas excipias. Deinde Regulæ nomine intellexit Auctor Regulam S. Benedicti, id quod probare facile esset, si non ipse disertè exprimeret his verbis subsequentibus in Episcopum Terdonensem aut Placentinum intortis: *Non vales tuum Episcopatum regere, & Monachos secundùm Regulam S. Benedicti gubernare.* Denique hoc argumento Ughellum convenimus. Monachus Bobiensis anonymus, qui ineunte Sæculo X. vixit, Theodori privilegium eo modo legit, quo in chartis Bobiensibus exstat. In eo mentio *Regulæ S. Benedicti* expressis verbis habetur. Vigebat ergo Regula hæc in Bobiensi Monasterio, Theodoro Pontifice, *Constantini anno secundo, consulatûs primo, Indict. I.* (hi sunt chronologici Bullæ characteres) id est anno Christi DC. XLIII. quum Bobulenus Abbas Monachis Bobiensibus præerat. Nec interpolationem objicere possunt Adversarii, nisi eam certis documentis probent.

Ecquid mirum, si Bobiense Monasterium Regulam S. Benedicti admiserit exemplo Luxoviensium Monachorum, quos statim à Concilio Matisconensi paruisse legibus Benedictinis superiùs probavimus? An fortassis Adversarii id etiam de Luxovio negare pergent? Facilis refutatio. Ludovicus Pius *anno IV. Imperii sui Luxovium famosum in Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure contulit Ansegiso* Abbati Fontanellensi, teste Chronographo Fontanellensi ejus æquali c. 16. qui Ansegisus cùm animadverteret, *uti ex desidia piorum Patrum* Fontanellensium, *qui gregis sibi commissi curam jam devotè gesserant, status almæ Regulæ P. Benedicti jam quasi casurus videbatur; ex Luxovio Cœnobio, quod in Galliarum terris in Religione ac Regulari disciplina non inferius usque ad præsens videbatur, Monachos Deum timentes virosque religiosos secum huc* (Fontanellam) *adduxit, qui & legem isthic Monachorum docerent, & exempla salubria ostenderent: licèt olim à viro justo Benedicto Fossatensi Abbate eruditi in hac Philosophia fore * viderentur.* Hinc conficimus, Luxoviense Monasterium, uti & Fossatense, ineunte sæculo IX. Benedictinis Institutis paruisse. De Luxoviensi disertè confirmat S. Eligius in charta pro Monasterio Sollemniacensi hic in Appendice edita: ubi Sollemniacense Asceterium dotatum à se dicit *ea interposita conditione, ut* Monachi *tramitem Religionis sanctorum Virorum Luxoviensis Monasterii consequantur, & Regulam Beatissimorum Patrum S. Benedicti & Columbani firmiter teneant:* obtestaturque Remaclum Abbatem & successores, *ut Regulam supradictorum Patrum, quam in sæpè memorato Luxovio Monasterio tenent, omni custodia teneant.* Quo quid clarius proferri possit non video. Sanè si Regula S. Benedicti in Monasteriis Luxoviensi & Habendensi seu Romaricensi recepta non fuisset ante principatum Caroli Magni, Chrodegangus Mettensis Episcopus, Pippini Francorum Regis æqualis, non aliam quam S. Columbani Regulam a Monasteriis illis vicinis acceptam præscripsisset duobus Cœnobiis ab se conditis. Et tamen auctore Paulo Vvarnefridi in lib. de Mettens. Episc. S. Benedicti Monachos in istis constituit, non aliunde sinè dubio quam e Luxovio arcessitos. *Chrodegangus* (inquit Paulus) *construxit Monasterium in Parochia B. Stephani in pago Mosellensi in honore Beatissimi Petri Apostoli, & ditavit illud opibus magnis, Monachosque ibi constituit, atque sub Regula S. P. Benedicti in una charitate conjunxit. Construxit etiam alterum Monasterium, quod Gorzia vocatur, ubi pari modo non minimam multitudinem adunavit Monachorum.* Quid, quod Pippinus ipse Monasterio S. Galli per Othmarum Abbatem restituto, non S. Columbani, sed *libellum quem Bened. ctus Pater de Cœnobitarum conversatio-*

XXIII

To. 3. Spicil. Acheriani.

* esse.

I ne

ne compofuerat, eidem Abbati tradidit, tefte Vvalafrido Strabo in lib 2. de Vita S. Galli cap. II. & Gallenfe Monafterium ab ipfa fui inftauratione Regulæ Benedictinæ numquam non adhæfiffe ex Ratperto, Ekkehardo, Vvalafrido, aliifque domefticis auctoribus manifeftè intelligitur. Neque dicas libelli prædicti nomine intelligi Concordiam Regularum. Pippini fiquidem principatu Benedictus Anianenfis Concordiæ auctor necdum Monachum induerat. Cur ergo Pippinus non S. Columbani Regulam, fiquidem eatenus viguiffet à norma S. Benedicti aliena; cur, inquam, eam non impofuit Monafterio S. Galli, qui Columbani difcipulus addictiffimus fuerat, nifi quia ante octavum fæculum utriufque legumlatoris, Benedicti fcilicet & Columbani, Inftituta jam in unum coaluerant, immo jam Benedicti Regula fola audiri ac exerceri cœperat? Verùm Columbano noftris partibus vindicato, ad Amandum convertatur oratio.

§. II.

De Monaftici ftatus antiquitate in Belgio, ejufdemque per S. Amandum propagatione.

XXIV Ordinis Cœnobitici in Gallia Belgica probat antiquitatem S. Paulinus Nolanus Epifcopus in Epiftola 28. ad Victricium Rotomagenfem Epifcopum his verbis: *Et nunc in terra Morinorum fitu orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui fedebant in latebris, viâ maris arenosâ extra Jordanem, antequàm pinguefcerent fines deferti in ea, orta fibi per tuam Sanctitatem à Domino luce gaudentes, corda afpera Chrifto intrante pofuerunt. Ubi quondam deferta filvarum ac litorum pariter intuta advenæ Barbari aut latrones incolæ frequentabant; nunc venerabiles & Angelici Sanctorum Chori urbes, opida, infulas, filvas Ecclefiis & Monafteriis numerofis plebe confona celebrant*. Et S. Treverius Monachus *ex genere Nortmannorum Caturcinenfi territorio ortus, in pago Tarovvanenfi Monafterium, quod in fuburbio Tarovvanicæ urbis fitum erat, expetiiffe* fæculo VI. dicitur. Parùm exculta fuit in Belgio Monaftica Religio adufque fæculum VII., quo per S. Amandum & Audomarum eorumque difcipulos magnum incrementum cepit. Audomarus eductus fuerat ex Luxovienfi Afceterio, ex Turonico S. Amandus, cujus de Inftituto modò agere propofui.

Bolland. 16. Jan.

XXV Amandus *cùm jam adolefcentiam tranfiens, in robur migraret virile*; parentes, patriamque relinquens, *ad Ogiam infulam*, Rupellæ proximam, *navigans, tandem portum Monafterii petiit*, ficuti fcribit in ejus vita Baudemundus. Amandum ifthic fufceptum, necdum tamen Monachum factum *cœpit pater ejus blandis fermonibus irretire, ut quantociùs de Monafterio egrederetur*. At Amandus *in eodem permanens defiderio, relicto folo parentibufque, Turonis ad fepulchrum Sanctiffimi petiit Martini. Cùm ab oratione furrexiffet, ftatim comam capitis fui abfcidit, adeptufque Clericatûs honorem, omnem gratiam transfcendebat in Clero*. Poftea *ab Abbate ipfius loci & à Fratribus benedictione percepta, civitatem Bituricas ad Sanctum petiit Auftregifilum*. Ab eo Sanctoque Sulpicio *clementiffimè fufceptus, in cellula juxta Ecclefiam tribus ferè militavit luftris*. Dein *incidit ei cogitatio*

ad ann. 679.

tio, ut ad limina Apostolorum properare deberet. Reversus in Gallias, *coactus à Rege & Sacerdotibus Episcopus ordinatus est. Accepto Pontificatûs honore, Gentibus verbum Domini evangelizare cœpit*, nimirum Gandensibus, Tornacensibus, aliisque Galliæ Belgicæ populis, ubi varia Monasteria, in his præcipua Gandense, posteà Bavonianum dictum, Blandiniense & Elnonense excitavit. Carolus Cointius opinatur, Clericos in Gandensi & Blandiniensi Ecclesia primùm institutos, quibus post annos circà duodecim Monachi successerint: in Elnonensi verò non aliam quàm S. Columbani Regulam propositam fuisse. Mirum est, quàm solicitus sit Vir eruditissimus, ut S. Columbano discipulos undequaque conquisitos supponat, adimat Benedicto: quod ægrè quidem profero adversùs hominem, cujus amicitiam uti & eruditionem colo. Nec me movet, quòd Sodales nostros tam anxio delectu ab extraneis secernat, dummodo sententiam suam bene probet. Sicut enim nullum SS. Monachorum alienum à nobis reputamus; ita subditicium, si fieri possit, neminem nobis arrogare studemus. Duo in præsens probare contendo, nempe Amandum in S. Benedicti leges juràsse, nec aliam quam S. Benedicti Regulam * Monasteriis ab se conditis imposuisse: tum Monachos in utroque Cœnobio Gandavensi, non Clericos, a primordiis extitisse.

**Hinc tamen non excludo ritus S. Columbani, quos unà cum S. Benedicti Regula in Cœnobio Barisiaco à se institutos dicit S. Amãdus in quadam charta à nobis in fine tomi 2. edita.*

XXVI

Amandus in Turonico S. Martini Monasterio *Clericatûs honorem*, id est tonsuram ac vestes Monasticas suscepit. Huc spectare videtur Alcuinus in Epigr. 59. de Martiniana Basilica agens, postremo hocce disticho:

Dum sanctus Præsul hic inhabitavit Amandus
Crevit honor Patris, crevit & iste locus.

In Præfatione Sæculi primi jam adduxi Ibbonis Episcopi Turonici litteras ad Guntramnum ejusdem Cœnobii Abbatem, quibus jubet Ibbo, *ut si Abbas ab hac luce discesserit, alius per electionem memorati Congregationis Monasterii, quorum vita perfecta credetur, sicut Regula S. Benedicti edocet, in eorum consensu solidetur: sicut & auctoritas Papæ urbis Romæ Adeodati continet per privilegii seriem*. Subscribit *Ibbo peccator Episcopus integra voluntate & devotione ad Monasterium S. Martini, ubi Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conversari videntur*. Istud privilegium in suspicionem interpolationis vocari non potest. Cùm enim ex ejusdem Ecclesiæ Archivis depromptum sit, constetque Monachos exinde Caroli Magni principatu deturbatos fuisse; non potest dici à Canonicis subornatum fuisse in gratiam Regulæ Benedictinæ, cujus mentio Canonicis tanti non est. Ibboni præiverat Berto seu Bertus, in Actis S. Leodegarii Episcopi Augustodunensis laudatus, qui anno circà DC. XXC. confirmavit privilegium Basilicæ Martinianæ a Chrotberto decessore suo concessum eo pacto, ut Monachis eligendi Abbatem *secundùm Regulam S. Benedicti* faceret copiam. In eadem Basilica perseveràsse Monachos usque ad tempus Alcuini, eodem loco probavimus: cujus rei etiam fidem facit ejusdem Auctoris Epistola 31. *Sanctissimis Fratribus & B. Martino servientibus* directa, in qua eos ad humilitatem aliasque virtutes exhortans. *Per humilitatem*, inquit, *obedientiam, & caritatem Monachus cœlum ascendit. Non est igitur laudabile in vestimentis habitum imitari Patrum, sinè observatione Mandatorum, quæ illi statuerunt*. Porrò Monachos Turonenses Benedictinis Sodalibus se primos adjunxisse, utpote vicinos Glannafoliensi Cœnobio, verisimilius est, quam eos de Luxoviensium remotiorum Instituto cogitàsse. Ergo Amandus in Turonico S. Martini Cœnobio Benedictinas Leges didicit, ibi Monasticum habitum induit.

Had. Vales. in discept. de Basil. & in ejusdem defens. probat in Monasterio B. Martini olim Monachos fuisse.

XXVII

Nec obstat, quòd Amandus *Clericatûs honorem* isthic accepisse dicitur. Hoc enim loquendi genere antiqui scriptores Monasticam tonsuram ac sollem-

Lege Vales. ibid.

nem habitûs Religiosi susceptionem non rarò designabant. Huc testimonia quædam conferre juvat. Aredius Abbas Lemovicinus *construxit templa*, teste Gregorio Turon. Episc. in lib. 10. Hist. cap. 29. *ac ex familia propria tonsuratos instituit Monachos*. Et tamen Gregorius ipse in libro 2. de Gl. Martyr. cap. 28. ejusdem Aredii Monachum appellat *Clericum Aredii Lemovicini Abbatis*. Et ne quis de Clerico sæculari in ejus Monasterio degente id interpretetur, eumdem Clericum postea *Monachum* vocat. *Quod ne quis dubitet*, inquit, *testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius Abbatis hæc ore cognovi, apud cujus Monachum hæc gesta sunt*. Præterea in libro de Gl. Conf. cap. 82. idem Auctor de S. Eusichio Recluso, *qui tamquam Eremita inter spinarum condensitatem ab hominum se familiaritate removerat*, hæc inserit: *Habebant Clerici ejus* (id est Monachi) *duo vasa apum* &c. Gregorius item auctor est in lib. de Vita PP. cap. 6. Gallum nobilem Arvernum, *Monasterium Crononense sexto milliario ab Arverna urbe expetiisse*, ac suppliciter Abbatem exorâsse, *ut sibi comam capitis tondere dignaretur*. Abbas quum rem patri ejus haud ingratam fore cognovit, *puerum Clericum fecit*. Et S. Chlodoaldus *postpositum* * *regnum terrenum, ad Dominum transisse, & sibi manu propria capillos radens, Clericus* (id est Monachus) *factus esse*, dicitur in ejusdem Gregorii lib. 3. Hist. cap. 18. Denique in lib. 1. de Gl. Martyrum cap. 76. puerum quemdam in Monasterio Agaunensi *Clericum factum, cum reliquis Clericis, & inter choros psallentium Monachorum* post obitum cecinisse, Gregorius affirmat. Gregorio complures alii Auctores suffragamur. Conditor libri de Gestis S. Marculfi Abbatis Nantensis commemorat, Marculfum Childebertum Regem sub finem vitæ adiisse apud Compendium villam Regiam: in eoque itinere, dum lepus, quem Regii venatores insequebantur, confugisset ad Virum sanctum, per contumeliam illusum fuisse his verbis: *Qua temeritate Clerice*, (sic Marculfum Monachum, & Monachorum Patrem cognominabant) *venationem Regis invadere præsumpsisti?* Jonas sæculi VII. Auctor haud ignobilis, in vita S. Columbani eodem sensu *Clerici* vocem usurpat, dum inducit Columbanum Theodeberto Austriæ Regi suadentem, *ut à bello desistat, seque Clericum faciens sacræ Religioni subderetur*. Vvandregisilus referente Aigrado in Actis S. Ansberti Rotomagensis Episcopi, Ansbertum Monachum fieri postulantem, *Clericatûs honore decorabilem reddidisse* fertur. Auctor antiquus & gravis, qui vitam S. Sigolenæ litteris mandavit, miraculum *de Clerico dæmoniaco* (sic enim capituli inscriptio præfert) liberato his verbis exprimit cap. 16. *Illo tempore quidam juvenis Dadulfus nomine sub professione Monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit --- Exigentibus meritis correptus à dæmone est --- ad Sanctam defertur curandus*. En qui *Clericus* in titulo capitis nominatur, in ipso contextu *professionem Monachi* moribus mentitus dicitur. His testibus accedit Chronographus Fontanellensis Cœnobii, Ludovici Pii æqualis, qui cap. 13. *Hardoinum hoc in Cœnobio Clericatûs suscepisse habitum* scribit. Quin etiam idem Auctor Monachorum Collegium *Clerum* appellat cap. 16. *Sicut illi*, inquit, Vvandregisilus nimirum & Ansbertus, Fontanellense Monasterium *in exordio sui ædificiis nobilitaverunt, Clerum auxerunt; ita iste* (Ansegisus) *diruta emendare studuit, Clerum nobilissimè auxit*.

* pro postposito.

Sæc. I. ad ann. 556.

num. 57. ad ann. 615.

ad ann. 697.

To. 3. Spicil. Acherii.

XXVIII Plura id genus testimonia huic rei affirmandæ congerere possem; at ista, opinor, sufficient ad refellendam eorum sententiam, qui ubicumque *Clerici* nomen expressum legerint, Clericos sæculares non Monachos intelligi opinantur. Quod in erratum incidit Theodoricus Abbas Trudonianus in Vita S. Bavonis à se scripta; pertraxitque alios in idem mendum, qui ex primarii scriptoris Vitæ S. Bavonis verbis malè intellectis tradiderunt, Clericos Gandæ Mona-

naste-

nasterio primitùs à S. Amando fuisse impositos, posteà Monachos successisse, quibus Florbertus Abbas præfectus sit. Id Molanus in lib. de Natal. SS. Belgii de Ganda Monasterio admittit: quod Carolus Cointius ad Blandiniense Cœnobium extendit, eò quòd Clericorum longè utilior (uti ipse putat) quàm Monachorum erat opera Episcopo verbum Dei per vicinam regionem disseminanti. Et tamen Gregorius Magnus in expeditionem Britannicam Monachos, non Clericos direxit: nec aliis quàm Monachis Germania, sicut & Britanniæ Insulæ pars magna, aliæque Provinciæ complures, Fidei restitutæ primitias referunt acceptas. Quod citra invidiam interim sit dictum. Clericorum operam Ecclesiæ utilissimam laudamus. Sed quid juvat Monachos deprimere, ut Clericos extollas? Utrosque Operarios messis Dominica recipit, & locupletat. Redeo ad rem. Consulamus Auctorem primarium Vitæ S. Bavonis, quem è tenebris nunc primum eruimus, ut resciamus, quid Clericorum nomine intelligat, Monachos an Clericos sæculares. En ejus verba: *Deo etiam annuente Clericorum Cœnobium in ipso castro Gandavo honorificè est constructum, ubi die noctuque laus à Fidelibus decantatur. His expletis in eodem Monasterio B. Confessor Bavo comam capitis sui abscidi deprecatus est: & adeptus venerandi Pontificis* (Amandi) *manibus Clericatûs honorem, meruit fieri consors Apostolorum*, id est Apostolicæ institutionis: quod præcipuè convenit Monachis, quos Apostolicæ vitæ imitatores S. Bernardus aliique permulti appellant. Mentem suam Auctor in consequentibus clariùs exprimit. *Dimisit comam capitis & invenit coronam gloriæ: reliquit vestimenta sæcularia, & suscepit stolam candidam: reliquit pompam hujus mundi, & indutus est loricam fidei.* Quibus verbis scriptor iste religiosas vestes ac tonsuram satis exprimit. At paullò post disertè enuntiat, *Clericorum* vocabulo non tantùm Monachos à se intellectos, sed etiam Monachos Regulam S. Benedicti institutos. *Ergo Allovvinus vir Dei reversus ad supradictum Castrum Gandavum, ad venerabilem virum Florbertum Abbatem, quem Almus Pontifex Amandus ibidem constituit super Gregem Clericorum Rectorem, petiit eum sibi humiliter cellulam, in qua familiariter Domini misericordiam pro facinoribus suis deprecaretur, largiri.* Ergo Florbertus Abbas erat, antequàm Bavo tonsuram acciperet: nam ab eo tempore Amandus Gandavum regressus non erat. Et Reclusi illic admittebantur, quod in Clericorum sæcularium Collegiis rarius usitatum. Audi ampliùs. *Ut verò pius Pater ejus petitionem audivit, cum gaudio suscepit: & ejusdem Fratribus Monasterii juxta præceptum pii Patris Benedicti convocata omni Congregatione ejus patefecit preces, ut forsitan juniori revelatum fuisset*, &c. Quæ postrema verba deprompta sunt ex cap. 3. Regulæ Benedictinæ, cujus *præcepto* in isto facto paruisse Florbertus dicitur. Denique Florberti discipuli ad obedientiam seu ad laborem manualem, cellæ gratiâ S. Bavoni extruendæ, exiisse dicuntur: quod Monachis aptari necesse est. Sed quid pluribus immoror? quando Adversarii Monachis, non Clericis præfuisse concedunt Florbertum, quem tamen *Clericorum Rectorem* fuisse auctor sentit: quo nomine proinde Monachos (uti ex aliis etiam ipsius verbis apparet) intelligit. Nec aliam quæras causam, cur S. Bavo, qui statim atque in Monachum attonsus est, Amando prædicationis socium se adjunxerat, *per suprascriptum Pontificem sibi licentiam dari petiit, Monasteria circuire Christi Athletarum, quatenus vitam Monachorum & conversationem Cœnobitarum posset agnoscere*. Nimirum Monachus cùm esset Monachorum perfectiorum mores rimari atque æmulari votis omnibus optabat. Unde Gandam posteà reversus, in cella recludi (quod optimum judicavit) apud se statuit.

Molan. 1. Octob.

To. 2. Annal. ad ann. 631. n. 5.

ad ann. 653. num. 5.

num. 7.

XXIX Ex his manifestum est, Monachos non Clericos sæculares in Ganda Monasterio (quod etiam de Blandinio dicendum est) ab initio extitisse: quod satis superque verisimile reddit Amandi ipsius Monastica professio. Nempe Monachus Monachos haud dubiè in locis ab se erectis instituit, Benedictinus Benedictinos. Non ergo commenticia videri debet ista clausula privilegii Martini Papæ, qua decernit, *ut liceat Abbati Florberto in universis utilitatibus* Monasterii Blandiniensis, *ita omnia disponere absque ullius contradictione vel refragatione, ut inibi Deo servientes liberè invigilent mandatis Domini secundùm Regulam S. Benedicti*. Cùm alioquin superiùs probaverimus, S. Amandum in Turonico S. Martini Cœnobio Benedictinis Institutis assuevisse. Certè in litteris Arnulfi Flandriæ Comitis, quibus prædia varia Monasterio Blandiniensi restituit, *regnante Ludovico Filio Caroli Regis Reclausi*, cognomento Simplicis, leguntur hæc verba: *cupio omni tempore ævi in sæpefato Monasterio Monachos Christo ancillari (ut actum est tempore S. Amandi) secundùm normam S. Benedicti viventes*. Et quidem tempore Vindiciani Episcopi Cameracensis, & Atrebatensis, id est post medium sæculum septimum, Vedastinæ Abbatiæ Monachi Benedictini præerant. Quippe Fulradus, Vedastini apud Atrebates Monasterii Abbas, cùm *inregulariter vivens, ab Rothardo Episcopo sæpè graviter argueretur; induratus gloriabatur se habere S. Vindiciani ejusdem Sedis Episcopi Privilegia Apostolica auctoritate confirmata, in quibus decretum esset, Monachos S. Vedasti non debere habere respectum ad Pontificem Ecclesiæ Cameracensium. Ex hoc sanè*, infert Baldericus hujusce facti relator in Chron. lib. 1. cap. 106. *falsam argumentationem trahens, quòd Beatus Vindicianus suo tempore omnes inquietudines à Monasterio S. Vedasti scripto præcepto exclusit, ut quietè secundùm Regulam S. Benedicti Monachi viventes Deo servirent, non ut inordinatè & turpiter conversantes, veluti iste cum suis à proposito desciscerent*. Hæc Baldericus sæculi XI. auctor. Porrò S. Vvindicianus æqualis erat & amicus S. Amandi, successor S. Autberti, qui Autbertus in Basilica Vedastina Monachos instituerat haud alios sanè quàm Benedictinos ac S. Amandi discipulos. Hatta quippe primus Abbas Vedastinus à S. Vindiciano, *secundo ordinationis ejus anno benedictus, simul Gandensem S. Petri Abbatiam, quæ in monte Blandinio sita est, nobiliter regebat*, prout in Actis S. Eusebiæ num. 4. legitur.

Miræi Notit. cap. 53.

ad ann. 689.

XXX Nunc locus postularet, ut de S. Audomaro ejusque discipulis S. Bertino aliisque Instituti Monastici per Belgium propagatoribus ageremus. Verùm cùm è Monasterio Luxoviensi educti sint eo tempore, quo jam Luxovienses Cœnobitæ Castris Benedictinis (ut superiùs probatum est) se se adjunxerant; de his plura dicere supersedeo, transitum facturus ad Sanctimoniales, quæ procurante potissimùm S. Amando in Gallia Belgica institutæ sunt.

§. III.

De Monacharum & Canonicarum origine in Belgio.

XXXI SAnctus Amandus non solùm Monasteria Virorum in Belgio, verùm etiam Cœnobia Puellarum, Nivialense, Melbodiense, Castrilocense, Marcianense, aliaque nonnulla ordinavit. Monachas an Canonicas illis in locis colloca-

locaverit, inquirendum. Primò audiendus Miræus in Notis ad cap. 13. Cod. Donat. ita disserens: „Canonissarum nobili stirpe progenitarum, quæque ad „ nuptias transire possunt, Collegia in Hannonia sunt duo, Montense & Mel- „ bodiense: totidem in Comitatu Namurcensi, Andennense & Monasterien- „ se: & unum in Brabantia Nivellense, omnium apud Belgas (ut opinor) „ antiquissimum.„ Idem Auctor in lib. de Canonicorum Collegiis capp. 17. & 19. satis mentem suam aperit circa originem Canonicarum. „Non sum ne- „ scius, inquit, cap. 19. multos contendere olim Canonicarum istarum, ut „ cæterarum Virginum Collegia, si non omnia, saltem pleraque voto se se „ castitatis perpetuæ solita obstringere, etsi ipsæ Canonicæ ægrè forsitan ad- „ mittant. „ Verùm, quia nonnulli persuadere volunt, hujusmodi Cœno-bia à primordiis attributa fuisse Canonicabus, quæ nullis adstrictæ fuerint vo-tis, utrumque quoad fieri poterit brevissimè refellere proposui.

Nullas Canonicas in Galliis ante sæculum IX. extitisse argumenta non pauca demonstrant. In Gallia Belgica Virginum Cœnobia primus excitavit ordinavitque S. Amandus, iisque Monachas sinè dubio non Canonicas imposuit Monachus ipse. Duplex in unoquoque Parthenone conventus erat, Monachorum scilicet ac Puellarum: hæ ab ipsis regebantur pro more: id quod Patres Concilii Hispalensis Actione II. statuerunt. S. Foillanus aliique Monachi Scoti in Monasterio Nivialensi hospitari soliti erant. Et in libro de Mirac. S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis, exorto apud Niviallam incendio, *Monachorum ac Virginum concurrentium* fit mentio. In isto Monasterio præter Abbatissam, quæ Sanctimonialibus præerat, erat & Abbas Monachorum isthic degentium Subinus, uti in Actis S. Aldegundis num. 18. legitur. Et S. Jonatus Abbas Monachis Marcianensibus præfectus est à B. Amando, quo tempore S. Rictrudis ibidem Monachas regebat. Adde & Monasterium Habendense seu Romaricense, in quo S. Amatus, Monachorum illic degentium Abbas, Mactefledem Sanctimonialibus præposuit. Amato successit Romaricus Abbas, huic Adelphius, quo Abbate Tetta seu Tecta Virginibus præsidebat. Duplicem etiam conventum in Parthenone Melbodiensi fuisse, innuit Auctor secundarius Vitæ S. Aldegundis supremis lucubrationis suæ verbis: *Estque ipse locus*, inquit, *grege Puellarum farcitus, aliorumque Deo servientium numerositate repletus:* Suffragatur etiam Vita S. Vvaldetrudis de Cœnobio Castrilocensi: sic enim Auctor in Prologo loquitur: *Quorumdam Religiosorum Fratrum ac Sororum caritate compulsus, hoc opus aggredi præsumpsi:* Idem etiam probabimus de Parthenone S. Joannis Baptistæ apud Laudunum in Vita S. Anstrudis inferiùs suo loco. Quemadmodum in Belgica illa Cœnobia successerunt Collegia Canonicarum Monachabus, ita & Monachis Canonicorum conventus: ut sicut primitùs Monachi Monachabus, ita postmodum Canonici Canonicabus Sacramenta administrarent. Puellas in illis Cœnobiis degentes velo consecratas & castitatis voto obstrictas fuisse, clarius est, quàm ut probatione indigeat. Gertrudis Abbatissa Nivialensis *sacrum velamen cum sodalibus suis* ab S. Amando accepisse dicitur. S. Aldegundis *sacra Religionis velamen & habitum* suscepit. Vvaldetrudis ab S. Autberto Episcopo *velamen sacrum impetravit*. Denique S. Bega Gertrudis Abbatissæ Nivialensis soror, & ipsa Abbatissa Andanensis, Monasterium construxit, *ubi religiosam vitam duceret, Virginesque Sacras in servitutem Divinam perpetua stabilitate firmaret*; uti ad lib. Mirac. S. Gertrudis observavimus. Non ergo sæculum repetere illis licebat, quæ *perpetua stabilitate in servitutem Divinam* mancipabantur. Erant illis in locis Monachæ, non Canonicæ sæculares (prout nunc) sæcularibus votis implicatæ. Erant, inquam, Mo-

[Margin notes: XXXII — *cap. 3. ad ann. 658.* — *ad ann. 684.*]

Monachæ Benedictinæ, quibus S. Amandus leges Benedictinas præscripserat. In Concilio apud Liptinas agri Cameracensis vicum anno DCC. XLIII. habito S. Bonifacius statuit, *ut Monachi & Ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam S. Benedicti vivere studeant.* Ad Cameracensem Diœcesim pertinebant, & hucusque pertinent Melbodiense & Motense seu Castrilocense Cœnobia Puellarum. Immo Concilium illud a Bonifacio Legato Apostolico coactum valebat apud ceteras Galliæ ac Germaniæ Provincias, ubi proinde *Ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam S. Benedicti vivere* tenebantur, quam antea professæ erant.

XXXIII Hinc intelligitur, nullas tum fuisse alias *Ancillas Dei Monasteriales* quàm Monachas; nondum Canonicarum nomen audiri cœpisse. In Conciliis sæculo VIII. convocatis Canonicarum mentio nulla, nec in Epist. 9. Zachariæ Papæ ad Pippinum Francorum Regem c. 5., nec in Responsionibus Stephani Papæ III. ad Gallos, neque in Capitulari Caroli Magni anno DCC. LXXIX. condito, ubi aptissima Canonicarum commemoratio futura erat. In Concilio Francofordiensi ann. DCC. XCIV. statuitur cap. 46. *ut de Abbatissis, quæ canonicè aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* Quo in loco dictio *canonicè* opponi videtur *regulariter:* tametsi in titulo sola vox *regulariter* apponatur in hunc modum: *Abbatissæ, quæ regulariter non vivunt, deponendæ.* At verò in Concilio Moguntino anno DCCC. XIII. clariùs Canonicæ exprimuntur cap. 13. *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem Sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant; sin autem canonicè vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant & in Claustris permaneant,* &c. Novellum tum fuisse Canonicarum Institutum satis probant Patres Concilii Cabilonensis, dum cap. 53. aliisque subsequentibus *Admonitiones*, seu leges præscribunt *Sanctimonialibus, quæ se Canonicas vocant*, Paullò post in Concilio Aquigranensi anno DCCC. XVI. post Regulam Canonicorum composita est in gratiam Canonicarum alia, quæ capitulis 28. continetur. Itaque sæculo VIII. nulla erant præter Virginum Benedictinarum Cœnobia: appetente sæculo IX. duo tantùm erant Parthenonum genera, Monachorum & Canonicarum. Illæ S. Benedicti Regulam observabant: his pro Regula erant decreta Concilii Aquigranensis, quæ Regula ex SS. Cypriani, Athanasii, Hieronymi & Cæsarii dictis propriisque Synodi statutis conflata est. Utræque, Monachæ scilicet & Canonicæ, communi nomine vocabantur *Sanctimoniales, Sorores, Puellæ, Ancillæ Dei*; uti & Canonici *Fratres*: Canonicæ postea dictæ sunt *Dominæ, Domicellæ*: utriusque Ordinis habitacula, **Monasteria* dicta. Canonicæ vota perpetua profitebantur, nec illis sæculum repetere integrum erat, ex cap. 18. Regulæ, quam Patres Concilii Aquigranensis dictaverunt. *Si his omnibus exhibitis*, inquiunt, *inemendabilis atque incorrigibilis apparuerit, quia nullatenus huic sæculum repetere fas est, advocetur si necesse est Episcopus.* Secundò vestibus nigris utebantur, ex cap. 10. *Quid prodest vestibus nigris indui* &c. Differebant verò à Virginibus Benedictinis, quòd plura ac lautiora habebant edulia & carnibus vescebantur cap. 13. quòd Ancillas singulæ singulas habebant cap. 21., aliaque hujusmodi, quæ Puellis Regularibus non permittebantur. Hinc apparet quantùm à vero aberret Guillelmus de Rebreviettis in Vita gallicè edita S. Gertrudis, qui ut Nivialensis Ecclesiæ Canonicabus hodiernis adblandiatur, primarias Puellas Nivialenses nullis votis adstrictas fuisse audet affirmare.

* *Fuit & aliud genus Sanctimonialium seu Deo sacratarum in privatis ædibus assumpto velo manentium, de quibus Ordo Romanus & liber Mirac. S. Richarii itē S. Remacli hic.*

XXXIV Ergo ut ad propositum revertar, Virgines Nivialenses, Melbodienses, Castrilocenses, aliæque ab origine Monachæ erant, & Institutis Benedictinis S. Amando suggerente addictæ. Verùm quo pacto à Monastico statu ad Cano-

nonicalem desciverint, paucis explicandum. Postquàm Chrodegangus Mettensis Episcopus Canonicis Regulam præscripsit, feminæ etiam nonnullæ æmulatione adductæ Canonicarum nomen affectare cœperunt; quæ tamen vota sollemnia profitebantur. Post cladem à Nortmannis illatam Cœnobia perplura sensu ac religione destituta, in corruptos mores prolapsa sunt: Monachis Canonici, Monachabus Canonicæ plerisque in locis successerunt. Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Legati Apostolici munus medio sæculo X. gerens, in villa Montensi (si Jacobo Guisio credimus) *in Ecclesia B. V. Mariæ, quæ nunc S. Vualdetrudis nuncupatur, & in villa Malbodiensi in Ecclesia, quæ nunc Aldegundis dicitur, Canonicales ordinavit Prabendas sæculares, de Sanctimonialibus Canonicos & Canonicas sæculares ordinans.* Nivialenses adusque sæculum XI. vocabantur *Fratres* ac *Sanctimoniales*, prout constat ex diplomate Henrici IV. Imper. anno M. LIX. concesso, quo prædia Ecclesiæ Nivialensis *in tres portiones* divisa probat, scilicet *in Xenodochium, in beneficium Abbatissæ, in Prabendas Fratrum seu Sanctimonialium LXXII.* Et Gerardus Cameracensis Episcopus *in Landensi territorio Besneium cambiavit cum Sororibus S. Gertrudis*. Tametsi jam Canonicæ erant, uti ex præbendarum appellatione satis intelligitur. Canonicæ *Domina* dici cœperunt sæculo insequenti, eoque nomine Odo Cameracensis Episcopus eas vocat in suis litteris apud Miræum his verbis: *Ego Odo pia petitioni Richeta Abbatissa S. Gertrudis Nivialensis Ecclesiæ annuens, audiens etiam preces Dominarum Monasterii & Canonicorum* &c. Et tamen priscum *Sanctimonialium* vocabulum etiam tum retinebant. Nam Lotharius Imperator, *precibus tam Clericorum quàm Sanctimonialium S. Gertrudis Nivellensis Ecclesiæ*, rerum divisionem ab Henrico IV. factam confirmat anno M. C. XXXVI. Et primitus quidem Canonicæ illæ sæculares (ut credere par est) velo retento vota perpetua promittebant. At rebus in deteriora labentibus, nostro ævo solæ Abbatissæ cum Officialibus (ut vocant) vota nuncupant, servatis alicubi Ordine & ritibus Benedictinis, quemadmodùm de Romaricensi Ecclesia ad Acta S. Romarici dicturi sumus. Hinc *in Monasterio Thorensi Ord. S. Benedicti Diœcesis Leodiensis ipsa dumtaxat Abbatissa dictum Ordinem expressè profiteri consuevit*, ut Franciscus Vincantius in Hannon. Annal. cap. 12. refert. Id genus vitæ laxioris cum iniquiùs ferrent Puellæ Monasterii Horreensis apud Treviros (cui quondam B. Modesta, S. Gertrudi Abbatissæ Nivialensi præcipua necessitudine & professione adstricta præfuit) abjecto Canonicarum indumento & vitæ genere, ad S. P. Benedicti leges sese revocaverunt anno M. CCCC. XCV. eximio sanè exemplo & hortatu D. Johannæ de Betstein Abbatissæ, quæ avitam Ordinis Monastici disciplinam vetustate & morum corruptelâ collapsam reduxit. Quod utinam aliæ imitentur.

Jac. Guisius To. 2. lib. 14. c. 35. ita citatus à Vinchàtio in Annal. Hann.

Miræi notit. cap. 99.

ibid. cap. 84.

ibid. cap. 128.

ibid. cap. 147

ad ann. 653.

§. IV.

Observationes Ecclesiasticæ ac Monasticæ ex secundi sæculi Benedictini Actis erutæ.

QUandoquidem intellexi haud ingratas fuisse viris eruditis Observationes, XXXV
quas ex primi sæculi Actis unum in fasciculum conjeci; lubet hoc eodem

loco duplicem huic operæ articulum adhibere, unum qui res Ecclesiasticas & Monasticas, alterum qui res historicas & chronologicas complectatur.

XXXVI OBSERVATIO I. Atque ut a sacrosancto Missæ sacrificio incipiam, notare inprimis juvat, quod viri pii haud pauci per sæculum VII. rem sacram quotidie frequentâsse leguntur: id quod anterioribus sæculis non tam obvium videtur. S. Goar Anachoreta *habuit consuetudinem omni die, excepta Parasceve, Missarum sollemnia celebrare populo.* Et S. Geremarus Abbas Flaviacensis, *factus Sacerdos, offerebat Sacrificium per singulos dies.* Venerabilis Beda in libro 2. Hist. Abbatum Monasterii sui idem affirmat de Ceolfrido Abbate, qui Romam pergens, *ex die, quo de Monasterio suo profectus abiit, usque ad diem, quo defunctus est, quotidie Missâ cantatâ salutaris hostiæ Deo munus offerebat.* Ubi *Missam cantare* non est certa ac modulata voce Sacris operari, uti modò usurpatur, sed *recitare.* Extat luculentum hujusce significationis testimonium apud Remigium Autissiodorensem Episc. in Explicatione Canonis Missæ, dum rationem reddit, cur *Te igitur Clementissime Pater* tacitè recitetur, his verbis, *Idcirco, ut fertur, venit consuetudo in Ecclesia, ut tacitè ipsa obsecratio atque consecratio à Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent.* Quo in significatu eamdem vocem usurpat Beda in Epistola ad Egbertum Episcopum recèns à Vvaræo edita. *S. Antistes Ambrosius,* inquit, *hoc de Fide loquens admonet, ut verba Symboli matutinis semper horis Fideles quique decantent.* Denique ut plura alia omittam, eodem sensu Licinius Andecavorum Episcopus *quotidie Missam cum ingenti cordis compunctione cantâsse* fertur. Idem observavit Gregorius M. in lib. Dial. cap. 56. de Cassio Narniensi Episcopo, *qui quotidianum offerre consueverat Deo Sacrificium.* Lege Regulam Solitar. a Grimlaico scriptam, cap. 36. Non tamen quotidiana Missæ frequentatio ita Sacerdotibus in more erat sæculo VII. ut singuli in dies ad Altare Sacra celebraturi accederent. Quin etiam tum vigebat ritus ille, quo Sacerdotes, immo & Episcopi, in publica Missa communionem sacram percipiebant. Ceolfridus suprà laudatus in profectionis Romanæ procinctu, *cantatâ primo manè Missâ communicantibus qui aderant,* (aderant autem sinè dubio Presbyteri complures) *continuò præparatur ad eandem.* Et Concilium Toletanum IV. anno tertio Sisenandi Regis, hoc est anno Christi DCXXXIV. celebratum statuit c. 17. *ut Sacerdotes & Levitæ ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus.* Eumdem ritum egregiè illustrat Ordo Romanus quatuor primis capitulis. *Accedunt primùm Episcopi* (verba sunt capitis 4.) *secundùm ordinem de manu Pontificis communicare, & post eos adscendunt Presbyteri omnes, ut communicent ad Altare.* Lege Morinum de Ordinat. Sacr. P. 3. Exer. 8. c. 1. Postea usus obtinuit, ut unus Sacerdos plures Missas uno die celebraret: quod quidem ob penuriam Sacerdotum Concilium Emeritense Æra DCC.IV. collectum permiserat fieri per singulas, quæ uni Presbytero commissæ erant, Parochias *pro diebus Dominicis* c. 19. Tempore procedente, quod necessitate admissum est, in usum cessit, adeò ut Leo Papa *una die septem vel novem Missarum sollemnia celebrâsse* dicatur apud Vvalafridum Strabum. Eadgarus Rex in Canonibus anno CM. LXVII. conditis habet cap. 37. *Ut nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die celebret, quàm ter ad summum.* Plures Missas etiam sæculo XI. peragebant Sacerdotes, testante Petro Damiani libro quinto Epistolâ decimâ nonâ. Posteà id tantùm in quibusdam sollemnitatibus, demum in sola Nativitatis Christi celebritate licuit.

ad ann. 649. ad ann. 658. ad ann. 690. Bibl. S. P. to. 9. Vvalafrid. de reb. Eccl. c. 21.

XXXVII OBSERVATIO II. Qui diebus festis sacrosanctis Mysteriis intererant, cibi ac potûs expertes esse oportebat. Auctor antiquus & gravis in lib. de Vita S. Vvalarici cap. 15. *Duo,* inquit, *germani erant, qui ad eum in festivitate B. Martini advenerant,* qui-

ad ann. 622.

quibus increpando ait: Admiror cur ante Missarum sollemnia bibere præsumpsistis. Qui confitentes commissum suum, veniam postulant & de reliquo se se emendaturos spondent. Simile factum de alio, qui die Dominica heminam vini ante Missam biberat, continenter subjicitur. Huc spectat canon. 19. Concil. Autissiod. *Non licet Presbytero aut Diacono aut Subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare.*

Præterea diebus Dominicis Christiani Matutinis Officiis interesse communi XXXVIII.
lege tenebantur solebantque. In vita S. Leodegarii Anonymus Ebroïni interi- OBSERVA-
tum describit cap. 16. his ferè verbis: Quidam *ex Optimatibus post exspolium ad* TIO III.
Ebroïni ostium ante lucem observat egressurum. Dies agebatur Dominica; ideoque ad ann. 678.
processurus erat ad Matutinarum sollemnia. Cùm autem ille pedem foras misisset de limine, ecce iste insperatè prosiliens, gladio eum percussit in capite. Si Ebroïno Majori Domûs Regiæ, homini alioquin vitæ haud severioris, religio fuisset abstinere à precibus antelucanis, quantò magis aliis? Lege Pallad. de Vita S. Johannis Chrysost. & Vitam Gallicam lib. 3. cap. 10.

Quin etiam carpenti usum die Dominica fuisse interdictum, auctor est XXXIX
Beda in lib. de vita S. Cuthberti cap. 27. ubi Cuthberti congressum cum Er- OBSERVA-
mentrude Regina exponit. *Confestim intravit ad Reginam; & secretò eam allo-* TIO IV.
quens, (erat autem dies Sabbati) vide, inquit, *maturè illucescente secunda Sab-* ad ann. 687.
bathi, id est feriâ secundâ hebdomadæ, *ascendas currum, (quia die Dominico curru ire non licet) vadasque & Regiam civitatem citissimè introeas.* Unde Theodorus in Capitulari: *Græci & Romani in die Dominica navigant & equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, nisi ad Ecclesiam tantùm: nec balneant se Græci, nec scribunt publicè, tamen pro necessitate seorsum in domo scribunt* &c. Confer canon. 28. Conc. III. Aurelian. Denique antiquitus usque ad nostri ævi memoriam, observatio Dominicæ diei *à vespera usque ad vesperam*, ut loquitur Herardus Turon. Episc. in cap. 2. protendebatur. Et Eustachius Abbas apud Matthæum Parisium ad ann. 1200. & Rogerium Hovedensem ad ann. 1201. hortamentis persuadere nisus est, ut *ab hora nona Sabbati usque ad ortum solis in die Lunæ feriatio protenderetur.* Hujus rei obvia sunt exempla tum in his Actis tum apud Gregorium Turon. in lib. 3. de Mirac. S. Martini capp. 31.
& 56., tametsi Ahyto Basileensis Episcopus ineunte sæculo X. pronuntiat in Tom. 6. Spi-
Capit. art. 8. *ut omnem Dominicam à manè usque ad vesperam* ferientur, *ne Ju-* cil. Acheria-
daismo capiantur. Lege Constitutionem Abbatis *de Flay* de cautiori observatio- ni.
ne Dominicæ factam anno 1203. Tomo 2. Conc. Angl.

Luculentum Sacramenti Confirmationis exemplum profert Beda in Vita XL
S. Cuthberti soluta oratione composita cap. 29. tum aliud cap. 32. quæ tu con- OBSERVA-
fule suis locis. Legendus item Beda in Epistola recèns edita ad Egberhtum, TIO V.
in hæc verba: *Si autem aliquid utilitatis Fidelibus conferre manûs impositionem quâ Spiritus Sanctus accipitur credimus, constat è contrario, quòd hæc ipsa utilitas eis quibus manûs impositio defuerit abest.*

Pænitentiæ publicæ præclarum specimen edidit S. Amatus Abbas Haben- XLI
densis, dum solidum annum ante obitum suum *in cinere & cilicio* jacere voluit. OBSERVA-
Qui homicidium perpetraverant, ferreis vinculis constricti, per loca sancta TIO VI.
peregrinari jubebantur. Neque enim quovis tempore pœnâ capitis plexa est ad ann. 627.
hominis cædes. In lib. 3. Mirac. S. Bavonis, *Duo nepotes inter se rixantes, cor-* ad ann. 653.
reptis armis alter alterum oppressit. In se itaque reversus fratricidium expavit, Epi- num. 4.
scopum adiit, ac more Christianæ remissionis peregrinando pænitentiam accepit. Post varia loca perlustrata, in quodam S. Bavonis Oratorio, *virtute divina quibus erat strictus ferrei crepuerunt circuli.* Et in lib. de Mirac. S. Galli cap. 34. *pan-* ad ann. 646.

perculus quidam propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo quàm in utroque constrictus brachio, in Basilica S. Galli *nexus quibus stringebatur amittere meruit*. Omittere non possum quod in Cod. MS. de Mirac. SS. Floriani & Florentii legitur, huic rei illustrandæ aptissimum. *Consuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, & posteà pænitentiâ ductus, ad Pontificem crimen admissi facinoris detulerit, ipso decernente Pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus componantur, & collum peccatoris venter atque brachia strictim innectantur, ex ipsis ferreis vinculis: sicque de propria Patria & solo Patrio pellatur. Interim quousque Divina pietas eadem vincula solvi præcipiat, primùm Romæ, dehinc per diversa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando peregrè proficisci cogitur*. Post hæc subjicitur miraculum in Monasterio S. Florentii patratum erga quemdam Clericum Amelium nomine, qui avunculum occiderat: ob idque *ab Arteario Trajectensium urbis Episcopo damnatus*, prædictam sententiam exceperat. Solutus meritis S. Florentii, *quia Abbas tunc præsens non aderat, obnixè deprecatus est Fratres, ut ex nomine Abbatis ipsorum deprecatoriam epistolam jam præfato Episcopo, à quo in pænitentiam missus fuerat, transcribere ut, quatinus eum in propria Parochia misericorditer reciperet: utpote quem divina benignitas ac meritum S. Florentii specialiter absolutum in solutione visibilium vinculorum monstraverat, ipse quoque sua Pontificali auctoritate omnimodis absolutum esse decerneret*. Lege Adnotationes in Mirac. S. Johannis Abbatis Reomaensis sæculo I.

Append Sæc. I. ad ann. 639. n. 7.

XLII OBSERVATIO VII.

Jam ut de Sanctorum Reliquiis nonnihil observemus, non otiosum erit adnotare ritum, quem sæculi VII. homines in iis transferendis recondendisve frequentare cœperunt. Ante istud sæculum, Sanctorum corpora tangere aut loco movere, Occidentalibus religio erat. Insignis est ea de re Gregorii Magni Epistola ad Constantiam Augustam, quæ *propter eam quam in honore S. Pauli Apostoli in palatio ædificabat Ecclesiam, caput ejusdem Apostoli aut aliud quid de corpore ipsius transmitti* ad se petierat. Respondet Gregorius id sibi non licere, relatis variis prodigiis ad tumulos SS. Petri, Pauli, ac Laurentii factis adversùs eos, qui humum eorum sepulchris contiguam effoderant. Tum subdit: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur: quod levatum, in Ecclesia quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur*. Et infrà. *In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intollerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa Sanctorum levare se asserunt, vehementer miramur & vix credimus*. Hinc patet, Gregorii Pontificatu nefas fuisse in Occidente Sanctorum corpora contingere aut è tumulis levare; sed Reliquiarum loco brandea fuisse transmissa. De brandeis seu linteis ejuscemodi legendus Gregorius Turonicus Episcopus tum in lib. I. de Miraculis S. Martini cap. 11. tum in lib. I. de Gl. Martyr. cap. 28. qui rursus cap. 47. Reliquias SS. Gervasii & Protasii, id est *linteamina seu pallulas* eorum sanguine intinctas à S. Martino in Galliam asportatas affert. Et lib. 2. capp. 34. & 35. Reliquias S. Juliani vocat *fimbrias pallæ, quæ sanctum tegit tumulum* à se detractas: & *parumper ceræ* à sepulchro sublatum capp. 40. & 44. Item Reliquias S. Martini appellat *ampullam olei* ab S. Aredio è S. Martini sepulcro ablatam in lib. de Gl. Conf. cap. 9. item *uvam de vite quam Sanctus plantaverat*

Reg. lib. 15. epist. 30. ind. 12.

cap.

cap. 10. Id genus Reliquias ad Templorum dedicationes adhibebant illius temporis homines, qui Sanctorum membra distrahere, sive huc illucque circumferre, optimo consilio non sustinebant. Verùm per sæculum VII. Sanctorum corpora è tumulis levari transferrique cœperunt. Quippe S. Audoënus Rotomagensis Episcopus S. Marculfi Abbatis Nantensis, Eligius Noviomagensis Episcopus S. Quintini, Ansbertus itidem Rotomagensis Antistes Audoëni decessoris sui, Episcopus quidam S. Amandi Episcopi, Ansoaldus Pictavorum Episcopus S. Leodegarii Episcopi & Martyris, Sexburga Eliensis Abbatissa S. Ethildritæ Abbatissæ, Eadbertus Lindisfarnensis Episcopus Cuthberti decessoris sui, alii aliorum corpora sollemni ritu levaverunt: quod etiam S. Ildefonsus Toletanus Pontifex erga S. Leocadiam præstitit. Nec tamen eo animo id actitabatur, ut membra sancta hinc inde distraherentur, sed ut transferrentur in locum decentiorem. Certè S. Audoënus, qui S. Marculfi caput aufferre volebat, à consilio suo divinitus revocatus est. Et S. Ildefonsus S. Leocadiæ dumtaxat veli partem cultro præcidit. In Gestis quoque Regum Franc. quæ ante annos DCCC. L. scripta sunt, cap. 44. & in Gestis Dagoberti cap. 52. Chlodoveus, qui anno DC. XL. regnavit apud Francos, *brachium S. Dionysii Martyris abscidisse instigante diabolo*, dicitur, *& per idem tempus concidisse Regnum Francorum casibus pestiferis*. *Sæc. I. ad ann. 558. ad ann. 667.*

XLIII OBSERVATIO VIII.

Fatendum est nihilominus, varias ante sæculum VII. Elevationes (ut vocant) Translationesque Sanctorum celebratas fuisse, cùm in Oriente, tum in Occidente. *Constantinus* Imp. teste Hieronymo in lib. contra Vigilantium, *sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim; Arcadius ossa B. Samuëlis de Judæa transtulit in Thraciam*. Et Pulcheria Augusta SS. XL. Martyrum Reliquias è ruderibus eduxisse legitur apud Sozomenum in lib. 9. cap. 2. & Nicephorum Callistum in lib. 14. cap. 10. qui Nicephorus Stephani Protomartyris, Zachariæ Prophetæ, aliorumque Sanctorum Reliquias translatas commemorat ejusdem libri capp. 9. 10. & 11. Denique *post consulatum Basilii anno XX. corpus S. Antonii Eremitæ repertum cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Basilica S. Joannis Bapt. honorificè collocatur*, ut Victor Tununensis in Chron. auctor est. Neque id in Occidente inauditum. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus SS. Gervasii & Protasii Reliquias loco movit. Perpetuus Turonicus S. Martini, Gregorius Lingonicus S. Benigni Martyris, Palladius Santonicus S. Eutropii Episcopi, Ebregisilus Agrippinensis S. Mallosi Martyris, Monulfus Trajectensis S. Arvatii ejusdem Sedis Antistitis, Germanus Parisiorum Episcopus S. Ursini Biturigum Episcopi corpora è tumulis sustulerunt, & convenientiori loco recondiderunt. Ista ignorare non poterat Gregorius Magnus. Sed quia in detrimentum Religionis id nonnunquam fieri adverterunt Ecclesiæ Pastores, parciùs ejusmodi Translationes Pontificatu S. Gregorii peragebant, & mos antea inductus jam in desuetudinem abierat, qui Gregorio mortuo revocari ac frequentari cœpit. Cur enim, quæso, corpora SS. Pontificum haud ignobilium Germani utriusque, Autissiodorensis & Parisiaci, Remigii Remensis; cur Gregorii Magni, S. Albani Martyris, aliorumque Sanctorum corpora in primariis tumulis ad sæculum usque octavum jacuerunt, nisi quia tum temporis Translationes ferè inusitatæ erant? Quid Ecclesiæ Pastores impulerit, ut transferendarum Reliquiarum morem abrogaverint, conjicimus ex S. Augustino in lib. de Opere Monach. cap. 8. ubi redarguit personatos quosdam ac fictos Monachos, qui *circumeuntes Provincias, membra Martyrum (si tamen Martyrum membra) venditabant*. Quæ Theodosio Imperatori sanciendæ hujusce legis fuit occasio: *Humatum corpus nemo ad alterum locum*

Gregor. Turon. de Glor. Mart. lib. 1. capp. 51. 56. 65. & de Gl. Conf. c. 72. & 80.

C. l. ult. de sepul. viol. & Theodos.

cum transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur, uti Acherius in Guiberti Abbatis lib. 1. cap. 4. de Pignorib. Sanctor. adnotavit. Quod postea Patres Concilii Maguntiacensis cap. 50. anno DCCC.XIII. iteraverunt. *Certè si Sanctorum corpora*, inquit Guibertus eodem loco, *sua juxta naturæ debitum loca, id est sepulcra servâssent, hujusmodi, quos recensui errores*, nimirum SS. Reliquiarum nundinationes, *ac falsificationes cessâssent. Per hoc enim quòd è tumulis eruuntur, membratim huc illucque feruntur, & cùm pietatis obtentus occasio circumlationis extiterit, ad hoc subeunte nequitia detorqueri capta est intentionis rectitudo, ut pæne, quæ simpliciter fieri consueverant, corrumperet universa cupido*. Deinde relata Gregorii Magni auctoritate superiùs adducta subinfert: *Dicat quisque quod sentit: securus planè ego inferam, non Deo, non Sanctis ipsis umquam fuisse placitum, ut eorum cujuspiam debuerit reserari sepulcrum, aut dirimi per frusta corpusculum*.

XLIV OBSERVATIO IX. Et quidem per septimum sæculum tametsi Sanctorum corpora frequentiùs loco moveri cœperunt; tamen, ut jam dixi, religio erat sacra corpora membratim distrahere: nec illa ita è tumulis levabantur, ut sacris Altaribus (id quod nunc fit) sublimi loco imponerentur. Quod antequàm explicare incipio, juvat describere modum, quem antiquiores Patres in recondendis colendisve Sanctorum Reliquiis observabant. Eusebius Pamphilus Cæsareæ Episcopus in Hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. refert Smyrnensis Ecclesiæ Epistolam ad Ecclesias Ponti de Polycarpi Episcopi martyrio scriptam, in qua quidam dicuntur suggessisse Nicetæ Herodis patri, „ ut Proconsulem adiret, moneretque, ne cadaver illius donaret, ne forte (ut ajebant) relicto Crucifixo hunc deinceps „ Christiani colere inciperent. Porrò cùm Centurio pertinaciam Judæorum „ animadverteret, corpus in medio collocatum, ut moris est, concremavit: „ atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora & quovis auro „ puriora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco si fieri poterit, (inquiunt Smyrnenses) convenientibus concedet Deus natalem ejus „ Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui defuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & „ confirmandos.„ Lege V. C. Henrici Valesii adnotationem in hunc locum, ubi ex eodem Eusebio in serm. 2. de Resurrect. observat, „fuisse & alium morem secutis temporibus, ut singuli Fidelium Reliquias Martyrum quascum- „ que nancisci potuerant, domi honorificè servarent. Huc etiam, inquit, referendus est mos Ægyptiorum, qui Martyrum corpora non humabant sed „ domi in lectulis reposita servabant, „ ut refert Athanasius in Vita B. Antonii. Verùm in cœmeteriis passim humabantur colebanturque. Lege Epistolam Dionysii Alexandrini Episcopi ad Germanum Episc. in qua Æmilianum Præfectum inducit sibi comminantem: „Nullatenus licebit vobis, nec quibuscumque aliis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire, „ sicuti Eusebius in lib. 7. cap. 11. commemorat: qui rursus in lib. 9. cap. 2. meminit interdicti, quo Maximinus Imp. Christianos à conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, arcere aggressus est. Corpora XL. Martyrum, qui regnante Licinio passi sunt, Eusebia Diaconissa sepelivit in oratorio subterraneo, & in duabus pyxidibus argenteis collocavit, teste Sozomeno in lib. 9. Hist. cap. 2. Omnino audiendus Gregorius Turonicus Episcopus in lib. 1. de Miraculis Martyrum cap. 28. de S. Petri tumulo agens in hunc modum: *sepultus est in Templo quod vocabatur antiquitus Vaticanum quatuor ordines columnarum valde mirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ sunt simul centum præter illas quæ ciborium sepulcri sustentant. Hoc enim sepulcrum sub altari collocatum habetur valde rarum. Sed qui orare desiderat, reseratis cancel-*

cellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum: & sic fenestellâ parvulâ * *patefactâ, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantùm justa proferatur oratio. Quòd si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentaneâ pensatum jacit intrinsecùs. Deinde vigilans ac jejunans devotissimè deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! si fides hominis prævaluerit, à tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multò ampliùs quàm pensaverat ponderet: & tunc scit, qui levaverit, cum ejus gratia sumpsisse quod petiit. Multi enim & claves aureas ad referandos cancellos B. sepulcri faciunt, quas ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra præstat.* En quales Reliquias Majores nostri inquirebant! Subdit Gregorius: *Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ, candore niveo, quatuor numero, quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur.* Hunc locum paullò fusiùs retuli, quòd rei quam tractamus illustrandæ aptissimus videatur. Nec abs re erit, etiam consulere adnotationem Henrici Valesii in Sozomeni lib. 9. cap. 2. „ Duplex, inquit, erat foramen super Martyrum Reliquias; alterum exterius, in altari vel in pavimento, sub quo conditæ erant Reliquiæ: alterum interius, in capsa seu arca, qua Reliquiæ claudebantur.„ Per hæc autem foramina, quæ è regione sibi invicem respondebant, Christiani solebant demittere velamina, ut Sanctorum Reliquias contingerent, quæ pro magna benedictione accipiebant, &c.

* *Lege de Gl. Conf. c. 37 de fenestella ad Venerandi Episcopi sepulcrum.*

XLV OBSERVATIO.

Hinc etiam colligimus, Sanctorum corpora antiquitus vel sub altari, vel subtus apsidem recondi solita esse. Ambrosius in Epistola 85. ad Marcellinam sororem de SS. Gervasio & Protasio agens; *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est: sed ille super altare, qui pro omnibus passus est, isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ergo locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit.* Super Sanctorum Reliquias, quæ intra apsidem recondebantur, erigebantur ciboria seu turritæ ædiculæ, quatuor columnis innixæ, columbâ aureâ decoratæ, uti Gregorius Turon. Episc. tumulum S. Dionysii in lib. 1. de Glor. Mart. cap. 72. depingit, cruce in summo apposita, in lib. 2. cap. 20. Qualia ferè ciboria altaribus imponebantur, de quibus Chronographus Centulensis in lib. 3. cap. 3. hæc habet: *Super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula ex auro gemmisque paratæ cum aureis circulis aliisque ornamentis.* Non tamen Sanctorum corpora in superna ciborii parte collocabantur, ut quidam existimant: sed cùm in terram recondita essent, eorum tumuli turritis illis ædiculis exornabantur, eo ferè modo, quo antiqui Basilicas super Sanctorum sepulcra ædificabant. *Guntramnus Rex* teste Paulo Diacono Vvarnefridi filio in lib. 3. de Gest. Lang. cap. 35. *ciborium solidum ex auro miræ magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulcrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cùm minimè potuisset, idem supra corpus B. Marcelli Martyris, quod in civitate Cavallono situm est, poni fecit.* Ejusmodi ciboria seu turritas ædiculas etiam *fredas* appellabant. Chlotarius Chlodovei M. filius, ut Herricus Monachus in libro 1. de Mirac. S. Germani Autiss. cap. 27. auctor est, *super adorandam beatissimi Germani Memoriam per manus S. Desiderii ejusdem tunc urbis Episcopi, Regalibus expensis fredam composuit.* Aliis nominibus *lectos, lecticas, tumbas, mausolea*, ædiculas illas designabant, quarum tectum *repa* seu *crepa* dicebatur. Denique Gregorius Turon. Episc. in lib. de Gl. Conf. cap. 69. S. Albini membra *intra vitream apsidem* conclusa fuisse docet.

Tom. 4. Spicil. Acherii.

Hoc

XLVI. Hoc ritu veteres illi Christiani Sanctorum corpora venerabantur. Sæculo VII. quamvis sæpius è tumulis levarentur, tamen etiam tum humo recondebantur, more haud omnino dissimili. S. Amandi corpus paucis post obitum annis è sepulcro levatum, iterum Sæculo IX. cùm moveret Lotharius ædituus, *urnam sepulchri non, ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset.* Ergo in primaria illa Elevatione corpus *in profundioribus* repositum fuerat. S. Ethildritæ corpus itidem *in urnam marmoream* sexto decimo anno ab obitu illatum, sub terra collocatum est. S. Eligius Noviomagensis Episcopus testante S. Audoëno in lib. 2. Vitæ cap. 6. B. Quintini corpus a se inventum *summa cum diligentia citra Altare transposuit, tumbam denique ex auro argentoque & gemmis miro opere desuper fabricavit.* Item S. Piatonis corpus, *sicut Martyrem decuit, eleganter composuit, atque mausoleum urbanè desuper fabricavit* cap. 7. Sic S. Balthildis Regina *jussit crepam ex auro atque argento mirificè fabricari, quam supra Confessoris* (S. Eligii) *membra deponeret*, cap. 39. Paullò aliter S. Cuthberti translationem factam Venerabilis Beda commemorat. Fratres Lindisfarnenses involutum novo amictu corpus novaque in theca reconditum *supra pavimentum Sanctuarii posuerunt*. Eadberti verò successoris *corpus in sepulcro benedicti Patris Cuthberti ponentes, apposuerunt desuper arcam, in qua incorrupta ejusdem Patris membra locaverant.*

Milonis supplem. c. 7. ad ann. 679.

XLVII. Sæculo VIII. S. Germani Parisiaci Episcopi corpus, cujus Translatio spectante Pippino Rege facta dicitur, *depositum est in fossam sibi praparatam.* B. Joannis Baptistæ (ut putant) caput *in ciborio* unà cum quibusdam SS. Innocentium Reliquiis conclusum fuisse legitur in Chron. Malleacensi. Ad quem modum S. Emeramni Episcopi corpus in *ciborio quadrato, auro tecto, & gemmis redimito, octo columnis innixo* sustentabatur, cum quo inclusi erant Evangeliorum libri, sicuti Arnolfus in lib. de Miraculis ejusdem cap. 5. refert. Est hujusce ritus insigne monumentum in Chron. Fontanell. c. 13. de turricula, in qua capsa Reliquiarum S. Gregorii collocata est, quam describit hoc modo testis oculatus: *Est forma quadrata, ex quatuor videlicet angulis ab imo adsurgens, & ita omne opus paullatim minuendo in latitudine in summo angustum redditur, ut pyramidem in altitudine reddat, uniusque mali parvi conclusione solidetur. Habet quoque in medio sui Solariolum*, in quo codex ille Evangelicus cum capsa illa servabatur, cui desuper aptatum est laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plùs minùsve trium.* Qualiter sæculo IX. Reliquiæ Sanctorum adservarentur, discimus tum ex Walafrido Strabo, tum ex Lupo Abbate Ferrariensi. Ille in lib. de Mirac. S. Galli cap. 2. rem ita describit. Boso Constantiensis Ecclesiæ Præsul *sumens loculum, in quo sanctum Corpus erat, posuit super terram inter parietem & altare, & desuper (ut moris est) arcam altiorem construxit, fossam vero terrâ replevit.* Lupus verò in lib. de Vita S. Wigberti cap. 25. agens de Reliquiis ejusdem Sancti Monasterio Herolfesfelt concessis *à reliquis*, inquit, *Dei servis illic exceptum, magnificè primo loco est in Ecclesia conditum: atque Lullus annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniamque ceterorum Sanctorum visuntur, auro & argento, nec non reliquis congruentibus metallis exornandum curavit.* Lotharius Elnonensis ædituus *urnam sepulcri* S. Amandi, *non ut antea fuerat in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset.* Attamen per Sæculum IX. pleraque Sanctorum corpora in subterraneis locis etiam quiescebant, ut ex Adrevaldo in libro de Mirac. S. Benedicti cap. 34. item ex lib. 1. Mirac. S. Filiberti Abbatis hîc, tum ex Mirac. S. Martini Abb. Vertavensis in Appendice Sæculi I. relatis manifestum est. Quin etiam Sæculo XI. adhuc consuetudo illa vigebat. Id apparet ex lib. 1. Mirac.

Tom. 1. Bibl. Labbe.

Tom. 2. Canisii.

* eadem voce utitur Chronographus cap. 12. ad ann. 646.

S. Agili

S. Agili cap. 7. Nam *tempore Roberti Abbatis quadam Emelina nomine perturbatione spiritus immundi vexata, in pavimentum sacratum, quo continetur sub terra latibulo gleba hujus Sanctissimi viri, recubuisse*, ibique sanata fuisse dicitur. Et Petrus Damiani in lib. de vita S. Romualdi narrat, post quinquennium ab sancti Viri obitu datam fuisse Monachis ab Apostolica Sede licentiam, non ut corpus levarent, sed *ut supra venerabile corpus ejus altare construerent*. Subdit Petrus: *Azo quidem frater silvam petiit, quatenus modicam capsam faceret, quæ S. Confessoris ossa & pulverem tantummodo capere potuisset*. Posteà thecarum aurearum & argentearum usus, sanctorumque corporum distractiones in morem abierunt. Qua de re Guibertus Abbas Novigenti, propter abusus inde enatos, graviter ac vehementer conqueritur, tametsi jam principatu Ludovici Pii Augusti in Monasterio Centulensi erant *capsæ Reliquiarum aureæ & argenteæ, vel eburneæ triginta*, teste Hariulfo in Chron. lib. 3. cap. 3. Et S. Hugo Rotomagensis Episcopus di misit inter alia Cœnobio Fontanellensi *capsam auro & gemmis decoratam, continentem pignora diversorum Sanctorum*, quæ tamen non alia fuisse, quam brandea suspicari licet. Hæc prolixiori oratione persecutus sum, quòd istud argumentum à nemine hactenus ex professo expositum legerim. *ad ann. 650.* *Guibert. de pignor. SS.* *Chron. Font. cap. 8.*

XLVIII OBSERVATIO XI.

Si quid furti in Oratoriis, in quibus Sanctorum Reliquiæ continebantur accidisset, solebant antiqui Sanctos ipsos ad rei amissæ restitutionem non tam oratione, quàm piâ violentiâ adigere. Alii id præstabant altarium nudatione, ut S. Fructuosus Bracarensis Episcopus, qui ob prædia Monasterio suo ablata, *sancta nudavit altaria & ciliciis induit ea*. Alii luminum extinctione, ut Christianus æditaus Floriacensis in lib. Mirac. S. P. Benedicti cap. 26. ob armillas ab Ecclesia sublatas. Egregium est hanc in rem exemplum Leonis Episcopi Agathensis. Is ob agrum quemdam ab hæretico homine subtractum Ecclesiæ S. Andreæ, *prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis & psallentio ducit. Manè autem facto accedit ad lychnos, qui de camera Ecclesiæ dependebant, extendensque virgam, quam tenebat, effregit cunctos &c.* Ut apud Gregorium Turon. Episc. lib. 1. de Gl. Martyrum cap. 79. legitur. Alii vel Reliquias sacras, vel Sanctorum imagines in terram aut in spinas deponebant. Chronographus Senoniensis in lib. 5. cap. 7. *Quum Dominus de Salmis res Ecclesiæ Senoniensis diriperet, Monachi consilio Gilonis Episcopi Tullensis imagines Redemptoris nostri, & etiam Beatissimi Simeonis Confessoris de locis suis ad terram super spinas deposuerunt.* Denique S. Eligius instar comminantis ad S. Columbam, cui oratorium construxerat, sic orationem direxisse legitur in lib. 2. Vitæ cap. 30. *Nisi citò ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem spinis allatis faciam hanc januam ita obserari, ut numquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie*. Sæculo IX. aut insequenti alius inductus est ritus, ut scilicet Sanctorum Reliquiæ adversùs pervasores deferrentur; quod sexcentis exemplis constat. Lugdunense Concilium generale sub Gregorio X. relatum in VI. Decretal. de off. ord. c. *Si Canonici*, reprobavit, *detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, B. Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum imagines seu statuas irreverenti ausu tractantes eas in aggravationem cessationis (à divinis) prosternunt in terram, & urticis spinisque supponunt*. *ad ann. 670.* *ad ann. 651.* *To. 3. Spicil.*

XLIX OBSERVATIO XII.

His observationibus succedant quædam animadversiones de Episcoporum destitutione, quam nimirum ob causam, & quo ritu isthoc sæculo VII. peragеretur. Episcopos aliosque Ministros sacros ob lapsum carnalem perpetuâ depositione feriebant Canones. Id S. Amando districtè observandum præcipit Martinus Papa in Epistola ad ipsum Amandum relata in supplemento Milonis cap. 2. iis sanè verbis, quæ hic integra transcribere conveniret. *Qui semel post* *ad ann. 679.*

suam ordinationem in lapsu ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci: Sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis quousque advixerit in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum valeat extinguere. &c. Unde illa Isidori Hispalensis eximia sententia ad Helladium Toletanum Episcopum: *Sciat se amisisse nomen & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis.* Lege elogium S. Helladii ad annum 632. Iisdem legibus prævivit Gregorius Magnus, quemadmodum ex lib. 7. Epist. 25. Indict. 1. & lib. 10. Epist. 8. intelligitur. Quare non immeritò viris eruditis supposititia videtur illa pars Epistolæ S. Doctoris *ad Secundinum Servum DEI*, quæ lapsis Sacerdotibus veniam gradumque non adimit: maximè cùm pars illa Epistolæ in nonnullis exemplaribus MSS. desideretur. Attamen genuinam Gregorii præscriptionem esse appendicem illam epistolæ ad Secundinum, multa persuadere videntur: Stilus ubique æqualis; Pauli VVarnefridi Diaconi ac Monachi Cassinensis exemplar ad S. Adelardum Abbatem Corbeiensem, cujus autographum penes nos habemus, in quo hæc epistolæ pars legitur. Nec minùs favent Hincmarus Remensis Antistes in Capitulari 2. Art. ultimo, ubi totam ferè illam epistolæ controversæ partem refert; & Anselmus Cantuariæ Episcopus in lib. 1. Epist. 56. ad Guillelmum Abbatem, in qua hæc verba: *Qui autem huic sententiæ, quæ ad Sacri Ordinis officium reditum post lapsum concedit, nequaquam aliqua ratione, nisi auctoritate fulciatur Scripturarum, vult consensum attribuere, legat Epistolam B. Callisti Papæ, Decretum universis Episcopis per Galliam constitutis, & B. Gregorii ad Secundinum inclusum - - - sed quoniam idem B. Gregorius idipsum in aliis suis quibusdam Epistolis studiosè prohibet; ne sibi ipse contrarius sit, de apertis quidem prohibuisse, de occultis verò per occultam pœnitentiam concessisse intelligitur.* Hincmari testimonium hac in parte eò majoris est auctoritatis, quòd accusaretur à quibusdam, quasi faveret Novatianis, dum restitutionem Presbyteris & Diaconis lapsis denegabat. Quòdsi tum temporis variassent Gregorianæ Epistolæ exemplaria, id certè dissimulaturus non fuisset, quod causæ suæ futurum erat opportunum. Verùm illud quodcumque est controversiæ, dirimendum relinquo doctissimo Viro, qui Gregorii Operum Editionem accuratam molitur.

Regest. lib. 7. Epist. 53. ind. 2.

To. I. op. Hincmari circa fin.

L. OBSERVATIO XIII. ad ann. 678. Alias causas, ob quas Ministri sacri in ordinem, immo extra ordinem redigebantur, persequi non est hujus loci. Superest ut quo ritu id fieret ex his Actis depromamus. In Vita S. Leodegarii primaria ab anonymo scripti cap. 14. *Theodericus & Hebroinus Didonem, qui Sanctum Virum Leodegarium cum VVaimero expulit de Sede sui Episcopatus, & tradidit pœnæ illectus, condemnatum ab ipsa Synodo, calvariâ acceptâ in capite, expulsum à S. Congregatione segregâsse* dicuntur. Et Hebroini invidentiâ *factum est, ut Episcoporum consilio, Leodegarii disrumperet vestimentum, quatenus ob hoc esset ei interdictum, ut ultrà non præsumeret offerre Sacrificium*. Qui destitutionis ritus ex Gregorio Turon. Episc. lib. 5. Hist. cap. 19. in causa Prætextati Rotomagensis Episcopi confirmatur. In Actis S. Theodardi Narbonensis Episcopi, qui nono sæculo florebat, Selva, aliique Episcopi hoc modo abjecti feruntur. *Truncatis in conspectu omnium ac penitus scissis Episcopalibus indumentis, baculisque super eorum capita confractis, nec non annulis singulorum ab eorum digitis dedecore cum magno avulsis, ab omni Ordine Clericatûs penitus dejecti sunt ac depositi.* Nulla hic mentio de mitra, (sic pileum Episcopalem vocant,) uti neque in Concilio Toletano IV. cap. 27. neque in Ordine Romano: quamquam Sulpicius Pius Biturigum Episcopus *Pontificale Petalum* gestâsse memoratur. A rebus Ecclesiasticis ad Monasticas transeamus.

Catel. in Hist. Occitan. pag. 769.

ad ann. 644. num. 37.

Ab-

Abbates Monachorum per Sæculum VII. ab Episcopis ordinabantur. Huc facit Venerabilis Beda in Historia Abbatum Monasterii sui lib. 1. num. 11. Benedicti Biscopi referens hæc verba: *Quemcumque omnes unanimi caritatis inquisitione optimum cognoscentes elegeritis, hunc vobis accito Episcopo rogetis Abbatem consueta benedictione firmare*. Et lib. 2. n. 19. *Reverso autem domno Huvetberto, advocatur Episcopus Acca, & solita illum in Abbatis Officium benedictione confirmat*. Hinc Ordo Romanus de Ordinatione Abbatis. *Incipit capitulum ex Canone Theodori* Episcopi Cantuariensis. *In Ordinatione Abbatis Episcopus debet Missam cantare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus suis, & dat ei baculum & pedules. Post Antiphonam ad Introitum, & dictam Orationem, adnuntiat Episcopus in populum dicens: Ecclesiæ nostræ, Fratres carissimi, Pater electus suum adest Ordinem ad suscipiendum. Unde Apostolicà priùs censemus eum auctoritate examinandum, suum propositum, &c. S. Benedicti Regulam si velit observare*, &c. Denique ex Gregorio Magno in lib. 7. Epist 7. Indict. 2. constat, Abbatissas tum *solemni more ab Episcopo ordinatas fuisse*: quod etiam meritò de Abbatibus dicere possumus. LI OBSERVATIO XIV. ad ann. 690.

Privilegium immunitatis Cœnobii Bobiensis adstruit Jonas Monachus auctor æqualis in vita S. Bertulfi Abbatis, & qui librum de miraculis S. Columbani Abbatis composuit Monachus Bobiensis anonymus cap. 23. quod non eo animo observo, quasi de ejusmodi privilegiis disceptare velim: sed quò appareat, rem haud novitiam esse, eamque à viris piis ac Sanctis Attala & Bertulfo comparatam. Lege S. Anselmi lib. 2. Epist. 33. ad Urbanum Papam. LII OBSERVATIO XV.

In Præfatione ad Sæculum primum observavimus, Ecclesias Monachorum feminis quondam inaccessas fuisse. Cujus rei exempla etiam hic habes in Actis S. Geremari Abbatis num. 24. de Monasterio Flaviacensi. *Mulieribus*, inquit Geremarus, *nullus umquam accessus patebit*. In Miraculis S. Remacli num. 21. de Monasterio Stabulensi. In supplemento Milonis Monachi cap. 6. de Cœnobio Elnonensi: item de Ecclesia Lindisfarnensi in vita S. Cuthberti Episcopi. Ejusdem ritus insigne exemplum de Romano S. Pauli Monasterio, Baronius ad ann. 713. commemorat. Lege Leonis Papæ Epistolam ad Hugonem Abbatem de Monasterio S. Martini. Ecclesiæ Pontiniacensis *solis Anglicanis mulieribus*, teste Matthæo Parisio ad annum 1250. concessus erat aditus ob S. Edmundum popularem suum. At in Monasteria S. Columbano subjecta, Luxovium, & alia, nequidem sæculares homines ingredi permittebantur: Quam ob causam Theodericus Rex Columbanum in calumniam rapuisse, & vexavisse dicitur in Vita S. Columbani num. 33. Prætermittere non possum Monachorum S. Galli, egregium factum huic loco opportunum, ab Ekkehardo juniore in lib. de Casibus Monasterii S. Galli, cap. 1. fusè relatum, cujus hæc summa. *Petiit Salomon adolescens bene educatus, ut Frater conscriptus fieri mereretur*. (Illi in partem ac societatem precum & piarum actionum adlegebantur.) *Aulam Regis Ludovici adiit, Capellanus factus, ejus fit intimus, & prælibatis Abbatiis proclivè est prælatus. Locum autem S. Galli sibi præ omnibus habitum subinde adiit, Claustrumque ille, quia potens erat, absque duce, & (quod magnæ confusionis tunc erat) cum lineis vestibus dietim introivit*. Increpitus a Monachis, *abstinuit tandem absque aliquo Patrum, ut moris est, præduce Claustrum introire. Post aliquantum temporis à palatio veniens, Quadragesimam in eo loco agere elegit. Ingreditur clam penetralia Claustri nudipes, cappâ quidem (uti fratrum unus putaretur) indutus. Vigiles cum lumine confestim adproperant, agnitus est, atque ilico Ruggerus Pater: Per S. Galli, inquit, meritum (Sic enim Patres jurabant) hunc in Claustro ejus his horis non patiemur habitum. In processu temporis habitum S. Galli sumere polli-* LIII OBSERVATIO XVI. ad ann. 658 ad ann. 664. To. 2. Spicil. pag. 175.

licetur: tantùm interim propter Claustri reverentiam talis habitus sibimet rogat sit licitus. Variis fratrum hinc inde tractatibus vix tandem conceditur: designaturque ei locus, quem hodie lapidibus quadris notatum videmus, quibus intrans habitum indueret, exiens exueret. Scilicet ea Majorum nostrorum religio erat. Quod si religiosè posteri servâssent, Claustra Monastica, quæ olim studentium ac Deo vacantium Monachorum latibula erant, non fuissent conversa in diverticula, & deambulatoria hominum sæcularium.

§. V.

Observationes Historicæ & Chronologicæ.

LIV OBSERV. XVII. QUàm inclinata fuerint in Occidente per sæculum VII. studia litterarum, docet Agatho Pontifex Romanus in Epistola ad Constantinum Augustum, dum Legatorum, quos Constantinopolim ad Concilium dirigebat, imperitiam excusat his verbis: *Apud homines in medio Gentium positos, & de labore corporis cotidianum victum cum summa exercitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia, nisi qua regulariter à Sanctis atque Apostolicis prædecessoribus, & Venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sinè ambiguitate à Patribus tradita fidei conservamus.* Et in alia Epistola tam suo quam Patrum Synodi Romanæ missa nomine; *Non æstimamus quemquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiæ glorietur: quandoquidem in nostris regionibus diversarum gentium cotidie æstuat furor, nunc confligendo, nunc discurrendo, nunc rapiendo. Unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos Gentium manus circumdat: & quibus de labore corporis victus est, eò quòd pristina Ecclesiarum substantia paullatim per diversas calamitates deficiendo succubuit. Et sola est nostra substantia Fides nostra, cum qua nobis vivere summa est gloria.* Aurea sanè ferrei sæculi verba! Ex illa studiorum inclinatione natum est & aliud malum, negligentia scilicet, & incuria librorum; adeò ut Taïus Cæsar-Augustanus Episcopus, qui postremam partem Moralium Gregorii Magni apud Hispanos frustra perquisierat, Romam eadem de causa Chindasuindi Regis jussu profectus, eam non aliter quam Divina revelatione recuperare potuerit. Cujus rei extat monumentum in Appendice ad Conc. Tolet. VII. & apud Baronium ad ann. 649.

LV Idem Taïus in Epistola nuncupatoria ad Quiricum Toletanum Episcopum, cui libros quinque de rebus Divinis ex Gregorii Magni operibus collectos dedicavit, sui temporis calamitates deflet in hunc modum.

„ Domno venerabili Sanctissimoque Viro Quirico Episcopo Taïus indi-
„ gnus Cæsar-Augustanæ Urbis Episcopus cognomento Samuhel. Memor ve-
„ stræ benignissimæ petitionis, nostræque devotissimæ promissionis, hujus
„ textum libelli comptis sententiarum titulis prænotatum vestræ Sanctitati
„ malui dirigendum: ut sicut unius sanctæ caritatis vinculo nectimur; ita quo-
„ que laboris ac lectionis gratiâ merito participemus. Ordo namque rationis
„ exposcit, ut priùs causas originum, immo potiùs calamitatum, qualiter
„ editus, vel in quibus sit anxietatibus difflor atus atque conscriptus, brevita-
„ te qua possum vestris auditibus pandam, & ità demum ad reliqua ora-
„ tio-

„ tionis sermo percurrat. Optimè novit Beatitudo Vestra tempus illud, quo „ tortuosus anguis ore pestifero in quorumdam mentibus virulenta seminum „ suorum sparserit zizania, fraudulentaque deceptione à tramite recti itine- „ ris gressum removerit mentium perditarum. In quo quidam homo pestifer, „ atque insani capitis Troja tyrannidem sumens, adsumptis sceleris sui per- „ versis fautoribus adversùm orthodoxum magnumque Dei cultorem Recessu- „ inthum Principem fraudulenta prætendens molimina superbo adnisu Chri- „ stianos debellaturus aggreditur patriam. Hujus itaque sceleris causâ gens ef- „ fera Vasconum Pyrenæis montibus promota, diversis vastationibus Hibe- „ riæ patriam populando grassatur. Heu prò dolor! discendi studium cala- „ mitatis intercipit magnitudo. Sed tandem veniendum est ad id quod formi- „ dat oratio. Innoxius quippe multorum Christianorum sanguis effunditur: „ alii jugulis, nonnulli missilibus, plerique diversis jaculis sauciantur, innu- „ merabilis multitudo captivorum abducitur, immensa spolia subtrahuntur. „ Templis Dei infaustum bellum infertur, sacra Altaria destruuntur, pleri- „ que ex Clericatûs Officio ensibus obtruncantur, atque inhumata canibus „ avibusque multorum exponuntur cadavera occisorum: ita ut 78. Psalmi „ non immeritò illi calamitati congrua videatur inscriptio. Cúmque nos hu- „ juscemodi causâ Cæsar-Augustæ Urbis circumseptos murorum ambitus con- „ tineret, adventumque supra taxati Principis præstolaremur, omnipotentis „ Domini misericordiam promptissimè exorantes efflagitabamus, ut tyrannicæ „ jugum dominationis nequaquam cervicibus nostris sineret imponi, auxilium- „ que dexteræ suæ piissimo Principi contra impiissimum hostem quantocius „ impertiret. Sed orationes pauperum, & deprecationem misericordissimi „ Principis protinus exaudivit Dominus. Misso igitur cælitus propugnatore „ fortissimo, hunc auxilio omnipotentiæ suæ sublevat, illum verò tyranni- „ cæ superstitionis auctorem repentino casu condemnat: isti tribuens pal- „ mam victoriæ copiosam, illi verò inferens atrocissimæ mortis infamiam. In „ hoc igitur suprà taxatæ tempestatis turbine, licèt diebus continuis periculis „ circumquaque sævientibus minimè quippiam agere liceret, nec uspiam pro- „ grediendi, aut alicujus ruris libera esset facultas excolendi; noctium ta- „ men otia laborum spiritualium incrementis congessimus, ac de sacris volu- „ minibus, scilicet S. Papæ Gregorii Romensis sententiarum capitula in quin- „ que libellis discreta, uno codicis textu conclusa auxiliante Domino colli- „ gendo decerpsimus. . . Sumentes igitur exordium ab omnipotentis Domini „ immutabilis essentiæ Trinitate atque ab origine mundi hominumque plasma- „ tione usque ad hujus Sæculi consummationem, &c.„ Hæc ex MS. Cod. Thua- neæ Bibliothecæ per custodem humanissimum D. Quesnelium benignè com- municato fusiùs excerpsi, tum quia hæc Epistola optimè rerum Hispanica- rum Statum exponit, tum quia Taii lucubrationem hactenus ignotam in apertam lucem exhibet.

Nec meliori loco tum erat res litteraria in partibus Gallicanis, quemadmo- dum ex vetustis monumentis nobis relictis intelligitur. *Mundus senescit*, (inquit Fredegarius Scholasticus in Prologo Chronici sui:) *ideoque prudentiæ acumen in nobis tepescit: nec quisquam potest hujus temporis, nec præsumit, Oratoribus esse similis.* Britannia Insula hominibus piis & Christianæ disciplinæ amantissimis abunda- vit, paucos litteratos habuit ante Venerabilem Bedam: Si fortè Theodorum Cantuariæ Episcopum excipias. Germania armis quàm litteris valentior fuit. Non defuêre tamen aliquot Viri Docti, Isidorus, & Hildefonsus in Hispania; Columbanus, Jonas, Audoënus, & Eligius in Gallia, & Italia: quales sanè fe- rebat ætas illa. LVI

Quod

LVII OBSERV. XVIII. Quod attinet ad res chronologicas, cùm Romani Indictione & annis Pontificum, Galli annis Regum, Hispani ærâ suâ vulgatâ, Venerabilis Beda in rebus Britannicis ærâ Christianâ, in Historicis libris Sæculi VII. usi sint; operæ pretium fuerit, quasdam difficultates, quæ remoram in subsequentibus Actis facere possent, hoc loco explanare, maximè circa Regum Francorum annos, qui non facilè cum vulgato æræ Dionysianæ calculo conciliari possunt.

LVIII OBSERV. XIX Prima ac maxima difficultas est de Regno Dagoberti senioris, quem annos sexdecim regnâsse constat. Verùm hos annos alii a tempore, quo vivente patre Chlothario Rex Austriæ constitutus est, alii dumtaxat à patris obitu numerandos existimant. Posteriorem sententiam, quam secuti sunt ferè omnes recentiores uno aut altero excepto, primus omnium valide confutavit V. C. Hadrianus Valesius in Rer. Franc. lib. 18. ubi multis docet præferendam prioris calculi rationem. Valesio accedit Carolus Cointius in Annal. Eccl. Franc. Tom. 2. & 3. quibus subscribere me cogunt validissima argumenta: tametsi Socii Bollandiani posteriori sententiæ hactenus inhærent.

LIX Antequam Valesiani calculi argumenta consideremus, præfigendi sunt anni Chlotharii Regis auctoritate Fredegarii Scholastici, quem unicum habemus istius controversiæ auctorem, & interpretem. Anno Guntramni Regis XXIV. *quum Guntramno perlatum fuisset, quòd Frater suus Chilpericus esset interfectus, Chlotarium* puerum *in Regno* Neustriæ *firmavit*, inquit Fredegarius in Chron. cap. 3. *anno Guntramni XXVI. Leuvichildus Rex Spaniæ moritur, & obtinuit Regnum Recaredus filius ejus*, cap. 6. Atqui ex Chronico Isidori Hispalensis Episc. *ærâ sexcentesimâ vigesimâ quartâ*, hoc est anno Domini concepti D.XXCVI. *Levvigildo defuncto Recaredus Regno est coronatus*: quo anno Guntramnus regni annum XXVI. Chlotarius nepos tertium agebat. Chlotharius *anno XXX. regni sui* teste Fredegario cap. 43. hoc est anno DC. XIII. *in Burgundia & Austria Regnum arripuit* & cap. 47. anno XXXVIIII. * Regni sui seu anno Christi DC. XXII. aut ineunte insequenti *Dagobertum filium suum consortem Regni fecisse, eumque super Austrasios Regem constituisse* legitur. Denique *anno XLV. Regni sui*, Christi DC. XXVIII. *Chlothar.us moritur* cap. 56. Dagobertus verò, ut Fredegarius cap. 79. auctor est, consentitque liber de Gestis Dagoberthi, *anno XVI. regni sui emisit spiritum*, & quidem XV. Kalend. Februarias, quem diem Monachi nostri Dionysiani anniversaria precatione & ritu solemni etiamnunc celebrant. Si ergo Regnum Dagoberti numeres ab ejus principatu in Austria, annum Christi DC. XXXVIII. Dagoberti supremum constituere debes: at si à morte patris ineas, anno Christi DC. XLIV. Dagoberti obitum collocabis. Cur autem priorem sententiam præferamus, paucis accipe.

* *Sic Valesius restituit ex MSS.*

LX Primum argumentum est, quòd Fredegarius statim post Chlotarii mortem subjicit annum VII. Dagoberti Regis, quo is *Burgundiam ingressus, maximam partem Regni paterni adsumpserit*. Quis putet Dagobertum sex annos à morte patris dormitâsse, & nequaquam de ineundo paterno regno cogitâsse? Et quidem Hermannus Contractus in Chron. Fredegarii mentem clariùs exprimit, quàm ut commentario egeat. *Lotharius Rex Francorum fortis, pius & religiosus, anno regni XLV. defunctus, & Parisiis in Basilica S. Vincentii sepultus est. Ejus Regnum Dagobertus accipiens, quum jam sex annis regnaret, decem annis posteà rexit*. Alterum argumentum est, quòd Fredegarius exordium regni Sigiberti Dagoberti filii, non à patris obitu, sed à tempore, quo Rex Austriæ ab eo impositus est, modo prorsus simili deducit. Siquidem annum X. regni Sigiberti cum anno IV. regni Chlodovei ejus fratris comparat, cap. 88. & 89.

Propte-

Propterea Fredegarius (ut Valesius observat) caput XLVII. inscribit *de initio regni Dagoberti*, & caput LXXV. *de initio regni Sigiberti in Auster*, tum scilicet quum Dagobertus a patre Chlotario, & Sigibertus a Dagoberto genitore Reges Austrasiorum sunt constituti. His duobus Valesii argumentis tertium adjicit Carolus Cointius, petitum ex Jonæ Prologo in Vitam S. Columbani cum Actis S. Eustasii collato. Nimirum Jonas Prologum scribebat, triennio vixdum elapso a morte S. Bertulfi Abbatis anno DC.XL. demortui. Et tamen scribebat Eustasii vitam Columbani Actis continenter subjectam, quum jam *Ecclesiæ Veromandensi præerat Eligius*, qui *anno tertio Chlodovei* Dagoberti filii ordinatus est Episcopus. Tribus illis argumentis superaddo alia duo, quæ Fredegarii Chronicon suppeditat. Nimirum c. 73. dicitur Sisenandus Senzilam seu Suinthilam Hispanorum Regem solio deturbâsse, ac Regnum occupâsse *anno IX. regni* Dagoberti. At verò Sisenandus regnare cæpit anno DC.XXXI. quandoquidem Conc. Toletanum IV. convocatum est, *anno tertio regnante gloriosissimo Principe Sisenando*, ut habent ipsius Concilii Acta; & quidem *ærâ sexcentesimâ septuagesimâ primâ*, ut ex vetustis monumentis eruit Garsias Loaisa; Anno proinde Christi DC. XXXIII. aut certè insequenti: sicuti reponit Joannes Mariana in lib. 6. Hist. cap. 5. qui Suinthilam anno DC.XXXI. expulsum, eodemque Sisenandum subrogatum fuisse docet. Denique (quod postremum nostræ sententiæ argumentum est) Fredegarius cap. 82. testatur *Sentilam*, quem alii Chintilam appellant, *qui Sisenando in Regnum successerat, defunctum esse anno secundo Chlodovei Regis* Dagoberti filii: id, quod Hermannus Contractus etiam ex Fredegario docet. Chintila sub finem anni DC. XXXV. Sisenando successit, regnavitque annis tribus, mensibus XI. diebus sedecim, sicuti numerat Johannes Mariana, qui Chintilæ obitum anno DC. XXXIX. consignat. Certe in brevi serie Regum Gothorum (quæ à V. C. Andrea Chesnio sine auctoris nomine edita Juliano Toletano Episcopo in Ms. Cod. Thuaneo. tribuitur) *Sisenandus annis quatuor, Chintila annis tribus regnavisse* leguntur. Hinc corrigendus Rudericus Toletanus Episcopus, qui Chintilano regno annos quinque adsignat. Ergo Chintila vivere desiit anno Christi DC. XXXIX., & tamen anno secundo Chlodovei Regis, seu anno secundo post mortem Dagoberti ejus patris: qui proinde anno DC. XXXVIII. obiisse dicendus est.

Le Cointe ad ann. 640. num. 22.

Chesn. To. 1. Hist. Franc. pag. 818.

Opponitur epocha ordinationis SS. Eligii, & Audoëni, qui teste ipso Audoëno in lib. 2. de vita S. Eligii cap. 1. *convenientes simul in civitatem Rotomagensem XIV. die mensis tertii*, id est Maii, *tertio anno Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias consecrati sunt Episcopi*. Qui characteres chronologici (inquiunt Adversarii) conveniunt cum anno Domini DC. XLVI. quo anno dies Dominica ante Ascensionem Christi, seu ante Litanias Majores in diem 14. mensis Maij incidebat. Ex quo inferunt, regni Chlodovei exordium desumendum esse ab anno DC. XLIV., quo Dagobertum decessisse colligunt. Hunc nodum optime, ut quidem ego existimo, solvit Carolus Cointius, qui versus prædictos ita dispungit, ut Audoënum & Eligium dicat Rotomagum accessisse die 14. Maij, non verò eodem die, sed insequenti Dominica, quæ Adscensionem Domini præcedebat, fuisse ordinatos, anno scilicet DC. XL., quo Pascha in 16. Aprilis, Dominica ante Adscensionem in 21. Maii incidebat. LXI

ad ann. 640 num. 20. & seqq.

His de annis Dagoberti præmissis, dubia quædam de aliis Regibus breviter elucidanda sunt. Chlodoveo Dagoberti filio *regni annos* XVIII. tribuit Fredegarii continuator, Chronica Moisacense & Besvense, Scriptor Vitæ secundæ S. Vvandregisili, aliique; quidam annos tantùm XVII. tribuunt. LXII

OBSERV. XX

Obiit

Obiit igitur Chlodoveus anno DC.LIV. aut certè insequenti. Successit Chlotharius filius, quem regnavisse annis XIV. (non verò dumtaxat annis IV. uti in Fredegarii Append. & apud Hermannum Contractum scribitur) constat tum ex prædictis S. Vvandregisili Actis, tum hoc argumento, quòd Austrasii post ejus obitum ei Chlotharium filium supposuerunt. Quod certè de puero octenni (nam Chlotharius successerat quadrimus Chlodoveo patri) nullatenus fingi, minùs persuaderi vulgo potuisset. Chlotharius anno DC.LXIX. successorem habuit Childericum fratrem, qui jam in Austria annis circa novem regnaverat. Extinctus est post annos quatuor, ut in Actis Vvaningi legitur: sceptrumque reliquit Theodorico fratri, quem priùs in Dionysianum Monasterium relegaverat. Theodericus Monarchiam tenuit annis XVII. integris, ab anno scilicet DC. LXXIII. ad DC. XC. nam autumno anni DC. LXXIII. Childericus frater oppressus fuit. Liber de gestis Regum Franc., & Hermannus Contractus Theoderico Regni annos XIX. adsignant; quæ diversitas in annos cavos rejicienda est. Theodorici anno XVI. habitum est Concilium Rotomagense, præsidente Ansberto Metropolita, cujus corpus *anno regni Childeberti decimo*, *Christi DCC.IV.* translatum legitur in veterrimo Chronico Fontanell. cap. 2., & in fine veteris Chronici Eusebiani, quod Jacobi Bangarsii fuit, scriptum invenisse se ait Josephus Scaliger, anno V. Childeberti Regis Francorum, Pippino jubente fuisse Pascha X. Kalend. April., Adscensionem Kalendis Maiis: quæ notæ in annum DC. XCIX. conveniunt: quod Hadrianus Valesius observavit. Ex quibus intelligitur, Childebertum anno DC. XCV. regnum iniisse: proindeque Chlodoveum ejus fratrem ac decessorem, cui plerique Auctores & libri Mss. regni annos IV. tribuunt, Theodorico patri anno DC. XCI. successisse. Porro Childebertum Theodorici filium, Chlodovei fratrem, & successorem anno DCC. XI. obiisse, nunc constat inter eruditos. De Regibus Francorum hæc se habent.

LXIII OBSERVATIO XXI. In annis Pontificum Romanorum vulgatum sequimur calculum, præterquàm in Martino, Eugenio, Vitaliano, & successoribus usque ad Agathonem, de quorum Pontificatu pauca observanda. Martinus auctore Hermanno Contracto, *anno DC. XLIX.* sedere cœpit. Sedit autem *annis sex, mensibus ferè duobus*, seu ut Anastasius scribit *annos sex, mensem unum, dies viginti sex.* Anno igitur DC.LV. ejus martyrium accidit, non verò anno DC. LIV. ut Baronio videtur, qui etiam in exilio Martini designando lapsus est. Siquidem Martino decretum est exsilium *feriâ secundâ, XV. Kalend. Julias*; ejectio vero contigit *feriâ quartâ, XIII. easdem Kalend.* id quod ipsius Martini Epistola testatum facit. Proinde non anno DC. L. ut Baronius putat, sed anno DC. LIII. currente littera Dominica F., Martinus ex urbe Roma abductus est. Id jam antea observavit Carolus Cointius, ad ann. 658. num. 6. & seqq., qui etiam rectè corrigit Baronium in designandis annis Eugenii & Vitaliani Pontificum Romanorum, aliosque successores summovet, donec tandem in Agathone Papa cum Baronio in concordiam redit. *Anno DC. LV.*, inquit Hermannus *Martinus Papa in exilio migravit ad Dominum, pro quo Romæ Eugenius ordinatus, sedit annis duobus, mensibus ferè decem. Anno DC. LVII. Romæ Eugenio Papa defuncto cessavit Episcopatus mensibus ferè duobus. Anno DC. LVIII. Vitalianus Papa sedit annis XIV.* Anastasius Bibliothecarius paullò diligentiùs tempus cujusque Pontificatûs designat, sicuti in tabula nostra Chronologica inferiùs designabimus. At Hermanni calculo in designando Pontificatûs initio omnino standum est. Certè Milo Monachus Elnonensis in Supplem. ad Vitam S. Amandi cap. 5. num. 8. annum Domini DC. LXI. illigat anno Episcopatûs Vitaliani Papæ ter-

tertio, qui proinde non anno (ut apud Baronium) DC.LV. sed anno DC.LVIII. sedere cœpit. Hinc annos sequentium Pontificum usque ad Agathonem summovemus.

LXIV OBSERVATIO XXII.

Antequàm has Observationes finio, nonnihil de Frodoardo Canonico Remensi dicendum occurrit. V.C. Antonius Vvionius Herovallius, quem rei antiquariæ Genium meritò appellaveris, pro sua in litteratos omnes providentia me monuit, extare in Bibliotheca RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Conventûs Parisiaci Acta Sanctorum manu descripta, ex quibus non parum utilitatis accepi. In his deprehendi Frodoardi Canonici Remensis libros XIV. de variis Sanctis metricè compositos, in quibus Pontificum Romanorum aliorumque Virorum illustrium egregia facta secundùm temporis rationem describuntur. Istos libros numero XV. jam è Bibliotheca Trevirensi indicaverat Joannes Bonderius in Indic. Mss. codd. Belgic. & ex eo Gerardus Vossius in lib. 2. de Hist. Lat. cap. 40. tametsi libros dumtaxat quatuordecim præfert exemplar Parisiense, detractis duobus primis libris cum cap. 1 tertii. Præter Acta nonnulla Sanctorum ex his Frodoardi libris à me eruta, duo veniunt observanda, nempe silentium Frodoardi hominis supparis de Johanna Fabulosa illa Papissa, quæ à nonnullis inter Leonem IV. & Benedictum III. insulsè inferitur. Sic enim Leonis mortem, & Benedicti electionem describit Frodoardus in lib. 12. Epigr. 1.

Hinc rebus bene dispositis, portu, urbe, soloque
Ausoniæ tuto, digna mercede potitur (Leo scil.)
Se deflens, Patribus claris cum milite junctis,
JESUM corde petit prono se munere digno
Solari. Nec abest Dominus haurire paratus
Servorum gemitus, dum spirat mentibus, uno
Ore simul cunctos Benedictum poscere Patrem:
Æthereo qui rore ferat, &c.
His radians meritis, in sancto clara Senatu
Jura capit, &c.

Idem Auctor (quod alterum observatu dignum) scribit se Romam fuisse profectum Leone VII. Pontifice, ab eoque benignè exceptum: quo Pontifice etiamtum superstite librum suum XII. absolvit, sic enim canit:

Qui me visentem ætherei pia limina Petri
Jocundè excipiens, animo quæsita benigno
Admisit favitque piè, studuitque modestè.

Et post paucos versus:

Quem Pater Omnipotens alacrem cultuque venustum
Attollat servetque diu, &c.

Hinc patet, libros istos a Frodoardo scriptos fuisse ante annum CM.XXXIX. quo Leoni VII. successit Stephanus Octavus. Frodoardus in neutra historia sua, scilicet in historia Remensis Ecclesiæ libris 4. exarata, aut in Chronico, (nam utriusque eumdem esse auctorem constat) Romanæ suæ peregrinationis meminit. Unde forsitan suspicari quis posset, an libri XIV. Carminum prælaudati ejusdem sint Auctoris, an potiùs Frodoardi nepotis ejus, de quo in Chron. ad ann. 963. agit. At certè Frodoardum seniorem & historicum versibus delectatum fuisse probat liber de Miraculis S. Mariæ in Ecclesia Remensi, quæ Miracula *versibus* à se exarata fuisse, in lib. 3. hist. cap. 6. testatur. Ejus Epitaphium in exemplari Carmelitano, lib. 14. Carminum subjicitur, quod aliàs DEO dante referemus.

JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM PRIMAM SÆCULI TERTII ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti DCC. ad DCCC.
impreſſa Pariſiis anno 1672.





APeritur nobis favente DEO, Æræ Benedictinæ ſæculum tertium, Chriſtianæ octavum; non minùs alternantium rerum varietate, quàm memorandis factis inſigne. I

Europa ſiquidem, cujus ferè limitibus hiſtoria noſtra continetur, pænè tota motibus quaſſa inſolitis, novos Dominos novamque formam ſubiit. Fuit in primis Hiſpaniæ luctuoſum fatum, quæ Vvitizæ & Ruderici pravorum Regum contaminata flagitiis, proditore Juliano Duce in Maurorum poteſtatem venit; tumque Veſigothorum Imperium, quod trecentis amplius annis ſteterat, ab immani ac feroci gente extinctum eſt. Sardinia Inſula idem infortunium experta: uti & Sicilia miſerè ab Saracenis vaſtata. Paullò felicior extitit Italia, non tamen à magnis converſionibus immunis. Nimirum Romani Imperii portio, quæ per Exarchos Ravennates adminiſtrata diu fuerat, Imperatoribus Græcis erepta, Romanis Pontificibus ceſſit: & Langobardorum Regnum, annis ducentis validum, Francorum demum armis ſuccubuit. Nec etiam Gallia ipſa mutationum expers. Quidquid à Pyrenæis jugis ad Rhodanum uſque maritimi ſoli eſt, id à Mauris occupatum; ſævitumque perſæpè ab illis igni & ferro in finitimas regiones. Quin abjecto Childerico, Merovingici generis poſtremo Francorum Rege, ad Majores domûs devolutum eſt regium nomen, quod ipſum eis ſolum deerat. Nam regia poteſtate jam dudum gerebant omnia. Pippinus, alterius familiæ caput, rebus fortiter geſtis & populi ſtudio thronum conſcendit; eumque poſtea Carolus ejus filius, re & cognomine Magnus, imperatoria dignitate extulit, Germaniæ Provinciis pleriſque ſubactis. Denique Britannia Inſula, per varios Heptarcharum motus jactata, à Danis miſerè lacerata vertente ſæculo eſt. II Europæ ſtatus.

Intanto rerum turbine, quàm afflicta publica res litteraria fuerit, docent nos illius temporis qualiacumque monumenta, maximè hiſtorica, quæ veluti quibuſdam pannoſæ imperitiæ centonibus a ſeſe divulſis conſtant. Ex hoc Auctorum ſordidorum numero excipiendi ſunt viri pro ea ætate ſummi, Beda Venerabilis, Paulus Vvarnefridi, Ambroſius Autpertus, Albinus ſeu Alcuinus Flaccus, & ſiqui alii, Ordinis noſtri lumina. Carolo Magno imperante Muſis honos reſtitui cœpit, rediitque avita celebritas, paullò pòſt Nortmannorum tempeſtate rurſus infeliciter violata. III Litterariæ Rei.

Verùm pro inſtituto noſtro ſatius fuerit, Chriſtianæ ac monaſticæ Reipublicæ faciem conſiderare: quæ utraque nihilominus rerum variarum ſubiit vices. Dum enim Græcorum Imperatores funeſtum imaginibus ſacris bellum indicunt, Latinam itidem Eccleſiam iſtius controverſiæ pervadit tumultus. At ex adverſo Scotti, agentibus ſodalibus noſtris, Schiſmate depoſito catholicis partibus accedunt. Eo eodem ferè tempore, quo Chriſtiana Religio in Hiſpania Sardiniaque propemodum extincta eſt, Germania Idolorum cultum per Bonifacium noſtrum perque ſocios ejus abjecit, quaſi *diminutio illorum*, ut verbis utar Apoſtoli, fuerint *divitiæ gentium*. IV Eccleſiæ.

Dum

V Et Ordinis S. Benedicti. Dum Majores nostri farciendis Christianis rebus operam & sanguinem impendunt, etiam in populos recèns ad Fidem adductos inferunt Benedictinæ Regulæ cultum, qui bellorum tumultu afflictus in Gallia, per Saracenos eliminatus ex Hispania est. Movit Romanos Pontifices tam ardens & arduum nostrorum studium in rem Christianam: eisque visum operæ pretium est, ut denuò excitaretur primarium illud Seminarium, Cassinense inquam Monasterium, jam dudum sub ruinis per Langobardos inflictis jacens, quod tam eximiæ propagini originem dederat. Id negotii per Petronacem cura Gregorii Papæ junioris inceptum Gregorius tertius promovit, Zacharias porrò feliciter absolvit. Tuncque factum est, ut ex sacro illo Asceterio Sturmius, & Vvillibaldus in Germaniam, Carolus M. in Galliam purioris Religionis disciplinam derivarint.

VI Hæc breviter ob oculos posita, paullò fusius explicare juvat. Agendumque in primis de schismate Scottorum: tum de Germaniæ ad fidem accessione, deque Ecclesiis Cathedralibus & litterarum Academiis in ea institutis, ac de cultu soli Germanici per nostros; quibus rebus succedent Observationes Ecclesiasticæ, Monasticæ, & Historicæ ex his actis eruendæ.

§. I.

De Scottorum discidio per Benedictinos sublato, ubi de tonsura Laicorum, Clericorum, & Monachorum.

VII Dissensio de Paschate, tonsura &c. EA est humanæ societatis indoles ac natura, ut constare nequeat sinè quadam æqualitate & convenientia morum. Id luculenter etiam probatur in rebus sacris, in quibus ejusmodi religionis homines alligari necesse est Sacramentis ac ritibus certis: quibus neglectis aut violatis, solvi ac dividi religiones oportet. Hujusce rei experimentum ab ipso pænè Ecclesiæ nascentis exordio patuit in paschalis Festi celebratione, quam diversi Christianorum cœtus alii alio die servabant, ac propè factum est, ut unius diei discidium Ecclesiæ corpus unionemque divelleret. Recruduit controversia illa per Brittones & Scottos in Britannia & Hibernia Insulis, eóque demum evasit, ut Brittonum pertinacia sanguine mille ducentorum Monachorum frangi aut expiari non potuerit. Cùm enim Augustinus, a Gregorio Magno in Britanniam missus, modis omnibus tentaret, ut Brittones ad rituum Romanorum concordiam revocaret, nec tamen ab susceptis semel institutis recedere vellent; tandem Ethelfridus Rex in eos, uti prædixerat Augustinus, exercitum movens ad civitatem Legionum, „ cùm videret Sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum „ agente convenerant, seorsum in tutiore loco consistere; in hos primum ar„ ma verti jubet: extinctisque eorum qui ad orandum pro Brittonibus ex Ban„ chorensi Monasterio confluxerant viris circiter mille ducentis postea ceteras „ nefandæ militiæ copias delevit, „ testante Beda in historiæ libro secundo, capite secundo, *Dicebat autem eis Augustinus, quòd in multis quidem nostræ consuetudini, immo universalis Ecclesiæ contraria geritis. Et tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis; ut ministerium baptizandi, qua Deo renascimur, juxta morem S. Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ compleatis; ut gen-*

genti Anglorum unà nobiscum verbum Domini prædicetis; cetera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. Hæc ergo discidii præcipua capita, quæ similiter Scottos in Hibernia degentes ab Romanis dividebant. Accedebat etiam de tonsura dissensio non levis, quam Brittonibus ac Scottis adversus Romanos communem fuisse existimo. Eam quæstionem pacis gratiâ dissimulavit Augustinus: quæ tamen aliis haud levis momenti visa est, ut patet tum ex Epistola Ceolfridi Abbatis ad Naitonum Nortanhumbrorum Regem, tum ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis Episcopi, cujus hæc verva: *Qui ordinati sunt à Scottorum vel Brittonum Episcopis, qui in Pascha vel tonsura Catholicæ non sunt adunati Ecclesiæ, iterum à Catholico Episcopo confirmentur. Similiter & Ecclesiæ, quæ ab ipsis ordinantur, aquâ exorcizatâ adspergantur, & aliqua collectione * confirmentur*. Immo longè ante eos Patricius; *Si quis est Clericus, cujus capilli non sunt tonsi Romano more, debet excommunicari*, quæ verba leguntur in manuscripta collectione Canonum Hibernicorum, quæ penes nos est, libri quinti capite septimo. Parva nunc res, & quæ vix seriò agenda videri possit, tunc ingenti certamine insulares illos accendit. *id est collecta.

VIII A nostris impugnata. Contra eas Brittonum ac Scottorum ineptias stilum ac zelum exercuêre non pauci. Primus post Augustinum occurrit mihi Cummianus, è Scottorum grege Monachus, qui ad Romanas partes adjunctus, rationem facti sui reddit Segieno Hyensi Abbati. Exstat ea epistola de controversia paschali inter Hibernicas ab Usserio vulgatas. qua in epistola validè refellit auctor populares suos consensu Ecclesiæ universalis. *Quid autem pravius, inquit, sentiri potest de Ecclesia matre, quàm si dicamus, Roma errat, Hierosolyma errat, Alexandria errat, Antiochia errat, totus mundus errat: soli tantùm Scotti & Brittones rectum sapiunt?* Meminit etiam idem auctor Synodi in campo *Lenee* à Majoribus suis habitæ ac factæ definitionis, *ut Pascha cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent. Sed non post multum surrexit quidam paries dealbatus, traditionem seniorem servare se simulans, qui utraque non fecit unum; sed divisit, & irritum ex parte fecit, quod promissum est*. Cummianus iste mihi videtur non alius esse à Cummeneo Albo, qui librum de vita S. Columbæ Abbatis à nobis in sæculo primo editum posteris mandavit circiter annum sexcentesimum trigesimum. Segienus enim seu Segianus Abbas, cui librum de paschali controversia inscribit Cummianus, Hyensi Monasterio præfuit ab anno sexcentesimo vigesimo secundo ad quinquagesimum secundum, uti ex annalibus Ultoniensibus probat Usserius.

IX „ Ronanus dein; natione quidem Scottus, sed qui in Galliæ vel Italiæ par„ tibus Regulam Ecclesiasticæ veritatis edoctus fuerat, Lindisfarnenses Mona„ chos Scotticorum rituum sectatores exagitavit, „ auctore Beda in historiæ libro tertio, capite vigesimo quinto. „ Is quippe cùm Finano Episcopo confli„ gens, multos quidem correxit, nequaquam tamen Finanum emendare po„ tuit.

X „ Defuncto Finano, cùm Colmannus in Episcopatum successisset, & ipse „ missus à Scotia, gravior de observatione Paschæ, nec non & de aliis Eccle„ siasticæ vitæ disciplinis controversia nata est. Mota ergo quæstione de Pascha, „ vel tonsura, vel aliis rebus Ecclesiasticis, ob id in Monasterio Streaneshalen„ si indicta Synodus anno sexcentesimo sexagesimo quarto. „ Post longam Colmanni & Vvilfridi concertationem, auditis utriusque partis suffragiis, Osvvius Rex in gratiam Vvilfridi sententiam tulit. Erat tum Vvilfridus Sacerdos in Monasterio HRipensi, ex quo paullò antè ejecti Scotti, *qui data sibi optione magis loco cedere, quàm suam mutare consuetudinem volebant*. Quorum exemplo *Colmannus videns spretam suam doctrinam sectamque esse despectam, absumtis his qui* se

se sequi voluerunt, id est qui Pascha Catholicum, & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, in Scotiam, id est Hiberniam, *regressus est*. Monachi Romani seu Benedictini agente Vvilfrido in locum eorum inducti. Hic finis Synodi ac disputationis, quam Beda fusiùs commemorat in libri tertii capitibus vigesimo quinto ac sequenti.

XI Quarto loco per Adamnanum Presbyterum & Abbatem Hyensium Monachorum, qui legationis gratiâ missus in Angliam Romanos illic mores didicerat, *plurima pars Scottorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Brittonibus in Britannia, Ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus suscepit*, inquit Beda in lib. 5. cap. 17. *Attamen suos qui erant in Insula Hy, quive erant subditi Monasterio, ad veritatis callem perducere non valuit*. Id factum paullò post annum sexcentesimum nonagesimum probat caput sextum decimum ejusdem libri.

XII Secuta est dehinc ejusdem quæstionis agitatio auctore Aldhelmo tum Abbate Maldunensi, qui jubente Synodo incerti loci epistolam adversus errores Brittonum scripsit, eam scilicet, quæ extat inter Bonifacianas ordine centesima vigesima nona.

XIII Sexto loco memorandus venit Ceolfridus Abbas Girvvensis & Vviremuthensis: cujus eruditam epistolam ad Naitonum Pictorum Regem commemorat Beda in capite vigesimo secundo libri quinti; cujus lectione epistolæ effectum est, ut *Rex surgens de medio Optimatum suorum consessu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quòd tale munusculum de terra Anglorum mereretur accipere: voluitque perpetuò Pascha tempus observare cum universa gente sua, & accipere tonsuram, quam plenam esse rationis audierat*.

XIV Postremò anno insequente, uti Beda proximo capite addit, *illi quoque, qui Insulam Hy incolebant Monachi Scotticæ nationis, cum his quæ sibi erant subdita Monasteriis ad ritum Paschæ ac tonsuræ Canonicum perducti sunt*, operâ scilicet Egberti Monachi Angli, qui in Hibernia peregrinus degebat. Hunc tandem exitum habuit diutina illa altercatio: tametsi aliquas inolitæ superstitionis reliquias in Cambria penes Brittones perseveràsse, auctor est Ufferius in historia de Antiquitatibus Britannicis, patetque tum ex Bedæ libro quinto, capite vigesimo quarto, tum ex Bonifaciana epistola centesima vigesima nona. Sic unius diei quæstio Ecclesiam detinuit per annos ferè sexcentos: & tria minimùm sæcula vix fuerunt satis componendæ hominum rixosorum coronæ.

XV His ego gratiora dictis alia esse scio: sed in rebus istis, etsi minutioribus, diligentiam religioni tribuere præstat, quam voluptati: maximè cùm videam id argumenti, quod incidit in propositum nostrum, à nemine hactenus satis explicatum esse. Porrò in ea controversia mirari subit naturam ingenii humani: cujus præjudicia, ubi per speciem religionis in animum irrepserint, modum pati nesciunt, dum accedit fervor disputationis & victoriæ ambitio: fitque plerumque, ut ritibus ab humano sensu profectis cedant sanctiores leges caritatis & necessitudinis Christianæ. In his verò casibus, sicut ab Ecclesiæ Catholicæ sententia recedere nemini licet; ita convenit Ecclesiæ Pastores sic moderari auctoritatem suam, ut nec imbecilles animos, propriis sensibus nimiùm addictos, incautè provocent ad secessionem, nec in levibus causis pariant grande malum. Certè quod Brittones ac Scottos ab Ecclesia Catholica sejunxit, si res magni momenti non fuit, non tamen minùs commendat operam sodalium nostrorum, quâ effectum est, utrique ut populi, à Romana Ecclesia jam dudum aversi, ad pacem & concordiam revocarentur.

XVI Regula S. Benedicti à Scotis recepta. Postquam Scotti ac Brittones Romanis cæremoniis adsueverunt, accessère etiam Monachi utriusque gentis ad Benedictinæ Regulæ instituta, quæ sanctus Au-

Auguſtinus in Britanniam intulerat. Id non obſcurè ſignificat Beda in hiſtoriæ libro quarto, capite itidem quarto, ubi agit de duobus Monaſteriis à Colmanno in Hibernia exſtructis, *quorum unum Mageo vocatum, uſque hodie*, inquit, *ab Anglis tenetur incolis: & converſis jam dudum ad meliora inſtituta omnibus egregium examen continet Monachorum, qui de provincia Anglorum ibidem collecti ad exemplum venerabilium Patrum ſub Regula & Abbate canonico in magna continentia &, ſinceritate proprio labore manuum vivunt*. Quibus verbis ſignificat Beda, eamdem tum Monachis Hibernicis fuiſſe Regulam quam Anglicanis, qui ab Auguſtino Regulam S. Benedicti acceperant. Certè quotquot poſteà in Galliam trajecêre Monachi Scotti, (acceſſerunt verò quam plurimi) admittebantur omnes in Monaſteria noſtra: aut ſi qua condebant ipſi, ea Benedictinis Inſtitutis conformabant. Teſtes ſunt eam in rem S. Findanus Recluſus & Euſebius in Monaſterio S. Galli, Marcus Epiſcopus, qui in Sueſſionico S. Medardi Cœnobio ætatem exegit, ſæculo nono. S. Forannanus auctor Monaſterii Valciodorenſis, & Fingenius Abbas Mettenſis, ſæculo decimo. Marianus Scottus, & alii innumeri, ſæculo undecimo. Hinc Monaſteria permulta Ordinis S. Benedicti in gratiam Scottorum ædificata, S. Martini Colonienſe, Ratiſponenſe, Erfordenſe S. Jacobi Vvirtzburgenſe, & alia non pauca in Germania. Huc etiam ſpectat id quod refertur in libro de vita Bernardi Abbatis Tironenſis de Roberto quodam nobiliſſimo viro, *qui in litore maris Hibernici juxta Teni fluvium, priùs quidem cellam, poſteà verò duodecim cum Abbate impetratis, ex Tironio Monachis Cœnobium compoſuit*. Id ipſum David Scottorum Rex in Regno ſuo magnificentiùs exſecutus eſt. Lege vitam S. Malachiæ Archiepiſcopi Hibernici auctore Bernardo Clarevallenſi Abbate.

Occaſione Scotticæ tonſuræ viſum eſt hoc loco quædam obſervare de tonſura, quæ tum à Laicis, tum a Clericis Monachiſve eo tempore uſurpabatur. XVII Tonſura Laicorum.
Laicorum tonſura penes Europæos, alia puerorum erat, alia adultorum. Pueri capillum intonſum aliquamdiu gerebant; poſtea cincinnos à capite eorum demetebat Epiſcopus, aut certè is qui *Pater ſpiritualis* ob hoc dicebatur. Sic Conſtantinus Imperator, cognomento Pogonatus, *mallones capillorum* Juſtiniani & Heraclii filiorum direxit ad Benedictum Papam ſecundum. Sic *Carolus Princeps Francorum, Pippinum ſuum filium ad Luidprandum* Longobardorum Regem *direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet: qui ejus cæſariem incidens, ei Pater effectus eſt*, inquit Paulus Vvarnefridi in libro ſexto de geſtis Longobardorum, capite quinquageſimo tertio. Ab eo, ut puto, tempore Reges Francorum capillos in orbem compoſitos geſtarunt: nam antea, teſte Agathia „ ſolemne erat Francorum Regibus intonſam habere comam à pueris, involitantibus utrim- „ que in humeros capillorum cirris, anterioribus capillis à fronte diſcriminatis.„ Quippe in cereis Regum Carolovingorum iconibus, quas vidi bene multas, capilli in orbem æquati ad humeros uſque apparent. Ritus ille tondendi pueros profectus videtur à paganis, qui plerique primum puerorum capillum alicui deorum ſuorum deciſum offerebant. Apud Græcos in more poſitum erat, teſte Plutarcho in Theſeo, ut ex ephebis qui exceſſerant, profecti Delphos comæ primitias Apollini ſacrarent. Apud Judæos ex voto etiam comam promittebant Nazaræi, ac finito voti tempore, in ignem ſacrificii pacificorum Hieroſolymis detonſam eam ponere jubebantur. Quamquam votum iſtud adultis potiùs competebat, ut patet exemplo Pauli, qui, cùm eſſet Cenchris, crinem totondiſſe ex voto perhibetur. An mos iſte in pueris ab initio Chriſtianæ Religionis frequentatus ſit, non facilè dixerim: cùm nulla ferè iſtius rei exempla legantur ante ſæculum octavum, quo id *ex more* factum dicitur. Extant in Or-

N dine

dine Romano plures orationes *ad capillaturam incidendam* & *ad puerum tonsurandum*, aliæ ab eis quæ ad *Clericum faciendum* adsignantur. Priores videntur usurpatæ fuisse in sollemni isto ritu, quo pueri primùm tondebantur extra ordinem Clericorum, qui a pueris illis coronâ secernebantur. Ut pueris primam comam, sic adultis barbæ primitias resecabant Patres spirituales. Nimirum Paulus Vvarnefridi in libro quarto de gestis Longobardorum, capite quadragesimo, auctor est, Gregorium patricium Romanorum malo animo promisisse Tasoni Gisulfi Forojuliensis Ducis filio & heredi, *ut ei barbam, sicut mos est, incideret, eumque sibi filium faceret*. Denique Anastasius vulgatus in vita Hadriani Papæ scribit, Longobardos complures, postquam a Carolo Magno subacti sunt, facto ad beatum Petrum confugio, Hadriano Papæ sese tradidisse, *& more Romanorum tonsuratos fuisse*. Erat ergo alia Romanorum, quam Langobardorum tonsura. Locum hunc illustrat Herkempertus in Epitome, ubi Carolus Beneventanis Ducem Grimoaldum concessisse fertur eo pacto, *ut Langobardorum mentum tonderi faceret, chartas quoque nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet*. Vvitichindus in fine libri secundi de gestis Saxonicis notat Henricum Imperatorem, quòd fuerit ei *prolixior barba, & hæc contra morem antiquum*. Hanc menti detonsionem probro semper habuêre Græci, qui puerorum crines paullò post baptismum in figuram crucis tondere soliti sunt, & segmenta in sacrario reponunt, uti legitur in Euchologio & apud Symeonem Thessalonicensem. Lege notas eruditas Caroli Fresnii Cangii domini in Joinvillæum.

XVIII. Erat etiam tum Clericorum tonsura triplex, Romana, Græcanica, & Scotica. Romanorum tonsuram eo tempore usitatam describit canon quadragesimus Concilii quarti Toletani, ut scilicet *omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant*: Qualem certe sodales nostri retinuerunt. Græci Sacerdotes & Monachi penitus detonsi erant rasisque similes, uti apud nos symphoniaci pueri, ad imitationem quidem (ut putabant) sancti Jacobi fratris domini & Pauli Apostoli ceterorumque. Ita enim existimabat Germanus Patriarcha in Theoria sua. Ratramnus in libro quarto contra Græcos capite quarto idem adfirmat de Clericis Græcis, quibus *mos inest barbam quidem non tondere, caput verò crine totum nudare*. Hinc est, quòd Theodorus Græcus Græco more tonsus, a Vitaliano Papa in Britanniam missus, *expectavit quatuor menses, donec illi coma cresceret, quò in coronam tonderi posset*. At verò Scottis mos erat, anteriorem capitis partem capillis nudare ab aure ad aurem, posteriori intonsa. Unde Simoniaca eorum tonsura dicebatur, qualis scilicet Simoni Mago aliisque hominibus calvis spontè nascitur. Qualis erat etiam Abantibus populis apud Homerum, quos propterea ὀπισθοκόμους appellat.

XIX à quibus collata. Tonsura clericalis ad sæculum usque decimum conferebatur non solùm ab Episcopis, sed etiam ab Monasteriorum Præfectis & à Presbyteris. Concilii Cabilonensis secundi Patres capite septimo decernunt pœnitentiam canonicam in Episcopos & Abbates, *qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderint*; itidemque *in ministros eorum, qui hoc fecisse convicti essent*. Ratherius, medio sæculo decimo Veronensis Episcopus, in sermone synodico Presbyteros suos alloquens; *Clericum*, inquit, *nemo vestrûm sinè licentia faciat nostra*. Quod argumento est, Presbyteris eo etiam tempore licuisse Clericum facere tonsurâ impositâ. Id ampliùs elucescit ex epistola Gilleberti Lunicensis Episcopi ad Prælatos Hiberniæ scripta circiter annum nonagesimum supra millesimum, in qua de Presbyteri agens potestate hæc dicit: *In absentia Episcopi potest benedicere coronam Clerici, & velum viduæ*.

dua. Ergo usque ad id tempus rasilem coronam Presbyteri conferebant absente Episcopo. Immo etiam sæculo nono Laici, quod antiquitus passim usurpaverant, id sibi arrogabant nonnumquam. Nam Letaldus Monachus in libro de Miraculis S. Maximini Abbatis laudat Simonem quemdam Mitiacensem Monachum, Reliquias sacras in collo portare jussum adversùs eos, qui Monasterii colonis molestiam facessebant. *Cui ministerio*, ait Letaldus, *præfuit venerabilis Simon nomine, à laico quidem tonsuratus, sed modestia & gravitatis moribus non improbabiliter adornatus*. Quibus verbis satis intelligitur, jam tum improbari cæptam tonsuram a Laicis collatam: sed tamen non omnino rejectam fuisse. Et quidem Gerardus Auriliacensis Comes eo tempore barbam, id est cæsariem, sibi *in modum coronæ* rasit, quam *tiarâ* vertici impositâ dissimulabat. Quæ si huic rei probandæ minùs apposita & clara videntur, saltem constat tonsuram a Laicis collatam valuisse ad Clericum faciendum sæculo septimo, quo peregrini quidam Judocum adhuc Laicum cotondisse & Clericum fecisse perhibentur. Cæterùm non adsentior Johanni Morino doctissimo Oratorii Presbytero, qui in exercitatione quinta decima de Sacris Ordinationibus capite tertio existimat, tonsuram clericalem nonnisi cum ordine Lectoratûs aut Ostiariatûs conferri solitam, nec seorsum dari cæptam esse ante sæculum septimum. Rem aliter persuadet factum Pauli Emeritensis Episcopi sæculo sexto, qui Fidelem puerum, sororis suæ filium primùm quidem *tonderi præcepit*: deinde *per singulos gradus* eum perducens, Diaconum ordinavit, uti Paulus alter Emeritensis Diaconus scribit in libro de Patribus Emeritensibus capite quinto. Enimverò etsi verum sit, tonsuram non raró cum extremo Ordine collatam ante istud tempus fuisse; tamen ævo Gregorii Turonici Episcopi, qui sub finem sæculi sexti decessit, idem erat tonderi, ac Clericum fieri, ut pluribus locis demonstravi in Præfatione Sæculi nostri secundi. Unde & Monachi ob tonsuram Abbatum manibus traditam Clerici censebantur.

Procedente nihilominùs tempore, quisquis attondebatur in Monachum, non continuò Clericus dicebatur: sed ii soli qui præter decurtatos capillos etiam rasilem coronam gerebant. Id apparet ex vita sancti Vulmari Abbatis hoc in Sæculo edita, qui primò factus Monachus, non tamen Clericus, eò quòd illitteratus erat, posteà eruditione accedente factus est *Clericus*. Duravit discrimen istud inter Monachos ad sæculum usque duodecimum, ut patet ex libro de Gestis Bernardi Abbatis Tironensis, ubi fit mentio cujusdam non sacerdotis, qui tamen in sæculo existens, *sacerdotali usurpaverat fungi officio: Is ad Bernardum veniens, habitum monachalem suscepit*. Tandem *ad extrema veniens, Benedictionem coronæ, quam necdum acceperat, cum Viatico accepit, & obiit*. Qui sinè corona monasticum suscipiebant habitum, ii *Monachi Laici* dicebantur. XX. Tonsura Monachorum.

Quocircà observare juvat, olim in unoquoque Ordinis nostri Cænobio non unum fuisse Monachorum genus. Erant enim alii pueri *oblati*, ex voto parentum Deo consecrati, quibus sæculum repetere non licebat. Erant & Conversi, aliis *novitii & pulsantes* appellati, ii scilicet qui in adulta ætate à moribus sæculi ad monastica instituta convertebantur, testante in primis Fructuoso Bracarensi Episcopo in Regula Monachorum; diversi omninò ab his, quos modò Conversos appellamus. Nam Conversi illi choro addicti erant, & ad Ordines sacros, quum poscebat res, promovebantur: cùm recentiores Conversi externis tantùm officiis inserviant, sacrorum Ministeriorum expertes. Ab his etiam distincti erant Monachi *Laici*, dicti etiam aliquando *Conversi*: qui etsi primò exterioribus curis occupabantur, (unde & Ministeriales à Smaragdo vocantur in Regulæ caput 35.) posteà tamen ad clericalem statum faciebant gradum, quum id moribus suis XXI

promerebantur. Eo in ordine vixère sanctus Vulmarus superiùs laudatus, qui deinde Monachus Clericus & Abbas factus est, Gingurianus & Gulstanus Ruinenses Monachi piissimi, quorum gesta in vita S. Gildæ Abbatis sæculo primo perstringuntur, & alii quàm plures. Utrique Monachi, Conversi videlicet ac Laici post annuam probationem depositâ comâ exuebant sæcularem habitum, & religiosum suscipiebant. Ejus rei argumentum habemus in Regula Magistri, capite nonagesimo, ubi præcipit reservare *vestes sæculares*, quibus exuti fuerint tam Laici, quam Conversi *firmati*, id est admissi. Et tamen Laicorum Monachorum vestis (ut quidem existimo) aliquantùm ab aliis diversa erat, uti etiam nunc apud Cartusianos. Præter istos erant & *Monachi ad succurrendum*, qui scilicet urgente mortis periculo monastica insignia pœnitentiæ publicæ animo expetebant, eoque pacto saluti suæ optimè consultum ac succursum iri persuasum habebant. Talis fuit Lotharius Augustus, Ludovici pii Filius, qui æger Prumiæ Monachus factus est, ac paullò post obiit anno octingentesimo quinquagesimo quinto, ut Annales Bertiniani & Mettenses cum Reginone docent. De his agit Udalricus in lib. 2. Consuetudinum Cluniacensium capite vigesimo octavo, ubi postquam dixit, Novitios tribus a professione diebus capite operto summum tenere silentium hæc subdit: *Si quis infirmus, & (ut ajunt) ad succurrendum benedictionem acceperit, & pro infirmitate silentium tenere non potuit, cum aliis qui benedicuntur capita contegentibus ipse quoque contegit, & omnia quæ illi faciunt eo triduo similiter facit, ut quod priùs omissum erat suppleatur.* Eo in numero haberi voluit Goslenus, auctor Monasterii Josaphatensis prope Carnutas: *quem cùm Abbas & Monachi votivo favore recepissent, Gosleno Episcopo jubente & præsente prædictus Abbas Girardus jura Monachatûs, sicut mos est, ad succurrendum in eo complevit. Qui monachali habitu vestitus, brevi posteà tempore transacto vitam exuit.* Extat in libro Cæremoniarum ejusdem Cœnobii *Ordo ad visitandum infirmum ad succurrendum*, in quo plures orationes ad postulandam ægroti sanitatem referuntur. Qui suscepto hoc modo habitu Monastico postea convalescebant, iis sæculum repetere nefas erat. Secùs si fecissent, apostatæ censebantur & a recto tramite prolapsi. Qua de re legenda est Præfatio in Sæculum primum. Alii fuisse mihi videntur *Fratres ad succurrendum*, ii nempe qui suffragiorum participes facti inscribebantur Monasteriorum tabulis, ob id *Fratres conscripti* appellati. Sic Johannes Comnenus Græcorum Imperator in Necrologio Abbatiæ Martinianæ apud Laudunum locum habet in hæc verba: *XV. Kal. Maii., commemoratio Johannis Imperatoris hujus Ecclesiæ Fratris ad succurrendum*, in Appendice ad Guibertum. Et erant etiam in virorum Monasteriis *Monachi ad succurrendum*, & in puellarum Cænobiis *Monachæ Laicæ*. In litteris primariis de institutione Vallis Scholarium, quas litteras Acherius noster in Spicilegii tomo octavo publici juris fecit, hæc leguntur: *Mulieres ad habitum suum non recipient nisi in extremis, & quæ fortè apud eas sibi elegerint sepulturam, & tunc * ad præsentationem sui Plebani.* In Necrologio Argentogilensi, quod ex vetusto Dionysiano excerptum est, memoratur *quinto Kalendas Februarii Feliciana Monacha ad succurrendum.* De Monachabus Laicis unum sufficit testimonium ex libro secundo de miraculis sancti Dionysii hic editis, in capite vigesimo quinto, ubi duæ Sanctimoniales Argentogilensis Parthenonis à sacro igne in mammillis sanatæ dicuntur, *quarum altera Deo sacrata, altera Laica fuit.* Monachæ Deo sacratæ velo suscepto, Laicæ solo habitu religioso ac modesto castitatem profitebantur. Monachis Laicis successerunt Conversi recentiores, apud Cistercienses primùm admissi; dein apud quosvis alios Religiosos, & Sanctimoniales propagati: quos *illitteratos* vocat Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis in libri quarti epistola octava

* f. hanc

octava decima, & in statuto vigesimo quarto *Conversos barbatos*. Denique erant in utrisque Cœnobiis *Reclusi ac Reclusæ*, de quibus alias erit dicendi locus. Qualem inter se ordinem servarent omnes, docet Lanfrancus in Decretorum capite quarto, ubi ita pompam sacram Dominicâ palmarum fieri solitam instruit, ut post Cruciferos *sequantur duo* Subdiaconi portantes duos textus Evangeliorum, post quos Laici Monachi, deinde infantes cum Magistris: post quos ceteri Fratres præcedentes Abbatem, qui ultimus procedit.

Ergo, ut exponere cœperam, Monachi Clerici cum Monachis Laicis conveniebant in detonsione capillorum; ab eis secernebantur discrimine coronæ, quæ Monachis tantùm Clericis ac litteratis concedebatur. Omnibus verò ab inita professione tondebatur, non solùm coma, sed etiam barba. Sic enim in Vita S. Vvillelmi ex Comite Monachi Gellonensis legitur: *Vvillelmus Comes auro textis depositis vestibus, per Dei gratiam solemniter benedicitur. Totus ille in eo sacer Ordo perficitur; coma nobili, barba venerabili deposita & Deo consecrata, veste Apostolica instar Crucis induitur.* Quid sit Deo consecrare præsegmina capillitii & barbæ, docet nos S. Aurelianus, Arelatensis Episcopus, ita scribens in Regulæ suæ capite quarto: *Si quis Laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem*, hoc est in locum sacrum sub altari, *mittatur, quæ ei in testimonio sit*. Coronam insuper Abbas Monachis litteratis benedicebat, id est conferebat in ipsa professione: quæ corona clericalis censebatur etiam apud Græcos. Id tamen ita definiunt Patres Concilii septimi, ut qui tonsuram à pueris acceperant, ante acceptam Episcopi manuum impositionem, in suggestu Lectoris officium, quod erat Clerici munus, non exercerent etiam apud Monachos: *Lectoris autem manuum impositionem liceret in proprio Monasterio etiam soli unicuique Abbati facere, si ipsi Abbati scilicet ab Episcopo manus fuisset imposita*, ipseque Abbas fuisset *Presbyter*, ex canone quinto decimo. Valuit pro tonsura clericali Benedictio coronæ per Abbates Monachis collata ad usque sæculum duodecimum, ut superiùs vidimus ex Actis Bernardi Abbatis Tironensis, patetque etiam tum ex Theodoro Balsamone in canonem sextum Synodi Carthaginiensis, tum ex libro secundo Consuetudinum Cluniacensium capite primo in hæc verba: *Ad majorem Missam finitâ Letaniâ ducendus est Laicus in chorum, & sellâ contra altare majus positâ sedere jussus, & abscisâ comâ coronatur barbâque detonsâ tirocinio Christi insignitur.* Ubi etiam vides non solùm detonsam à Prælato comam, sed etiam barbam. Quo in negotio nonnumquam alii cooperabantur Abbati, uti beato Mauro in Floro tondendo Rex Theodebertus, qui *primus post eum de coma capitis Flori totondisse* perhibetur. Ab eo tempore, nimirum a sæculo duodecimo, Clericos tondendi officium Episcopis reservatum videtur. Certè Petrus, ex Cellensi Abbas Remigianus factus, ad Petrum Cardinalem sancti Chrysogoni mittit Crispinum quemdam ad suscipiendam ab eo coronam, scriptâ epistolâ sextâ decimâ libri septimi, cujus hæc verba: *Magister Crispinus Clericus & amicus noster est: æquè desiderat esse vester. Ecce Parisius ad Scholas vadit, sed & ubique nomen vestrum super se invocari postulat - - - Præ cæteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias Clericatûs, id est coronam accipiat*, & epistolâ octavâ decimâ de eodem ad eumdem: *Habeat itaque vos Dominum & signo Clericatûs à vobis suscepto patronum & auctorem hujus ordinis habeat.* In summa, secundùm Romanos Clerici & Monachi attondebantur in orbem, alii toto ferè capite in coronam, alii summo vertice ad cutem raso, & brevi circulo ibi designato, non (uti modò fit à Clericis) in occipitio. Et quidem Monachi ante annos octingentos alii majorem coronam, minorem alii præferebant. Quod adverti in pluribus picturis eo tempore factis, quales sunt eæ, quas exhibuit Brovverus in libro secundo Ful-

Fuldensium Antiquitatum, capite sexto decimo. De Tonsura plura qui volet, adeat Salmasium in prolixa epistola de coma & cæsarie, in qua id argumenti copiosè & erudite pertractavit. Tametsi in nonnullis non bene divinavit. Nam quod ait antiquos Monachos tonsos non fuisse, vel eo solo refellitur, quòd Julianus, Apostata dictus, antequam Cæsar à Constantio Augusto fratre patrueli fieret, ad cutem usque tonsus monasticam vitam simulavit, *ἐν χρῷ τε κειράμενος τ̃ τῶν μοναχῶν ὑπεκρίνετο βίον*, testante Sozomeno in historiæ libro tertio capite primo. Et Pachomius in Regulæ suæ capite nonagesimo sexto admittit tonsuram. Siquidem præcipit, *ut nullus attondeat caput absque majoris imperio*. Nimirum ut non quovis tempore pro libito, sed statis intervallis tonsionem renovarent, quod etiam hodie in Cœnobiis statutum viget.

§. II.

De Germania per nostros ad Christianam Religionem adducta, deque Monasteriis in ea institutis.

XXIII QUatuor potissimùm beneficia Ordini nostro Germania referre debet accepta, nempe conversionem gentis ad Religionem Christianam, Ecclesiarum Cathedralium institutionem, scientiarum disciplinam, soli cultum & ornatum. De singulis agendum paucis

XXIV Germanorū accessio ad Ecclesiam. Gemebat rigebatque sub veterno superstitionum indurata Germania: cujus populi, per omnes Europæ plagas effusi, nihil nisi arma noverant. Inde Gothi, Vandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes prodierunt; tantum a ceterarum gentium more ac natura dissentientes, ut quæ ceteræ pro religionibus suis, istæ contra omnium religiones bella susciperent. Istius gentis conversio tentata non semel: at innata indigenarum feritate semper impedita usque ad sæculum octavum, si fortè Rheni accolas excipias, Bajoariosque, quos Theodorici Chlodovei Magni filii principatu Christianæ Religioni accessisse legimus. Id porrò majoribus nostris reservatum, qui sudoribus ac sanguine proprio ingentem Christo regionem compararunt. Rem inprimis aggressus est Sanctus Kilianus, Franciæ Orientalis vocatus ob id Apostolus. Dein Egbertus Presbyter & Monachus Anglus, sed nutu divino in proprium solum ab Oceano rejectus. Missi ab eo qui negotii periculum facerent, Suidbertus & ipse Monachus Anglicanus cum sociis duodecim: quorum operâ Boructuarii ad Fidem adducti, uti & Frisiones, adjutoribus Vvillibrordo & Vulframno. His subsidiarius accessit Bonifacius cum suis, qui Turingiam, Hassiam, Buchoniam, Sueviam, aliasque Provincias Christi legibus imbuit, verè Germaniæ Apostolus nuncupatus: nec alius quis in id opus plus laboris impendit, nemo unus plus gloriæ inde retulit. *Primus omnium*, inquit Adamus Bremensis, *qui Australes Germaniæ partes idolorum cultui deditas ad cognitionem divinæ ac Christianæ Religionis adduxit, erat Vvinfridus natione Anglus, verus Christi philosophus, cui posteà cognomentum ex virtute erat Bonifacius. Et quamvis alii scriptorum vel Gallum in Alemannia, vel Heimerammum in Bavaria, sive Kilianum in Franconia, seu certè Vvillibrordum in Fresia prio-*

res

res adferant verbum Dei prædicasse: hic tamen omnes alios, uti Paulus Apostolus, studio & labore prædicationis antevertit. Agnovit tantum beneficium Germania quondam omnis, quum quatuor Ecclesiæ Episcopales a Bonifacio erectæ suam quæque symbolam contulêre Fuldensi Monasterio, in monumentum acceptæ per Bonifacium Fidei Christianæ, uti legitur apud Brovverum in libro tertio Fuldensium Antiquitatum capite undecimo. Hîc numerandi essent Bonifacii discipuli & adjutores, Lullus, Burchardus, Vvillibaldus, Vvnebaldus Episcopi; Vvigbertus Abbas cum sociis; feminæ sanctæ & piæ Thecla, Lioba, aliæque Sanctimoniales. Addendi etiam Rudbertus Bajoariæ, Virgilius Carinthiæ Apostoli dicti, quorum Acta hîc consulenda. Quid dicam de Sancto Vvillehado Saxonum Doctore? Quid de Sanctis Anschario, Remberto, aliisque Septemtrionalium populorum prædicatoribus? Hoc verò quantum est, quòd tantus virorum Apostolicorum numerus uno ferè tempore ex uno Ordine nostro prodiit.

Dum Germaniæ populos ad Christianas partes adducere satagebant homines illi sanctissimi, etiam Monasticæ rei curam gerebant non minimam, Cœnobia non pauca ædificantes, quasi arces munitissimas, quæ & sibi perfugia essent & nascenti Religioni incunabula. Hinc Suidbertus Vverdense, Vvillibrordus Esternacense, Bonifacius Fritislariense, Fuldense, aliaque virorum, Bischofheimense virginum, alii alia Monasteria construxerunt. Iis in locis instituta est disciplina purior & sanctior, qualis certè apostolicos viros decebat. Bonifacius siquidem *locum silvaticum in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis suæ* elegit, in quo Monasterium construxit, Monachosque constituit sub Regula S. P. Benedicti viventes, viros strictæ abstinentiæ, *absque carne & vino, absque sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos*. Sic Fuldensis Monasterii primarium statum describit Bonifacius ipse in epistola ad Zachariam Papam. Hanc eamdem sinè dubio vivendi normam, etiam alia servabant Cœnobia ab ipso instituta, non solùm virorum, sed etiam puellarum: quæ quanta cum integritate viverent in Parthenone Biscofheimensi, docet nos Rodulfus in Vita Sanctæ Liobæ Abbatissæ. Nec in his solis viguit severum illud vivendi genus, sed traductum ad posteros est, etsi cum aliquo temperamento, non tamen sinè magno fœnore gratiarum. Quamvis enim vini usum Pippinus Rex Monachis Fuldensibus concesserit, cetera tamen illibatus mansit disciplinæ vigor per multos annos, etiam in alia Monasteria, Hirsaugiam in primis propagatus. Abstinuêre a cœna per totum annum iidem ad ætatem usque Marcvvardi Abbatis, idest ad medium sæculum duodecimum; nec ante quartum decimum feminas in Ecclesiam suam admiserunt. Longum esset per singula discurrere Cœnobia, Gallense, Augiense, Corbeïense, cæteraque permulta, in quibus non magis abundavit bonorum copia, quam sanctitas religionis. At postquam ex copia otiove lasciviêre animi, cæpitque religio magnificè magis coli quam piè; tum demum sæcularium cupiditas involavit in bona Monasteriorum, quæ priùs tota in cultum versa Numinis violari ducebant nefas. Successit inde tempestas hæreseos Lutheranæ, quæ pleraque Cœnobia nefariè protrivit, & reliquias exposuit in prædam alienorum. Sola ferè, quæ tunc vigebat, huic cladi superstes fuit Congregatio Bursfeldensis, quæ avitam majorum parsimoniam revocare studebat, ut intelligas, nullum esse validius præsidium ad tuenda Monasteria, quàm sanctioris disciplinæ custodiam. Porrò ex hoc superiorum temporum conspectu revincitur excusatio molliorum quorumdam hominum, qui solo patrio nimiùm indulgentes putant illo in cœlo, in illa corporum conditione tolerari non posse temperatum moderatumque vitæ Mo-

XXV ad Ordinem S. Benedicti.

Monasticæ Institutum. Quam sanè miserabilem excusationem refellit multorum experientia temporum, & sanctissimorum Germanicæ gentis hominum eximia frugalitas.

§. III.

De Cathedralibus Ecclesiis in Germania per Benedictinos erectis & ordinatis, ubi agitur de Episcopis Abbatibus, seu de Episcopis Monasteriorum.

XXVI NOn satis erat religiosioribus viris ædes in Germania statuisse, nisi etiam Episcopos & Majores Ecclesias novellis Christianis viri illi apostolici providerent. Hinc Vvillibrordus Trajecti ad Rhenum, Rudbertus Saltzburgi, Corbinianus Frisingæ Cathedras episcopales instituerunt, & Bonifacius facta sibi à Pontifice Romano potestate alias sedes constituit, Vvirziburgi, Buriburgi, Erpesfurti, & Eistetti, Vvillehadus verò aliam Bremæ.

XXVII In Ecclesiis illis Monachi ab initio pro Canonicis instituti. Nec diffitetur Gretserus Presbyter Societatis Jesu in libro primo Observationum in Vitæ S. Vvillibaldi caput septimum decimum, „ dum ait certum esse, Germanicum „ nomen *Munster*, quo multis in locis Ecclesiæ cathedrales appellantur à Mo„ nasterio descendere: quia primi illi Canonici vitam Monasticam profiteban„ tur. „ Id etiam de Britanniæ insulæ Basilicis majoribus observavit Marshamus in Præfatione ad Monasticon Anglicanum. Et quidem in Germania episcopales Ecclesiæ minimùm septem paruêre Monachis, in Anglia novem.

XXVIII Ecclesiæ Cathedrales in Germania. Nimirum Germanicum Imperium Benedictinos habuit aliquando in primariis templis Frisingensi, Saltzburgensi, Trajectensi ad Rhenum, Eistetensi, Vvirtziburgensi, Bremensi, & Ratisponensi. Ne sim nimius, id probavi de sex prioribus in Actis Corbiniani, Rudberti, Gregorii, Vvillibaldi, Burchardi & Vvillehadi hîc editis. De Ratisponensi demonstrandum hoc loco. Arnolfus ex Comite Monachus Cœnobii sancti Emmerammi in suburbio Ratisponensi, de Monasterio suo ita scribit in libro secundo de sancto Emmerammo. *Est quoque alia causa* inquit, *propter quam non sunt constituti Abbates in prænominato Monasterio. Ex eo quippe tempore quo primùm à beato Bonifacio Apostolicæ Sedis Vicario juxta decreta canonum in Bajoaria ordinabantur Episcopi; vicissim sibi succedebant in hujus Episcopatu Monachi atque Canonici: ita ut si antecessor esset Canonicus, fieret successor Monachus, & iterum huic antecessori succederet Canonicus. Hac consuetudo usque ad nostra permansit tempora. Episcopalis verò Sedes erat apud S. Emmerammum usque ad tempora Caroli Principis, qui hanc restituit in civitatem, ubi priùs erat*, nempe *in Ecclesiam Beati Petri Apostoli*, & quidem *sub Simperto Episcopo*, uti idem auctor tradit in libri primi capite quinto. Qualis fuerit tum Monasterii Sancti Emmerammi disciplina describit Arnolfus ipse in dialogo libri secundi. *Quòd autem percontatus es, sub cujus Regula degerent, paucis absolvam. In primis ergo promissionem faciebant secundùm Regulam sancti Benedicti,* co-

coram Episcopo Abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis Episcopus dandi & accipiendi propter inopiam loci. Lineis camisiis utebantur seniores, qui eas habere potuerunt; ceteri laneis utebantur, ob penuriam scilicet cilicinarum vestium. Præpositus & Decanus Monasterium regebant post Episcopum. Qui majoris erant ætatis, habebant cellas seu caminatas, junioribus inter se divisis propter custodiam. Communiter pauperem annonam habebant. Volatilia manducabant. Cetera faciebant secundùm consuetudines, quæ in Monasteriis regalibus ad id temporis fuerunt. Hæc auctor ille gravis, qui seculo undecimo floruit.

Prædictis Ecclesiis adjungenda est Magadaburgensis, quæ principio Monachos habuit, ut constat tum ex Chronico Ditmari Merseburgensis Episcopi, qui ibidem Monachus fuit; tum ex Magadaburgensi seu Saxonico; tum etiam ex litteris Ottonis Imperatoris à Meibomio relatis post Vviticbindi Annales. Qua de re fusiùs agam, DEO dante, in Actis S. Adalberti Magadaburgensis Pontificis primi in Benedictino sæculo quinto. Denique adnumerandum iis etiam puto primariam sedem Mimigardefordensem, quam beatus Luidgerus à Carolo Magno designatus Episcopus instituit *in loco, cujus vocabulum Mimigernefor: ubi Domino ipse honestum construxit Monasterium sub Regula canonica Christo famulantium*, inquit Altfridus Episcopus in Liudgeri Actis, referendis Sæculo insequenti, ubi id accuratiùs expendendum. Sanè *Regulæ Canonicæ* nomine nonnumquam Benedictina significatur; & in Synodo, quæ S. Leodegarii seu Augustodunensis vocabulum præfert, *Ordo canonicus* & *Regula S. Benedicti* pro eodem usurpantur, & porrò *Monachi canonici* appellantur ii, quos Gregorius Papa quartus in Ecclesia sancti Callisti trans Tiberim collocavit. Lege Observationes in Acta sanctorum Gregorii Abbatis Trajectensis & Vvillehadi Episcopi Bremensis, ubi de misto monasticæ & canonicæ vitæ genere agendum. XXIX

In Britannia Insula Ecclesias principales ab ipsis receptæ Fidei primordiis etiam Monachis nostris addictas fuisse constat, *Augustinus enim & Laurentius*, inquit Ordericus Vitalis in Historiæ libro quarto, *aliique primi prædicatores Anglorum Monachi fuerunt, & in Episcopiis suis vice Canonicorum (quod vix in aliis terris invenitur) Monachos piè constituerunt*. Id certum de Ecclesia Cantuariensi, cujus posteà formam æmulatæ aliæ, Eboracensis, Lindisfarnensis, tum Hagustaldensis & Dunelmensis, Vvintoniensis, Norvvicensis, Roffensis & Eliensis. De quibus aliàs dicendum erit uberiùs. Quod autem Ordericus dicit, vix in aliis terris extra Britanniam inveniri Ecclesias Cathedrales a Monachis occupatas, id ait certè habita ratione sui temporis, quo pleræque Anglorum Ecclesiæ à Monachis regebantur: quum Germanicæ jam ad Canonicos migraverant. Necdum enim (si non fallor) nostros admiserant Ecclesiæ Gallicanæ ante Johannis vigesimi secundi Papæ pontificatum. Eodem spectat Robertus Abbas de Monte in Appendice ad Sigebertum, cujus hæc verba ad annum centesimum quinquagesimum primum supra millesimum: *Sunt hodie in Gualia quatuor Episcopatus, in Anglia septemdecim. In octo eorum sunt Monachi in episcopalibus sedibus. Hoc in aliis provinciis aut nusquam, aut rarò invenies. Sed ideò in Anglia hoc reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, scilicet Augustinus, Mellitus, Justus, & Laurentius, Monachi fuerunt. In aliis octo Episcopalibus sedibus Canonici sæculares, in una Canonici regulares.* XXX In Anglia.

Nihil verò magis honorificum magnificumque ad decus & honorem Ordinis nostri est, quàm quòd in ipso universarum Ecclesiarum Capite, Romanis dico Ecclesiis primariis, sodales nostri quondam sedem habuerunt nimirum in Lateranensi, in qua constituti Casinates Monachi post cladem Monasterio suo à Longobardis illatam, ubi etiam existebant tempore Innocentii XXXI. Romæ.

Papæ secundi, ut Baronius probat, & in ipsa S. Petri Ecclesia jubente Gregorio tertio, Monachi trium Ecclesiarum Romæ vigilias celebrabant, ut interim sileam de Ecclesia S. Pauli, quæ ab annorum longa serie Benedictinos habuit, habetque ad nostram usque ætatem.

XXXII Episcopi Monasteriorum. Huic quod præ manibus versatur argumento adfine est aliud de Abbatibus Monachisve nonnullis, qui in Cœnobiis insignioribus Episcopi nomen & officium gesserunt: quales fuere in Monasteriis Sancti Martini Turonis, Sancti Dionysii prope Parisios, Laubiensi in Belgio, & Hohenoviensi in Alesatia. Quid de istorum Episcoporum dignitate & officio statuendum sit, eruditi quærunt. Ego verò hac de re quod legendo adsequi potui hic scribo.

XXXIII In eo quod tractamus sæculo Episcopi nomen traductum est ad Episcopos regionarios seu errantes, ad Monasteriales, ad Chorepiscopos, ad Prædicatores divini verbi.

XXXIV Episcopi regionarii qui & vagantes & vacantes Græcis σχολάζοντες & σχολαζόμενοι in Conciliis, Scotti plurimùm erant ex Hibernia oriundi, quibus innata peregrinandi facilitas. Isti quòd passivam ubique licentiam usurparent ordinandi Ministros sacros, coerciti non semel, nec sic tamen omnino quieverunt. Eorum ordinationes irritas pronuntiant Patres Concilii Cabilonensis secundi capite quadragesimo tertio. Quod ipsum antè statuerat Synodus Vermeriensis capite quarto decimo *de Episcopis ambulantibus*, & post annos tres Vernensis capite tertio decimo de *Episcopis vagantibus* inscripto. Immo in Britannia Insula prohibebantur Scotti a sacris faciendis; *quia incertum est nobis*, inquiunt Patres Concilii Celichitensis capite quinto, *unde & an ab aliquo ordinentur*. Fatendum est tamen ejusmodi Episcopos plurimùm Ecclesiæ tum Gallicanæ, tum Germanicæ profuisse; tametsi nonnulli (ut fit) per speciem Evangelii prædicandi, & nomine & officio abusi sunt suo.

XXXV Erat & aliud genus Episcoporum in Monasteriis exemptis ab ordine communi aliquibus. Cùm enim Monasteriis illis cellæ (ut vocant) Ecclesiæque plures subjectæ essent, nec facile reperirentur Episcopi, qui munia sacra ab Episcopis gerenda iis in locis exercerent; provisum eò est, ut ex Monachis unus aliquis ordinaretur Episcopus ad id præstandum. Eam institutionis istius causam adsignant Stephanus & Hadrianus Pontifices Romani in litteris hac de re concessis pro Monasteriis sancti Martini Turonis, & sancti Dionysii in agro Parisiaco. Exstant eæ Stephani litteræ primariæ in Archivo Dionysiano, quales editæ a nobis sunt in Elogio Fulradi Abbatis. In quibus hoc in loco notanda hæc verba: *Et quoniam ad preces Chludovii filii Dagoberti Regis Domnus Landericus, Parisiacæ urbis Episcopus à sua & omnium successorum suorum potestate deinceps, cum consilio suorum Canonicorum & Fratrum suorum Coepiscoporum regionis illius, Cœnobium vestrum & omnes ad eum servientes Clericos quorumcumque ordinum in procinctu vestri Monasterii absolvit; nos etiam idem, & habere vobis Episcopum per singulare privilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à Fratribus in Monasterio vestro electus, & à Fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa vestra Monasteria à vobis ædificata provideat, & vice nostri nominis ubi & ubi fuerint regat, & prædicationi tam in ipso vestro Monasterio, quàm in sibi subjacentibus deserviat*. Jacobus Sirmondus in tomo secundo Conciliorum Galliæ alias edidit Hadriani Papæ litteras, quibus Pontifex ratum habet privilegium ab Stephano Papa tertio concessum, *ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit: per cujus prædicationem populus, qui à diversis regionibus devota mente quotidie ad sancta ejusdem Martyris Christi Monasterii limina concurrit, remedium consequi mereatur animarum*. Eadem ferè verba legun-

guntur in privilegio, quod Hadrianus ipse Cœnobio Martiniano concessit: quale editum est apud Radulfum Monsnierium in defensione jurium Ecclesiæ S. Martini, capite secundo, emendatius eo, quod à Papirio Massono vulgatum est in libro de Pontificibus Romanis, ubi de Sergio Papa. Viguit aliquamdiu in utroque isto Cœnobio usus propriorum Episcoporum; diutiùs quidem in Martiniano, quàm in Dionysiano, nimirum ad Pontificatum usque Urbani Papæ secundi, qui Turonos ad limina sancti Martini profectus, sublato proprio Episcopo Martinianam Basilicam jussit *Romano specialiter adhærere Pontifici, anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo sexto, pontificatûs nono*, ad componendas scilicet querelas Episcoporum Gallicanorum, præcipue verò Legatorum Ecclesiæ Romanæ, quos Martiniani Canonici debito cum honore suscipere recusabant. Legesis has litteras apud Monsnierium in capite tertio. At verò in Dionysiano Monasterio peculiares illi Episcopi non videntur perseverâsse ultra Imperium Ludovici Augusti, ut ex iis quæ posteà referam intelligitur. Porro Episcopi illi aliquando ipsi Abbates erant Monasterii, aliquando alii ab Abbate, prout vota & suffragia Monachorum ferebant. Ne quis autem hæc incassum prolata suspicetur, res tota exemplis confirmanda est. De proprio Dionysianæ Ecclesiæ Episcopo insignis est locus veterrimi Auctoris, qui libros de Miraculis B. Dionysii duces à nobis hîc editos scripsit principatu Caroli cognomento Calvi. Is in libri primi capite sexto agens de quodam rustico ad sepulcrum sancti Dionysii a furcilla liberato; *Postera die* inquit, *accessit ad Herbertum Episcopum, (moris quippè ei fuit Ecclesiæ aliquamdiu Episcopos habere) eique peccata sua confessus est. Jubet Episcopus furcillam utrimque præcidi, evocatisque Fratribus ut pro eo Dominum precarentur obtinet. Sic unà cryptam beati Dionysii ingredientes pro eo cùm Fratres devotè orarent, Sanctorum meritis sparsis digitis resoluta manus amissum plenè recepit officium*. Id miraculi accidit Fulrado Abbate, cui Stephanus Papa concesserat privilegium habendi proprium Episcopum, quem mox eidem Ecclesiæ ordinatum fuisse constat ex hoc loco & peregrinantium confessiones (ut Pontifex statuerat) excepisse. Hinc conjicere licet, *Gothofredum Episcopum* in rotulo (ut vocant) Monachorum Dionysianorum memoratum, tomo quarto Spicilegii, ibidem etiam Episcopum fuisse. Ex his porro anonymi verbis intelligimus, jam ipsius tempore desiisse *morem* illum habendi Episcopum loci proprium, ut verba Auctoris expendenti conspicuum fiet. Longè plures in Martiniana Basilica fuêre proprii Episcopi. Monsnierius omnino decem enumerat in capite secundo, Amuraldum scilicet, Nicetium, Paternum sæculo octavo, Benignum, Desiderium, Vvichardum sæculo nono, Maximum, Julianum sæculo insequenti, Philippum & Lucianum tempore incerto. Primæ classi, duos adjungo, Vvicterbum & Andegarium, quorum obitus adnotatur in Francorum Annalibus ex codice Masciacensi vulgatis à Labbeo in tomo secundo Bibliothecæ novæ. Annales illi veterrimi, qui annum septingentesimum nonagesimum sextum non excedunt, de Vvicterbo ista habent: *Anno septingentesimo quinquagesimo sexto, anno quinto regnante Pippino Rege, obiit Vvicterbus Episcopus & Abba sancti Martini. Fuit autem Baugoarius, genere Heilolvingus*, (id est Bajoarius de gente seu familia Agilolfinga, ex qua fuêre Duces Bajoariorum veteres) *senex & plus quàm octogenarius usque ad id tempus sedebat, propria manu scribens libros*. De Andegario sic: *Anno septingentesimo nonagesimo Andegarius Episcopus Monasterii S. Martini obiit quinto decimo Kalendas Februarii. Fuit autem ex genere Anglorum, sed Pater ejus Botto nomine negotiator fuit in urbe Massilia. Fuit autem magnæ humilitatis, unde omnibus gratissimus habebatur*. Tam aperta scriptorum antiquorum testimonia sufficiunt ad illustran-

dam propriorum Episcoporum notitiam: qui aliquando (ut dixi) iidem ipsi Abbates erant, ut Vvicterbus; aliquando alii ab Abbate, ut Andegarius, qui Alcuino Abbate fuit Episcopus Martinianus.

XXXVI Eo in numero censendos existimo Abbates nonnullos Hohenoviæ infra Strateburgum seu Argentoratum, Benedictum scilicet, Thubanum, Thomam, Stephanum, qui modò Abbates, modò Episcopi; nunc utroque vocabulo appellantur: seu quòd antea episcopali dignitate perfuncti, id quod de Benedicto constanter adfirmant codices manu exarati; seu quòd Episcopi regionarii, nullis certis addicti sedibus, seu quod Argentoratensis Episcopi Vicarii ac Chorepiscopi fuerint, uti conjicit Jodocus Coccius in libro de Dagoberto, capite quarto decimo. Certè non adsentior iis Auctoribus, quos Franciscus Guilimannus in libro primo de Argentinensibus Episcopis capite sexto ait adserere, duos quondam fuisse Episcopatus, alterum Argentorati cis Rhenum, alterum Hohenoviæ ultra. Verisimilius est primos Abbates istius Monasterii fuisse Adjutores seu Chorepiscopos Pontificis Argentoratensis. Nonnumquam enim Chorepiscopi sedem fixam habebant. Qualis fuisse videtur Episcopus ille Ecclesiæ Sancti Martini Cantuariæ *in Suburbio civitatis in parte Orientali, ubi sedes Episcopalis erat* ad Pontificatum usque Lanfranci: qui Godvvino *Episcopo Ecclesiæ Sancti Martini mortuo successorem subrogare noluit, dicens, quòd in una civitate duo Episcopi minimè esse deberent, minùs cautè considerans, quòd ille in civitate sedem Episcopalem non habebat*, inquit Auctor anonymus in tomo primo Monastici Anglicani, paginâ vigesimâ sextâ. Sic Herlebertus Alberici Lingonensis Episcopi *Coepiscopus*, Abbas erat Monasterii Benigniani apud Divionem, uti & Bertilo *Coepiscopus & Abbas* ibidem fuisse perhibetur: cui tamen posteà *Isaac Episcopus Saronem Abbatem ad regimen & curam animarum socium constituit*, testante Anonymo in chronico Benigniano. Denique Cœnobii Laubiensis Abbates primi Ursmarus, Ermino, & Theodulfus *Abbates* & *Episcopi* dicuntur. Cujus rei rationem in Ursmaro investigans Fulcuinus in Chronico Laubiensi ita scribit: *Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quòd prædicandi gratiâ, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis Barbaricæ Episcopus fuerit ordinatus, quod factum quoque de S. Amando legimus; quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionemque suam ratione quadam tuentibus: quòd videlicet locus regius, regiâ munificentiâ constructus, regio palatio contiguus, scilicet Liptinis, nulli committeretur, nisi priùs ordinatus esset Episcopus, quam dignitatem & in plerisque successorum ejus durâsse in subsequentibus dicemus. Quid horum verum sit lectoris arbitrio committimus*. Sic ille rectè & genuinè.

XXXVII Alii denique dicebantur Episcopi, cùm tamen Episcopi non essent, ob munus scilicet evangelicæ prædicationis. Certè Anscharius in vita sancti Vvillehadi Bremensis Episcopi hoc in sæculo exhibita observat, eum septennio priùs, quàm Episcopus esset, vocatum Episcopum fuisse. *Septem annis*, inquit, *priùs in eadem Presbyter est demoratus parochia, vocatus tamen Episcopus, & secundùm quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans*. Nec aliam ob causam Gregorius Presbyter & Abbas Trajecti ad Rhenum dictus est à nonnullis Episcopus, quàm quòd post Bonifacii Martyris necem eam Ecclesiam administravit. Hinc conjecturam capio plures ob eamdem causam Episcopi nomine donatos fuisse. Sic S. Richarius Abbas & auctor Cœnobii Centulensis, in Martyrologio Notkeri sexto Kalendas Maii; & Vulmarus Abbas Silvinacensis, apud Adonem quinto-decimo Kalendas Julii, appellantur Episcopi, eò quòd partes Episcopi in disseminando Evangelio expleverint. Existimo etiam id nominis ea fortè de causa

causa traductum ad eos, qui Synodo Ingilheimensi in causa Ebbonis Remorum Episcopi subscripsisse inveniuntur hoc modo *Ratoldus Presbyter vocatus Episcopus, Amalricus vocatus Episcopus*, apud Frodoardum in libro secundo historiæ Remensis, capite vigesimo. His per opportunum excursum pro modulo expositis ad ordinem revertor.

§. IV.

De litterarum studiis per Benedictinos institutis in Germania.

Post adnuntiatam receptamque in Germania Religionem Christianam, post institutas Ecclesias cathedrales, proximum erat ut Scholæ publicæ in ea constituerentur, in quibus inculta & efferata gens paullatim duros mores deponeret, & mansuetioribus sanctioribusque exculta disciplinis humanius saperet. Non ignorabat S. Bonifacius, quantùm id novitiæ fidei interesset. Eo curas suas direxit, & in Fritislariensi primùm Asceterio, postea in Fuldensi, tum Trajecti ad Rhenum, aliisque in locis publicas aperuit scholas. Atque, ne id genus exercitii eo mortuo insuper haberetur, scripsit epistolam ad Fulradum, magnæ tunc in Regno Francorum auctoritatis, in hæc verba: *Deprecor celsitudinem Regis nostri pro nomine Christi filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare & mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem posteà de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini, quidam Presbyteri, per multa loca ad ministerium Ecclesiæ & populorum constituti, quidam sunt Monachi per cellulas nostras, & infantes ad legentes* litteras ordinati sunt, & aliqui seniores, qui longo tempore mecum viventes laboraverunt, & me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur.* Hinc mortuo Vvigberto Fritislariensis Monasterii Abbate præcipit, *ut Vvigbertus Presbyter, & Megingodus Diaconus Regulam insinuent, & magistri sint infantium, & prædicent verbum Dei Fratribus.* Floruère dein studia litterarum in Cœnobiis, quantùm æruginosa illa ferebant tempora: ut non magis essent asceteria virtutis, quàm scientiarum. Quia verò huc devenimus, juvat ab origine repetere, quæ fuerint in Ordine nostro studiorum initia & incrementa, quæ disciplina: tum percurrere insigniora quædam loca, in quibus ampliùs ea floruerunt. XXXVIII

* f. infantibus ad legendas.

Non priùs Ordinis sui apud Sublacum fundamenta jecit Sanctus Benedictus, quàm puerorum institutionem in se suscepit. Testes Maurus & Placidus Senatorii generis pueri, aliique quos à tenerioribus annis educavit, & pietatis litterarumque studiis informavit. Id exinde frequentatum aliis in locis in gratiam eorum puerorum, qui DEO in Monasteriis oblati à parentibus erant. Sed postea quàm ea res probari cœpit experientiâ utilitatis communis, placuit ut ejusmodi institutio ad exteros etiam derivaretur: quod nescio an Germania prima susceperit. XXXIX Studiorum origo in Ordine nostro.

Quia verò pueris Deo consecratis non conveniebat, ut sæcularium collegio commiscerentur, alii ab aliis divisi sunt in duas turmas, & *Scholæ interiores & exteriores* constitutæ. Certè Abbates nostri in Concilio Aquisgranensi anno octingentesimo septimo decimo statuerunt capite quadragesimo quinto, *ut schola in Monasterio non habeatur nisi eorum, qui oblati sunt.* Non quò pueri XL Scholæ interiores & exteriores.

ri sæculares ab scholis nostris excluderentur; sed quò diversi ordinis pueri divisis in scholis non unos audirent præceptores. Quò magis mirari subit securitatem cujusdam recentioris Scriptoris, qui eo capite existimat Monachos ab docendis externis pueris removeri jussu & auctoritate Principis: cùm statutum istud ab ipsis Ordinis nostri Præfectis conditum sit eo animo, ut ne pueri Monachi sæcularia cum pueris sæcularibus discerent, eâ scilicet animi sententiâ, qua vetuerant capite quadragesimo secundo, *ut nullus plebejus seu Clericus sæcularis in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus*. Erant ergo, ut dixi, in Cœnobiis nostris Scholæ *interiores* seu *claustrales* pro Monachis; *exteriores* seu *canonicæ* pro sæcularibus. Hujus discriminis auctorem habemus in primis Ekkehardum in vita S. Notkeri, capite septimo. *Traduntur post breve tempus Marcello scholæ claustri cum beato Notkero Balbulo & ceteris monachici habitus pueris: exteriores verò, id est canonicæ, Isoni cum Salomone & ejus comparibus*. Iis in scholis quantâ diligentiâ instituerentur pueri in Monasteriis, testis est Udalricus in libro tertio Consuetudinum Cluniacensium capite octavo, ubi commemoratis omnibus, quæ in eorum educatione observabantur, concludit, difficilè fieri posse, *ut ullus Regis filius majore diligentia nutriatur in palatio, quàm puer quilibet minimus in Cluniaco*. Et quidem Regum filios quàm plures in Monasteriis nostris educatos legimus, Lotharium Caroli Calvi filium Autissiodori in Cœnobio S. Germani, Theodoricum tertium Kalæ, Ludovicum sextum, aliosque in Monasterio Dionysiano: quibus adjungendi Pippinus Caroli Magni parens, & Rotbertus tertiæ stirpis Rex secundus.

Puerorum institutio.

XII

Cur dimissa.

Postea verò quam tepescente religione datus est locus parentum cupiditati, qui levandæ familiæ causâ, non devotionis, si quos gibbosos, deformes, stupidos & sæculo ineptos haberent filios, Monasteriis includebant, Res in Monasticæ disciplinæ versa dispendium, aboleri dein cœpit. Unde Sanctus Udalricus in prologo libri præcitati gratulatur Vvillelmo Hirsaugiensi Abbati, quòd pestem hanc sustulisset è medio, lege lata, ne pueri in Monasterium suum admitterentur, *ut opus sit præfatis sæcularibus alium sibi nidum providere, ubi reponant pullos suos abortivos velut exheredatos. De qua re* inquit Udalricus, *sentiat quisque quod voluerit. Ego autem certus sum, illam te radicem funditus exstirpâsse, ex qua præcipuè omnia sunt Monasteria destructa, quæ destructa sunt, vel in Teutonica, vel in Romana lingua.* Petrus Damiani etiam probat in Opusculi trigesimi sexti capite sexto decimo puerorum scholas, quos *rigorem sanctitatis* sæpe enervâsse dicit, suo tempore in monte Casino desiisse. Id cùm animadvertissent Cartusiensis Ordinis primi Institutores, peculiare hac de re statutum condiderunt, Guigone Cartusiæ majoris Priore in hæc verba referente: *Pueros sive adolescentes non recipimus, quia per eos Monasteriis multa contigisse dolemus, & magna spiritualia simul & corporalia pericula formidantes.* Præter eos Guibertus Abbas de Novigento in libro primo de vita sua, capite octavo, agens de causis remissionis disciplinæ regularis in Cœnobiis nostris, observat inter alias causas id factum, quia in Monasteriis *perpauci reperiri poterant, qui peccati fastidio sæculum respuissent: sed ab illis potissimum detinebantur Ecclesiæ, qui in eisdem parentum devotione contraditi ab ineunte nutriebantur ætate, qui quantò minorem super suis quæ nulla sibi videbantur egisse malis metum habebant, tantò intra Cænobiorum septa remissiore studio victitabant.* Denique Petrus Mauritius Venerabilis, Abbas Monasterii Cluniacensis, puerorum susceptionem in Ordine suo prohibuit, edito hac de re statuto trigesimo sexto: quod postea Hugo Abbas eo nomine quintus confirmavit. Sic paullatim puerorum susceptio oblatiove in Monasteriis in desuetudinem abiit, donec tandem Ecclesiæ Decreto in Concilio Triden-

dentino vetita est ea, quæ ex Regulæ præscripto reatum perpetui voti inducebat.

XLII
Disciplinæ quæ præcipuè traditæ.

In Scholis nostris docebantur disciplinæ omnes; præcipuè tamen vigebat studium Scripturæ sacræ ac Sanctorum Patrum, quæ una erat Theologia illius ætatis. Eò cetera omnia studia ferebantur, eò viam faciebant humaniores litteræ artesque liberales, ut probant Bedæ Venerabilis libri de arte metrica, de schematis scripturæ, de indigitatione; & HRabani opusculum de Institutione Clericorum: Etsi verò bellorum atrocitas identidem silentium imponebat politioribus musis, eas tamen serenatis rebus pax continuò revocabat. Nam veteres illæ nostrorum Academiæ, eædem & rectè faciendi & benedicendi scholæ erant: neque disjuncti, (quod alicubi Cicero improbat) sed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi. Absurdum quippe est discidium illud quasi linguæ atque cordis, ut alii nos sapere, alii dicere doceant. Erat ergo, inquam, in scholis nostris, ut virtutis studium, ita & humaniorum litterarum frequens usus: quibus addiscendis etiam profanorum Auctorum, eorum qui ab omni obscenitate abhorrent, lectio adhibebatur. Hinc Anselmus in libri primi epistola quinquagesima quinta Mauricio Monacho, suo quondam, tum Arnulfi auditori præcipit, ut, quantum possit, legere satagat *de Virgilio & aliis Auctoribus, exceptis his, in quibus aliqua turpitudo sonat*. Scio quid Paulinus in carmine ad Ausonium scribat, *Camœnis scilicet nec Apollini patere debere dicata Christo pectora.* Scio & Gregorii Magni effatum ad Desiderium Cadurcorum Antistitem, *quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiant*. Nec ignoro, quòd Petrus Damiani in Opusculo tertio decimo reprehendit Monachos, *qui Grammaticorum vulgus adeunt, qui, relictis spiritualibus studiis, addiscere terrena artis ineptias concupiscunt, parvipendentes scilicet Regulam Benedicti, regulis gaudentes vacare Donati*. Verùm aliud est, quod instituendæ juventutis gratiâ ex necessitate a pueris discitur; aliud quod ab Episcopis, a viris ad sanctiora tendentibus exigitur, aliud quod ad usum discitur, aliud quod ad voluptatem & officium. „ Omnes enim artes, inquit Orator, aliter ab iis „ tractantur, qui eas ad usum transferunt; aliter ab iis, qui ipsarum artium „ tractatu delectati nihil in vita sunt aliud acturi. „ Hi scilicet id unum meditantur, id unum agunt: illi iis utuntur, quum est commodum, quum postulat tempus & ratio honesta. Rectè hanc in rem Lanfrancus, cùm de quibusdam profanis quæstionibus pulsaretur, ita scribit ad Damnoaldum epistolâ trigesimâ tertiâ: *Quæstiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis. Sed Episcopale propositum non decet operam dare ejusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus: sed accedentes ad pastoralem curam abrenuntiandum eis decrevimus*. Certè a primis temporibus, tamquam ex inolita quadam consuetudine, Ecclesiarum Doctores Græcorum disciplinis se se exercuerunt, ut disertè probat Socrates in Historiæ libro tertio, capite sexto decimo: idque constat de Gregorio Nazianzeno, de Basilio, aliisque viris religiosissimis, quos gentilium libros lectitâsse & commendâsse novimus. Hæc dixerim occasione eorum, qui humaniorum litterarum expertes in aliis ejuscemodi studia plùs æquo reprehendunt, quæ, si debito modo ac tempore adsumantur, judicium informant, animum perpoliunt & exornant, atque ad virtutis studium docilem aptumque efficiunt. Lege Filesaci Tractatum hac de re singularem.

Profanorum lectio necessaria ad informandos adolescentes.

XLIII
Provectioribus postbabenda.

Atqui ut consentaneum est pueros seu adolescentes humanioribus studiis occupare animum; ita ex adverso indecorum est Monachos jam adultæ ætatis, nisi exigat alios docendi necessitas, libris gentilium lectitandis meliorem dare operam. Hinc Patres Concilii Cloveshoviensis in Anglia Sæculo octavo celebra-

bra-

brati decernunt capite vigesimo, *ut provideant vigilanti perspectione Episcopi, ut sint Monasteria juxta vocabulum nominis sui, id est honesta silentium, quietorum, atque pro DEO laborantium habitacula: & non sint artium ludicrarum receptacula, hoc est poetarum, citharistarum, musicorum, scurrarum; sed orantium, legentium, Deumque laudantium habitationes.* Apposite quidem. Non enim congruit eos qui omnia DEO adhærendi gratiâ reliquerunt, fabulis & inanibus ludicris detineri; cùm possent deberentque animos lectione Scripturæ sacræ, Patrum, Conciliorum, & Historiæ Ecclesiasticæ imbuere more Majorum, alias verò artes nonnisi per speciem relaxandi animi paullulùm attingere. *Nam dictu dolendum est,* inquiunt Patres ejusdem Concilii capite septimo, *quòd his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde sacræ scientiæ rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in discendo voluerint, quin potiùs à juvenili ætate vanitatibus diversis & inanis gloriæ cupiditatibus occupantur, atque præsentis vitæ instabilitatem plus quàm sacrarum Scripturarum assiduitatem vagabunda mente sequuntur. Proinde,* ajunt, *coerceantur, & exerceantur in scholis pueri ad dilectionem sacræ Scripturæ: ut per hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam Ecclesiæ Dei utilitatem.* Omnino verò egregia est ea de re epistola Caroli M. ad Baugulfum Abbatem Fuldensem, digna certè, quæ hîc integra exhiberetur. Monet siquidem Rex ille piissimus, *utile esse, ut Episcopia & Monasteria, præter regularis vitæ ordinem atque sanctæ Religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus secundùm unius cujusque capacitatem docendi studium debeant impendere: qualiter sicut regularis norma honestatem morum; ita quoque docendi & discendi instantia ordinet & ornet seriem verborum: ut qui DEO placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo. Quamobrem hortamur, vos,* inquit, *litterarum studia non solùm non negligere, verùm etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut faciliùs & certiùs Divinarum Scripturarum Mysteria valeatis penetrare.*

XLIV Antiquariorum labor. Magnam etiam diligentiam adhibuêre Majores nostri in studio historiæ sacræ & civilis, transmittendo ad posteros tum monumenta antiquorum, tum memoriam rerum suo tempore gestarum. In priori genere Henricus Meibomius in præfatione ad tertiam Vvitichindi editionem celebrat in primis Monasterium Corbiënse in Saxonia, „ quòd nobis non tantùm Vvitichindum Hi„ storicum, verùm multos Archiepiscopos, Episcopos, Archimandritas & „ viros insigniter doctos dedit, adeoque primaria utriusque Saxoniæ schola „ aliquot sæculis fuit: immo rempublicam litterariam insigni omnique præ„ dicatione digno beneficio affecit, conservatis quinque prioribus Annalium Cornelii Taciti libris. „ Corbeïæ Saxonicæ si non præferenda, certè conjungenda hac in laude Corbeïa Gallica, alterius parens, quæ tot viros illustres protulit, tot monumenta litteraria orbi Christiano servavit, ut quotidiè probant homines eruditi. Meibomii testimonio adjungenda est haud exigui hoc in loco momenti auctoritas Joachimi Vadiani hæretici, in libro primo de Collegiis Monasteriisque Germaniæ consitentis, „curam aliquam studiorum illis Sæ„ culis fuisse in Monasteriis. Id quod testantur Bibliothecæ plures, præcipuè „ Fuldensis & Lauresheimensis, Hirsaugiensis, & Cæsariensis prope Nordlin„ gam, aliæque non paucæ in Germania: quas inter & ea, quæ S. Galli est, „ meritò censetur, optimis quondam libris & selectis referta. „ De illa Antiquariorum opera, cui Majores nostri in omnibus æquè Cœnobiis per multa Sæcula insudavêre, legenda est observatio decima Præfationis ad Sæculum primum. In posteriori studii genere illud memoriâ dignum, quod legitur in

Historiæ studium. Præfatione Matthæo Parisio præfixa ex Scotti Chronico, „ nimirum statutum „ fuisse in Anglia quondam, ut in uno quoque regali Monasterio unus ali-

„ quis

„ quis designaretur scriba doctus ac diligens, qui Regis aliorumque facta ac „ Regni eventus notaret, quæ post Regis cujusque obitum ad proximum generale Capitulum deferrentur examinanda, postea redigenda in Chronicon „ accuratè, in Archivis adservandum ad documentum posterorum. Hinc Johannes Marshamus in προπιλαίῳ Monastici Anglicani scribit Monachatum „ olim maximam fuisse partem gentis Ecclesiasticæ, & parietes cœnobiales diu „ sanctitatis & melioris litteraturæ fuisse sæpes, ex illo Seminario prodiisse „ ingentia illa Christiani orbis lumina, Bedam, Alcuinum, Vvillebrordum, „ Bonifacium atque alios, ob doctrinam & propagatam fidem impensè colendos. „ Denique, quod ad præsentem locum facit, *absque Monachis*, inquit, *nos sanè in historia patria semper essemus pueri*. Quid Bedæ nostro, quid Ingulfo & Turgoto, quid Vvillelmo Malmesburiensi, quid Matthæis ambobus, Vvestmonasteriensi & Parisio Monachis, aliisque pluribus debeat Britannia Insula; quid Adoni Viennensi Archiepiscopo, quid Vvillelmo Gemeticensi, & Orderico Uticensi Cœnobitis, quid utrique Aimoino & Hugoni Abbati Flaviniacensi Gallia; quid Paulo Diacono, Erkemperto, Leoni Marsicano, & Petro Diacono Italia; quid Germania Reginoni Prumiensi Abbati, quid Vvitichindo & Lamberto Scafnaburgensi, quid Ditmaro & Hermanno Contracto, ceterisque debeat, etiam me tacente judicabunt rerum historicarum periti.

Neque verò in his solùm, sed in omni studiorum genere maximè floruêre pleraque Germaniæ, uti etiam Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ & Italiæ Monasteria nostra. Legendus hoc de argumento Johannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, quæ optima est hujus Auctoris historia, ubi Cœnobia litterarum cultu celebriora enumerat Fuldense, Sancti Galli, Augiense, Hersfeldense, Hirsaugiense, Sancti Albani Moguntinense, Corbeiense utrumque, Prumiense, Medelocense seu Mediolacense, Sancti Dionysii Parisiense, Sancti Maximini Trevirense, Remense, Autissiodorense Sancti Germani, Turonense Sancti Martini, Stabulense & Vveissenburgense: *in quibus omnibus* inquit, *erant Monachi & multi valdestudiosi, è quorum Collegio in singulis Cœnobiis unus ceteris in Scientia Scripturarum excellentior, Scholasticus ponebatur.* Ekkehardus *Magistros Scholæ* appellat. Istorum Cœnobiorum numero addenda sunt Parisiense S. Germani, Floriacense, Saltzburgense, (hactenus Universitas), Gorziense, Bremense, Cluniacense, aliaque permulta: de quibus Deo dante alias uberiùs disserendi erit locus. Interim, si lubet, lege Paulum Langium, Christophori Brovveri Antiquitates Fuldenses, & Matthæi Vveissii Lyceum Benedictinum. Ex his porro scholis etiam Laici adolescentes instructi promovebantur ad infulas Pontificales: quales fuerunt Adalbero Remorum & Octardus Cameracensium Episcopi sæculo decimo, *qui in Scholis Gorgiensis Monasterii pariter condiscipuli extiterant*, referente Balderico in Chronici Cameracensis libro primo, capite primo supra centesimum, & Ekkehardus junior in capite sexto de Monasterio sancti Galli: *Erant* inquit, *disciplinæ loci, ut semper, & tunc severæ, non modò in Claustro, sed & in Scholis externis. Unde etiam præter Clericos, qui apud nos sæpe nutriti sunt, clarissimos Ecclesiis variis multoties dedimus & Episcopos*. Nempe ut ab adversariis nostris testimonium repetam, „ in Præsule, inquit Joachimus Vadianus, duæ „ res potissimùm spectabantur, pietas & eruditio. Pietatem a vitæ innocen„ tia, & divini cultus amore metiebantur: eruditionem autem a judicio & à „ doctrinæ præstantia, quam quia paullo rariorem habebant illa sæcula, per„ sæpe accidit, ut & Monachi doctrinæ famâ commendati, & quòd omnis studiorum facultas eo tempore præcipue in Monasteriis regnabat, in Episco„ pos electi, & summis Sedibus præfecti fuerint. „ Hæc ille initio libri primi jam citati.

XLV In quibus præcipuè Monasteriis.

Inde educti Episcopi &c.

XLVI Præceptores Ecclesiarum Cathedralium Academiarumque.

Nec solùm in Monasteriis Majores nostri litteras docebant; sed etiam non rarò ex illis præceptores Ecclesiarum Episcopalium Scholis præficiebantur. Exstat hac de re Frodoardi testimonium in Historiæ Remensis libro quarto capite nono scribentis, „Fulconem Præsulem duas scholas Remis, Canonicorum „ scilicet loci atque ruralium Clericorum, pæne delapsas restituisse, & *evocato* „ *Remigio Autissiodorensi Magistro* liberalium artium studiis adolescentes Clericos „ exerceri fecisse, ipsumque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ dedisse „ operam. Sed & *Hucbaldum Sancti Amandi Monachum virumque disciplinis so-* „ *phisticis nobiliter eruditum* arcessisse; sicque *Ecclesiam Remensem præclaris illu-* „ *strâsse doctrinis*, quod ibidem postea præstitit Gerbertus Monachus tum Au- „ riliacensis. „ Quin etiam Remigium jam dictum Luteciæ Parisiorum scholas tenuisse, ac docuisse Dialecticam ceterasque artes liberales, prodit Johannes Monachus in vita Sancti Odonis Abbatis Cluniacensis, qui Odo Remigium præceptorem habuit. Denique, ut alios prætercam, Sigebertus Cœnobita Gemmelacensis in Mettensi Cœnobio Sancti Vincentii litteras publicè professus est, & factus est *fons patens non solùm Monachis, sed & Clericis ad se undique confluentibus*, testante Chronographo Gemmelacensi ejus discipulo, qui & præclara scribit de Olberto præceptore Burchardi Episcopi Vvormatiensis. In his officiis si quid munificentiæ a discipulis accipiebant Præceptores, id in usus pios expendere solebant. Sic Sigebertus ipse, *multa contulit ad usum & ornatum Ecclesiæ* Gemmelacensis, *quæ adquisierat voluntaria eorum quos instruxerat liberalitate*. E recentioribus porrò non omittendus Genebrardus noster, qui litteras Hebraicas in Parisiensi Academia est interpretatus.

XLVII Sanctimonialium studia.

Pænè oblitus eram singulare Ordinis nostri decus, Sanctimonialium scilicet Benedictinarum studium quondam ardens in litteris excolendis, quæ laus etiam Bonifacio auctori tribuenda est. Is quippe in Britannia cùm degeret, non tantùm viros disciplinis imbuit, verùm etiam Monachas, quæ tantæ sapientiæ virum, ut scribit Vvillibaldus, Præceptorem expetiêrunt, quo præceptore *paginarum transcurrentes seriem, cælesti instanter scrutinio inhærebant, & sacramentorum Arcana mysteriorumque abdita jugiter meditabantur*. In Germaniam ipse profectus religiosas feminas e Britannia istuc advocavit, ex quibus Chunichilt *& filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur Magistræ*, ex Othloni libro primo, capite vigesimo quinto. Præter eas Lieba Bischofeimensi Parthenoni à Bonifacio præfecta, *lectionis studio tantâ diligentiâ incumbebat, ut nisi orationi vacaret, numquam divina pagina de manibus ejus abscederet. Nam cùm ab ipsis infantiæ rudimentis Grammaticâ & reliquis liberalium artium studiis esset instituta, tantâ meditationis instantiâ spiritalis scientiæ perfectionem conabatur adsequi, ut consentiente cum ingenio lectione, duplicato naturæ & industriæ bono, eruditissima redderetur*. Atque ut meliùs scias, quibus potissimùm studiis animum informaret, audi Rudolfum ipsius vitæ scriptorem hoc modo prosequentem: *Sed & dicta Sanctorum Patrum, & decreta Canonum, totiusque Ecclesiastici Ordinis jura plenitudini perfectionis adjecit*. Eo in Parthenone *non parvus ancillarum DEI numerus collectus est, quæ ad exemplum beatæ Magistræ cælestis disciplinæ studiis instituebantur, & in tantum doctrinâ ejus proficiebant, ut plures ex illis postmodùm Magistræ fierent aliarum: ita ut nulla, aut etiam rara in illis regionibus essent Monasteria feminarum, quæ non discipularum ejus magisteria desiderarent*. Non hîc stetit piarum Virginum conatus, sed etiam processit in communem rei publicæ utilitatem. Ut enim Monachi libris tum exscribendis, tum componendis meliorem impendebant operam, sic illæ laudabili æmulatione adductæ utrumque laboris genus experiri studuerunt. Quas inter

maxi-

maximè celebrandæ sunt Monachæ Eikenses in Belgio, quæ tum legendo & meditando, tum scribendo atque pingendo vacare solebant. In primis verò Harlindis & Renildis Abbatissæ, teste Auctore anonymo, qui earum Acta litteris mandavit „ præter textilia opera, quatuor Evangelia, Psalterium in-„ tegrum aliosque plures divinæ Scripturæ libros conscripsisse, ac liquido auro, „ gemmis, margaritisque exornâsse memorantur.„ Præcesserat istius facti exemplum in Cæsaria Abbatissa Arelatensi, „ cujus Sodales inter Psalmos atque je-„ junia, vigiliasquoque & lectiones, libros divinos pulchrè scriptitabant, ipsam „ magistram habentes,„ referente Cypriano in Vita S. Cæsarii Episcopi, Cæsariæ germani. Earum porrò Sanctimonialium è nostris, quæ proprii ingenii monumenta protulerunt in lucem, numerum inire non est hujus loci. Exemplo sint HRosvvita Gandersheimensis Monacha, nobilis pro tempore Poëtria, quæ res gestas Ottonis primi Imperatoris carmine cecinit; Hildegardis, Gertrudis, & aliæ, quæ maximè in Germania floruerunt.

§. V.

De cultu soli Germanici per Benedictinos.

DUo in Germania præstitêre Majores nostri in reipublicæ Christianæ utilitatem, nimirum conversionem gentis, & Ecclesiarum Episcopalium institutionem; studia verò in Clericorum & sæcularium commune emolumentum: quartum in habitatorum commoditatem, nempe ipsius soli Germanici propè deserti cultum & ornamentum. Primo loco occurrit Buchonia, solitudo quondam ingens, in Franciæ Orientalis, & Turingiæ confinio. At postquam eo in saltu Bonifacius Monasterium Fuldense construxit, ex horrore illo emersit urbs & regio non ingrata. Testis hujus rei Liudgerus in Actis S. Gregorii Abbatis in hæc verba: *Sturmi Venerabilis Abbas, unus ex numero illo Electorum DEI, qui ex S. Bonifacii disciplina profecti; quantùm profecerit in eremo, Bocauna sylva in testimonio est, quæ propè omnimodis inculta erat ac deserta, nunc * autem ab Oriente usque ad Occidentem, à Septentrione usque ad Meridiem, Ecclesiis Dei & electis palmitibus Monachorum impleverunt*. Inde nomen a fago Buchoniæ relictum auctore Candido in Vita S. Eigilis. Idem præstitit Bonifacius variis in locis, tam per se, quam per suos; aliique è nostris post eum. Quid enim quondam Corbeïa, quid Brema, modò urbes in Saxonia? quid Fritislaria, quid Hersfeldum, opida in Turingia? quid Saltzburgum, Frisinga, Eistetum, urbes Episcopales in Bajoaria? quid opida sancti Galli & Campidona apud Helvetios? quid numerosa alia opida in tota Germania? horridæ quondam solitudines & latibula ferarum: nunc hominum amœnissima diversoria, postquam ea nostri labore & industriâ suâ excoluerunt. Facile esset id etiam de aliis provinciis ac regnis demonstrare, sed ista in exemplum sufficiunt, ut intelligant omnes, ex Benedictinæ familiæ propagatione quid emolumenti & ornamenti Regnis Christianis accesserit. XLVIII

*f. hanc.

Quippe nostrorum labor & parsimonia rem familiarem auxit, pietas & religio traxit hominum frequentiam, à quibus concessa Monachis prædia & multa servitiorum capita. His commissi agri ad excolendum, exstructæ casæ circum Monasteria, villæ ad incolendum impositæ, tum casæ & villæ in opida & vicos conversæ. Crevit etiam Monasteriorum res familiaris, non solùm ex donatione Regum ac Principum aliorumque conditorum; sed maximè ex opi- XLIX

 bus

bus eorum, qui vitam Monasticam profitebantur. Quantùm contulerit Monachorum labor & industria, lubet uno declarare exemplo Cœnobii Gravensis in Aquitania. Stephanus Abbas Monasterii Sancti Rigaldi & Ermenaldus Prior ejusdem loci, turbam declinare cupientes, in Insulam Corda se se receperunt post medium sæculum undecimum. Adjunctus est ad eos quidam Cluniacensis Monachus, nomine Vvillelmus, *vir ingeniosus, laboriosus, piscandi & acquirendi solertissimus. Ipso retia componente, piscarias construente*, Monachi, qui eatenus rebus destituti fuerant, eò demum excreverunt, ut Monasterium construxerint *haud procul ab ipsa Insula, in loco qui dicitur Grava*, quod Monasterium *Amatus Romanæ Sedis Legatus, idemque Burdegalensis Archiepiscopus* adsistente Petro ejusdem Ecclesiæ Decano consecravit. Quæ omnia legi in litteris Stephani Abbatis & Ermenaldi, quibus istud Monasterium Hugoni Abbati Cluniacensi subjiciunt.

L Ex istis ergo fontibus derivata est Ordinis nostri amplitudo, quæ in reipublicæ etiam commoda redundavit. Hinc colligere licet, quid sacro debeat Ordini Germania, quæ utinam ita se nunc gratam exhiberet, ut alias quondam: & non magis alienis traderet sancti Benedicti patrimonium. Magnam partem jam hæresis devoravit, rapuitque aliena manus; reliquiis non parcent avidi comedones, nisi obsistat Monachorum religio ac pietas: quod optimum ac ferè unicum est grassantis mali remedium. Jam Imperatoria Majestas Benedictinis Cœnobiis temperari jussit; reliquum est, ut sibi ipsi consulant sodales nostri, & Majorum suorum memores, relictam ab iis hereditatem servent iis modis, quibus eam illi compararunt. Illud enim maximè nobis cavendum est, ne, ut Majoribus nostris pulcherrimum fuit tantam nobis Ordinis nostri gloriam & amplitudinem relinquere; sic nobis turpissimum sit, illud quod accepimus tueri & conservari non posse: maximè cùm exemplis suis utriusque rei nobis auctores esse possint, si eorum religionem velimus imitari.

§. VI.

Observationes Ecclesiasticæ.

LI OBSERVATIO I. Tametsi in Præfatione Sæculi superioris adnotata sunt non pauca de Missa quotidiana, de Reliquiis Sanctorum, aliisque de rebus; juvat tamen quædam huic loco opportuna retractare.

LII Statutum de Missa quotidiana. Missæ quotidianæ celebratio jam inde à sæculo sexto frequentata Sacerdotibus piis, circiter octavum sæculum ampliùs commendari cœpit. Statutum hac de re nullum invenio ante annum octingentesimum quinquagesimum quintum, quo Synodus Ticinensis ita decrevit capite secundo: *Statuimus, ut non tantùm Dominicis diebus & præcipuis Festivitatibus Episcopi Missas celebrent: sed cùm possibile fuerit, cotidiana quoque Sacrificia frequentent.* In Gallia etiam idem statutum obtinere cœpit eo tempore, ut probat Riculfi Suessionici Episcopi capitulum tertium, ita Presbyteros alloquentis: *Habete, quæsumus, studium in Psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas boras constituendo, id est Primam, Tertiam, Sextam; Missarum quoque cotidiana celebratione.* Quæ Statuta potiùs exhortationis, quàm legis aut præcepti vim habuisse constat. Paullò ante id tempus Monachi Fuldenses Carolo Magno porrexerunt supplicem libellum, in quo præter alia Imperatori suggerebant, *ut Presbyteris concederetur Missas sæpiùs celebrare: & ut spatia ad hoc eis darentur; sicut à Majoribus dabantur.* Nimi-

mirum eo tempore Ratgarius Fuldensis Abbas Monachos suos ita urgebat ad laborem, ut nec Presbyteris liceret operari Sacris, cùm vellent; nec in diebus festis, quos ipse Abbas sustulerat, interspirare. Quam ob rem postulant Monachi, *ut Sanctorum honor & festivitas non detestetur, sed in vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat: & quòd in his festivitatibus, quibus major veneratio convenit, Fratribus ab opere ad lectionem & psalmodiam vacare liceat.* Non una erat in Monasteriis celebrandæ ab unoquoque Missæ disciplina, ut probat exemplum Ratperti Monachi ac litterarum Præfecti in Monasterio sancti Galli apud Ekkehardum juniorem, capite tertio.

LIII OBSERVATIO II. Panis Sacrificii.

Panis Sacrificio adhibitus eo tempore, non erat panis cibarius & usitatus: sed formulæ quædam instar Oblatarum, quibus modò in Sacris utimur. Huc notanda sunt verba Isonis Monachi Sancti Gallensis in libro primo de Miraculis S. Otmari capite tertio, ubi agens de translatione corporis ejusdem Sancti circiter medium sæculum nonum facta, ita scribit: *sub capite autem & circa pectus viri Dei, quædam panis rotulæ, quæ vulgò oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo* Salomone *inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ.* Nempe moris erat antiquis, ut Sacerdotes cum iis ornamentis instrumentisque sepelirentur, quibus in re sacra uti solebant. Meminit istius ritus anonymus Auctor in libro quarto de Vita S. Gutberti Episcopi Lindisfarnensis, qui *toto corpore lavato, capite sudario circumdato, Oblatis super sanctum pectus positis, vestimenta Sacerdotalia indutus, in obviam Christo calceamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus* sepultusque est.

LIV OBSERVATIO III. Oblatæ duplices.

Oblatarum nomen variis in locis invenio, ubique forma eadem, tametsi usus diversus. Aliæ quippe ad usum sacrum, aliæ ad communem erant. Primam acceptionem in multis exprimit Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens Oblatas, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere*: & Gaufredus Prior Vosiensis in fine sui Chronici: *Sunt qui depravant eulogias quas vocamus oblias seu hostias, nimirum dicentes, Magnum bonum Missa, sed nullus idoneus ad hoc.* Aliam designat Burcardus in libro de Casibus Monasterii sancti Galli capite sexto, agens de Norperto Abbate, qui *in hebdomada paschali, in meridie vinum & oblatas dari constituit.* Quo sensu Udalricus in libro primo Consuetudinum Cluniacensium capite quadragesimo nono ait, *in Quinquagesima solere apponi ea, quæ in ferramento characterato consperssione farinæ tenuissimæ sunt, & ab hominibus Romana lingua Nebulæ, à nostratibus appellantur Oblatæ.*

LV OBSERVATIO IV. Quo ritu factæ.

Quo ritu fierent Oblatæ illæ, docet nos anonymus sæculi noni Monachus in libro de Miraculis sancti Vvandregisili Abbatis, capite vigesimo nono. *Tempestate quadam cùm vigilia adesset Nativitatis Dominicæ, & sodales suas Sanctimoniales feminas multimoda prece rogitaret,* femina scilicet à Vandregisilo sanata, modò ne ad ignem accederet, *ut Oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formarent, ignique cui appropinquare non audebat decoquerent, & minimè impetraret; accessit ad ignem, ferroque quo imprimendæ ac decoquendæ erant Oblatæ arrepto, mox nervi manûs ejus dextræ contracti sunt, ac oblatorium, quod sponte susceperat, invita vi agente divina retinuit.* Ergo oblatæ jam tum coquendæ ferro comprimebantur, imprimebanturve, quum id accidit, hoc est *anno octingentesimo nonagesimo quinto.* Quo etiam anno puella quædam ex familia Monasterii Campidonensis, nomine Guntrada, in Partenone Mouheimensi oblatas à se confectas, & *nitidè coctas atque in buxula repositas*, sanctæ Vvalpurgi obtulisse fertur in libro tertio de Vita & Miraculis sanctæ Vvalpurgis, capite primo. Utrumque locum egregiè illustrat Udalricus in libri tertii capite tertio decimo.

mo. Primò tempus notat, quo fiebant oblatæ. *Quotiescumque fieri hostias necesse fuerit, præcipuè tamen ante Domini Natalem vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent.* Sic supra mulier illa componebat oblatas in vigilia Nativitatis Dominicæ. Secundò postquàm *frumentum granatim electum magna cum reverentia molitum est, farina cribratur & conspergitur cum aqua frigida, quia indè fiunt hostiæ candidiores.* Tertiò, *ferramentum in quo sunt coquendæ characteratum tenet conversus, manusque induit chirothecis. In ferramento* verò *possunt simul hostiæ sex poni.* En ferramentum, quod oblatorium supra dictum ab Anonymo est. Eadem ferè religione hostiæ fiebant sæculo undecimo, non solùm in Monasteriis, sed etiam in aliis Ecclesiis. Quippe, teste Humberto Cardinali in libro contra Græcorum calumnias, *Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia Psalmorum azyma* * *consper sum & in ferro paratum ex Secretario proferebant.*

* azymum

LVI qua religione

Jam verò longè ante ea tempora panis Sacrificio deputatus religiosis quibusdam ritibus conficiebatur. Pachomius siquidem, uti in ejus Vita legitur à Dionysio Exiguo latine versa, capite quadragesimo, *præceperat Fratribus, qui in pistoria arte laborabant, ut si quando facerent Oblationes, nihil loquerentur supervacaneum: sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia.* Cur Pachomius silentium pistoribus signanter indixerit, dum Oblationes conficerent, non alia videtur causa, quam ut res ad usum sacrum destinatæ cum reverentia tractarentur. Id ipsum servabant Cluniacenses, quum oblatas faciebant. Pachomius quidem in Regulæ capite centesimo sexto-decimo universim præcipit Fratribus, ut *quando farinam conspergunt aquâ & massam subigunt, nullus loquatur alteri*, at severius sine dubio silentium imposuerat iis, qui oblationibus faciendis operam dabant. Certè oblationis nomine Pachomius oblationes sacras in Missa fieri solitas intelligit in Regulæ capitibus septimo decimo, & nono decimo, & sanctus Oddo Abbas Cluniacensis in Collationum libro secundo, capite vigesimo octavo superiorem Pachomianæ Regulæ versum de oblationibus sacris interpretatur. Eadem Religione Radegundis, auctore Fortunato, *more sancti Germani totâ quadragesimâ, in quantum quatriduana refectio postulavit, sua manu commolebat:* & exinde *Oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat*, quod etiam præstabat materfamilias illa, cujus mentio in vita Gregorii Magni. Eas præcesserat Candida uxor Trajani Magistri militum, quæ totas noctes molebat, & panem oblationis propriis manibus faciebat, teste Palladio in historiæ Lausiacæ capite septuagesimo nono editionis Meursianæ, cujus hæc verba: *ταύτην τὴν γενναῖαν οἶδα ἐγὼ δι᾽ ὅλης πάσης τῆς νυκτὸς κοπιῶσαν, καὶ ἀλήθουσαν, ταῖς ἰδίαις χερσὶν ποιοῦσαν τὸν ἄρτον τῆς προσκομιδῆς.* Ex eo verò quòd panem rei sacræ adhibendum, molitâ priùs à se farinâ, manibus suis conficiebant matronæ tam nobiles, satis intelligitur, non fuisse tum panem cibarium & usitatum, qui à meritoriis operis confici solet: sed alium, longè majori diligentia & religione paratum.

LVII OBSERVATIO V. candidi coloris.

Id etiam colligitur ex colore ultra morem candido, qualem insinuat Beda in historiæ libro secundo, capite quinto. Nam eo loci de tribus idololatris filiis Seberti Christiani Regis Orientalium Saxonum scribit in hunc modum: *Cùm viderent Pontificem* Mellitum *celebratis in Ecclesia Missarum sollemniis Eucharistiam populo dare, dicebant (ut vulgò fertur) ad eum barbarâ inflati stultitiâ: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba dabas?* Quibus verbis satis innuunt illi, panem Eucharisticum ultra solitum fuisse nitidum candidumque.

Ve-

Verùm panem illum & album supra ceteros, & alium ab usitato & communi fuisse omnino evincit Concilium sextum decimum Toletanum, anno sexcentesimo nonagesimo tertio celebratum, canone sexto. *Ad Conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacra auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostra elegit Conventus, ut non aliter panis in altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus; neque grande aliquid, sed modica tantùm Oblata, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* In hoc Canone multa observatione digna occurrunt. Primum, *panem nitidum* opponi usitato & communi, ut superiorem Bedæ locum interpretabar. Alterum, panem, eo tempore offerri solitum, *rotundum* fuisse: siquidem Presbyteri illi, de quibus agit Concilium, *crustulam in rotunditatem* è pane suo usitato detrahebant, quò scilicet formam Oblatarum sacrarum, quæ tum in usu erant, exprimerent. Certè Epiphanius in Anchorato eas στρογγυλοειδεῖς, id est rotundæ formæ vocat, & Iso suprà rotulas eas, quòd instar rotæ rotundæ essent, appellat. Dein rem fuisse ubique *Ecclesiastica consuetudine* receptam, ut non panis communis & cibarius, sed *nitidus & studio præparatus; non grande aliquid, sed modica tantùm Oblata* Sacrificio adhiberetur. Prætereà *in sacra auctoritatis historia* nihil extitisse consuetudini tum receptæ contrarium, quod favere posset Presbyteris illis, panem *suis usibus præparatum* in rem sacram usurpantibus. Denique panem illum, non *grandem*, sed *modicum*, nec tamen fractum, sed *integrum* fuisse. Quibus omnibus pænè ob oculos ponitur species & forma Oblationum nostrarum, quam formam respexisse videtur Concilium Arelatense quintum, medio sæculo sexto celebratum, cujus caput primum decernit, *ut Oblatæ, quæ in Sacrificio offeruntur altario, à Comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ*. His adfine est Concilii Calchutensis, labente sæculo octavo in Anglia convocati, capitulum decimum in hæc verba: *Oblationes etiam fidelium tales sint, ut panis sit non crusta*. Ex quo intelligitur, Anglis nonnullis, uti & Hispanis, subrepsisse id quod Humbertus Cardinalis reprehendit in Græcis, qui *coronulam panis*, communis scilicet & usualis, in rem sacram *ferro levare* soliti sunt: uti hoc compendio declinarent morosam in præparando sacro pane diligentiam Latinorum; immo etiam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ *tenues Oblatas ex simila præparatas, integras & sanas antiquitùs* adhibuisse perhibetur in libro præcitato Humberti Cardinalis. Hinc mihi persuasum est, Patres Concilii Toletani nomine panis modici & integri significare tenues hasce oblatas, quales hoc loco designat Humbertus, in ferro scilicet characterato coctas. Certè ante nonum sæculum frequens in Ecclesia usus erat patenarum vitrearum ad continendas oblatas: quæ si non fuissent tenuissimæ, plures (ut necesse erat) in fragili instrumento cautè offerri deferrique non potuissent.

LVIII alia à pane communi.

Tenues itaque erant Oblatæ & graciles; paullulò tamen forsan ampliores quàm nostræ, sive quæ ad Sacerdotum, sive quæ ad Laicorum Communionem fiebant. Oblata quippe seu hostia Sacerdotis dividebatur in novem portiones ex præscripto Missalis Mozarabum ab Isidoro Hispalensi Episcopo ordinati, & una Oblata. Laicorum in Communionem pluribus sufficiebat frangebaturque nonnumquam. *Tenues Oblatas* inquit Humbertus, *ex simila præparatas & sanas Sacris Altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post Consecra-*

LIX OBSERVATIO VI. tenues & graciles.

orationem fractis cum populo communicamus. Et mos erat ad fæculum usque undecimum in Gallia frequentatus, ut Clericus ad Sacerdotium promotus, *hostiam de manu Episcopi susciperet*, quam *usque ad quadragesimum diem usu quotidiano consumebat*: cujus rei fidem facit Fulberti Episcopi Carnutensis, aut potiùs alterius Fulberti Monachi epistola secunda ad Einardum, in editis mendosè Finardum. Denique Cartusiani ante annos quadringentos unam tantùm hostiam in Viaticum infirmorum reservabant in pyxide, quam hostiam frangebant, ut ex ea particulam infirmo porrigerent. Sic enim habet Statutorum antiquorum prima pars in capite quadragesimo tertio: *Infra hebdomadam non mutatur hostia, quæ est in capsula: si tamen propter infirmum fracta fuerit, mutare licebit*. Alius mos erat penes Cluniacenses nostros, qui quatuor hostias consecratas in Viaticum adservabant, teste Udalrico in libro primo Consuetudinum Cluniacensium, capite octavo. *Ipsæ autem hostiæ*, inquit, *cùm fuerint consecratæ mutantur quatuor cum illis quæ in pyxide & in aurea columba super Altare pendente jugiter servantur maximè propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat Viaticum sit in promptu*. Qui verò in Missa communicaturi erant, singuli singulas offerebant hostias, ut postea videbimus. Diaconus tamen ex eadem, qua Sacerdos hostia communicabat, ex libri secundi capite trigesimo. Ex quibus conjicere licet, etiam fæculo undecimo variâsse Ecclesias Gallicanas in quantitate seu magnitudine hostiarum. Alii quippe integras (ut ita dicam) formulas, quales scilicet in ferro charactetato compositæ fuerant, consecrabant: alii singulas formulas in plures hostias dividebant, & quidem Cluniacenses in sex, ut ex Udalrico superiùs vidimus. Specimen Oblatarum antiquarum exhibet codex manu descriptus ante annos quingentos, in Bibliotheca nostra Germanensi adservatus, in quo delineatus inter Altaria duo stat Sacerdos, quorum in altero Judaici ritûs sunt victimæ, aries & hircus, in altero Christianorum Sacrificium denotant Calix & Oblatæ crucis titulo insignes, tum pensiles utrimque hostiarum supra capsulæ. Quæ omnia æneis typis repræsentavit Sirmondus in Disquisitione de Azymo.

LX Quo ritu oblatæ à fidelibus. In Missa offerebant panem & vinum, qui aderant, maximè qui communicaturi erant. Id quo ritu fieret, quove tempore desierit, paucis explicare juvat. Jam inde a primis Ecclesiæ temporibus Christiani suam quisque Hostiam offerebant. Notior res, quàm ut probatione indigeat. Varia hac de re statuta postea confecta sunt in eos qui secus agerent. In his Concilii secundi Matisconensis Patres anno quingentesimo octogesimo quinto decreverunt capite quarto, *ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quàm vini: ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel ceteris justis offerentibus promereantur esse consortes*. Id tum aliis Decretis, tum exemplis manifestare facilè possem, si res postularet. Insignem tamen locum Gregorii Turonici Episcopi hic prætermittere non lubet. Is in libro de Gloria Confessorum, capite quinto supra sexagesimum commemorat, duos in urbe Lugduno fuisse conjuges senatorii generis, qui absque liberis matrimonio defuncti, hæredem Ecclesiam reliquerunt. Viro mortuo uxor superstes, *per annum integrum assiduè orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum sollemnia, & offerens Oblationem pro memoria Viri, non diffisa de Domini misericordia, quòd haberet defunctus requiem in die, qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset. Semper sextarium Gazeti vini præbuit in Sacrificium Basilicæ sanctæ, sed Subdiaconus nequam reservans gulæ Gazetum, acetum vehementissimum offerebat in Calice, muliere non semper ad communicandi gratiam accedente*. Matrona facti à viro admonita in somnis, *ad matutinum secundùm consue-*

suetudinem surrexit, quibus expletis celebratisque Missis, accedit ad poculum salutare, quæ tam fervens acetum hausit ex calice, ut putaret sibi dentes excuti. Hoc in exemplo multa notatu digna; usus calicis eo tempore in Communione, persuasio de refrigerio animæ defunctorum ex virtute Sacrificii, oblatio vini in calice etiam eo die quo mulier non communicabat; in calice inquam, haud dubiè, alio à calice Sacerdotis: aliàs certè æquè Sacerdos ac mulier fraudem Subdiaconi deprehendisset, nec tulisset ipse aceti acrimoniam. Quo in loco venit in mentem responsio Gregorii Papæ secundi ad Bonifacium Episcopum, congruum scilicet non esse, *duos vel tres calices in altario ponere, quum Missarum sollemnia celebrantur.* Ex quo intelligimus, id in more positum his in partibus fuisse. Ejusmodi calices Anastasio *ministeriales* dicuntur non semel, aliis *offertorii*. Quid verò inde fiebat, quum mulier illa non communicabat? Illud porrò præcipuè advertendum est, matronam illam per annum integrum quotidie sextarium vini in Sacrificium obtulisse. Id quo tempore fiebat, docet Hincmarus in Capitularis primi capite sexto decimo. *Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter; aut ante Missam, aut inter Missam, antequàm Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad oblationem autem, unam tantummodo oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit, in buticula vel canna, aut plures Oblatas; aut ante Missam, aut post Missam Presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat.* Cluniacenses etiam post Evangelium oblationes panis vel vini faciebant, ut patet ex libro primo Udalrici capite trigesimo. Ritus describitur in libri secundi capite duodecimo. *In privatis diebus ad Missam matutinalem, quia cuncti offerunt, curat hebdomadarius, ut inter calices mediocres ad hoc solum factos, & inter ampullas cum vino, habeat quinque & totidem patenas cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus propè chorum, super tabulam desuper coopertam & panno intrinsecus amictam: ut inde Fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi. Ad majorem Missam, quia non offertur nisi ab uno choro, tantùm tres calices seu ampullæ præparantur, & hebdomadarius stat in choro sinistro, tenens in manu auream patenam & ampliorem hostiis refertam: quas cum aureo cochleari offerentibus distribuit singulatim.* Ex hoc loco etiam patet ritum illum perseverâsse usque ad sæculum duodecimum, cujus initio vivebat adhuc Udalricus. Non immoror aliis testimoniis referendis. Grimlaicus Presbyter sæculi noni, in Regula Solitariorum præcipit, *ut Reclusi Oratorium sit Ecclesiæ contiguum, quatenus idem solitarius per fenestram ejusdem Oratorii possit ad Missas per manus Sacerdotum oblationes offerre.* Existimo tamen sæculo octavo desinere cœpisse oblationum laicarum usum, ut posteà exponam.

Ex oblationibus pars in materiam Sacrificii adsumebatur, ea scilicet quæ post lectum Evangelium à Fidelibus offerebatur, ex Hincmaro suprà; **LXI Eulogiæ.** pars benedicebatur in Eulogias; quæ verò in usus ministrorum pauperumve cedebat, alterius conditionis erat, panis scilicet usitatus cum ceteris rebus. Panem communem à Fidelibus offerri solitum ab Oblatis consecrandis disertè distinguit Concilium Namnetense, statuens capite nono, *ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum Sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico & in diebus Festis exinde accipiant.* Hincmarus idem statuit in Capitularis primi capite septimo. Extat istius ritus præclarum vestigium apud Udalricum in libri secundi capite trigesimo. *In privatis diebus hostiæ*

Q non

non consecratæ portantur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt per manus Sacerdotis distribuantur, nempe ante alios cibos ex capite vigesimo tertio, *quod hoc ordine fieri solet, ut primùm tribuat de ipsis hostiis domno Abbati; posteà cùm sint mensæ tres, utrimque ad dexteram domni Abbatis ad unam mensam; posteà ad omnes in alia parte: & sic iterum redit ad dexteram, & tribuentis manus à singulis osculatur*. Fluxerat iste ritus ex antiquo Majorum nostrorum exemplo. Nam Monachi Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum postulant, *ut communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum*. Abbates verò in Synodo Aquisgranensi congregati anno octingentesimo septimo decimo statuerant capite octavo supra sexagesimum, *ut eulogiæ Fratribus a Presbyteris in refectorio dentur*. Petrus Damiani in libro de vita eremitica capite quinto meminit cujusdam Martini, qui cùm aliis diebus non acciperet cibum nisi post solis occasum; diebus tamen Dominicis, circa sextam horam, *unam ex his quæ pro Sacramentis fiunt oblatiunculam percipiebat*, & sic jejunium solvebat. Sic ergo reliqua pars Oblatarum expendebatur in eulogias, aut certè panis communis, qui a precatione Sacerdotis dictus est benedictus. Memini me aliquando vidisse priscarum eulogiarum usum in quibusdam parœciis Diœcesis Remensis; siquidem die Festo Paschæ Presbyter seu Rector Ecclesiæ benedicit Oblatarum formulas integras, quæ postea jejunis pueris, quibus præ ætate communicare non licet, distribuuntur. Id in sua Diœcesi prohibuit Guillelmus Major Episcopus Andecavensis in Statutis ab se conditis anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, *ne ex ejusmodi hostiarum ministratione seu receptione erubescentiam evitare videantur parochiani*, qui scilicet a perceptione corporis Domini ob sua peccata removebantur. Sic enim hunc locum interpretandum existimo. Nam quia eadem est hostiæ consecratæ & non consecratæ species exterior, facilè in mentem veniebat, idem utrobique esse Sacramentum. Quo errore deceptus fuisse videtur Theodorus Balsamon, dum ad caput quartum-decimum Synodi Laodicenæ arguit Latinos, „ quòd in festo Paschæ distribuerent Laicis azyma, „ postquam sanctificata seu consecrata fuerint, perinde ac communia. „

LXII OBSERVATIO VIII. Pecuniarum eleemosina pro Missis.

Oblationi panis & vini, a Laicis antiquitùs fieri solitæ, successit eleemosyna pecuniaria Presbytero facta, quam *Stipendium* vocant. Id fieri cœptum, ut videtur, sæculo octavo, saltem in Missis privatis; non tamen ubique passim ante sæculum duodecimum. Pecuniariam eleemosynam satis aperte designat Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ suæ capite quadragesimo secundo. *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua vel pro Confessione; aut Clerico pro Psalmis & Hymnis, seu pro se ipso vel pro quolibet caro suo, aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit; hoc Sacerdos vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat*. Hinc factum, ut Laici ob modicam stipem singulis quisque Missas sibi arrogarent. Hunc usum introduci cœptum reprehendere videtur Eugenius Papa secundus in Concilio Romano anno octingentesimo trigesimo septimo. Sic enim ait capite septimo decimo: *Presbyteri nullius blandiantur aut suadeantur sermonibus, ut non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad Missarum sollemnitates recipiant, quia cùm mediatores DEI hominumque existant, in exercendis votis relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere*. Id ipsum repetit Leo Papa quartus in Synodo Romana. Eodem tempore Walafridus Strabus nascentem ejusmodi morem erroris arguit in libro de Rebus Ecclesiasticis, capite vigesimo secundo. *Sed & in hoc error non modicus videtur, quòd quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes*

pro

pro singulis offerant : vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum, cùm verè sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis tenet Ecclesia. Quòdsi cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine & orationum augendarum devotione id faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Nunc autem eò devenit res, ut nisi Sacerdos pro modica stipe singulas persolvat Missas, gravissimum crimen commisisse judicetur a recentioribus casuum arbitris. Meum non est hac de re ferre judicium: sed simpliciter exponere variam temporum disciplinam. Optimum est Decretum Sacrosancti Concilii Tridentini in sessione vigesima secunda, prohibentis *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, quæ a Simoniaca labe non longè absunt.* Sed tamen cuperent boni omnes, ut aliqua facili via consuleretur & inopiæ Sacerdotum, & scrupulo Ministrorum seu ædituorum, & necessitati seu devotioni Fidelium, quibus dum sua cuique Missa persolvitur, suffragia in longum tempus differri necesse est, urgente quamtumvis necessitate, quod maximè evenire solet in frequentioribus locis. Hæc per excessum dixerim.

Ab eo ergo tempore, quo frequentari cœpit pecuniaria merces in usum Sacerdotis, cœpit etiam paullatim aboleri mos Oblationum sacrarum. Argumento sunt donationes quædam eo tempore factæ prædiorum atque villarum, ad comparandam materiam sacrificii. Carolus Francorum Rex, cognomento Calvus, *villam Scindelicias in pago Parisiacensi sitam* concedit Monachis Dionysianis, ut oblationes pro se suaque conjuge Domino offerant, *& de vino, quod in vineis prædicta villa natum fuerit, decem modia in sacrario Fratres mittant, quod mixtum fiat vino in Sacrificio deputato.* Dicet forsan aliquis, vinum istud ex annuo reditu proveniens, oblatum postea fuisse a Monachis eo modo, quo apud Cluniacenses fieri mos erat, & sanctum Remigium Remorum Episcopum longè ante id tempus vineas quasdam testamento reliquisse eo pacto: *ut diebus festis & omnibus Dominicis sacris altaribus sua offerretur oblatio*, quo tamen tempore morem offerendi penes Fideles perseverasse constat. Nec repugnarem, nisi legerem apud Fulcuinum Abbatem Chronici Laubiensis auctorem, qui post medium sæculum decimum floruit, *solitum pendere vas cum vino juxta altare in Sacrificium sacrosanctum*; quod manifeste probat jam desitum offerri vinum a Monachis Laicisve in Cœnobio Laubiensi. Sæculo insequenti Gulbertus de Huglevilla, nobilis Neustrasius, *unum modium vini ad celebrandas Missas* Monachis Alsagiensibus concessisse memoratur apud Ordericum Vitalem in historiæ Ecclesiasticæ libro sexto. Et ne fortè quis reponat, id in Cœnobiis actitatum, secùs quàm in paræcialibus Ecclesiis, invenio paullò quidem seriùs, nimirum circiter annum millesimum centesimum octogesimum, Philippum Flandriæ Comitem in *eleemosynam perpetuam adsignâsse Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Longovillari unam marcam argenti singulis annis, ad emendum panem & vinum in sacrificio altaris*, ut legi in Chartulario Bertiniano, quod Antonius Vion Herovallius, litteratorum omnium patronus, mihi communicavit. Eodem etiam ævo fieri cœptæ donationes ad Missas instituendas. Plura ejus rei exempla exstant in majori Chartario Brivatensi, quod itidem ab eodem humanissimo viro nobis commodatum est. In his Airaudus quidam Ecclesiæ sancti Juliani, cui Bernardus Comes tum præerat, res suas in villa Buciaco sitas tradit in stipendia Fratrum seu Canonicorum, *vel ad sacrificium DEO offerendum, anno sexto regnante Karolo Rege Aquitanorum, filio Karoli Regis Francorum*, id est Karoli cognomento Calvi. Item Joseph & uxor ejus res suas in villa Rosariis cedunt eidem

LXIII Donationes prædiorum pro materia sacrificii.

Q 2 Eccle-

Ecclesiæ, *ut illi fervientes*, inquiunt, *propter nos facrificium & orationes offerant*, anno vigesimo fexto regni Karoli Calvi. Denique ejufdem anno trigefimo quinto, quo tempore Frotarius Abbas idemque Archiepifcopus Bituricenfis locum regebat, Dado quidam res, quas poffidebat in Villa Ardallo, concedit ad Sacrificium pro fe offerendum. Ex quibus manifeftum efficitur, jam fæculo nono ejufmodi donationes in more fuiffe.

LXIV OBSERVATIO IX Panis azymus

Ex his quæ hactenus retuli, multa funt quæ perfuadent, antiquorum Oblatas facrificio deputatas, non modò ejufdem ferè formæ ac figuræ cum noftris, fed etiam azymas feu infermentatas fuiffe. Nam & tenues rotulæ erant, non fpiffæ ac denfæ; nec proinde fermento inflatæ: & factæ ex fimila diluta in aqua frigida, & coctæ intra ferrum characteratum, quo in genere fermentum numquam adhiberi folet. Verùm quia Jacobus Sirmondus, vir non magis pietate, quàm eruditione ac finceri ftudio venerabilis, in Difquifitione fua de Azymo, primus adferuit, azymorum ufum nonnifi in illo intervallo, quod à Schifmate Photii tempore Nicolai Papæ primi, ad turbas Michaëlis Cerularii pontificatu Leonis noni, hoc eft ab anno ferè octingentefimo fexagefimo tertio ad millefimum quinquagefimum effluxit in Ecclefia Latina obtinuiffe, non abs re erit quædam huc argumenta conferre pro recepta jam dudum fententia de antiquiori ufu azymorum; tum paucis diluere Sirmondi objecta.

LXV Antequàm hanc in rem argumenta proferam, expendendum eft (quod fanè magni momenti effe debet) filentium Sanctorum Patrum, non Latinorum modò, fed etiam Græcorum, Photii ætate fuperiorum: qui Eucharistiæ inftitutionem ineunte vefpera azymorum, ac proinde in azymis celebratam fuiffe probant. Qui cùm Chrifti Domini facto inhærendum effe in illius Sacramenti confectione dicant, atque in nonnullis ritibus, ficubi obvenit mutatio, rationes factæ mutationis inquirant; nullam tamen de mutato azymo quæftionem movent. Sic Auguftinus in epiftola ad Bonifacium, & poft eum Ifidorus Hifpalenfis Epifcopus in libro primo de Officiis Ecclefiafticis, Pafchafius Radbertus in libro de corpore & fanguine Domini, Haimo Halberftatenfis Antiftes in epiftolam ad Corinthios, & alii caufam indagant, cur a jejunis Euchariftia percipiatur in Ecclefia, cùm ab cœnatis Apoftolis percepta fit, à nullo verò proditum eft, Ecclefiam aliquando relictis azymis prætuliffe fermentatum: quod tamen magis ad rem Sacramenti accedit, quam jejunium aut cœnatio percipientis. Sanè quum video Cyprianum in epiftola ad Cæcilium, aliofque poft eum, tanta cum religione admiftionem aquæ in calicem tueri tum Ecclefiæ traditione tum etiam facto Domini; vix in animum inducere poffum, eos minùs curaffe de fermento, quod abfuiffe à Dominica cœna perfuafum habuêre. Nec valet dicere, Patres antiquiores non meminiffe azymi, ubi de Euchariftiæ materia tractant. Satis enim eft, ut exemplum Domini propofuerint: nec admodùm de re trita & familiari loqui folent, nifi aut controverfiæ aut morum neceffitas id exigat.

LXVI At verò non defunt etiam teftimonia Patrum Photio antiquiorum, qui facrificii panem azymum fuiffe demonftrant. In primis occurrit Ifidorus Hifpalenfis Epifcopus, qui anno fexcentefimo trigefimo fexto vitam abfolvit. Is in libro primo de Officiis Ecclefiafticis capite octavo decimo de materia facrificii loquitur in hunc modum: *Sic verò calix Domini noftri JESU Chrifti non poteft effe aqua fola, aut vinum folum, nifi utrumque fibi mifceatur: quomodò nec corpus Domini poteft effe fimila fola, aut aqua fola, nifi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage folidatum*. Hìc fanè cùm Ifidorus agat de compofi-

positione panis Eucharistici, ejusque partes distinctè explicet; non omisisset fermentum, si panis azymus suo tempore usitatus non fuisset. Amalarius in libro tertio de Officiis Ecclesiasticis, capite nono decimo, iisdem omnino verbis explicat hostiæ compositionem, quam fermenti expertem suo tempore fuisse probant HRabani & Paschasii Radberti manifesta testimonia. Eam Isidori sententiam declarant Hispanorum antiqui ritus in Sacris olim servati, quorum auctor Isidorus, si librorum editorum inscriptioni & recentioribus Hispaniæ scriptoribus credimus; aut certè Patres Ecclesiæ Toletanæ ejus ætatis, ut colligitur ex objectis Elipandi in epistola ad Alcuinum & ex actis Concilii Francofurtensis. Ritus autem illi posteà dicti sunt Mozarabum, id est Hispanorum Arabibus permistorum: qui tametsi in multis ab ceteris Latinis discreparent, suosque ritus pugnaciter plerique retinuerint usque ad sæculum tertium decimum, teste in primis Ruderico Toletano Episcopo; *constituebant tamen Sacramentum altaris de pane azymo, quemadmodùm alii Latini*, ut scribit Jacobus a Vitriaco in Historiæ occidentalis capite octogesimo primo, quod sinè dubio ex traditione Majorum suorum acceperant. Certè in ea consensione cum Latinis jam erant Hispani inclinante sæculo octavo, quum eorum aliqui novatores adfirmare cœperunt, *mittendum esse salem in Sacrificium*, id est in materiam panis eucharistici, contra consuetudinem universalis atque Romanæ Ecclesiæ. Extat ea de re Alcuini Epistola sexagesima nona ad Fratres Lugdunenses, prout à Chesnio edita est, in qua ejusmodi errorem hac ratione convellit Alcuinus, quòd *panis qui Corpus Christi consecratur absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus: & aqua absque omni sorde purissima*. Quibus verbis removet à pane sacrificii non tantùm sordes, sed *fermentum* quodcumque, id est quidquid farinæ admisceri potest præter aquam, aliàs ejus argumentum non valeret contra salis admistionem. Et quidem subsequentibus verbis satis aperit mentem suam, quum dicit: *Ex aqua & farina panis fit qui consecratur in corpus Christi*. Cùm enim disertè agat contra eos, qui res alienas admiscebant in panem sacrum, doceatque quibus rebus constare, quibusve carere debeat; ejus profecto instituti erat commemorare fermentum, si tum in usu fuisset. Denique HRabanus Alcuini discipulus manifestè stat pro azymo, ut inferiùs videbimus, quod à præceptore suo, ut verisimile est, didicerat. Hinc satis patet, Hispanos ante schisma Photii azymum adhibuisse in sacrificium: atque ita sensisse Isidorum, qui eorum rituum, si non auctor, certè approbator fuit. Quum ergo Patres Concilii Toletani sexti decimi Isidoro mortuo celebrati decernunt, panem nonnisi *integrum & nitidum qui ex studio fuerit præparatus; neque grande aliquid sed modicam tantùm Oblatam, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat*, offerri debere; quumque adfirmant, *nequaquam in sacræ auctoritatis historia* usquam aliter gestum deprehendi, satis innuunt, eumdem panem, quem probavit Isidorus tanta cum laude in octavo Concilio Toletano laudatus, in Sacrificium adhibitum ab se fuisse, id est infermentatum, seque in ea fuisse persuasione, non alium apud Latinos ante omnem memoriam admissum esse. Extat & alius locus pro azymo clarissimus inter editas Isidori epistolas, in ea scilicet quæ Redempto Archidiacono inscripta est. At epistola hæc, uti & præcedens Claudio Duci inscripta, mihi semper suspecta visa est, tum quia agit de azymorum controversia inter Græcos & Latinos, quam non ante sæculum undecimum natam fuisse & multa persuadent, & Leo Papa nonus in responsione ad Michaëlem Cerularium pronuntiat: Tum quia nimis logicè definit verba sacra, quibus Christus Dominus Eucharistiam instituit, esse *de essentia seu de substantia Sacramenti*, Tametsi non longè ab eo loquendi modo recedit

Ruderic. lib. 6. c. 26.

Pa-

Paschasius Radbertus in libro de corpore & sanguine Domini, capite quinto decimo. Utut sit de istius epistolæ veritate, aliunde satis constare videtur Isidori pro azymo sententia.

LXVII Posteaquam hæc scripseram, accepi à V. C. Emerico Bigotio, audisse se aliquando Romæ a doctissimo Bibliothecæ Vaticanæ custode Luca Holstenio, extare in quodam codice Vaticano testimonium Hildefonsi Toletani Pontificis pro usu azymorum: quo testimonio Holstenius adductus contra Sirmondi sententiam scribere cogitaverat. Hildefonsi locum etsi ob temporis angustias nondum obtinere potuerim, de hoc tamen lectorem monuisse è re litteraria esse existimavi.

LXVIII Isidoro subscribit Venerabilis Beda in Lucæ caput vigesimum secundum. *Et neque aquam solam*, inquit, *neque solum vinum; sicut nec granum frumenti solum sinè aqua admistione & confectione in panem cuiquam licet offerre.* Eadem verba sunt HRabani Mauri in libro sexto Commentariorum in Matthæum, qui rursus in libro primo de Ecclesiasticis Officiis, capite trigesimo primo, ita signanter exprimit azymum in usu sacrificii, ut ipsius sola auctoritas manifestè demonstret, jam ante Photii schisma Latinos in Missa panem infermentatum adhibuisse. Siquidem lucubratio ista ab eo condita est anno octingentesimo nono-decimo, ut patet ex versibus ei subjectis in pervetusto exemplari Bibliothecæ Regiæ, id est ante annos quadraginta, quàm Photius pulso Ignatio in sedem Bysantinam intruderetur. Sic autem HRabanus loquitur in capite mox citato. *Quòd autem panem sacrificii sinè fermento esse oporteat, testatur liber Leviticus, ubi commemoratur Dominum per Moysen filiis Israël ità præcepisse. „Omnis, inquit, oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat, nec quicquam „ fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. „ Credimus ergo & panem illum, quem primùm Dominus in cœna Mystica in Mysterium * corporis sui consecravit, infermentatum esse.* Et paullò superiùs ita concluserat: *Ergo panem infermentatum & vinum aquâ mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.* Ita HRabanus, cùm in editis, tum in manuscriptis codicibus, ut fidem faciant duo exemplaria Bibliothecæ Regiæ, quorum unum est annorum ferè sexcentorum, alter octingentorum. Hic verò locus, quo nihil luculentius ad præsentem controversiam adduci potest, vel unus adstruit omnino usum azymorum initio sæculi noni, iis quidem verbis, ut non alicujus Ecclesiæ, sed Latinæ universæ communem, antiquum, ac necessarium morem fuisse appareat. Idem etiam non obscure insinuat Paschasius Radbertus Abbas Corbeïensis, HRabani æqualis, sed quinque annis mortuus ante ipsum, nimirum anno quinquagesimo primo supra octingentesimun, septennio ante ambitum Photii: dum sacrificii partes, immo & azymum trahit ad mores in libro de corpore & sanguine Domini capite vigesimo. *Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus inquam sinceritatis & veritatis: si tamen sumus azymi, id est absque fermento malitiæ & nequitiæ, ut dignè panem de hac aqua conspersum accipere possimus - - Idcircò, ò homo, serva conspersionem gratiæ: quia licèt triticum sis, nisi doctrinâ & virtute Spiritus Sancti ad hanc unitatem & conspersionem fueris bene in farinam attenuatus; deinde conspersus gratiâ, & igne caritatis excoctus, non poteris ad soliditatem fidei firmari.* Hic attinebat meminisse, non tantùm farinæ, aquæ, & coctionis; sed etiam fermenti, si tum panis sacrificii azymus non fuisset. At, quod rem evincit, Paschasius ad designandum Eucharisticum panem utitur vocabulo *conspersionis*, porrò *conspersum* seu *conspersionem* idem esse atque infermentatum, docet nos Haimo Halberstatensis Episcopus in caput quintum epistolæ primæ ad Corinthios, dum scribit, filios

Israel

* Mss. ministerium.

Israël egressos de Ægypto non detulisse inde *fermentatam farinam, sed tantummodò conspersam*. Et Johannes Genuensis in Catholico: *Conspersio* inquit, *est farina per aquam conglutinata sinè fermento*. Ex quibus nullus de Paschasii mente supereit ambigendi locus.

His argumentis adde ea, quæ superiùs retulimus de Oblatis rotulisve super Cuthberti mortui pectus atque Othmari positis ante sæculum nonum: quæ sinè dubio ferro characterato impressæ, ac proinde infermentatæ erant, uti & oblatæ illæ, quæ à duabus feminis Germanicis confectæ sunt anno octingentesimo nonagesimo quinto, ex dictis. Illud verò in Udalrici auctoritate dignum consideratione est, quòd ritus Cluniacenses non fluxerint ab institutione Monasterii Cluniacensis: sed longè ante Euticius vir religiosus, Cœnobii Balmensis (ut creditur) Abbas principatu Ludovici Augusti, consuetudines illas desumserit ex *institutionibus & regulis diversorum Patrum, unoque volumine congaverit* testante Johanne Monacho in libro de vita sancti Odonis Abbatis Cluniacensis. Ex quo inferre licet, religiosos illos ritus, quos Cluniacenses in conficiendis hostiis azymis servabant, profectos esse ex superiorum Patrum exemplo, cujus vestigia quædam in Candida nobili matrona & in S. Radegunde supra observavimus. LXIX

Hæc sufficere videntur ad probandum azymorum usum apud Latinos ante Photii secessionem. Scio quid sentiant sanctus Thomas Aquinas, & Durandus, qui usum hunc ab Ecclesiæ quidem exordio receptum, sed ob hæresim Ebionitarum interruptum ajunt: quod factum Alexandro primo Pontifice censet Calvinus cum Barlaamo Hieracensi Episcopo. Nec me fugit, quid super hac re Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis scripserit in tractatu primo de Communione sub utraque specie. Ast harum observationum brevitas non sinit his immorari. Restat ut ad Sirmondi objecta respondeam, postquàm loca duo Leonis Pontificis Romani & Humberti Cardinalis retulero. Leo Papa nonus in epistola sexta ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cognomento Cerularium, tamquam indubitatam rem supponit, ab ipsis Christianæ Religionis principiis azymos panes in Ecclesia Latina usitatos fuisse, nec sanè uspiam, quod sciam, id novitatis nomine impugnavêre Orientales sæculo undecimo. Leonis Papæ verba hîc adscribam. *Illud autem quis non stupeat, quòd post tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis?* Nemo non videt, invalidum, immo nullum esse Leonis argumentum, nisi supponat uti exploratum, Ecclesiam Latinam perpetuò usam azymis fuisse. Unde mirari subit, quid his verbis intellexerit Sirmondus, qui in disquisitionis suæ capite tertio negat, „ Leonem vel Humpertum, cùm azymorum „ causam agerent, ista se perpetui moris præscriptione defendisse; „ recusatque ob id adsentiri vel Hugoni Tusco, qui Ecclesiam Latinam in azymis perpetuò immolasse; vel Ruperto Tuitiensi, qui Ecclesiam Romanam censet fermentum in sacrificio nunquam admisisse. Sanè Humbertus in Responsione ad Nicetam Pectoratum, ex Actis nescio quibus sextæ Synodi universalis refert Legatorum Romanorum responsum ad Constantinum Imperatorem: „ à quo interrogati, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem tentaret, respondisse feruntur: in calice offerendum vinum aquâ mistum: oblationem verò panis nullam commistionem aut corruptionem fermenti habere debere. „ *Tunc*, addit Humbertus, *placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis*. Ex quo intelligitur, LXX

tur, Humberti, uti & Leonis, mentem fuisse, ex Ecclesiæ Romanæ traditione perpetua descendere usum azymorum. Jam Sirmondi momenta pro fermento consideremus.

LXXI Primum est in capite primo disquisitionis, quòd ex populi oblationibus sacrificium consecraretur. „ Quo igitur argumento, inquit Sirmondus, do- „ ceri clariùs poterat Latinos tunc azymis in altari usos non esse, quam unde „ constet oblatum a populo panem consecrâsse, quem minimè dubium erat „ usitatum sibi ac fermento de more temperatum obtulisse? „ Immo verò non usitatum, id est communem, & cibarium, sed studio præparatum panem à populo fuisse oblatum constat ex dictis; nec quidquam vetat, Fideles ante Photii turbas azymos panes obtulisse ex Ecclesiæ præscripto: cùm post Photium id præstiterint Cluniacenses & alii, præstentque hactenus Armoricanæ matronæ teste ipso Sirmondo. Quamquam non negaverim, oblatum aliquando panem communem à Laicis: at quidem ante vel post sacrificium qui non in Sacrificii materiam cederet; sed in usus ministrorum & pauperum, ut superiùs dictum est.

LXXII In capite secundo plura congeruntur argumenta. „ Undenam, inquit „ disquisitor, Latinis de azymo venisset in mentem, qui ab Oriente, unde il- „ lis sacrorum origo, non didicerant; „ Ad quod ego: Non constat, Latini an Græci variaverint panis materiam. Quippe Jacobus a Vitriaco Cardinalis in historiæ Occidentalis capite trigesimo octavo censet, Romanam Ecclesiam accepisse usum azymorum a Beatis Apostolis Petro & Paulo: Græcos verò mutâsse hunc ritum post suum ab Latinis discessionem, ne Romanam Ecclesiam imitari viderentur. Quòd si id non facilè persuaderi potest, eò quòd Græci antiquæ disciplinæ retinentissimi fuerint; saltem illud certum est Ecclesiam Romanam ab ipsis primordiis cum Orientali non consensisse in nonnullis, puta in jejunio sabbati & in modo servandæ quadragesimæ, ut ex Ambrosio & Augustino, ex Socratis historia Ecclesiastica, aliisque auctoribus manifestum est. Quid mirum si etiam in azymis?

LXXIII Tertium Sirmondi argumentum est, notatos ab Orientalibus Ebionæos fuisse, quòd *δι' ἀζύμων*, panibus azymis, ut Epiphanius refert, mysteria celebrarent. Verùm legenti integrum Epiphanii locum res omnino contraria apparet. Epiphanii textus is est: *Μυστήρια καὶ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου.* Ad verbum: Mysteria verò scilicet perficiunt ex imitatione Sanctorum Ecclesiæ quotannis in azymis, alteram autem Mysterii partem in aqua sola. Ex quo sic argumentari licet: Ebionæi Catholicos in celebrando sacrificio imitabantur in eo, quòd adhibebant azyma: discrepabant verò in eo, quòd ad alteram sacrificii partem adhibebant meram aquam. Ergo Catholici primis illis Ecclesiæ temporibus azymo pane in sacrificio utebantur. Quæ consecutio exinde confirmatur, quòd Epiphanius azymorum usum (uti errores solet) improbat nusquam: at meræ aquæ patronos itidem Encratitas refutat in hæresi quadragesima sexta editionis Petavianæ, in qua hæresis Ebionitarum trigesima est. Sanè Epiphanius referens alium errorem Ebionæorum, qui carnium usum repudiabant, eos confutat exemplo Christi, qui in extrema paschatis celebratione carnes agni manducavit & azyma. Quî ergo Epiphanio in mentem venire potuit, ut hæreseos insimularet Ebionæos in eo, quòd Christum Dominum exemplo suo docuisse ipse probat?

LXXIV Reliqua Sirmondi objecta vel satis refutata manent ex dictis, vel minoris momenti sunt. Nam quod opponit Ambrosii locum ex libro quarto de Sacramen-

mentis ubi panis sacrificii *usitatus* dicitur; facilè dissolvitur, si consideres eo in loco panem vocari usitatum, quòd ejusdem materiæ sit cum pane communi: opponique usitatum pani supercœlesti seu carni Christi. Ceterùm etsi Photius, Romanæ seu Latinæ Ecclesiæ infensissimus hostis, nullam de azymis objectionem movit, non inde tamen consequitur, azymorum usum apud Latinos in re sacra non viguisse. Id enim sine dubio dissimulandum esse judicavit, propterea quòd azymum ex facto Christi Domini haberet auctoritatem. Hanc enim ob causam saniores & doctiores quique ex Græcis graviter indignati sunt adversùs suos, ut probat Allatius in libro de perpetuo consensu utriusque Ecclesiæ, quòd ea de re Latinis moverent litem. Et Latini ipsi, quantumvis disputationis fervore abrepti, nusquam tamen Græcis fermentum suum tanquam illicitum exprobaverunt. Et quidem Photium, immo Ecclesiam Orientalem cum Chrysostomo in ea tum fuisse persuasione, Servatorem nostrum vespere azymorum celebrâsse Pascha, ac proinde in azymis Eucharistiam instituisse, declarat Photius ipse in suæ Bibliothecæ capite centesimo sexto-decimo, dum refert incerti auctoris librum de sacro Paschæ festo, dicentis, Christum aliis quidem annis peregisse Pascha legale, id est secundùm legis præscriptum: minimè verò eo anno, quo traditus est. Id quod Photius animadversione dignum judicavit. „ Nam „ Chrysostomus inquit & Ecclesia docent, Christum ante cœnam celebrâsse Pascha legale. καὶ σκόπειν χρή. ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ Ἐκκλησία τότε φησὶν, αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν τῦ μυστικῦ δείπνυ. Non ergo mirum si Photius Romanis non obtrectavit usum azymorum: cùm ipse agnoverit cum tota sui temporis Ecclesia Orientali, Christum in eo quod extremum celebravit Paschate azymis usum fuisse. Præterea id genus alia dissimulavit Photius, in quibus Latini a Græcis discrepabant. Quantas turbas excitaverit Scottica tonsura inter Romanos & Scottos, superiùs vidimus. Dissimilis erat inter Græcos Latinosque tonsura capitis: nec tamen Photius Latinis id vitio tribuit, sed solammenti detonsionem. Ampliùs, sollemne tempus conferendi Baptismi observabant Græci in Epiphania: interdicebant Latini, prohibente in primis Leone Magno in epistola octogesima. Ad hæc, in Confirmationis sacramento solam chrismationem adhibebant illi: hi chrismationi addebant manuum impositionem. Ea non ignoravit Photius, nec tamen objecit. Nimirum ejus mentem facta hæc non pulsavêre, quemadmodum alia ab ipso objecta. Non enim omnium animi iisdem rebus moventur feriunturve. Denique agnoscit Photius differentiam & dissimilitudinem in mysticis sacrificiis per varias Ecclesias, διαφορὰν, καὶ ἀνομοιότητα ἐν ταῖς μυστικαῖς θυσίαις. Nec tamen inde reprehensionem peti sustinet in epistola sexagesima quarta. Quid si in illa differentia reposuit azymum? Addunt nonnulli, Photium Latinorum rituum non ita callentem fuisse, ut qui Latinis capita quædam supposititia merasque calumnias imposuerit, de agni consecratione, de ordinatione Diaconorum in Episcopos per saltum, & de chrismatis confectione ex aqua fluminis. Sicut ergo ex ejus objectis falsò quis inferat, hæc ita, uti ipse objicit, se tum habuisse apud Latinos: sic ex ejus silentio non rectè deduci azymum tum abfuisse à sacrificio Latinorum. Verùm etsi Ratramnus tria hæc capita Latinis per calumniam objici causatur, nihilo minùs Æneas Parisiorum Episcopus secundum admittit, & Vualafridus Strabus, utroque superior, in libro de rebus Ecclesiasticis capite octavo decimo disertè tradit, morem offerendi & consecrandi agni *de Judaïcarum superstitionum seminario natum, quorumdam simplicium errore* ad sua usque tempora fuisse propagatum. Qua in re Vualafrido potior fides, quàm Æneæ aut Ratramno, qui id ut commenticium in Photium rejiciunt. Ex quo intelligitur, Photium Lati-

R no-

norum rituum non ita ignorantem fuisse. Quidquid id est, argumentum ex Photii silentio deductum contra usum azymorum, omnino diluitur certis auctorum superiorum testimoniis, quæ adduxi. De azymo hactenùs.

LXXV OBSERVATIO X. Communio Laicorum sub utraque specie.

Oblationem sequitur Communio sacra, quam Laici etiam octavo sæculo manu recipiebant, & sub utraque specie frequentabant. Utrumque colligitur ex Actis sanctæ Odiliæ Abbatissæ, quæ morti proxima, *cùm calicem in quo Dominicum corpus & sanguis habebatur, sibi adferri præcepisset, propriis manibus eum accipiendo sancta communione participata, omnibus cernentibus animam reddidit.* Usum calicis sacri in Viaticum egregie signat factum religiosæ feminæ, nomine Fridburgæ, in Vita sancti Anscharii Bremensis Archiepiscopi, sæculo insequenti referenda. Ea quippe cùm jam appropinquaret dies mortis suæ, & nullus tunc adesset Sacerdos eo in loco ubi residebat; *ipsa amore sacrificii, quod audierat Viaticum esse Christianorum, de vino aliquantulum in quodam fecit reservari vasculo: & filiæ suæ in fide commendans, ut si quando ei ultimum tempus instaret, de ipso vino, quia sacrificium non habebat, ei in os distillaretur, ut vel sic Domini gratiæ exitum suum commendaret*, quod *vinum tribus ferè annis apud eam conservatum est.* Hoc exemplum apertè demonstrat calicis usum, etiam ad Viaticum, sæculo nono. Quamquam in alio exemplo ex Actis sanctæ Odiliæ repetito, non sanguinem solùm ac separatum, sed panem sanguine intinctum significari conjicio eum ad modum, quo statuitur in cujusdam Concilii Turonensis capite quarto apud Burchardum. *Ut omnis Presbyter habeat pixidem aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus ab hoc sæculo. Quæ tamen Oblatio intincta esse debet in sanguine, Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus & sanguis Domini proficiat tibi*, &c. Idipsum etiam apud Cluniacenses observatum fuisse constat ex libro secundo Consuetudinum, capite trigesimo: tametsi Concilium Bracarense tertium canone primo longe ante prohibuerat, *Eucharistiam vino madidam populis pro complemento communionis porrigi*. Ad istam prohibitionem respexisse videtur Guillelmus de Campellis Catalaunensis Episcopus, Bernardi Abbatis Claravallensis præcipuus amicus, is cujus lucubrationes passim citantur in opusculo quodam, quod Pancrisis inscribitur. Locum integrum ex membraneo codice Cheminionensi descripsi in hunc modum: *De perceptione Eucharistiæ diversi quidem usus sunt, secundùm aliquas causas: sed res eadem. Quòd enim panis intinctus prohibitus est accipi, ex frivola causa fuit, scilicet pro buccella intincta, quam Dominus Judæ ad distinctionem porrexit, tamen cum fide bonum est. Item quòd utraque species per se accipitur, eò fit, ut memoria corporis quod in cruce visibiliter pependit, & memoria sanguinis qui cum aqua de latere fluxit, artiùs teneatur, & quasi præsentetur. Tamen sciendum, quòd qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. Non enim accipitur Christus membratim vel paullatim: sed totus vel in utraque specie, vel in altera. Unde & infantulis mox baptizatis solus calix datur, quia pane uti non possunt, & in calice totum Christum accipiunt. Dandus autem est calix eis: quia sicut non potest ad vitam quis ingredi sinè baptismo; ita nec sinè hoc vitali Viatico.* Et post quosdam versus: *Quòd ergo dicitur utramque speciem oportere accipi, hæresis planè est. Quamvis enim utraque sacramenta ibi sint secundùm fractionem, & odorem, & colorem, & saporem: tamen in utraque specie totus est Christus, qui post resurrectionem quidem ex toto est invisibilis, impassibilis, indivisibilis: ita ut nec sanguis sinè carne, nec caro sinè sanguine, nec utrumque sinè anima humana, nec tota humana natura sinè verbo DEI sibi personaliter connexo. Et ideò licèt in alterutra specie totus sumatur; tamen pro causa prædicta sacramentum utriusque speciei ab Ecclesia immutabiliter retinetur. Sunt enim in Ecclesia sacramenta quæ mutari licet,*

sunt

sunt quæ non licet: ut de aqua baptismi, de his speciebus, de oleo consecrationis. Hæc fusiùs retuli, tum quòd ea non cuivis obvia esse possint, tum quòd indè manifestum sit, Communionem sub utraque specie duravisse ad sæculum usque duodecimum. Siquidem Guillelmus de Campellis obiit anno centesimo vigesimo primo supra millesimum, quo etiam tempore panis intinctus vulgò communicantibus porrigebatur, id quod item patet ex epistola quadam Arnulfi Roffensis Episcopi, edita in tomo secundo Spicilegii, & ex alia Hildeberti Episcopi Cennomanensis id improbantis. Non tamen calicis usum tum fuisse abolitum, certum est non solùm ex hoc loco, sed etiam ex pluribus aliis. Petrus Damiani in opusculo quarto-decimo de ordine Fontis Avellanæ: *Calices duos argenteos*, inquit, *hac vobis ratione providimus, ut cùm sacra Dominici Corporis & Sanguinis Mysteria vultis accipere, stannum vel vilius quodcumque metallum vestris labiis nequaquam necesse sit adhibere*. Id etiam clarè docet Udalricus in libri secundi capite trigesimo. Extat post Gerberti Epistolam nonagesimam *distichon in calice*, quod an de pane intincto an de utraque specie seorsum adservata intelligendum sit, Lectoris erit judicium.

Hinc sitis atque fames fugiunt, properate Fideles:
Dividit in populos has Præsul Adalbero gazas.

Verùm disertè omnino Petrus Damiani calicis usum penes laicos etiam infirmos adstruit in Opusculi quadragesimi septimi capite secundo, agens de quodam Presbytero, qui *aliquando dum sacri muneris Eucharistiam detulisset ægroto, ut erat utique deses ac negligens, aliquantulum Dominici sanguinis remansit in calice. Quod cùm ille ad Ecclesiam rediens comperisset, sed fastidio præpeditus noluisset accipere, mox calicem lavit, & in labrum marmoreum, in quo erat aqua sanctificata projecit. Et ò magnum divinæ virtutis indicium! illam labri partem, quam id quod effusum est de calice contigit, in sanguineum ruborem repentè convertit, ubi scilicet duæ majores guttæ exprimuntur*. Sanè per id tempus, hoc est medio sæculo undecimo, panis intincti usum paucis in locis apud Latinos usurpatum fuisse, intelligitur ex Humberto Cardinali, qui morem hunc in Græcis carpit, & calicis usum seorsum à pane penes Latinos frequentatum adfirmat. Deinde ex dictis manifestum est, etiam sæculo duodecimo sanguinem Christi Domini infantibus statim à baptismo præbitum fuisse. Huc accedit auctoritas Magistri Roberti Paululi in libro primo de Ecclesiasticis Officiis capite vigesimo, ubi notat ignorantiam quorumdam sui temporis Presbyterorum, qui Ecclesiasticæ institutionis formam retinentes, non rem ipsam, pueris dabant vinum, locò sanguinis. Istud opusculum editum est sub nomine Hugonis a sancto Victore: verùm in optimæ notæ apographo Corbeïensi tribuitur Magistro Roberto Paululo, qui in Chartario Corbeïensi nonnullis instrumentis subscripsisse invenitur annis supra millesimum centesimo septuagesimo quarto, nono, & octogesimo quarto, *Magister Robertus Paululus, minister Episcopi Ambianensis*. Hæc indicare opportunum visum est ad illustrandum Auctorem hactenùs ignotum.

LXXVI OBSERVATIO XI. Eucharistia manu excepta.

Eucharistiam in manus etiam à feminis acceptam octavo sæculo fuisse, superiùs ex actis sanctæ Odiliæ vidimus. Quamquam Synodus Autisiodorensis, sub Aunachario congregata sub finem sæculi sexti, id feminis interdicit canone trigesimo sexto, & *Dominicale* manibus teneri præcipit canone quadragesimo secundo. Viris autem, & fortassis etiam virginibus sacris, licebat Eucharistiam manibus excipere ad sæculum octavum, Cædmon Monachus, non tamen Presbyter ad extrema deveniens, rogavit Eucharistiam sibi adferri, *quâ acceptâ in manu*, inquit Beda in Historiæ Ecclesiasticæ libro quarto, capite vigesimo quarto, *interrogavit si omnes placidum erga se animum haberent*. Adeò verò neque

R 2

que id etiam feminis tunc temporis negatum, ut etiam Eucharistiam aliis tradere præsumerent sæculo nono. Eam temeritatem in viris feminisque laicis refellunt damnantque Concilia Parisiense anno octingentesimo vigesimo nono in partis primæ capite quadragesimo, Remense relatum ab Reginone in libro primo de Ecclesiasticis disciplinis capite vigesimo supra centesimum, & à Burchardo & Gratiano; Hincmarus etiam in Capitularis secundi capite decimo. Huic malo in dies gliscenti ut obviaret Concilium Rotomagense, statuit, ut ne quis ampliùs Eucharistiam acciperet manu, sed Sacerdos communicaturis eam porrigeret. Concilii hæc verba sunt capite secundo: *Dictum est nobis, quòd quidam Presbyteri celebratâ Missâ detrectantes ipsi sumere divina Mysteria, quæ consecrarunt, calicem Domini mulierculis quæ ad Missas offerunt tradant, vel quibusdam Laicis qui dijudicare corpus Domini nesciunt*, id est discernere inter cibum spiritualem atque carnalem. *Quod quantùm sit omni Ecclesiasticæ religioni contrarium, pectus Fidelium novit. Unde omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus impostcrum hoc facere præsumat: sed ipse cum reverentia sumat, & Diacono aut Subdiacono, qui ministri sunt altaris, colligenda tradat. Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem Laico aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat; sed tantùm in os ejus cum his verbis ponat: Corpus Domini & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam. Si quis hac transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, & quantum in ipso est inhonorat, ab altari removeatur.* Istud Concilium, quod necdum editum est præter hoc caput quod refertur ab Ivone, in manuscripto exemplari constat capitulis sexdecim, inscribiturque: *Synodus generalis Rodomi regnante Hludovio Glorioso Rege*, id est (ut quidem conjicio) Ludovico secundo cognomento Balbo, aut certè ejus filio cognomine ac successore, circiter annum octingentesimum octogesimum, quo ex tempore abrogari cœpit mos ille recipiendi in manus Eucharistiam, reservata nihilominùs Diacono & Subdiacono tractandi corporis Dominici facultate. Apud Udalricum in libro secundo Consuetudinum Cluniacensium capite trigesimo, Diaconus *hostias frangere & dividere*, in aliorum communionem dicitur; & Subdiaconus *portiunculam Dominici corporis, quam sumturus est, de patena accipere cum duobus mediis digitis sinistræ manus*. Et in antiquis Statutis Cartusiensium anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono conditis præcipitur, Diaconum singulis Dominicis de hostia adservata se ipsum communicare. Guillelmus Major Andecavorum Episcopus, in Synodo habita in festo sancti Lucæ anni supra millesimum ducentesimi septuagesimi tertii, arguit Rectores seu Curiones nonnullos, permittentes, ut Diaconi, quos secum habebant, *sinè necessitatis articulo* confessiones audirent & absolverent, corpusque Dominicum infirmis deferrent & ministrarent, id quod non nisi in necessitatis articulo fieri vetat sub interminatione suspensionis.

LXXVII OBSERVATIO XII. Altaria plura in una Ecclesia.

Huc pertinet consideratio de Altaribus sacris, de quibus ut aliquid admoneam, movet me Auctor Historiæ Eucharisticæ, dum ait, altare unicum in unaquaque Ecclesia ante sæculum octavum fuisse, & altaria portatilia seu tabulas altaris, quas *itinerarias* vocat Ordo Romanus, in usu non fuisse ante sæculum undecimum. Utrumque examinandum hoc loco est. Altare unicum in qualibet Ecclesia primis Religionis Christianæ sæculis fuisse constat; tum quia unus Sacerdos uni Ecclesiæ præficiebatur, seu (ut ajunt) incardinabatur; tum quia rari erant Sacerdotes etiam in Monasteriis, Sacerdotum Collegia nulla. Crescente numero Fidelium, crevit & numerus Ministrorum sacrorum, Ecclesiarumque. Optatus Milevitanus in libro secundo Romæ quadraginta & ampliùs fuisse testatur Basilicas sub tempore persecutionis Diocletiani, & Cor-

ne:

nelius Papa in epistola ad Fabium, ab Eusebio relata in historiæ libro sexto capite quadragesimo tertio, ait, „ Romæ tum fuisse Presbyteros quatuor & quadraginta, pro numero videlicet Ecclesiarum, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acoluthos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, Viduas denique cum infirmis & egentibus plusquàm mille & quingentas. „ En qualis erat tum Romani Cleri status. Vix alia erat in Monasteriis disciplina, etsi in Monasterio Nitriæ erant Presbyteri octo; unus tamen, is scilicet qui primus erat, quoad viveret, offerebat, judicabat, concionabaturque, teste Palladio, ceteris nihil ejusmodi præsumentibus. Verùm de numero Presbyterorum in Monasteriis inferiùs oratio recurret. Sæculo sexto unius Basilicæ unus titulus erat: testis ea de re Gregorius Turonicus Episcopus in libris de Gloria Martyrum. Ecclesiæ plures in uno Monasterio constructæ, sua cuique ara. Hinc S. P. Benedictus in monte Casino duplex Oratorium, S. Maurus Glannafolii quadruplex erexit. Paullò pòst Sacerdotum numerus augeri, Mysteria sacra frequentari ampliùs; & aræ plures una in Ecclesia construi cœptæ. Quippe in sepulcri Dominici Ecclesia, referente Arculfo Episcopo Gallo, qui loca sacra invisit sæculo septimo, altaria erant quinque. Immo sæculo sexto Burdigalæ in Basilica sancti Petri altare duplex erat, uti nos docet Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de Gloria Martyrum capite trigesimo tertio. Sæculo dein octavo numerus altarium auctus, adeò ut Carolus Magnus in Capitulari edito anno octingentesimo quarto ad Theodonis villam mandaverit *de altaribus, ut non superabundent in Ecclesia*. Certè in primaria Romæ Basilica Sancti Petri, præter majorem aram, Paulus Papa *mensam illam*, quam Pippinus Rex Stephano Pontifici direxerat, *infra aulam ipsius Principis Apostolorum introduxit & super corpus ejusdem* positam *Chrismate unctionis sanctificavit, & in ea Sacrificium obtulit*, ut testatur epistola quarta-decima Codicis Carolini. Etsi verò unius Ecclesiæ quondam unum erat altare, plures tamen in eo Missas unoquoque die celebrari fas erat, contra quam multi opinantur. Ea enim quæ hac de re leguntur interdicta, non de diversis Sacerdotibus, sed de uno eodemque explicanda sunt. Id ex Concilii Autisiodorensis, quod anno quingentesimo septuagesimo octavo celebratum est, capite decimo planum fiet. *Non licet super uno Altario in una die duas Missas dicere; nec in Altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat*. Quibus sanè verbis prærogativa quædam Episcopo supra ceteros Presbyteros tribuitur, ut scilicet in illo altari, in quo Missam dixisset, Presbytero non liceret ea die Sacrificium offerre. Ergo Presbyteris licebat, aliis post alios, Missas in eodem altari celebrare, alias frustranea esset Concilii additio de Episcopis. Hoc illustratur facto Gregorii Turonici Episcopi, qui cùm ab æmulis apud Chilpericum esset accusatus maledicentiæ in Fredegundem, *apud Brennacum villam restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus se de his verbis exueret sacramento. Et licèt Canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt*. Ad quid enim non in uno, sed in tribus altaribus Gregorius celebravit Missas tres, nisi quia uni Sacerdoti id in uno altari non licebat?

Altaria mobilia seu portatilia in usu fuisse longè ante sæculum undecimum, patet ex Vita Sancti Vulframni Episcopi Senonensis, in qua Vulframnus, in navi Oceanum trajiciens, sacrum fecisse super altare portatile dicitur. Consentit Beda in Historiæ libro quinto, capite undecimo, agens de duobus Evvaldis, qui *cotidie Sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula & tabulam altaris vice dedicatam*, & Hincmarus in Capitulari tertio præcipit, *ut nullus Missam celebret in altari non consecrato, vel sine tabula ab Episco-* LXXVIII OBSERV. XIII. Altaria mobilia.

sco-

scopo consecrata, quæ sit de marmore, vel nigra petra, aut litro honestissimo. Nec alium fuisse usum sæculo quinto, ut putat auctor historiæ Eucharisticæ in addendis, probat exemplum Theodoriti, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad Sacrificium. Quamvis enim tabellæ ejusmodi in usu essent ævo Theodori Cantuariensis Episcopi, tamen ipse in Pænitentiali suo libro ait, licere Presbytero *Missam in campo dicere, si Diaconus, vel Presbyter, vel ipse calicem & oblationem manibus tenuerit*. Quin immo Theodoriti factum innuit, non licuisse uti mensâ profanâ in Sacrificium: ut necesse fuerit adhibere manus ministri sacri vice altaris. Formam ejusmodi tabularum repræsentat nobis codex manu exaratus Cœnobii Dionysiani prope Luteciam Parisiorum, quo in codice Carolus Calvus prædicto Monasterio multa donaria contulisse dicitur, in his *altare portatile* de marmore Porphyretico per quadrum auro incluso, quatuor pedes habente, in quo in anteriori parte posuit brachium sancti Jacobi Apostoli, qui dictus est frater Domini; ad dexteram verò ejusdem altaris partem brachii pretiosissimi Protomartyris Stephani, ad sinistram verò ejusdem altaris brachium sancti Vincentii Martyris auro optimo inclusit.

LXXIX OBSERVATIO XIV. Altaria edita & cava.

Porrò edita fuisse ab initio altaria constat ex facto Alexandri Constantinopolitani Episcopi apud Socratem in historiæ Ecclesiasticæ libro primo, capite trigesimo sexto, & ex facto Gaïnæ apud Sozomenum in libri octavi capite septimo, qui uterquè subtus aram Deo preces fudisse perhibentur. Ejusdem erant formæ altaria in Occidente sæculis octavo & nono. Nam teste Adelhelmo Sagiensi Episcopo in libro de Miraculis Sanctæ Opportunæ, numero nono, miles quidam Bosonis Regis, cæcitate à Deo percussus, *subtus altare jacens* visum Monciaci recepisse perhibetur. Et in libello de Translatione & Miraculis S. Gorgonii Martyris hìc, capite quarto decimo, mutus quidam permissus est in Ecclesia *jacere sub gradibus, quibus altare adscenditur*, quod de crypta subterranea intelligendum non puto. Utrumque locum illustrat Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de Gl. Martyrum capite trigesimo tertio, ubi aram, qualis suo tempore Burdigalæ in Basilica Sancti Petri Apostoli cernebatur, describit in hunc modum: *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior in modum cryptæ ostio clauditur, habens nihilominus & ipsa cum Sanctorum pignoribus altare suum*. Neque solùm edito in loco sita erant altaria: erant etiam cava, ut patet ex libro Ardonis de vita Benedicti Anianæ Abbatis, ubi auctor de altari Salvatoris apud Anianam constructo scribit in hæc verba: *Altare illud forinsecus est solidum, abintus autem cavum, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis Reliquiis Patrum*. Ergo diebus dominicis & festis inde producebantur Reliquiæ, Fidelium oculis & cultui exhibendæ. Simile etiam erat altare illud aureum, quod Angilbertus Mediolanensis Episcopus in æde Ambrosiana, ubi tum degebant Sodales nostri, fieri curavit ante medium sæculum nonum: quodque ex Puricello describens Ughellus in Italiæ Sacræ tomo quarto, notat in posteriori altaris parte binas fuisse fores perangustas, per quas ostiolum patebat in partem altaris interiorem, ubi repositæ Reliquiæ. Quin etiam mobilia erant quandoque altaria majora. Ejus rei auctorem habemus Chronographum Laureshamensem scribentem, „ Helmericum Abbatem tumbam sancti Nazarii auro ar„ gentoque decorâsse, altare etiam simili impensa & opera mirificâsse, „ *quod posteà ad Ecclesiam sancti Petri, quæ dicitur Altenmunster, translatum est*, & in loco ubi Christus Dominus natus est, præter altare quod erat minus, quod transferebatur in speluncam ab iis qui Missas ibi celebrare volebant, teste Sanctimoniali in Vita sancti Vuillibaldi Episcopi Eistatensis.

Post

LXXX OBSERVATIO XV. Confessio communioni præmissa.

Post Eucharistiæ considerationem agendum videtur de Confessione & pœnitentia, prout nobis occasionem præbent Acta hîc edita: in quibus Confessorum vocabulum usurpatum non semel, & confessio frequens inculcata. Sic enim in libello de gestis Bertilæ Abbatissæ Kalensis scribit Auctor anonymus ejus æqualis: *Familiam quoque Monasterii sive vicinos propinquos per sanctam communionem attrahebat, ut datis confessionibus pœnitentiam pro peccatis suis agerent*. Ex his verbis satis apparet, eam fuisse tum temporis persuasionem, ut qui ad Communionem sanctam accedere vellent, conscientiam prævia confessione repurgarent. Siquidem Bertila *per Communionem* suos attrahebat ad confessionem & pœnitentiam: indeque refelli Johannem Dallæum, è Novatoribus sanè eruditum, qui in libro quarto de Confessione capite quarto adserit, ne nono quidem sæculo, hoc à Fidelibus communicaturis postulasse Patres, ut apud Sacerdotem confessione arcana pectus purgarent, antequam ad Domini mensam accederent. Ab eo errore longè aberat Alcuinus, dum in Confessionis formula, quam exhibet in secunda parte de psalmorum usu, pœnitentem ita loquentem inducit: *Corpus & sanguinem Domini, polluto corde & corpore, sinè confessione & pœnitentia, scienter indignè accepi, nec judicium DEI super me venturum exterritus timui, ut timere debui*. Qui ergo Eucharistiam polluto corde & corpore suscipiebat, nisi confessionem & pœnitentiam præmisisset, judicium incurrere censebatur.

LXXXI Confessionis necessitas

Ne verò Dallæus, ut solet, hos aliosque locos detorqueat ad confessionem peccatorum, quæ publicâ pœnitentiâ expiari prævia confessione oportebat; demonstrandum est istud Alcuini totiusque Ecclesiæ dogma eo tempore fuisse receptum, peccata letalia, etiam interna, sinè confessione remitti non posse, ubi adesset copia Sacerdotis. Exorta per id tempus est prava secta quorumdam Laicorum *in Provincia Gothorum*, id est (ut quidem existimo) in Gallia Narbonensi, qui peccata sua Sacerdotibus confiteri recusabant. Extat ea de re Alcuini Epistola septuagesima prima editionis Chesnianæ, inscripta *dilectissimis Fratribus & Patribus in Provincia Gothorum*, malè Canisio (apud quem vigesima sexta est) *in provincia Scotorum*, qua in epistola sic Alcuinus loquitur: *Dicitur verò neminem ex Laicis suam velle confessionem Sacerdotibus dare, quos à Domino Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus.* Tum variis argumentis & necessitatem confessionis in peccatore, & facultatem absolvendi in Sacerdote probat. Postea ex comparatione trium mortuorum, quos Dominus suscitavit, tria distinguit peccantium genera, *quæ modò quotidie divina confitentibus suscitare solet gratia*. Alii quippe in corde peccant, alii opere, alii ex consuetudine. Demum ita concludit: *Hæc cogitate carissimi Fratres, & in qualicumque harum trium genere si quis jaceat, citiùs ad confessionis probatissima medicamenta confugiat, salutifero pœnitentiæ se abluat medicamine, ut non ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpore & sanguine Domini nostri JESU Christi*. Ex quibus manifestum est Alcuini hanc fuisse sententiam, non minùs eos qui in corde, id est solo interno animi consensu, quàm eos qui opere ipso externo peccaverant, Confessionis remedio ac legi obnoxios esse, ut non ad judicium, sed ad salutem Eucharistiam acciperent. Id verò etiam ampliùs declarat his verbis, quibus aliter sentientes revocat ad saniorem mentem. *Sequimini vestigia sanctorum Patrum & nolite in Catholicæ fidei Religionem novas inducere sectas. Cavete vobis venenosum erraticæ infectionis fermentum: sed in sinceritate & veritate mundissimos sacræ Fidei panes comedite*. Quid nomine *secta* intelligat, non uno in loco explicat Alcuinus in libris adversùs Elipandum. Eo enim vocabulo designat hæresim in tribus

bus versibus epistolæ istis libris præfixæ. Ergo in negotio Religionis Christianæ non sequitur *vestigia Sanctorum Patrum*, sed *sectam*, id est *hæresim*, & *erraticæ invectionis fermentum inducit*, quisquis negat, peccata etiam interna Sacerdotibus non esse revelanda, & prætermisso confessionis remedio expiari posse solo animi pœnitentis dolore. Nec alienum ab hoc est id quod in actione prima Concilii Romani sub Zacharia Pontifice legitur de præsumptione quadam Adelberti hæretici, cujus hoc *maximum scelus & blasphemia contra DEUM* commemoratur, quòd *venienti populo & prostrato ante pedes ejus & cupienti confiteri peccata sua*, dicebat: *Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra: ideoque non opus est confiteri ea. Securi ergo & absoluti de peccatis vestris, revertimini ad domos vestras cum pace*. Hoc in textu duo potissimum observanda: alterum, moris tunc temporis fuisse, ut qui Sacerdotibus peccata sua in aurem revelare volebant, prostrati ante pedes Confessarii id præstarent. Alterum, Adelbertum Sacerdotem fuisse, & proinde non ob aliam causam a Patribus hoc in facto damnatum, quam quòd dicebat, *opus non esse* confiteri sibi peccata sua, ut quis *securus & absolutus* a peccatis redderetur. Ex his item refellitur Dallæus, dum in libri quarti capite undecimo audacter adseverat, nullos ante hæc quinque ultima sæcula homines Catholicis de sacramentali confessione fecisse controversiam.

LXXXII etiam in extremis. De necessitate confessionis in extremis eadem erat hominum illius ævi persuasio. Id quod probat in primis auctor Anonymus ac subpar in libello de vita sancti Filiberti Abbatis Gemeticensis. Quippe *cùm unus Monachus venisset ad extremum mortis, mutus effectus est labiis. Ingressus Dei Sacerdos ad illum, blandè suadere cœpit, ut si haberet occultum facinus, unde pœnitentiam non egisset, manum ejus stringeret. Cumque ille ita fecisset, ingressus vir DEI Ecclesiam sanctæ Mariæ, cœpit Dominum exorare, ut ægro dignaretur linguam reddere, ne adversarius animam pro absconso crimine valeret submergere in barathrum inferni. Cumque Sanctus de oratione consurgeret, ei Frater alius nuntiavit, quòd æger loqui valeret, & confessionem ei dare satageret. Quod ita factum est, nam Confessione data & receptâ pœnitentiâ reddidit animam Domino, ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec æger in desperationem transiret*. Hic vides existimâsse Filibertum, Monachi sui facinus, tametsi *occultum*, etiam amisso vocis officio sinè confessione remitti non posse: quod tamen aliter de illis moribundis a Leone Magno doceri, observavi in Sæculo nostro secundo, ubi hæc vita edita est. Necessitatem confessionis in extremis agnoscunt etiam Patres Concilii Calchutensis in Anglia celebrati anno septingentesimo octogesimo septimo, in capite vigesimo. *Si quis (quod absit) sinè pœnitentia aut confessione de hac vita discessit, pro eo minimè orandum est. Nullus enim sinè peccato est*. Et Jonas Aurelianensis Episcopus in libro primo de Institutione Laicorum, capite quarto decimo: *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac profectò corde ea relinquere atque emendare fategerint, dimitterent eis. Neque enim sinè confessione emendationis* (lege *& proposito emendationis*) *peccata queunt dimitti*. Quid signantiùs ad Catholicum dogma confirmandum adferri potest? Huc multa alia conjici possent testimonia & exempla, qualis est auctoritas Concilii Parisiensis sexti, vetantis Presbyteros seu Rectores Ecclesiarum per diversa mitti, quòd *eorum absentiâ homines sinè confessione plerumque moriantur*, qualia sunt exempla apud Bedam in libri quarti capite vigesimo quinto, & quinti quarto-decimo, & apud Bonifacium Maguntinum Antistitem in epistola nona decima ad Ethelbaldum de Ceolredo Rege, *sinè pœnitentia & confessione de hac luce ad tormenta inferni migrâsse* perhibetur. Verùm hæc fusiùs persequi non sinunt observationis leges.

Con-

Confessionis integritatem commendant Concilia, Cabilonense secundum capite trigesimo secundo, & Ticinense capite sexto. Theodulfus etiam Aurelianensis Episcopus in Capitularis articulo trigesimo primo: quibus in locis præcipitur, ut Confessio *plena* fiat, tam de peccatis quæ *animi motu* sive *cogitatione*, quàm de his quæ carnis *fragilitate* seu *opere* perpetrantur: & publica quidem *publicè*, occulta verò *occultè* expientur. Legendus etiam Jonas in libro primo de Institutione Laicali, capite octavo decimo. LXXXIII OBSERVATIO XVI. Confessionis integritas

Generalis Confessionis exempla quædam hoc loco expendenda sunt, unum ex septimo, alterum ex nono sæculo. Eligius teste Audoëno in Vitæ libro primo, capite septimo, *cùm jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, ac metuens, ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est acta, sicque sibi austeram imponens pœnitentiam* &c. En egregium confessionis generalis exemplum in homine piissimo, ab Auctore æquè sancto ejusque æquali & amico relatum. Aliud non minùs insigne extat in libello, qui inscribitur Concilium Hincmari Archiepiscopi de pœnitentia Pippini Junioris, olim Regis Aquitaniæ, apud Sirmondum, in Analectis ad capitula Caroli Calvi. *Exhortandus est Pippinus, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, secretè faciat: quia fortè talia fecit, quæ turpe est etiam in publicum dicere.* Hæc de occultis: de publicis autem criminibus, nempe *de hoc quòd suum habitum*, monasticum scilicet, *dimisit, & se perjuravit & quia cum paganis se junxit, & quia sua conjunctione multa mala sunt perpetrata, coram Ecclesia inter publicè pœnitentes se lacrymabiliter accuset.* De Monachorum seu Novitiorum generali confessione infrà. LXXXIV

Aliud genus confessionis generalis, qua scilicet scripto aut verbis generatim conceptis se se peccatores profitebantur, in usu per ea tempora erat. Eo animo Rotbertus Cenomannensis Episcopus epistolam scripsit, *quam in ægritudine valida positus direxit Episcopis circa muros Andegavis cum Carolo Principe in obsidionem Nortmannorum residentibus, petens ab eis absolvi.* Extat ea epistola in tomo tertio Conciliorum Galliæ, cum subjecta *Epistola absolutionis, quam ei remiserunt iidem venerabiles Consacerdotes.* Memoratur & altera Hildeboldi Suessionensis Episcopi ad Hincmarum, *cum exhortatoria Hincmari Metropolitani ad ipsum Hildeboldum corporea infirmitate detentum: in qua juxta petitionem litterarum confessionis illius, sua auctoritate eum per absentiam corporalem reconciliando absolvit.* Quid Episcopi illi Coepiscopis suis revelaverint, qualemve ab illis absolutionem retulerint, non facile fuerit divinare. In litteris confessionis generatim se peccatores esse protestantur, sed forsan seriem peccatorum suorum seorsum exponebant in aliis schedulis, quas perlectas incunctanter lacerari par erat. Crediderim hac generali professione postulâsse eos indulgentiam seu remissionem pœnæ peccatis suis debitæ. Id suadet epistola Joannis Papæ decimi noni ad Hugonem, cognomento Cabilonensem, Autissiodorensem Episcopum: qui *scrupulo tactus peccatorum ad Joannem pergens, acriter se pœnitere clamavit, indignum se vociferans curæ pastoralis ac pontificalis dignitatis.* Is à Pontifice absolutionis litteras impetravit, in quibus notanda hæc verba: *Proinde Fratri nostro Hugoni Autissiodorensi Præsuli, DEO & nobis sua peccata confitenti, seseque culpabilem reddenti, plenariam à Deo pollicente promittimus consequi indulgentiæ veniam*, uti legitur in libro de gestis Episcoporum Autissiodorensium, capite quadragesimo nono. His præiverat Alcuinus, qui in epistola sexagesima tertia Hadriano Papæ sese offert *peccatorum maculis sanandum*, postulatque *ut jubeat se salutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis esse solutum.* Idem flagitat à Leone Papa epistolâ septuagesimâ secundâ, LXXXV OBSERVATIO XVII. Confessio generalis.

S Quo

Quo demissionis ac confessionis, tametsi generatim expressæ, generc aliquid relaxamenti auctoritate Ecclesiastica sibi contingere persuasum habebant homines illi Religiosi.

LXXXVI OBSERVATIO XIX. Confessarii proprii.

Auditores Confessionum ab eo primùm octavo sæculo certis personis addictos invenio. Bertinus Sithivensis Abbas Vualberto Comiti *Pater confessionum* fuisse dicitur, & Martinus Corbeïensis Monachus, Caroli Principis cognominc Martelli *Capellanus, cui Carolus confitebatur peccata sua*. Humbertus seu Bertus, Offæ Regis Merciorum Capellanus, *conscius* ejusdem *Secretorum & Confessor* appellatur apud Spelmannum in Conciliorum Angliæ tomo primo. Donatus Scottus, Fesulanæ Ecclesiæ Episcopus, Ludovico & Lothario Imperatoribus à confessionibus fuisse perhibetur in tomo tertio Italiæ sacræ. Posteà res trita cœpit esse. Nam Dunstanus regii Palatii Presbyter, ac *Cancellario Turketulo à secretis familiarissimus, & confessionum suarum communicator confidentissimus* dicitur apud Ingulfum. Othalricus seu Udalricus Augustanus Episcopus Ottonis primi Imperatoris, teste Ditmaro in Chronici libro secundo; Stephanus, qui postea hæreticus fuit, Constantiæ Reginæ, uxoris Rotberti Francorum Regis *Confessor* in Actis Concilii Aurelianensis, tomo secundo Spicilegii; Theodoricus Abbas Cœnobii sancti Petri apud Carnutas, *Confessor* Richardi Nortmannorum Comitis seu Ducis; Avicius Prior Monasterii Eoveshami, *Confessor* Comitis Leofrici apud Ingulfum, uti & Lanfrancus Comitis Vvaldeni, appellantur. De Confessoribus propriis vulgarium hominum extat locus insignis in Dialogo Egberti Eboracensis Archiepiscopi, inferiùs commemorandus.

LXXXVII OBSERVATIO XX. Confessarii plures unius hominis.

Confessores nonnumquam plures unius hominis peccata maximè in extremis audiebant, & simul pœnitentem absolvebant. Theodardus Narbonensis Archiepiscopus, morti proximus *vocavit ad se Abbatem* Cœnobii sancti Martini apud Cadurcos, & *qui sub ejus cura degebant omnes reliquos Sacerdotes monastico utentes officio, & confessionis suæ professionem eorum quæ patraverat delictorum evidenter cum luctu & gemitu exposuit*, uti legitur in quodam fragmento apud Labbeum, tomo secundo Bibliothecæ novæ. Ebbo Remorum Antistes, læsæ majestatis postulatus, *Confessoribus suis* Ajulfo & Nothoni Archiepiscopis, Badardo, Modoino, Achardo & Theoderico Episcopis crimina sua confessus est. Quam tamen confessionem *secretam* ipse vocat in Apologetico suo, quod extat in tomo secundo Spicilegii: idemque attestantur Patres Concilii Trecensis in epistola ad Nicolaum Papam. Plura id genus exempla mihi inter legendum occurrerunt. In primis Taginonis Magadaburgensis Episcopi, qui anno millesimo duodecimo infirmatus, *accersito Sigefrido Abbate, fratre Thietmari Episcopi Mersburgensis, & Erico Havelbergensi Episcopo, peccatorum confessionem bis fecit*, ut legitur in manuscripto Chronico Magadaburgensi, quod etiam tradit ipse Thiermarus seu Ditmarus in Chronici libro sexto. Idem Auctor in octavo libro laudat Bernardum Episcopum, qui ipsum ad cujusdam Ecclesiæ ab se constructæ consecrationem invitavit. *Ante cujus consecrationem*, inquit *volumen longum facinoribus suis inscriptum, ac priùs ceteris Confessoribus suis ostensum, mihi aperuit, & coram me gemens legit & à me supplex indulgentiam postulavit*. Addit postea quædam non omittenda hoc loco, tametsi paullò extra propositum. *Hanc epistolam sumsi, & absolutionem commissi divina potestate huic feci. Cúmque eodem die, id est sexto decimo Kalendas Aprilis, quia tunc erat annua dies sui patris, prædictam consecrarem Ecclesiam, supra pyxidem Sanctorum Reliquiis refertam prænominatum posui Breviarium, ut eorum assiduo interventu vera flebiliter confitenti remissio fieret & diu optata abolitio. Hoc numquam vidi aliquem fecisse*

ant

aut audivi: sed quia infirmitatem meam huic nil prodesse timui, ad Sanctos intercessores confugi. Simile factum legi in Actis sanctæ Segolenæ Abbatissæ in hujus sæculi tomo posteriori. Ad hæc, „Goffridus Autissiodorensis Episcopus instan-„ te morte deferri voluit in Monasterium Caritatis super Ligerim, convoca-„ vitque Hugonem Episcopum Nivernensem nepotem suum, & Gerardum „ Priorem jam dicti loci: „ *ut inter sanctas illorum manus facta confessione delictorum, Redemptori Christo spiritum redderet*, in libro de Gestis Episcoporum Autissiodorensium capite quinquagesimo primo. Henricus item primus Anglorum Rex, extrema ægritudine decumbens, *Capellanis suis reatus suos confessus est, & peracta confessione absolutionem & pænitentiam à Sacerdotibus accepit, oleique sacri unctione delinitus, & Eucharistiâ refectus Deo se commendavit*, apud Ordericum in historiæ libro tertio-decimo. Id quod Hugo Rotomagensis Archiepiscopus, qui aderat, declarat in epistola sua apud Vvillelmum Malmesburiensem Monachum in libro primo historiæ novellæ, his verbis: *Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mœroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro & Episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum se se promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio tertiò eum & per triduum absolvimus.* Huc spectat Petrus de Honestis in Regulæ Clericorum libro secundo capite vigesimo secundo, dum ista de ægrotantibus præscribit. *Hi ergo si febrem continuari vel languorem increscere persenserint, tunc advocato Priore seu Præposito & Presbyteris ad hoc officium deputatis, plenam de peccatis suis confessionem faciant. Sicque promissa de præteritis culpis secundùm Prioris jussum satisfactione, & in futuro sui emendatione, susceptaque ab omni conventu benedictione & peccatorum absolutione, fideliter per eos quibus injunctum est custodiantur, ut eos in cunctis necessitatibus suis ministros aptissimos habeant. Qui semel saltem in die convisitantibus se fratribus confessionem faciant, atque orationis benedictionem ab eis aquirant.* Cur enim, quæso, si uni Presbytero fiebat confessio, convocantur Presbyteri omnes, omnes absolutionem dant? nonne evidens est argumentum, ab iisdem absolutionem datam, quibus facta confessio? Ex eodem ritu profectum est, ut unctionem infirmis adhiberent Presbyteri plures, uti Menardus observavit in librum Sacramentorum. Confer Morinum in libro secundo de Pænitentia capite undecimo.

LXXXVIII OBSERVATIO XXI. Confessio Sacerdotum

Confessio Presbyterorum cuilibet Sacerdoti, Monachorum Priori & Confessario Monasterii, Sanctimonialium Presbytero & Abbatissæ nonnunquam fiebat. Hæc paucis explicanda. De Presbyterorum confessionibus præter id, quod habetur in Responsis Zachariæ ad Pippinum, interdicentis reconciliationem Presbyteris per manuum impositionem, hoc est per pænitentiam publicam; & in Concilii Parisiensis sexti parte prima, capite sexto supra quadragesimum; nihil invenio ante sæculum quartum decimum, quo definitum non semel, ut Presbyteri cuivis Sacerdoti confiteri possint, nempe in Concilio Vvaurensi anno millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, capite octogesimo primo, & postea in Narbonensi capite octavo decimo Collectionis Baluzianæ. Idem eodem ferè tempore permittit Synodus Bajocensis. *Præcipitur quòd Sacerdotes Episcopo vel Pænitentialibus suis*, id est Episcoporum, *semel in anno confiteantur. Permittit autem Episcopus, quòd interim possint, quoties opus fuerit, aliis Sacerdotibus confiteri.* Quæ Synodus etiam Cenomannensis aliis dicitur.

LXXXIX OBSERV. XXII. Monachorũ

De Monachorum confessione ita scribit Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ capite trigesimo secundo: *Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate Episcopo aut Priori suo.* Hunc locum forsan non

non viderat Petrus Blesensis, dum ait in epistola quadam ad Vv. Abbatem: *Sæpè videmus aliquos hujus vestri Ordinis Episcopis confiteri, vel illis quos pro se delegant Episcopi, quod quidem scimus esse contra constitutiones Patrum & honestati contrarium.* Erat in Monasteriis præter Abbatem Prioremve Presbyter Monachus, audiendis confessionibus deputatus. Presbyteri octo erant in Monasterio Nitriæ, ut superiùs vidimus: sed unus judicabat, id est sententiam ferebat de aliorum peccatis. Theganmarus Confessarius erat Fratrum in Monasterio Augiensi, à Vvalafrido Strabo laudatus in carmine de visione Vertini Monachi in hæc verba:

cui longa senectus
Contulit æterno venerandos munere canos,
Confessor Fratrum, gnarus conferre medellam.

Idem officium in Cœnobio Cluniacensi gessit sæculo undecimo Sanctus Udalricus, uti suo loco videbimus. De Monachorum confessione plura inferiùs.

XC OBSERVATIO XXIII. & Sanctimonialium. Confessiones Sanctimonialium sub conscientia Abbatissæ Presbytero fieri probat sanctus Basilius in Regulæ suæ capite undeducentesimo, ubi interrogatus, *si oportet, quum aliqua Soror confitetur quodcumque delictum suum Presbytero, etiam Matrem Monasterii adesse;* respondet: *Honestius mihi videtur esse & religiosius, ut per seniorem matrem Presbyter si quid illud sibi videtur statuat, & modum vel tempus pænitentiæ imponat ad emendationem ejus, quæ corrigi desiderat à peccato.* Hinc videtur illustrari posse id quod legitur, tum apud Jonam in libello de rebus gestis in Cœnobio Eboracensi tempore Burgundofaræ Abbatissæ, capitibus octavo (malè decimo in editis nostris) & tertio-decimo; tum in Regula cujusdam (ut vocant) capitibus sexto & decimo sexto; in quibus mentio fit confessionis Abbatissæ vel Præpositis factæ etiam de gravioribus delictis, & quidem in extremis apud Jonam. Id verò statutum eo animo fuerat, sive quòd Presbyter à Sanctimonialibus per Abbatissam faciliùs confessionem exprimeret earum maxime rerum, quæ verecundiæ speciem habent; sive quòd rectiùs cum ea pænitentiæ modum præscriberet; seu denique, ut ea præsente confessio fieret eum ad modum, quo plures Sacerdotes unius ejusdemque hominis confessionem excepisse dictum est. Quamquam nescio an quibusdam in locis sibi hoc in negotio nimiùm sumserint Abbatissæ, quæ per speciem removendi homines à conspectu Monacharum, in subditarum conscientias plus auctoritatis, quàm liceret, usurpare tentaverint. Certè Theodorus Balsamon in Juris Græco-Romani libri quinti interrogatione trigesima quarta, notat quasdam Cœnobiorum Præfectas, quæ Episcopi licentiam requisierunt, ut Monacharum sibi subditarum confessiones exciperent. „ Respondet Antiochenus Patriarcha eam potestatem solis Sacerdotibus concessam esse. „ Lege Acta Sanctæ Segolenæ Abbatissæ, quæ omnia vitæ suæ errata, quantumvis levissima, Monacho Presbytero confessa est. Tametsi eo tempore, quo necdum venialium culparum frequens erat confessio sacramentalis, Sanctimoniales rariùs forsan Presbyteris quàm Abbatissis conscientias suas denudabant.

XCI Jam superest ut exponam, quo tempore, quave occasione quondam solita sit fieri confessio, nempe in præcipuis anni festis & ante Quadragesimam: ante Confirmationem, & Peregrinationes; ante Professionem Monasticam, & militum initiationem; ante pugnam, & in extremis.

XCII OBSERV. XXIV. Confessio in festis præcipuis. In præcipuis sollemnitatibus. Luculentum hac de re testimonium extat in fine Dialogi Egberti Eboracensis Episcopi in hæc verba: *Quartum jejunium mense Novembrio à veteribus colebatur juxta præceptum Domini ad Hieremiam dicentis: Tolle volumen libri &c. Hac ergo auctoritate divinarum scripturarum Ecele-*

clesia Catholica morem obtinet, & jejunium atque observationem mense celebrat decimo, sabbato quarto, propter advenientem venerabilem sollemnitatem Domini nostri JESU Christi: ubi ante plures dies & continentia carnis, & jejunia exhibenda sunt, ut unusquisque Fidelis præparet se ad communionem corporis & sanguinis Christi cum devotione sumendam. Eam ob rem jejunia exercebant, secedebant in Monasteria, ad Confessores denique suos accedebant. Sic enim continenter subdit Egbertus: *Quod & gens Anglorum semper in plena hebdomada ante Natale Domini consuevit, non solùm quartâ & sextâ feriâ & sabbato, sed & juges duodecim dies in jejuniis & vigiliis & orationibus & eleemosynarum largitionibus, & in Monasteriis, & in Plebibus, ante Natale Domini quasi legitimum jejunium exercuisse perhibetur. Nam hæc, Deo gratias, à temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solùm Clerici in Monasteriis, sed etiam Laici cum conjugibus & familiis suis ad Confessores suos pervenirent, & se fletibus à carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent: quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natale Domini perciperent.* Hunc locum integrum referre visum est, ut appareret contra Dallæi item erratum in libri quarti capite octavo, jam septimo sæculo, id est à tempore Vitaliani Papæ, mentionem factam confessionis ante Natale Domini, (ad quid enim aliud Laici ad *Confessores suos* accedebant?) & quidem confessionem communioni uti dispositionem cum jejunio præmissam. Confessio item fiebat ante Quadragesimam ob festi Paschalis Religionem. Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ capite trigesimo secundo id probat de tribus Quadragesimis, quæ servabantur ante Pascha, ante Natale Sancti Iohannis Baptistæ, & Christi Domini. *Hæc est*, inquit, *ratio pænitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ sunt; id est in unoquoque anno tribus vicibus, id est in tribus Quadragesimis populus fidelis suam confessionem faciat: & qui plus fecerit, melius facit.* Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitularis articulo trigesimo sexto. *Hebdomadâ unâ ante initium Quadragesimæ confessiones Sacerdotibus dandæ sunt.* Hinc Adelardus Abbas Corbeiensis, in Statutorum libro primo capite secundo, Monasterii operis concedit laboris manualis remissionem *primo die jejuniorum Quadragesimæ, ideo ut spatium habeant confessiones suas renovare.* Et ne quis hæc interpretetur de confessione ordinata ob pænitentiam publicam, occurrit Regino Prumiensis Abbas, duplicem distinguens confessionem in Collectionis *Canonum libro primo capite octogesimo super ducentesimum. *Presbyteri debent admonere plebem sibi subjectam, ut omnis, qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feriâ quartâ ante Quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad vivificantem Matrem Ecclesiam: ubi quod malè commisit, cum omni humilitate & contritione cordis simpliciter confessus, recipiat remedium pænitentiæ* (publicæ) *secundùm modum Canonicis auctoritatibus præfixum, tradaturque satanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in nomine* *Domini. Hæc ille de confessione facienda ob publicam pænitentiam. Sic verò de privata: *Non solùm autem ille qui mortale aliquod commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in baptismo accepit, peccati maculâ polluisse, ad proprium Sacerdotem venire festinet, & cum purificatione mentis omnes transgressiones omniaque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur.* Adeò verò hoc in legem evaserat, ut idem auctor in libri secundi capite quinto referat id inter ea, de quibus Episcopus in Synodo interrogare debet, nempe *si aliquis ad confessionem non veniat vel una vice in anno, id est in capite Quadragesimæ, & pænitentiam pro peccatis suis suscipiat.* Non ergo

* Ex recens edita est à V. C. Stephano Baluzio.

* l. in die.

ergo Innocentius tertius (ut Dallæus fallit) istius Legis auctor, sed approbator censendus est. His accedit Gislebertus Lunicensis Episcopus in epistola quadam de Statu Ecclesiæ: *Absolvit Præsul populum de venialibus in capite jejunii, de criminalibus in Cœna Domini*. Quibus in locis, tam apud Regionem, quam apud Gislebertum, *venialium peccatorum* nomine intelligenda sunt leviora peccata mortalia, quæ pænitentiæ publicæ subjecta non erant, tametsi *tunicam in baptismo acceptam maculâ suâ polluebant*: non verò peccata illa levissima, quæ Recentiores appellant venialia. De his enim per ea tempora passim non fiebat confessio Sacerdoti, ut postea dicendum erit.

XCIII ante confirmationem. Ante confirmationem, de qua ita Herardus Turonensis Archiepiscopus in capitulo septuagesimo quinto: *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessiones dare priùs, ut mundi donum sancti Spiritûs valeant accipere*.

XCIV ante peregrinationem. Ante peregrinationem. Ahito seu Hetto ex Monacho Augiensi Basiliensis Episcopus, in Capitularis articulo octavo decimo, *omnibus Fidelibus denuntiandum* jubet, *ut qui causâ orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur, quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo*. Neque adversatur Leo Papa nonus, dum Monachis Besuensibus concedit facultatem audiendi adventantium peregrinorum confessiones, quod & ipsum aliis ab aliis Pontificibus indultum.

XCV ante vitæ monasticæ initium. Ante Monasticæ vitæ tirocinium Novitii confessionem edebant, eamque ut plurimùm generalem. Johannes Climacus in Scalæ gradu quarto: *πρὸ πάντων ἐξομολογησώμεθα τῷ καλῷ ἡμῶν δικάστῃ, καὶ μόνῳ, εἰ δὲ κελεύει, καὶ πᾶσι*. id est, „ primum omnium confiteamur bono judici nostro, vel soli, vel si „ imperet ille, omnibus. „ Sic confessarii Sacerdotis officium Judicandi nomine exprimit Palladius, ubi de Monasterio Nitriæ agit. Patrem spiritalem vulgò Græci, uti & Latini appellant. Idem statutum de Novitiis legitur apud Udalricum in libri tertii capite vigesimo sexto; *In vita quoque sæculari quæque extra salutem animæ suæ commiserunt, omnia Domno Abbati ad confessionem manifestant*. Quod apud Cluniacenses, id etiam vigebat apud Cartusienses, uti legitur in secunda parte Statutorum antiquorum, capite undecimo. *Consulimus & monemus, ut tam Clerici quàm Laici universaliter confiteantur ad minus, quum ad ordinem veniunt, & quando Prior mutatur*. Jam Monachi facti confessionem venialium sibi invicem plerumque faciebant, quod etiam observabant homines religiosiores. Beda in Commentario in caput quintum epistolæ S. Jacobi Apostoli exponens hunc versum, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra; in hac sententia*, inquit, *illa debet esse discretio, ut cotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur*, &c. Jonas Aurelianensis Episcopus in libro primo de Institutione Laicali capite sexto decimo: *Moris est Ecclesiæ de gravioribus peccatis Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confessionem facere; de cotidianis verò & levibus quibuscumque perrari sunt qui invicem confessionem faciant, exceptis Monachis, qui id cotidie faciunt*, nempe æqualibus, ut inferiùs probat adductis Bedæ aliorumque Patrum testimoniis, ex quibus ita concludit: *His documentis colligi potest, quòd sicut cotidie in multis offendimus; ita cotidie de admissis confessionem alterutrum facere, & orationibus & eleemosynis, & humilitate & contritione cordis & corporis ea debemus purgare*. Alia tamen videtur fuisse sententia Chrodegangi Mettensis Episcopi superiùs adducta, *qui in unoquoque sabbato* à Monachis confessionem fieri non æqualibus modò, sed *Episcopo aut Priori* monet. Quod intelligendum puto non de singulis Monachis, sed de iis quibus aut

Confessio venialium.

con-

conscientia, aut scrupulus culpæ gravioris inerat. Certè in primariis Statutis Cartusiensium apud Guigonem hæc leguntur in capite septimo. *Et quia tota hebdomada in cellis silentium tenemus, peccata nostra Priori vel quibus ab eo injunctum est confitemur*, nempe in Sabbato. Id quod non de sacramentali, sed de communi culparum accusatione explicat tertia compilatio Statutorum in partis secundæ capite undecimo, ubi relatis Guigonis verbis, explicationis gratiâ ista subduntur. *Occurrente autem Capituli festo in Sabbato, die præcedenti quæ sinè tali festo occurrit, confitemur. Semper autem confitemur in vigilia Natalis Domini, nisi eadem vigilia occurrat in Dominica vel in feria secunda: in quo casu confitemur in Sabbato sequenti. Providendum est enim, ut semper in qualibet hebdomada faciamus confessiones communes. Quandocumque in Capitulo confitemur, prolixitatem caveamus: In cella autem diffusiùs possumus confiteri. Pro privata confessione quæ in cella fit vel alibi, non dimittitur generalis quæ fit in sabbato.* Hinc manifestum est, Guigonis Statutum superiùs memoratum non esse de confessione sacramentali, cujus ille (si bene recolo) in toto Statutorum suorum libello non meminit, quasi innueret, Cartusiensium mores ac vitam ita comparatam esse debere, ut sicut nullus erat locus peccatis gravioribus, sic nullum tempus confessioni sacramentali adsignari necesse esset. Et tamen Guigonis ævo peccata venialia in aurem Sacerdotum Monachi revelare solebant, maximè in dubiis causis, ubi culpæ gravioris latebat suspicio, qua de re intelligendum videtur Regulæ sancti Benedicti caput quadragesimum sextum, ubi errata communia coram omnibus exponi Abbati præcipit: *Si verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati & spiritalibus senioribus patefieri*. ubi *Patres spiritales*, Confessarios appellare videtur more veterum Græcorum Latinorumque recentiorum. Vigebat etiam initio sæculi quinti decimi mos ille revelandi æqualibus peccata venialia, ut constat ex sermone quodam Radulfi Ardentis in Litania majore, tametsi jam dudum sacramentalis confessio venialium inducta erat, saltem apud Monachos. De hac confessione interpretandi sunt Petrus Damiani, Petrus de Honestis, Guillelmus Abbas Monasterii S. Theoderici, uti & S. Bonaventura, quorum testimonia hoc loco expendenda. Petrus Damiani in opusculo quinto decimo de suæ Congregationis Institutis, capite quarto & vigesimo, Eremitam monet, ut *si aliquando consistens in cellula, illicitum aliquod cogitando, vel etiam operando peccaverit, unde se quantumlibet conscientia pavefacta remordeat, non statim confessionis gratiâ prodat, vel propositi rigorem frangat*: sed *Deo interim confiteatur & futuræ jam confessionis velut quasdam illi arras in hunc modum tradat: Domine JESU Christe* &c. Ubi Petrus non videtur loqui de lethalibus culpis, quarum sine dubio confessionem religioni silentii prætulisset, homo purioris disciplinæ amantissimus. Petrus de Honestis in libro secundo de Regula Clericorum, capite sexto-decimo præcipit, ut in festorum pervigilio *fiat omnium excessuum patens confessio. Si quis tamen aliquid privatè confiteri voluerit, confiteatur Priori sive Presbyteris per Priorem ad hoc officium deputatis*, nempe etiam de levioribus noxis, quarum confessionem clariùs exprimit Guillelmus Abbas in libro primo de vita sancti Bernardi Abbatis Claravallensis capite sexto, ita loquens de discipulis ejus piissimis: *Sed viri verè religiosi & piè prudentes, & in prædicatione sermonum ejus venerabantur etiam quæ non capiebant, & in confessionibus suis licèt ad novum stuperent auditum, eò quòd seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis, tamen juxta sententiam sancti Job nefas putabant contradicere sermonibus Sancti*. Nempe ita leviora peccata, quæ sibi confitebantur discipuli, Bernardus exaggerabat verbis, ut illi penè desperatione fracti, spem consectandæ perfectionis abjicerent.

rent. Omnium verò clarissimè Bonaventura sacramentalem venialium peccatorum confessionem suo tempore in usu fuisse docet in librum quartum sententiarum, distinctione septima decima, parte tertia, articulo secundo, quæstione prima. *Quamvis*, inquit, *de ratione sui generis non sit ea confiteri necessarium, tamen ea confiteri congruum est, maximè viris perfectis; quia utile est multùm, & pœna illis debita minuitur ex vi clavium*. In Actis sanctæ Segolenæ Abbatissæ hic editis extat longè vetustius exemplum confessionis venialium erratorum. Segolena quippe cuidam Monacho, qui & ipse Sacerdos erat, omnia *parva minimaque peccata, sinè quibus esse non possumus, cùm gravia deessent, lacrymans confessa est*, uti legitur in capite vigesimo tertio. Ex his patet, jam ante longa tempora homines purioris vitæ studiosos de venialibus fecisse confessionem, uti & modò, maximè ad serenandam conscientiam in dubiis causis. Verùm illud interest, quòd Majores nostri stata ejusmodi confessionibus intervalla non definiebant, sed suæ quemque conscientiæ permittebant.

XCVI ante militum initiationem — Ut ante Monachorum, sic ante militum initiationem confessio quondam præmittebatur. Nempe *Anglorum erat consuetudo*, teste Ingulfo Abbate Crulandensi, *quòd qui militiæ legitimè consecrandus esset, vespere præcedente diem consecrationis suæ, ad Episcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus peccatis suis confessionem faceret; & absolutus, orationibus & devotionibus & afflictionibus deditus in Ecclesia pernoctaret, in crastino quoque Missam auditurus gladium super altare offerret, & post Evangelium Sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eamdem Missam sacris Christi mysteriis, denuo miles legitimus permaneret*. Ita Ingulfus, qui ait eum modum initiandi militis odiosum Nortmannis fuisse. Et tamen ipsi Regum filii hoc ritu initiabantur milites, ut colligimus ex Orderico Vitali, qui in Historiæ libro quinto observat, Ricardum Gullelmi Anglorum Regis filium occubuisse, *antequàm militiæ cingulum acciperet*. Idem etiam factum in Gallia docet Chronicon Dionysianum, in quo Philippus filius Philippi Regis, cognomento pulcher, *factus miles in festo Adsumptionis* beatæ Virginis perhibetur, idemque tres filios suos, Ludovicum, Philippum, & Karolum, in festo Pentecostes *novos milites* ordinâsse, & ipsi filii Regis *alios milites novos numero ampliùs quadringentos* accinxisse referuntur in Chronico Rotomagensi apud Labbeum, tomo primo Bibliothecæ novæ, ubi etiam Philippus sextus Johannem filium suum primogenitum accinxisse, & quadringentos novos milites ordinâsse memoratur anno millesimo trecentesimo trigesimo secundo, in octavis post festum sancti Michaëlis, sub cujus nomine & auspiciis Ordo militum ab Ludovico undecimo posteà institutus est.

XCVII ante pugnam — Ante pugnam etiam milites peccata sua Presbyteris revelabant, auctore Alcuino in epistola quadragesima sexta ad Damætam. *Valde sollicitus sum de itinere profectionis in hostem: quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. Tu verò iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare memento*. Audomarenses opidani à Nortmannis obsessi, *compuncti se mutua confessione rebaptizaverunt, ac humili perceptione mysterii corporis & sanguinis se munierunt*, ait auctor æqualis ejus temporis, in libro secundo de miraculis sancti Bertini capite septimo. Rex Arnulfus in obsidione Romana, *sollemnitate Missarum celebrata, exercitum unanimiter interrogavit, quid facto opus sit. Conveniunt omnes cum lacrymis fidem promittentes, confessionem coram Sacerdotibus publicè agentes*, in Annalibus Fuldensibus ad annum octingentesimum nonagesimum quintum. Vuillelmus Malmesburiensis Monachus in libro tertio de gestis Anglorum, capite quinto-decimo laudat milites Nortmannos, quòd *tota nocte confessioni*

pecca-

peccatorum vacantes, manè Dominico corpore communicaverint, antequàm pugnam cum Anglis inirent. Denique Dux Conradus anno quinto & quinquagesimo supra nongentesimum pugnaturus contra Hungaros, *post Missæ celebrationem sacramque communionem ab egregio porrectam Odelrico Confessore suo processit adversùs hostes*, ut legitur in Chronico Magadaburgensi. Hinc Synodus Germanica Liptinis confirmata permittit, capite secundo, ut *in castris Princeps habeat unum vel duos Episcopos cum Cappellanis vel Presbyteris eorum, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit*, quod Decretum Carolus Magnus in capitula Ecclesiastica postea transtulit anno octingentesimo.

In extremis denique peccata Sacerdoti confiteri præceptum erat, ut superiùs probatum est. Qua in re illud animadversione dignum, obtinuisse aliquando hunc morem, ut reis capitis damnatis spatium confitendi negaretur. Argumento est Dacco, Dagarici quondam filius, qui cùm à Chilperico Francorum Rege *vinctus detineretur, & cerneret se penitus non evasurum, à Presbytero Rege nesciente pœnitentiam petiit, qua accepta interfectus est*. Hunc locum Gregorii Turonici Episcopi ex libri quinti capite vigesimo quinto, ita reddidit Aimoinus in libri tertii capite vigesimo nono: *Dacco confessus cuidam Presbytero peccata sua, pœnitentiam Regè nesciente petiit; qua accepta interfectus est*. Et certè pœnitentiæ vocabulum apud Gregorium de confessione secreta interpretari cogit ipse contextus, non verò de pœnitentia publica. Quid enim juvisset Dacconem, accipere pœnitentiam publicam à Presbytero, quam persolvere temporis angustia non patiebatur? aut quid demum remedii consequebatur accipiendo, non obeundo pœnitentiam? Rectè verò *pœnitentiam*, hoc est Sacramentum pœnitentiæ peccata confitendo *petiit & accèpit*. Ex hoc uno loco refellitur Dallæi commentum duplex, unum, dum ait in libri quarti capite quinto, nullum extare exemplum confessionis factæ ab homine posito in extremis ad usque sæculum nonum inclusivè: alterum in capite quadragesimo ejusdem libri, pœnitentiam simpliciter dictam ad octavum usque sæculum de pœnitentia publica, non de confessione intelligi. Porrò etiam ex hoc Gregorii testimonio intelligitur, reis capitis damnatis pœnitentiam seu confessionem negari solitam, ut Dacco *Rege nesciente* clam à Presbytero eam postulare coactus sit. Exemplum aliud nobis suppeditat Ordericus Vitalis in historiæ suæ libro octavo de Conano quodam, qui cùm Rotomagum Guillelmo Rufo prodere tentasset, captus tandem à Rotberto Duce, *pro amore DEI confessionem sibi permitti* postulavit, nec obtinuit. Severam hanc legem primi in Anglia sæculo nono sustulerunt Alfredus seu Aluredus Anglorum, & Guthurnus Anglo-Dannorum Reges, sancientes in legum Ecclesiasticarum capite octavo, ut *si quis reus mortis profitèri desiderèt Sacerdoti, numquam negetur ei*, quam remissionem approbavit Edvvardus Rex Aluredi filius in Legum ab se & Guthurno conditarum capite quinto, in hæc verba: *Si quis rei capitalis damnatus sua ingenuè Sacerdoti peccata confitèri cupiverit, id ei conceditor*. Seriùs in Gallia id permissum, nimirum anno trecentesimo nonagesimo sexto supra millesimum, quo Carolus sextus Francorum Rex multorum Procerum Ecclesiasticorum & Laicorum precibus persuasus hunc morem abrogavit, cujus rei edictum integrum Fontano refert in tomo primo Edictorum. Profectus erat mos iste ex antiqua disciplina, quæ facinorosis excommunicatis pœnitentiam denegabat, si tantùm in exitu eam petebant, ut Morinus observavit in libro primo de pœnitentia capite primo.

XCVIII in extremis.

T Nunc

XCIX OBSERVATIO XXV. Pœnitentia publica. Nunc locus & occasio postularet, ut de pœnitentiæ publicæ disciplina, qualis scilicet per octavum ac subsequentia sæcula tenebat, aliquas observationes proponerem. Nimirum octavo sæculo Patres Concilii Cloveshoviensis graviter conquesti sunt de pœnitentiæ publicæ redemptione per eleemosynas & Missas, dein Patres Cabilonensis ac Remensis Synodorum de ejus remissione, ac redemptione item per laborem peregrinationum *Romam Turonumve & alia quædam loca sub prætextu orationis*, ut loquuntur Patres Cabilonenses: tametsi Nicolaus Papa primus ob peregrinationem Romanam nonnihil relaxamenti concessit Vvimaro, aliisque nonnullis publicæ pœnitentiæ addictis. Verùm quia Morinus modò laudatus & alii plures nostro ævo copiosè & eruditè hoc argumentum tractaverunt, ei supersedeo. Tantùm observo verum non esse id quod Dallæus adfirmat non semel, pœnitentiam publicam ab ineunte sæculo tertio decimo seu ab Innocentii tertii Pontificatu extinctam penitus esse. Nam in præceptis conditis in Synodo Rotomagensi anno ducentesimo quadragesimo quinto supra millesimum istud legitur, *ut Presbyteri Parochianos suos sollemniter pœnitentes faciant venire in capite jejunii ad cathedralem Ecclesiam, ut per Archiepiscopum sollemniter ab Ecclesia ejiciantur, & similiter in die Jovis proxima ante Pascha per Archiepiscopum Ecclesiæ reconcilientur*, quod argumento est, etiam tum viguisse publicam pœnitentiam: cujus aliqua vestigia in Ecclesia Romana suo remansisse tempore auctor est Desiderius Erasmus in Exomologesi.

C OBSERVATIO XXVI. Societas pro suffragiis. Eodem octavo sæculo mutuæ societates in commendationem vivorum, & præcipuè mortuorum; & Anniversaria perpetua frequentari cœpta. De ejusmodi societatibus extat insignis locus apud Venerabilem Bedam, qui in mercedem vitæ sancti Cutberti ab se conscriptæ, hæc rogat in prologo ad Eadfridum Episcopum & Monachum Lindisfarnensem: *Me defuncto pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris ac vernaculi vestri orare & Missas facere, & nomen meum inter vestra scribere dignemini. Nam & tu Sanctissime Antistes, hoc te mihi promisisse jam retines: in cujus etiam testimonium futuræ conscriptionis religioso Fratri nostro Godfrido mansionario præcepisti, ut in albo vestræ sanctæ Congregationis meum nunc quoque nomen appareret*. Plures ea de re leguntur sancti Bonifacii Episcopi Moguntini & Martyris epistolæ, in his Epistola centesima sexta ad Optatum Abbatem, scilicet Casinensem. *Diligenter quoque deprecamur, ut familiaritas fraternæ caritatis inter nos sit, & pro viventibus oratio communis, & pro migrantibus de hoc sæculo & orationes & Missarum sollemnia celebrentur, quum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur*, & Epistola nonagesima quinta Cudberti Abbatis Vviremuthensis ad Lullum Episcopum Bonifacii successorem: *Nomina Fratrum, quæ ad nos misisti, cum nominibus hujus Monasterii Fratrum dormientium in Christo scripta continentur, ita ut pro illis nonaginta & eò ampliùs Missas facere præcepimus*. Istiusmodi societas non tantùm in gratiam Monachorum, sed etiam amicorum & familiarium ejusdem Monasterii fiebat. Hinc Dado Abbas Hornbacensis in Bonifaciana epistola octogesima quarta ad Lullum: *Cum salutationis*, inquit, *officiis humili prece deposcimus, ut istam familiam Christi & sancti Petri in vestra commemoratione semper habeatis, & ipsi pro omnibus amicis nostris, tam Episcopis & eorum Clero, quàm Abbatibus & eorum Monachis, seu & Abbatissis vel DEO dicatis, in ista Congregatione sancti Petri oratores vestros tam vivos quàm defunctos in vestra mercede commemorare faciatis, ut in sacris orationibus illorum eam assiduè memorare debeant, quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur januam paradisi*. Deinde addit: *Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum vestrorum nomina, tam vivorum, quàm defunctorum,*

rum,

rum, per præsentem Fratrem nostrum Saganaldum per Breve ad nos dirigere faciatis. Brevia seu Breves isti erant indiculi nominum eorum, qui in suffragiorum societatem admittendi seu admissi erant, quales extant in Bonifacianis epistolis centesimis octava, nona & undecima: quales item memorat Udalricus in libro tertio Consuetudinum Cluniacensium, capitibus trigesimo, sequenti, & ultimo. Quippe moris erat, ut prima quaque occasione quotannis, seu statim post mortem alicujus Abbatis aut spectatæ personæ, mitteretur ad socios Monachos epistola encyclica, in qua describebantur potiora gesta defuncti Abbatis, & Rotulus, seu nomina defunctorum eo anno; ex parte verò sociorum remitteretur carmen lugubre super morte Abbatis spectatæve personæ (Titulum appellabant) cum Rotulo seu indiculo suorum etiam mortuorum: qui ab utrisque in Necrologiis inscribebantur. Neque mansit penes solos Monachos iste ritus; sed ad Clericos etiam & Laicos permanavit. In Synodo Francofurtensi sub finem octavi sæculi celebrata Carolus Rex commonuit Patres, *ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio sive in orationibus recipere dignaretur, eò quòd esset vir de Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem Domini Regis consensit, & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt:* & in Concilio apud Saponarias post medium sæculum nonum Episcopi statuerunt, *ut pro se invicem omnes dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent, scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feriâ quartâ Missam celebrarent: post vocationem autem cujuslibet eorum superstites obtinerent, ut pro eo qui decesserit, in sedibus septena Missæ totidemque vigiliæ Domino persolverentur: à Presbyteris autem Monasteriorum sive villarum tres Missæ totidemque vigiliæ dependerentur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat.* Qui in ejusmodi societatem adlecti erant, *Fratres conscripti* appellabantur, apud Goldastum de Monasterio sancti Galli. Varia fuêre in ejusmodi Societatibus officia, septenaria, tricenaria; annona seu portio quotidiana Monachi, pauperibus expensa in dies triginta: porrò societates illæ non ex operum fiducia, qua Monachi inflati essent, ut Joachimus Vadianus calumniatur; sed ex Fidelium persuasione profectæ sunt, qua in animum induxerant suum, piorum hominum suffragia ob communionem Religionis Christianæ plurimùm valere ad DEI gratiam conciliandam.

Societatibus istis accessêre anniversaria perpetua per idem ferè tempus. A primis Ecclesiæ sæculis defunctorum extremum diem anniversariis precibus cultum fuisse testis est Tertullianus in libro de Corona militis, & Cassianus in Collationis primæ capite nono-decimo, idque aliis argumentis probavit Gazæus in eum Cassiani locum. An verò anniversaria illa officia semel tantùm, an perpetuò recurrerent, non ausim adfirmare. Certè Candidus Monachus in Vita sancti Eigilis Abbatis Fuldensis, qui anniversariam memoriam Fratrum defunctorum instituerat, satis innuit rem tum vulgatam non fuisse, ut proinde eam tueri & approbare necessarium judicaverit his verbis: *Simili consilio atque devotione idem* (Eigil) *bonæ voluntatis vir anniversariam Sturmis primi Abbatis, fundatoris Monasterii Fuldæ, & memoriam omnium fratrum de hac luce defunctorum in Natale sancti Ignatii Martyris Christi, qui paullò inferiùs ab hac anniversaria numeratur, propter intercessionem tanti Patroni in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sancta celebrari sancivit. Hujus rei siquidem constitutio dum cunctæ Congregationi perlecta esset, ac deinde si placeret interrogatum fuisset; respondebatur ab omnibus, placet. Sed ne cui fortasse hæc celebratio superstitiosa & cassa esse videatur, legat Collationes sanctorum Patrum, & ibi reperiet hujus festivitatis exemplum.* Hinc patet, rem istam his in partibus haud usitatam fuisse, cui, ne super-

CI OBSERVATIO XXVII Anniversaria.

perstitiosa videretur, exempli auctoritas præstruenda fuerit. Quamquam nonnulla extant Anniversaria Regum aliarumque illustrium personarum ante illud tempus instituta in Gallia, Chlodovei Magni scilicet in Ecclesia sancti Petri, nunc sanctæ Genovefæ; Childeberti ejus filii in Monasterio sancti Vincentii, seu sancti Germani de Pratis; Dagoberti in Basilica Dionysiana, apud Luteciam Parisiorum: quæ Anniversaria in prædictis locis hactenus recoluntur, at quo tempore cœperint, ignoratur. Neque tamen putes ea recentiorum commenta fuisse. Siquidem Carolus Calvus in diplomate concesso Monachis Germanensibus rogatu Gozlini Abbatis anno trigesimo tertio regni sui approbat *refectionem* Monachis parari solitam *in Anniversario Childeberti Regis*. Synodus verò Pistensis anno octingentesimo sexagesimo secundo ratas habet refectiones, quas *Hilduinus Abba ordinaverat atque constituerat*, Dionysianis in nonnullis festis, *atque in anniversario Dagoberti Regis*. Rigobertus quoque Remorum Antistes, auctore Frodoardo in historiæ Remensis libello secundo capite undecimo Ecclesiam sancti Hilarii cum suburbio ad eam pertinente concessit Canonicis Ecclesiæ suæ, *ut in annua transitûs sui die sufficiens eis indè refectio pararetur*. In Anglia Ethelredus Rex Merciorum sub finem sæculi septimi donationes fratris ac sororum suarum Cœnobio Medehamstedensi factas confirmavit, *ut in anniversariis suis eas haberent pro anima sua*, uti legitur in calce decretalis Epistolæ Agathonis Papæ apud Spelmannum. Quidam huc trahunt locum ex Bedæ libro tertio capite secundo, pro Anniversario Regis Osvvaldi, sed perperam. Quas enim vigilias Fratres Hagustaldenses quotannis celebrabant, id eo vivente *pro salute ejus* præstabant *pridie*, *quàm posteà idem Osvvaldus occisus est*. Anastasius vulgatus in Leone secundo meminit *Anniversitatis*, quo nomine nescio an intelligat anniversarium perpetuum. At relata testimonia sufficiunt ad probandum, jam id genus anniversaria quædam præcessisse Eigilis Abbatis institutionem, à cujus tempore factum est, ut res haud vulgaris à Regibus illustrioribusque viris ad alios inferioris ordinis homines traduceretur. Primùm hac de re Statutum post Eigilem invenio in Synodo Abbatum Aquisgrani coacta anno septimo-decimo supra octingentesimum, *ut pro Abbate defuncto Anniversarium fiat officium*, forsan pro uno dumtaxat anno. Norbertus Abbas Sancti-Gallensis, qui anno millesimo septuagesimo secundo mortuus est, *primus* inter Abbates ejusdem Monasterii *Anniversarium suum instituisse* dicitur in Necrologio, quarto Nonas Septembris. Porrò Goldastus observat, à diebus Manegoldi Decani anniversarios dies cœptos in Alemannia ab omnibus utriusque sexûs celebrari circa annum ducentesimum sexagesimum secundum supra millesimum. At ritum istum jam in morem sæculo nono transiisse satis indicat Amalarius, cujus hæc verba in libro tertio de divinis Officiis capite quadragesimo quarto: *Anniversaria dies ideo repetitur, quia nescimus, qualiter eorum causa habeatur in alia vita*. In majori Chartario Brivatensi plura legi anniversaria privatorum hominum nono sæculo instituta; & sæculo insequenti Adalbero Mettensis Episcopus *Anniversaria piorum Pontificum* in magno sumptu magnisque eleemosynis celebrâsse perhibetur. Præclarus hujus argumenti locus est apud Ordericum Vitalem, in Historiæ libro tertio, ubi Osbernus Abbas Uticensis dicitur constituisse *generale Anniversarium* singulis annis sexto Kalendas Julii fieri pro patribus & matribus, pro fratribus & sororibus omnium Monachorum Cœnobii Uticensis. *In rotulo quidem longissimo omnium fratrum, dum vocante DEO ad Ordinem veniunt, nomina scribuntur, deinde patrum & matrum eorum, fratrumque ac sororum vocabula subscribuntur, qui rotulus penes aram toto anno servatur, & sedula commemoratio inscriptorum in conspectu Domini agi-*

agi-

agitur, dum ei à Sacerdote in celebratione dicitur:, „ Animas famulorum famula„ rumque tuarum, quorum nomina ante sanctum Altare tuum scripta adesse vi„ dentur, Electorum tuorum jungere digneris consortio. „ Anniversarium verò de quo loquimur, sexto Kalendas Julii sic agitur. Omnia signa serò & manè ad Officium defunctorum diu pulsantur, volumen mortuorum super altare dissolutum palàm expanditur: & deprecatio priùs pro defunctis, posteà verò pro vivis parentibus & benefactoribus cunctis fidelibus DEO offertur. Missa verò matutinalis ab Abbate celebriter canitur: ab eleemosynario autem tot pauperes, quot Monachi sunt, ipsa die in cœnobio colliguntur, &c. Plura id genus exempla ex sæculo nono mihi occurrerunt, Ludovici Augusti cognomento Pii in Statutis Corbeïensibus Adelardi Abbatis; Vvitlasii Regis Merciorum apud Ingulfum; Heccardi Comitis apud Perardum in Monumentis Burgundicis. At originem rei investigâsse sufficiat.

Et quoniam de mortuis agi cœptum, notare juvat olim Signa seu Campanas Ecclesiæ pulsari solitas pro iis qui in agone mortis constituti erant. Locus est hanc in rem ferè singularis in Vita sancti Sturmii Abbatis Fuldensis hoc in sæculo edita, qui morti proximus, *currere citiùs ad Ecclesiam jussit, omnes gloggas pariter moveri imperavit, & Fratribus congregatis obitum suum citò adfuturum nuntiare præcepit, & pro se enixiùs orare postulavit*. In Britannia tamen post extremos halitus emissamque animam signa pulsabantur, teste Beda in historiæ libro quarto, capite vigesimo tertio, ubi agit de obitu Hildæ Abbatissæ: quâ mortuâ *Begu sanctimonialis femina* alius Monasterii, *audivit notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant, cùm quis de hoc sæculo fuisset evocatus*. Concilium verò Calchutense capite decimo præcipit, mortuo Episcopo, *ut pulsato signo omnis famulorum DEI cœtus ad Basilicam conveniat*. Quamquam veri simile est, aliis in locis campanas etiam olim pulsatas in agone morientium, ut extrema vitæ periodus Domino precibus commendaretur. Certè apud Remos lugubris ille tinnitus, quo mortuorum obitus modò significari solet, corrupto vulgi more appellatur, *l'Abbé mort*, quasi diceres agonem mortis seu morientis, *l'Abboy de la mort*: inde tracta forsan appellatione, quòd olim signum illud in agone pulsari soleret.

CII OBSERV. XXVIII. Signa pulsata in extremis.

Observatu dignum est id, quod in Actis sanctæ Vvalpurgis Abbatissæ refero ex sancto Odone in libro secundo Collationum, capite vigesimo octavo, nimirum desiisse miracula ipsius Sanctæ, *quia ejus Reliquiæ erant super altare Domini, ubi Majestas divini mysterii solummodo debet celebrari*: & sanctus Bercharius Abbas Dervensis Monachum quemdam graviter corripuisse visus est, quòd ipsius Reliquias *super altare* deposuisset. Huc etiam spectant verba cujusdam Anonymi in libro de Vita sancti Servatii Tungrorum Episcopi, cujus Reliquiæ cùm jussu Caroli Magni per Vvilgisum Episcopum levatæ è tumulo fuissent, *ante altare positæ sunt. Necdum enim*, ait Auctor, *præsumi fas erat, ut quidquam super altare poneretur præter sacrificium: quia mensa est Domini exercituum*. Alius mos inductus procedente sæculo nono. Siquidem Reliquiæ sanctæ Vvalpurgis *super altare* locatæ sunt anno octingentesimo nonagesimo tertio, & post annos ferè octoginta, sancti Svvithuni Vvintoniensis Episcopi arca itidem super altare posita est, tum sub finem sæculi noni Concilium Remense ineditum, cujus plura capitula citantur ab Reginone, Burcardo & Ivone, observari jubet, *ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur; cum omni veneratione honoretur, nihilque super eo ponatur, nisi capsa cum Sanctorum Reliquiis & quatuor Evangelia*. Denique Ratherius Veronensis Episcopus in Oratione synodica; *Super altare nihil ponatur, nisi capsa aut Reliquiæ, aut fortè quatuor*

CIII OBSERVATIO XXIX. Reliquiæ super altare.

Evan-

Evangelia, & buxida cum corpore Domini ad Viaticum pro infirmis. Quamquam ne tum quidem Reliquiæ passim super altare perpetuò expositæ consistebant, sed festis tantùm sollemnibusque diebus: aliis reconditæ jacebant in concavo altaris loco, ut superiùs vidimus in quarta decima observatione. Plura de adservandis Sanctorum Reliquiis dicta sunt in Præfatione sæculi secundi.

CIV OBSERVATIO XXX. Romani ritus in Ecclesia Gallicana recepti

Inter octavi sæculi novas res, Romani ritus in Ecclesia Gallicana Anglicanaque recepti, Organa Musica in Galliam invecta. Galli siquidem *ab initio receptæ fidei*, ut loquitur Hilduinus Abbas in epistola Areopagiticis præfixa, alium *Missæ ordinem* servabant, *usquequo tenorem quo nunc utitur Romanum susceperunt*, quod factum putat Hilduinus hortatu Innocentii, Gelasii, & Gregorii Magni Pontificum Romanorum: quorum epistolas ad Episcopos Galliarum *de more Romano in cunctis Ecclesiasticæ auctoritatis muniis imitando* laudat Hilduinus. At seriùs depositum esse Missæ ordinem Gallicanum, constat ex responsis Gregorii Magni ad Augustinum: in quibus eo tempore *altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, atque altera in Gallia* fuisse perhibetur. Dissidebat etiam Gallicana Ecclesia in cantu & psalmorum tum ordine tum versione ab Romana. Cantum Romanum in Gallias Pippinus sublato Gallicano induxit *ob unanimitatem Apostolicæ Sedis & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam*, testante Carolo Magno in Capitularis Aquisgranensis capite octogesimo. Hinc Remigius Rotomagensis Antistes Pippini frater, Monachos Romam direxit ad discendum cantum Ecclesiæ Romanæ. Dein Carolus Magnus animadvertens cantùs modos in diversis Galliæ Ecclesiis discordare, duos Clericos Leoni Papæ direxit in schola Romana instruendos; quorum alterum apud se posteà retinuisse, alterum Drogoni Mettensi Episcopo concessisse memoratur in libro primo Monachi Sancti-Gallensis. Romanos tamen aliquid de Gallicano cantu retinuisse auctor est Walafridus Strabus in libro de rebus Ecclesiasticis capite vigesimo quinto. Quo in loco hic Auctor de versione psalmorum, quæ tum in usu erat apud Gallos & Germanos, ita scribit: *Psalmos autem cùm secundùm septuaginta interpretes Romani adhuc habeant; Galli & Germanorum aliqui secundùm emendationem, quam Hieronymus Pater de septuaginta editione composuit, psalterium cantant: quam Gregorius Turonensis Episcopus à partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* Anglicana Ecclesia paullò ante Gallicanam recepit cantum ritusque Romanos, & cantum quidem per Johannem Abbatem, Romanæ sancti Petri Ecclesiæ Archicantorem, teste Beda in Historiæ libro quarto, capite octavo decimo: ritus autem Romanos anno septingentesimo quadragesimo septimo in Concilio Cloveshoviensi, cujus extat hac de re canon tertius-decimus. Porrò Alfonsus sextus Hispaniarum *Rex dignissimum Romanæ institutionis officium* in Regno suo *celebrari* præcepit sæculo undecimo, quod ipse testatur in suo ipsius diplomate relato apud Yepezium in Chronici Benedictini tomo tertio.

& in aliis.

CV OBSERV. XXXI. Organa in Gallia.

Organa in Galliam invecta esse anno septingentesimo quinquagesimo septimo, Eginhardus inprimis memoriæ prodidit his verbis: *Constantinus Imperator Pippino Regi multa misit munera, inter quæ & organa, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt*. Organa ærea ante id tempus apud nostrates fuisse in usu, nullo constat argumento. Venantius quidem Fortunatus in carmine decimo libri secundi testatur, in Ecclesia Parisiaca, *cymbalicas voces calamis misceri acutis* solitas. At ejus verba de Organis æreis intelligi necesse non est: sed hæc figuratè dicta de varietate vocum, diversa instrumenta musica imitantium. Quin ex Walafrido Strabo intelligimus, Græcorum hoc inventum esse, & ab eis ad Gallos transiisse. Sic enim ille canit in versibus Aquis-

gra-

grani editis anno sexto-decimo Ludovici Imperatoris de Templi Aquisgranensis apparatu.

Ast alia de parte nitens fulgore corusco
Auratus discurrit eques, comitante pedestri
Agmine tintinnum quidam, quidam Organa pulsant.
Dulce melos tantùm vanas deludere mentes
Cœpit, ut una suis decedens sensibus, ipsam
Femina perdiderit vocum dulcedine vitam.
Cedant magna tui superest figmenta colossi,
Roma: velit Cæsar magnus; migrabit ad artes
Francorum, quodcumque miser conflaverit orbis.
En queis præcipuè jactabat Græcia se se,
Organa Rex magnus non inter maxima ponit.

Idem etiam prodit Monachus Gallensis Anonymus in libro secundo de Vita Caroli Magni capite decimo. *Adduxerunt etiam iidem missi*, Constantini scilicet Imperatoris, *omnegenus organorum, sed & variarum rerum secum, quæ cuncta ab opificibus sagacissimi Caroli quasi dissimulanter adspecta, accuratissimè sunt in opus conversa: & præcipuè illud Musicorum organum præstantissimum, quod doliis ex ære conflatis, follibusque taurinis per fistulas æreas mirè perflantibus, rugitu quidem tonitrui boatum, garrulitatem verò liræ vel cymbali dulcedine coæquabat. Quod ubi positum fuerit, quàm diuque duraverit, & quo modo inter alia rei publicæ damna perierit, non est hujus loci vel temporis enarrare*. Nempe id periit, ut puto, in direptione Aquisgranensis Basilicæ per Nortmannos. Ad hæc Joannes Papa octavus Annoni Episcopo Frisingensi de Organis ita scribit: *Precamur autem, ut optimum Organum cum artifice, qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem Musicæ disciplinæ nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas*. Vvolstanus Monachus Ventanus in Prologo ad Vitam metricam Sancti Svvithuni, laudat Elfegum Ventanum Episcopum ob Organa in Ventano Monasterio constructa, his versibus.

Talia & auxistis hic Organa, qualia nusquam
Cernuntur, gemino constabilita sono.
Bisseni suprà sociantur in ordine folles,
Inferiùsque jacent quattuor atque decem.
Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,
Quos agitant validi septuaginta viri:
Brachia versantes, multo & sudore madentes,
Certatimque suos quisque monet socios,
Viribus ut totis impellant flamina sursum,
*Et rugiat * pleno kapsa referta sinu.* * Lrugiat et
Sola quadringentas quæ sustinet ordine musas,
Quas manus organici temperat ingenii.

Pluribus hæc mirifica Organa describit Vvolstanus: cujus lucubrationem aliasque permultas ex Anglia accepimus beneficio & munificentiâ clarissimi ac nobilissimi viri Domini Josephi Vvilliamsonis, Regi Britanniæ ab archivis Status & à secretis intimis, qui non minùs litteratos amat fovetque, quàm litteras. Ex his porrò manifestum est, Organa non solùm in Gallia, sed & in Anglia fuisse in usu sæculo decimo. De Italia verò testatur Gerbertus in epistola nonagesima prima ad Raimondum Aureliacensem Abbatem, in qua dicit non habere se quod scribat *super organis in Italia positis ac Monacho dirigendo qui ea conducat*. Jam ergo usus Organorum penes Monachos erat. Id quod de

de Fiscamnensi Monasterio adfirmat Baldricus Dolensis Archiepiscopus in epistola ad Fiscamnenses. *Illa in Ecclesia*, inquit, *unum erat, quod mihi non mediocriter complacuit, quod ad Deum laudandum & excitandum David canticis suis inservit: Laudate*, inquit, *Dominum in chordis & Organo. Ibi siquidem instrumentum vidi musicum fistulis æreis compactum, quod follibus excitum fabrilibus, suavem reddebat melodiam Organa illud vocant, certisque temporibus excitabant*. Quibus verbis satis quidem innuit Baldricus, rariora id genus instrumenta fuisse, & maximè in Monasteriis; additque non omnibus probari. *Non tamen ignoro, quia sunt multi, qui tale quid in suis non habentes Ecclesiis, eos qui habent murmurando dilapidant: quos non obloquentes & detrahentes audemus nuncupare, qui quod Organa nobis innuant, nesciunt exponere*. Sic multa ille in hunc modum. Quamquam non desunt etiam nostro ævo, qui Organorum usum in Ecclesiis, maximè verò cœnobiticis improbant, alii mediâ incedentes viâ tolerant ea ubi sunt, inducenda esse ubi non sunt pernegant.

CVI OBSERV. XXXII. Canonici in Ecclesiis Cathedralibus.

Sunt qui etiam sæculo octavo collegia Canonicorum in Ecclesiis cathedralibus primùm cœpisse existimant. Et quidem ante illud tempus rariora fuisse ejusmodi Collegia constat, non tamen nulla. Quippe sæculo septimo Paulus Episcopus Veroduni, Tetricus Audisiodori, Rigobertus Remis Canonicos instituisse, an restituisse feruntur. Attamen jam ante ea tempora numerosum Clericorum cœtum in nonnullis fuisse Ecclesiis, certum est ex Venantio Fortunato, qui Clerum Ecclesiæ Parisiacæ celebrat in libri secundi carmine decimo in hunc modum:

Celsa Parisiaci Cleri reverentia pollens.
Ecclesiæ genium, gloria, munus, honor:
Carmine Davidico divina poemata pangens,
Cursibus assiduis dulce revolvit opus.
Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo:
Illos canities, hos stola pulchra tegit.
In medio Germanus adest Antistes honore,
Qui regit hinc Juvenes, subrigit inde Senes.

Hinc etiam patet, psallendi morem assiduum seu quotidianum in ista Ecclesia tum obtinuisse, & in aliis indubiè permultis, contra quam nonnulli opinantur. Canonici etiam erant sæculo septimo in majori Ecclesia Namnetensi, utpote qui dedicationi Basilicæ Antrensis interfuisse dicuntur in Actis sancti Hermenlandi Abbatis.

§. VII.

Observationes Monasticæ.

CVII OBSERVATIO XXXIII. Abbates Diaconi.

AD res Monasticas, quod attinet, adverto per istud sæculum octavum fuisse Abbates nonnullos, qui solùm Diaconi erant, non Sacerdotes, quales fuêre Benignus Abbas Fontanellensis in Gallia, Sigfridus Gervvensis in Britannia Insula. Immo Joannes Abbas à Paulo Papa missus ad Pippinum Regem, Subdiaconus duntaxat appellatur in Pontificiis litteris octava decima & vigesima Codicis Carolini. Certè in primordiis Ordinis nostri, tametsi Sacerdotio initiati erant Abbates plerique, non tamen omnes, nam sanctum Maurum Abbatem, sancti Patris Benedicti discipulum, Magistri carissimi hortatu, an etiam exemplo, Levitici tantùm Ordinis fuisse constat. Quid sequioribus sæculis, nono scilicet & subsequentibus, hac in re contigerit, paucis considera-
re

re juvat. Anno ſeptimo decimo ſupra octingenteſimum Abbates in Synodo Aquiſgrani congregati ſtatuerunt capite ſexageſimo ſecundo, *ut Abbas, Præpoſitus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non ſint, Lectoribus benedictionem tribuant*. Quod ſanè conſentaneum Regulæ in capite ſexageſimo, ubi ſanctus Benedictus agens de Sacerdote, qui voluerit in Monaſterio habitare; *Concedatur ei*, ait, *poſt Abbatem ſtare & benedicere*. Poſt Abbatem, inquit, etiamſi Abbas Presbyter non ſit, uti explicant Patres Synodi Aquiſgranenſis: quorum ævo proinde Abbates quidam Sacerdotii expertes erant. Et in Regula Magiſtri Abbas Presbyter non erat: nec Sacerdotes tamen quidquam agendi ſupra ceteros poteſtatem habebant, ex capite octogeſimo tertio. Paullò poſt Synodum Aquiſgranenſem Eugenius Papa primus in Concilio Romano, HLudovici Auguſti anno tertio decimo, de Abbatibus ita decernit canone vigeſimo ſeptimo: *Sacerdotalem quoque honorem ſint adepti, ut peccantium ſibi ſubjectorum Fratrum valeant omnimodis refrenare & amputare commiſſa*. Et tamen anno tertio poſt mortem Ludovici pii Abbas Fontanellenſis erat Herembertus Diaconus: itidem Nicolaus de Nortmannia Cœnobii ſancti Audoëni apud Rotomagum Abbas, teſte Orderico Vitale, anno milleſimo nonageſimo ſecundo. Goffridus Abbas Vindocinenſis, nonniſi poſt adeptam Cardinalatûs dignitatem Presbyter ordinatus eſt: Denique ut uno ſaltu alia ſæcula concludam, Chriſtophorus Abbas Stabulenſis obiit Diaconus anno ſeptuageſimo ſexto ſæculi proximè elapſi.

CVIII OBSERV. XXXIV. Sacerdotum numerus in monaſteriis.

Hæc verò Abbatum Diaconorum electio haud quaquam fiebat ob penuriam Sacerdotum in Monaſteriis, ſed quòd ſuffragiorum major pars in Diaconum prævaleret. Quod ut palam fiat, lubet quibuſdam exemplis demonſtrare, quot nonnullis in monaſteriis Presbyteri fuerint per tempora mediæ ætatis. Angilbertus Abbas in Cœnobio Centulenſi Monachos trecentos, puerosque centum inſtituit, ac diviſit in turmas tres, ſtatuitque, *ut ſi non plus, vel triginta à Fratribus diverſorum chororum per diverſa altaria Miſſæ quotidie agerentur, exceptis illis duabus de conventu, quæ manè & meridie ſolemniſſimè celebrantur*, Auctore Hariulfo in Chronico Centulenſi. Quem locum paullò ſubobſcurum ita interpretor, ut ex ſingulis turmis, quæ centum monachis conſtabant, Presbyteri minimùm triginta Miſſas totidem celebrarent, in ſumma nonaginta ſingulis diebus; quod Caroli Magni principatu contigit. Non multò poſt in Monaſterio ſancti Galli *ſub Salomone Abbate fuerunt ſimul Presbyteri quadraginta duo, Diaconi quatuor & viginti, Subdiaconi quindecim, pueri viginti*, teſtante Ekkehardo: & in brevi indiculo Monachorum Dionyſianorum recenſentur Sacerdotes triginta tres, Diaconi ſeptemdecim, Subdiaconi quatuor & viginti, Acolythi ſeptem, Monachi quadraginta unus, omnes centum viginti duo, in Spicilegii tomo quarto. Ex triginta Monachis Crulandenſibus, quos Ingulfus ſcribit fugiſſe rabiem Nortmannorum anno octingenteſimo ſeptuageſimo, *decem erant Sacerdotes, ceteri inferiorum graduum exſtiterant*. In Chronico Piſcharienſi anno milleſimo quadrageſimo ſexto electioni Dominici Abbatis ſubſcribunt Presbyteri minimùm viginti ex Monachis triginta duobus. Ex quibus intelligitur, paullò minorem, quam modò, Presbyterorum in Cœnobiis noſtris numerum per ea tempora exſtitiſſe.

CIX OBSERVATIO XXXV. Interdictus feminis ingreſſus in Eccleſias Monachorum.

De interdicto feminis ingreſſu in Eccleſias noſtras, quædam obſervavimus in Præfatione ſæculi ſecundi: hic nonnulla rurſus animadverſione digna recurrunt ex his Actis repetenda. Viguit ejuſcemodi lex in Cœnobiis Sithivenſi & Fuldenſi uſque ad ſæculum decimum quartum. Una Flandriæ Comitiſſa, nomine Adala, ſæculo decimo, gratiâ poſtulandæ a ſancto Bertino ſanitatis, id obtinere potuit ex conſenſu Epiſcoporum Tarvannenſis & Cameracenſis, qui

acceptâ etiam à Monachis licentiâ anno Nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annoque quinto Ludovici Regis, feriâ secundâ Paschæ introduxerunt eam præfati Episcopi in eodem Monasterio, id est in Ecclesiam Monasterii, *non sinè tremore maximo: quoniam hoc illa prima facere præsumpserat, quod antea Reginarum nulla concupiscere audebat*, ex libro secundo de miraculis sancti Bertini. Nec deinceps id permissum ad sæculum usque decimum quartum, ut constat ex Johanne Iperio. Eadem lex tanta etiam Religione in Fuldensi Monasterio servata est, (quod maximè constat ex Actis S. Liobæ Abbatissæ, cui uni licuit Basilicam Fuldensem ingredi ex concessione sancti Bonifacii popularis & consanguinei sui) ut Fridericus Imperator, cognomento Ænobarbus, ingressu Basilicæ Monachorum Fuldensium abstinuerit, *quia Regina in comitatu ejus erat.* Idem refert de Albrata Comitissa Christophorus Brovverus in libro primo Fuldensium antiquitatum capite octavo, ubi observat, Fuldense templum fulmine de cœlo tactum conflagrâsse anno millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, septima die mensis Junii, id est triduo postquàm sancti Bonifacii festa luce feminis in Basilicam & Monasterii sæpta tunc primùm ingressus datus, ex concessione videlicet Bonifacii Papæ noni, qui rogatu Johannis Merlavii Abbatis, pristini interdicti rigorem emollierat diplomate dato ante annos duos. Quid principatu Pippini cuidam feminæ Anglæ vocabulo acciderit ob violatam Basilicæ Besuensis religionem, memorat Johannes Monachus in Chronico Monasterii sui. Eamdem disciplinam à Columbano sibi traditam Luxovienses Cœnobitæ servaverant ad medium usque sæculum nonum, *quo Hubertus Clericus, Bosonis filius, Monasterium in commemoratione beati Petri Apostoli Luxovio constitutum, cujus claustri aditus mulieribus numquam patuerat, hostili modo ingressus cum illicitis mulieribus per aliquot dies remorari non trepidavit*, qua de re eum arguit Benedictus Papa tertius in epistola ad Episcopos in Regno Caroli constitutos. Quin Turonici Canonici Basilicæ Martinianæ eam quam à Monachis acceperant disciplinam aliquamdiu etiam abjectis monasticis Institutis retinuerunt, uti apparet ex epistola Leonis Papæ septimi ad Hugonem Abbatem, quæ extat in tomo secundo Spicilegii, & sanctus Odo Abbas Cluniacensis in libro de combustione Ecclesiæ sancti Martini conqueritur, quòd sanctus ille locus pristina religione relicta *commune diversorium* esse permittatur. Utinam nunc saltem chorus modulantium Ecclesiæ ministrorum secretus esset à conspectu & concursu promiscui vulgi; utinam religioni haberentur sacri altaris gradus, ad quos non rarò mulierculæ obrepunt impunè.

CX OBSERV. XXXVI. Miraculorum frequentia piis suspecta Monachis.

Huc etiam pertinet consideratio de religione Majorum nostrorum, qui miracula, si quando per Sanctos factitabantur in Basilicis suis, aut occultare, aut cohibere pro virili studebant. Insigne est eam in rem factum Medianensium Monachorum in Actis sancti Hildulfi ex Episcopo Trevirensi Abbatis Medianensis primi. Hi nimirum cùm ob frequentia sancti Spinuli miracula paterentur hominum turbas eò confluentium; ne *à Regia via* disciplinæ regularis his incommodis avocarentur, *ex obedientia* sancto Spinulo etsi mortuo præceperunt, ut à patrandis miraculis cessaret, quod incunctanter consecutum fuisse tradit Richerius Monachus Senoniensis. Idem etiam præstitêre quondam in sanctum Gibrianum Remigiani nostri, & Clarevallenses in sanctum Bernardum. Eodem spectat exemplum Sarlatensium Monachorum, qui cùm sancti Pardulfi Abbatis corpus è Garactensi Monasterio acceptum juxta loculum sancti Sacerdotis Lemovicensis Episcopi collocâssent, fierentque in dies miracula, quibus illic frequens populus invitabatur, sanctum *Abbatem à Pontifice separantes, in Ecclesiam sancti Johannis extra Monasterium transtulerunt*, ut turbam miraculorum se-

sequacem eò removerent. Nec prætereundum hoc loco est id, quod Rudolphus Abbas Trudonianus de Guntramno Abbate commemorat in Chronici Trudonensis libro primo. *Hujus vitæ ultimis annis*, inquit, *Domini nostri Trudonis sepulchrum frequentissimè cæpit coruscare miraculis, quæ ille studiosissimè satagebat occultare.* Cujus facti rationem hanc reddit: *Sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, signa data esse infidelibus, non fidelibus dicebat: quod non longè post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula DEUM offendere non timuerunt.* Nimirum ut Rudolphus ipse observat initio libri secundi, succedente Adelardo secundo Abbate, *cæperunt* haberi *miracula & virtutes sepulchri sancti Trudonis non tam timori & reverentiæ, quàm ostentui & populari gloriæ.* Concurrentibus eò peregrinorum turbis, *oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte dieque non inveniebatur à multitudine vacuum, quarum perstrepentium continua inquietatio magnæ fiebat molestiæ & Ordinis impedimento: senioribus solitis & volentibus Deo servire in quiete & silentio; juniores verò, quibus tædio erat religio, & disciplina odio, gratulabantur priùs occultè hac quasi necessitate se magistra Regulæ mandata præterire.* Hinc labefactata disciplina regularis, violatæ silentii leges, spreta Majorum imperia, in proprios usus conversæ res, uti genuinè ac patheticôs rem describit Rudolphus, magno sanè posterorum documento. Demumque ita concludit: *Quantò longiùs ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum sancti Trudonis, tantò & nostrorum reprehendebatur sæcularitas ex levitate morum & abusione disciplinationis. Erat enim summa opportunitas quibusque nostri Ordinis perire volentibus ex peregrina, ut dixi, veniente & abeunte multitudine, tum ex confracti Monasterii vasta reparandaque amplitudine.* Audiant hæc qui turbas populorum amant, illi nempe, quibus nulla sanctior festivitas, quàm quæ celebratur in frequentia tumultuantis vulgi: ubi scilicet bellè fervet pietas, dum multitudo vagos rapit oculos, nec mentem sinit rebus divinis, ut par est, occupari.

Eodem ferè octavo sæculo inducti sunt Abbates sæculares, & Advocati Monasteriorum. Ab ipsis Ordinis nostri primordiis Monachi liberam habebant eligendi Abbatis facultatem. Eam primò ad se traducere moliti Episcopi, tum etiam Clerici: qui per speciem Ecclesiastici muneris in Monasteriis exercendi captabant regimen abbatiale. Extant plures adversùs ejusmodi Clericos epistolæ Gregorii Magni citatæ ab Johanne Diacono in libro secundo vitæ Gregorianæ capite quinquagesimo quarto. Ut verò ab ejusmodi ambitu removerentur sæculares, Privilegia subinde ab summis Pontificibus, Episcopis & Regibus petita obtentaque sunt, maximè sæculo septimo. Dein Carolus Princeps, cognomento Tudes, variis bellorum tumultibus impeditus & exhaustus, Abbatias, immo & sedes episcopales Laicis hominibus concessit, & pleraque Ecclesiarum prædia in beneficium attribuit; aut certè eo bellis occupato Sæculares ipsi res Ecclesiæ invadebant impunè, atque alii aliis pro libito tradebant. Qua de re conquestus est Bonifacius Apostolicæ sedis Legatus in epistola trigesima secunda ad Zachariam Papam his verbis: *Modò maxima parte per civitates, Episcopales sedes traditæ sunt Laicis cupidis ad possidendum, vel adulteris Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum*, eóque tandem processit mali labes, ut etiam Abbatiæ seu virorum Monasteria feminis in beneficium traderentur. Sic Remigius, Pippini Regis frater, Anglæ cuidam Theodardi uxori Besuense; sic Lotharius Vualdradæ pellici Lutrense; alii alia Monasteria commiserunt. Hinc fugati tum vi, tum inopiâ Monachi: Cœnobia in solitudinem redacta: prædia in precarium quibuslibet concessa: denique periit Ordo ferè omnis. Istius temporis calamitatem egregiè describit Fontanellensis

CXI OBSERV. XXXVII. Abbates sæculares.

Chronographus, agens de Teutfindo Abbate: qui locum regiminis adeptus anno septingentesimo trigesimo quarto, *mox rebus ablatis in maximam paupertatem hoc quondam gloriosum cœnobium redegit. Nam penè tertiam facultatum partem abstulit, suisque propinquis ac regiis hominibus ad possidendum contradidit. Nempe melius esset*, addit paullò pòst, *ea die quando præfatæ res de isto cœnobio fuerunt sublatæ, ut ignis ibi accenderetur, qui universa ædificia funditus consumpsisset: quoniam decies antea quivisset reædificari, quàm tales res adquirere. Nam unde milites Christi alimoniam consequebantur, indè nunc pastus exhibetur canibus: & unde lumen ante aram Christi in Ecclesia lucere solebat, indè armillæ, baltei, & carceres fabricantur, nec non sellæ equinæ auro argentoque decorantur, - - Tales quippe Rectores nequiores sunt paganis: quoniam si pagani locum ipsum cremaverint, terram tamen secum non tollunt.* Nec laudabilioris vitæ fuit Vvido Teutfindi Successor. *Hic propinquus Caroli Principis fuit, qui etiam Monasterium sancti Vedasti, quod est in Atrebatensi civitate, jure regiminis tenuit anno uno, sicut & istud. Erat autem de sæcularibus Clericis, gladioque, quem semispiacium* (rectiùs *semispathium*) *vocant, semper accinctus, sagoque pro cappa utebatur, parumque Ecclesiasticæ disciplinæ imperiis parebat. Nam copiam canum multiplicem semper habebat* &c. Is erat Monasteriorum in Gallia ferè omnium miserabilis status, cui malo jam altas radices agenti remedium adhibere conati sunt, optimi quippe Principes, Carolomannus, Pippinus, Carolus & Ludovicus Augusti, itidemque Carolus Calvus; eisque collaboraverunt Episcopi Gallicani in Conciliis Suessionensi anno septingentesimo quadragesimo quarto in capite tertio; Vernensi anno octingentesimo quadragesimo quarto in capite itidem tertio; Meldensi anno insequenti, in capite decimo; & Troslejano anno nongentesimo nono, in capite tertio: quibus in Conciliis luctuosus rerum status patheticè describitur maximè in Troslejano, cujus hæc fuit sententia: non posse restitui deformatum Ordinem monasticum, nisi per Abbates Regulares. Sic enim loquuntur Patres: *Quomodò igitur aurum sinè aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem: sic & monastica vita sinè regularis Abbatis providentia ad pristinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem. - Censemus igitur, ut Status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & canonum constituta servetur: & ut Abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.* Huc etiam Romani Pontifices auctoritatem suam adhibuerunt, in quibus Nicolaus Papa primus in privilegio, quod concessit Transulfo Abbati Corbeiensi, vetat præfici Monasterio *Abbatem Canonicum, aut Laicum, aut alterius Monasterii Monachum: quoniam Monachico Ordini præficere vel Laicum, vel Canonicum, non est servare Ordinis professionem, sed evertere: quòd unusquisque Præpositus cujus est Ordinis, ejus quoque erit & propagator: nec bene disponet aliquando cujuscumque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator*. Dein Reges monet his verbis: *Non decet, neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant: & quod de Republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo*. Tandem Hugo tertiæ stirpis regiæ nunc feliciter imperantis caput, integram Ecclesiis eligendorum Præfectorum libertatem restituit. Lege Dadini librum quintum de Ducibus & Comitibus in capite decimo-tertio, qui etiam capite sexto agit de Advocatis Monasteriorum, de quibus pauca hîc observanda.

CXII OBSERV. XXXVIII Advocati Monasteriorum.

Quod in Ecclesia Romana & Orientali præstitêre Defensores, id ut in Monasteriis agerent instituti Advocati sunt. Id muneris primò quidem suppleverunt Reges plerique, qui loca Deo sacra in suam (ut vocabant) mundeburdem seu tutelam ac defensionem suscipiebant. Posteà verò quàm multiplicatis Mo-

Monasteriis regia cura singulis defendendis sufficere visa non est, subrogati sunt homines præpotentes, Duces ac Comites, qui auctoritatis suæ præsidium Cœnobitis accomodarent. Obstitêre primò Episcopi nonnulli, quos inter Synodi Cabilonensis Patres circiter medium sæculum septimum præcipiunt capite quinto decimo: ut *Abbates & Monachi aut Agentes Monasterium patrocinio sæculari penitus non utantur, nec ad Principis præsentiam sinè Episcopi sui permissu ambulare audeant*. Attamen vicit ipsa rei necessitas, ut scilicet hominum sæcularium Ecclesiasticis rebus inhiantium cupiditas reprimeretur. Quippe Chlotarius, Chlodovei junioris filius, *illustrem virum Gengulfum* Besuensibus Monachis *Advocatum* concessit *anno decimo regni sui*: nimirum *ut omnes causas ipsius Monasterii prosequeretur, & ablata restitueret*. Posteà Carolus Magnus in Capitulis Ecclesiasticis, quæ extant apud Sirmondum ad annum octingentesimum primum, statuit capite trigesimo quarto, *ut Episcopi & Abbates Advocatos haberent, & ipsi* (Advocati) *haberent in illo Comitatu propriam hæreditatem, & ut ipsi recti & boni essent, & haberent voluntatem rectè & justè causas perficere*. Hanc provinciam suscepêre plerique Monasteriorum conditores, ipsorumque posteri, siquidem satìs virium habebant & auctoritatis: sin minùs alii optimates à Monachis electi, & approbati à Rege. Hinc Albertus Bremensis Archiepiscopus cùm Gorecense Monasterium erexisset, decernit, *ut quisquis in stirpe nostra*, inquit, *laicus ceteris ætate provectior fuerit, hic nostra constitutione huic loco Advocatus constituatur. Si verò evenerit, ut talis de stirpe nostra deficiat, quemcunque Abbas cum consilio Fratrum ad defensionem & utilitatem loci expetierit, hunc Archiepiscopus Bremensis Advocatum constituet*. Ita legitur in fragmento Chronici Gorecensis post Vvitichindi librum de gestis Saxonicis. Monasterium sancti Galli, propterea quòd *non ex regalibus donariis sed ex privatorum traditiunculis accreverat, cùm nullum privilegium aliorum monasteriorum, neminem sui defensorem vel Advocatum reperire potuisset*, Ludovicus Augustus tuendum accepit, teste Monacho Sancti Gallensi in libro primo de Vita Caroli Magni, capite quinto. Atque ut Advocati adversariis se se validiùs opponerent, stipendium ac merces constituta eis est: ipsique adeò Monasteriorum lites omnes prosequebantur, immo & duella (si necesse erat) suscipiebant, & ad castra pergebant cum militibus seu cum vassis & hominibus Monasteriorum, quæ Regi militiam debebant. Stipendium illud erat annuus census tertiave pars emendarum: quo nomine pecuniarias multas appellabant. Theodericus Flandrensis Comes in generali privilegio Monachis Bertinianis concesso anno centesimo quadragesimo septimo supra millesimum, statuit, *ut quicumque Advocatus fuerit ejusdem Ecclesiæ juxta Institutum Balduini Insulani, iturus in regalem expeditionem semel in anno, unum bacconem & unam pensam caseorum, & unum summarium; vel pro his unam marcam argenti ab Abbate accipiat, & singulis annis de unaquaque terra villæ de Archas dimidiam firtalam avenæ habeat, eo pacto, ut nihil umquam de eadem villa qualicumque causa exigat aut accipiat, & ut Ecclesiæ opportunum suæ defensionis auxilium non subtrahat*. Advocatus Monasterii Senoniensis in Vosago, *tertiam partem emendarum, illorum scilicet placidorum ad quæ ab Abbate vocatus erat, accipiebat; ad cetera manus non extendebat*, ut legitur in Chronici Senoniensis libro secundo capite quinto. Duellorum ab Advocatis susceptorum in causis Monasterii sui exempla extant non pauca. Unum in libro de miraculis sancti Benedicti auctore Adrevaldo capite vigesimo quinto & sequenti. Aliud in libro secundo de miraculis sancti Bertini capite quinto decimo, notatu dignum. Tertium in notis ad Guibertum. Ad finiendam litem Advocati etiam actionem omnem prosequi debebant, & juramentum (si quando exigebat res) præstabant. Exemplo est lis inter Archiepiscopum Tre-

Trevirensem Abbatemque Prumiensem ventilata coram Carolo Magno pro Cella sancti Goaris, apud Wandalbertum in libro de miraculis ipsius Sancti: ubi Prumiensis Cœnobii Advocatum Ratbertum nomine appellat *Causidicum Monasterii.* Officium istud in dignitatem evasit, quæ unà cum annuo stipendio transibat ad hæredes Advocatorum. Tempore procedente, qui Monasteriorum defensores esse debuerant, eorum deprædatores ac direptores exstiterunt: ac demum Advocatiæ pretio Monasteriis vindicatæ, Sæculo quarto decimo penitus extinctæ sunt. Theodericus Abbas Gemeticensis à Dragone Ambianensi Comite annuos census, quos is pro jure Advocati exigebat in Genestevilla, redemit *offerendo sexaginta & duas libras Rotomagensis monetæ, nec non & sex equos permagni pretii,* ut legitur in charta hac de re condita anno millesimo trigesimo, quam habes in calce hujus sæculi. Idem pactum fecerunt Monachi Senonienses cum Simone Lotharingiæ Duce anno millesimo ducentesimo sexagesimo. Porrò antequam munus inirent Advocati, Abbati Monachisque præstabant sacramentum, cujus hæc forma in manuscripto codice Monasterii sancti Walarici.

Vos juratis per DEUM & omnes Sanctos, quorum Reliquiæ hic sunt & alibi, quòd vos ab hac hora & deinceps benivolentiam & fidelitatem habebitis & portabitis huic Ecclesiæ sancti Walarici, & omnibus membris: & etiam possessiones omnes, & omnia jura istius Ecclesiæ bona fide juvabitis ad defendendum & custodiendum de omni injuria seu violentia adversùs omnes secundùm vestram possibilitatem, quotiescumque super his fueritis requisitus? Concludat Abbas: ita vos juvet Dominus.

Istud juramentum ibi præstitit Rotbertus Drocarum Comes anno trecentesimo vigesimo primo supra millesimum, quo ferè sæculo Advocatorum munus ac nomen desiit in Monasteriis.

XCIII Conservatores & Subadvocati. Nomine non Officio differebant Conservatores, in quibusdam Monasteriis instituti, qualis fuit in Cœnobio sancti Salvatoris in Vosago ex Chronici Senoniensis libro secundo capite sexto decimo. Et erant Subadvocati aliquando plures in singulis Monasteriis, qui vice Advocatorum res Monasterii curabant. Hinc Otto Imperator in litteris, quibus Lantbertum Comitem Lovaniensem creat Advocatum Cœnobii Gemmelacensis, statuit, *ut Comes numquam præter unum Subadvocatum habeat, porrò Subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habeat, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenæ sextarium unum.* Quæ literæ datæ sunt anno quadragesimo octavo supra nongentesimum, exstantque in Chronico Gemmelacensi, tomo sexto Spicilegii. Hinc manifestè colligitur, plures aliquando Subadvocatos Monasteriis impositos fuisse. Ea de re graviter conqueritur Fulcardus Abbas Laubiensis in epistola ad Henricum Imperatorem, eo nomine quartum. *Modò,* inquit, *habentur in villis sancti Petri multi Advocati, immo raptores in aliquibus quinque, in aliis quatuor, in aliquibus tres, in aliquibus etiam septem: qui præter tres principales generales placitos, quandocumque volunt, ibi singillatim placitant.* Edita est hæc Epistola in Continuatione libelli de gestis Abbatum Laubiensium tomo sexto Spicilegii, lectu sanè digna hoc in argumento, sed mihi ad finem jam properanti locum indicâsse satis est.

CXIV His Observationibus ecclesiasticis monasticisque succedere debebant aliæ quædam ad historiam & ad nonnulla controversiarum capita pertinentes. Verùm quia Præfatio hæc jam excedit modum, præstat eas remittere in tomum secundum hujus sæculi, quod in duas partes distinguere necessarium fuit.

JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM SECUNDAM SÆCULI TERTII ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti DCC. ad DCCC.
impreſſa Pariſiis anno 1672.





Um istius Sæculi Præfatio paullò jam excederet modum, ne proœmii loco librum condidisse putarer, visum est levandi fastidii gratiâ eam dividere in partes duas, ut duplici tomo sua cuique pars tribueretur. Jam ergo post Observationes quas de Ecclesiasticis Monasticisque rebus in prima parte exsecutus sum, superest ut de argumento historico subjiciam Animadversiones nonnullas, quibus defensio Præfationis Sæculi nostri secundi succedet. I

§. I.

Observationes Historicæ.

DE Regibus Francorum ex his Actis quædam eruimus, quæ illustrandæ historiæ Francicæ non parùm conducunt. Atque ut ab Childerico Chlodovei secundi filio ducam initium, maximè notandi sunt loci duo in fragmento de vita sancti Lantberti ex Fontanellensi Abbate Episcopi Lugdunensis, quibus discimus, quot annis regnaverit Childericus, utque Dagobertum filium habuerit, quorum alterum hactenus non satis exploratum, alterum ab Historicis nostris prorsus ignoratum est. Sic ergo auctor ille, qui imperante Ludovico Augusto vivebat, ubi agit de prædiis quibusdam Lantberto Abbati collatis in Neustria, primæ Observationi lucem præfert. *Edita est autem hæc regia largitio Arlauno jocundo palatio, undecimo anno præfati Regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria*. Ex his verbis intelligimus, Childericum post decem annos quàm in Austria regnare cœperat, Neustriæ solio impositum fuisse post mortem Chlotarii fratris, qui annis quatuordecim Neustriâ potitus est. Childericum proinde non statim à morte Chlodovei patris, sed post annos dumtaxat quatuor Austriæ præfectum fuisse, egisseque annum regni decimum, quum frater ipsius Chlotarius annum quartum decimum, qui vitæ supremus fuit, absolvebat. Denique Childerici annum regni undecimum in Austria, primum ejusdem in Neustria fuisse. Apud Baldericum in Chronici Cameracensis libro primo capite septimo decimo extant litteræ quædam Choneberti Abbatis, datæ *anno duodecimo Childerici Regis*, qui proinde annus regni Neustrasiensis secundus erat. Porrò Childericus in summa regnavit *annis quatuordecim*, ut patet ex Chronico brevissimo, quod ex codice Tiliano post Erchanberti fragmentum edidit Andreas Chesnius; & quidem in Neustria quatuor annis rerum potitus est, ex Actis S. Vvaningi superiori in Sæculo relatis, extinctus anno sexcentesimo septuagesimo tertio in autumno.

II OBSERVATIO I. Childerici tempus regni

III OBSERVATIO II. Filii, Dagobertus. Alter locus ejusdem fragmenti docet nos, Childericum habuisse filium Dagobertum, qui unà cum ipso ac Bilhilde uxore occisus fit. Auctoris prædicti hæc verba sunt: *Antefatus autem Rex Hildericus insidiis satellitum suorum, Amalberti videlicet & Ingolberti simulque Badilonis, nec non & Lupi aliorumque, unà cum conjuge sua vocabulo Bilhilde filioque nomine Dagoberto, & vitâ & Regno privatus est, quorum corpora prænominatus Maximus* --- Cetera desiderantur in membranis, quibus usi sumus, magno sanè Francicæ historiæ damno. Sed tamen ex hoc loco discimus tandem, Childerico filium fuisse Dagobertum, quem puto esse infantulum illum, cujus urnula Reginæ matris suæ loculo imposita juxta cineres Childerici patris in Basilica nostra Germanensi reperta est, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto: cujus detectionis narrationem Hadrianus Valesius exhibet in Rerum Francicarum libro vigesimo primo.

IV OBSERVATIO III. Et Chilpericus. Præter Dagobertum Childericus filium etiam habuit Chilpericum, cognomento Danielem, qui post Dagobertum tertium in Francia regnavit. Id quidem jam probavêre nonnulli ex quibusdam Chilperici instrumentis, quorum unum Corbeïensibus Monachis, alterum Chillardo Abbati Dionysiano concessum legitur. At cùm ea instrumenta ex ipsis autographis desumta non putarentur, iis fidem omnem non adhibebant viri quidam eruditi. Lustravi proinde archivum Dionysianum, in quo duplex reperi instrumentum primarium Chillardo Abbati concessum à Chilperico, unum *datum quod fecit mensis Martius dies quinque, anno primo regni, Compendio*, in quo Chilpericus *genitorem suum Childericum, avunculos*, id est patruos, *Chlodocarium & Theodericum appellat*, alterum *datum quod fecit mensis Martius dies sexdecim, itidem anno primo regni, Compendio*, in quo *Dagoberchthum proavum, avum Chlodoveum, genitorem Childericum* vocat. Utrumque hoc monumentum, quod mecum unà viderunt in autographo viri clarissimi Carolus Fresnius, Antonius Vion, & Johannes Baptista Cotelerius, cum aliis id genus instrumentis non sinè negotio erui ex ipsis primariis litteris, quæ ob apicum & stili salebras vix legi possunt. Ea vide sis in calce hujusce voluminis, ubi leges aliud etiam diploma Chilperici, *datum sub die pridie Kalendas Martias, anno primo regni, Compendio*, in quo Chilpericus insuper *consobrinos*, id est fratres suos patrueles, nominat Chlodovium, Childeberethum & Dagoberethum; quod diploma, quia mendosum apud Dubletum legebatur, ex ipso originali integrum repræsentare visum est. Ex his patet corrigendos esse Ademarum aliosque, qui Chilpericum hunc Dagoberti fratrem fuisse ajunt.

V OBSERVATIO IV. Theodorici initium regni. Chronologiæ superiùs stabilitæ de initio regni Childerici cùm in Austria, tum in Neustria, suffragatur tempus initi principatûs a Theodorico ejus fratre ac successore, cujus annus quartus-decimus cum anno æræ Christianæ sexcentesimo octogesimo sexto comparatur in instrumento quodam chartarii Benigniani, relato apud Perardum in Collectione monumentorum Burgundicorum, dato *die Sabbato proximo ante medio mense Aprili, in anno XIV. regnante Domino nostro Theodorico Rege*, quæ notæ conveniunt anno Christi prædicto, quo dies quintus decimus mensis Aprilis litera Dominicali G. præditus erat, non verò Theodorici cognomento Kalensis Regno aptari possunt. Hæc verò epocha initi à Theodorico principatûs confirmatur ex iis quæ de tempore cæsi Dagoberti posteà dicturus sum.

VI OBSERVATIO V. Dagoberti secundi restitutio. Quo tempore Neustriæ dominabatur Theodoricus Chlodovei secundi filius, Childerici frater; eo etiam regnabat in Austria Dagobertus secundus, filius Sigiberti junioris; patre mortuo in Hiberniam pulsus à Grimoaldo palatii Præfecto, ab Austrasiis posteà revocatus, cujus restitutionem per multos annos ignora-

ratam, tandem in apertam Historiæ lucem nuper revocavit Hadrianus Valesius, Historiographus regius; eamdemque præclaro commentario Godefridus Henschenius illustravit. Argumenta potiora duo, quæ Dagoberti reditum persuadent, ex VVillelmo Malmesburiensi Monacho in Actis sancti VVilfridi Archiepiscopi Eboracensis, & ex libro de gestis sancti Memmii Catalaunensis Episcopi repetuntur, ex quibus discimus quidem, Dagobertum in Galliam revocatum, in legitimam paterni regni sortem restitutum fuisse, at quo tempore, quove mortis genere decesserit, non discimus. Utrumque verò demonstro in primis ex Fridegodo & Eadmero, gravibus auctoribus, qui in libello quisque suo de vita sancti VVilfridi, Dagoberti non solùm restitutionem, sed etiam mortis genus tempusque nos docent, id quod nescio, an ab Stephano Heddio, qui sancti VVilfridi res gestas primus scripsisse dicitur, an ab aliis scriptoribus acceperunt.

Fridegodus Monachus Anglus, alius à Fridegodo Gallo sancti Audoëni laudatore, is qui rogatu Odonis Cantuariensis Pontificis sæculo decimo vitam sancti VVilfridi versibus descripsit, sic de Dagoberto secundo & VVilfridi ad eum adventu cecinit: VII

Ver gelidas tepidis jam solverat æstibus Alpes,
Viribus adsumptis, cùm Præsul latus ab illis
Gallica rura petens exivit finibus, atque
Nota subit fidens Dagoberti mœnia Regis.
Is equidem meritò, venturus ut adserit ordo;
Publica suscepto præbebat læta patrono.
Perditus, ut nostis, inquit, popularibus alis,
Excepi mæstas tenero olim somate erumnas.
Ascendi tremulum non multo remige lembum,
Pulsus ad ignavos adulescens exsul Hibernos.
En vobis, cujus merui tutamine reddi,
Per me perque tuam, miles delecte, salutem;
Si qua fides animo, tantum servemus amicum.

Quos Fridegodi versus post annos centum ferè octoginta ita reddidit Eadmerus in Actis ipsius VVilfridi. *Securus igitur insidiarum Præsul, in ipsa provincia totam cum nova Dei plebe hiemem feliciter exigens, deinde pergendi Romam iter repetiit, & Galliam perveniens nota sibi Regis Dagoberti mœnia subiit, quem ipse Rex visum mox recognovit, eumque multa cum lætitia hospitio suscepit. Et vocatis hominibus suis hac eos voce alloquitur: Virum hunc, quem ecce coràm habetis, magnopere dilectioni vestræ commendo, rogans ut illi in quocumque negotio vestri opus habuerit, adsistatis, siquidem me (sicut credere fas est) sincera mente amatis. Hujus enim probitate & industria vobis redditus, vobisque, ut inpræsentiarum videtis, regia sum dignitate prælatus. Nam dudum, velut ipsi recordamini, cùm popularibus insidiis ferè perditus essem, exsul quoque liberationis meæ gratiâ oberrassem, pelago quoque jactatus ad ignavos Hibernos perlatus fuissem; hic me indè adductum magnâ benevolentiâ secum aliquando tenuit, ab omni periculo protexit, atque nativo solo incolumem ac tutum restitui posse donavit. Quapropter per meam & vestram vos obtestor salutem, ut si qua in vobis est fides, tantum servemus amicum, & vicem exhibita mihi dilectionis ac benevolentiæ communiter gratiosi procuremus ei impendere.* Sic Dagoberti reditum in Galliam confirmant Eadmerus & Fridegodus.

VIII OBSERVATIO VI & interitus. Prætereà iidem Auctores probant, Dagobertum ipsum cæsum ab æmulis fuisse eodem anno, quo Synodus Romana Pontifice Agathone contra Monotheletas celebrata est, id est, anno sexcentesimo septuagesimo nono. Cùm enim hæc Synodus peracta fuisset *mense Octobri, indictione septima, anno vigesimo Constantini Augusti*, uti istius Concilii fragmentum de Britannicis rebus indicat apud Spelmannum, inde absolutus reveniens Vuilfridus, obvios habuit sicarios, qui Dagobertum è medio paullò antè sustulerant, sibi ipsi necem minitantes. Rem ita narrat Fridegodus.

Nam properans patuli dum verreret æquora campi,
Conglomerata suis furunt collegia signis
Noxia, regali (ceu fertur) sanguine fuso.
Civiles etenim Dagobertus Marchio dextras
Senserat, & rigidum capulo tenus inguine ferrum;
Prælia vibratis intentant comminus hastis.
Arduus excusso quorum convicia telo
Unus Pontifici fœdo sic ingerit ore:
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violasti sceptra, relato
Qui periit casus, quem jure sequêre, tyranno.

Sic verò Eadmerus: *Ecce autem extra quam putabatur latronum manus ad interficiendum parata, viro Domini haud grata processione occurrit. Erant enim qui Regi Dagoberto insidias tetenderant, eumque gladio in inguine merso necaverant. Hi ergo viro Dei occurrentes, animique furorem vultûs sui ferocitate pandentes, prælia vibratis intentant comminus hastis, quorum unus, qui quasi loco Principis inter eos habebatur, excusso quod manu tenuerat telo, militi Christi fœdo ore conviciabatur. Delator, inquiens, patriæ petulans, & moribunde viator, tu quidem jam pridem Gallica sceptra violasti, tu Gallica rura pessum dedisti, tu Gallicam libertatem in servitutem redegisti, cùm tyrannum jam olim à nobis exsiliatum tuâ instantiâ, in Regnum constituisti. At ipsius quidem crudelitas justissima morte punita, te quoque, utpote maximum sua mortis auctorem, te inquam, eadem morte puniendum esse declamat* &c. Hæc testimonia magni momenti sunt ad illustrandam rerum Francicarum historiam. Et quidem Eadmeri verba significant, Vuilfridum revocandi Dagoberti auctorem, aut certè adjutorem fuisse. Deinde ex utriusque Auctoris narratione intelligimus, Dagobertum, exorto civili bello ab adversariis necatum intra illud temporis intervallum, quod ab adventu Vuilfridi tempore verno usque ad Synodum Romanam mense Octobri convocatam effluxit per annum sexcentesimum septuagesimum nonum. Tum illud conficitur, Theodoricum Francorum Regem, qui cum Dagoberto fratre patrueli de finibus Regni in agro Lingonensi dimicâsse perhibetur in libello de vita sanctæ Salabergæ; jam ante annos minimùm quinque, quàm Dagobertus exstingueretur, regnare cœpisse, hoc est anno sexcentesimo septuagesimo tertio. Sub ejus enim anni autumnum cæsus Childericus, Austriæ & Neustriæ Rex, locum fecit revocandis Theodorico apud Neustrasios, & Dagoberto apud Austrasios regnaturis. Porrò Dagobertus annos minimùm quatuor Austrasiis imperavit, anno sexcentesimo undeoctogesimo extinctus, & Theodoricus annum regni quartum-decimum agebat anno Christi sexcentesimo octogesimo sexto, ex dictis. Hæc ergo de Dagoberti nece & anno mortis ita se habent: quod utrumque hactenus probare potuit nemo, tametsi Hadrianus Valesius ejus annum supremum (quæ viri acerrimo judicio præditi sagacitas est) jam ferè conjecturâ adsecutus erat, dum scribit in libro vigesimo secundo, „ in-

„ cer-

„ certum esse quid rerum gesserit, quove anno obierit Dagobertus. Videri „ tamen eum non diu rerum potitum esse, nec annum Domini sexcentesi„ mum octogesimum excessisse. „ Harum quidem rerum notitiam debemus Anglicanis Scriptoribus nostris, Fridegodo & Eadmero, uti & Vvillelmo Malmesburiensi Monachis. Ut verò Eadmerus in manus nostras veniret, fecit eximia humanitas ac liberalitas viri non minùs de litteraria, quàm de civili Republica bene meriti, prænobilis Domini Josephi Vvilliamsonis, jam in superiori Præfationis hujus parte laudati, Fridegodum autem exhibuit nobis vetus codex Bibliothecæ Corbeiensis.

Præter ea quæ de morte Dagoberti hucusque stabilita sunt, si conjecturis indulgere licet, verisimile crediderim Dagobertum secundum esse eum ipsum qui Satanaci Martyr & sanctus colitur quarto Nonas Septembris, eodemque die jam dudum in Diœcesi Verodunensi, uti in manuscripto ejus Ecclesiæ Breviario adverti. Moris quippe fuit apud priscos illius ævi Christianos, ut quisquis innocens quavis ex causa necaretur, is sanctus seu Martyr diceretur censereturque. Sic Carolus cognomento Simplex, auctore Hugone Flaviniacensi Abbate, *sanctus rectè potest vocari: quoniam injustè ab infidelibus suis & perjuris longo carceris squalore afflictus, transmissus est vita perpetua*, & Eadvvardus, Anglorum Rex pius, propterea quòd novercæ pessimæ instinctu sicâ transfossus est, *Martyr* audit & *Sanctus* apud Vvillelmum Malmesburiensem Monachum, aliosque rerum Anglicarum scriptores. Sunt in eam rem exempla pænè infinita. Dagobertum fuisse Regem pium bonumque probant nonnullæ ejus donationes apud Henschenium. Immeritò cæsus ab æmulis est: ob hoc forsan Martyr vocatus & cultus, ejusque reliquiæ Satanaci honoratæ. Nec me movet alterius Fridegodi testimonium in libro de vita sancti Audoëni adfirmantis, Childericum Dagobertumque Sigiberti filium in Rotomagensi Basilica sancti Petri ab Audoëno sepultos fuisse. Ut enim falsus est in Childerico, apud Parisios in Ecclesia nostra Germanensi tumulato; sic etiam facilè decipi potuit in Dagoberto Childerici filio, juxta patrem (ut diximus) sepulto, quem pro Dagoberto Sigiberti filio usurpaverit. Certè cùm Dagobertus secundus regnaverit in Austria, ibique interierit; potiùs apud Austrasios, quibus Satanacum villa quondam regia, nunc opidum ad Mosam, subjectum erat, quàm apud Francos seu Neustrasios sepulturæ locum habuisse videtur. Hæc de Dagoberto secundo.

IX OBSERVATIO VII. Dagobertus Satanaci cultus.

Fuit & tertius Dagobertus, Childeberti itidem tertii filius, qui in quibusdam Francorum Annalibus anno septingentesimo quinto-decimo, in aliis anno insequente obiisse memoratur, utrubique rectè, habita diversi calculi ratione. Cùm enim mors ejus inciderit in XIV. *Kalendis Februarii*: qui anni initium desumebant ab Januario, annum septingentesimum sextum decimum; qui verò à Martio, annum antecedentem signaverunt. Dagobertus iste Childeberto patri successerat anno septingentesimo undecimo, ut constat ex veterrimis Annalibus Francorum; & quidem XVIII. *kalendas Maii, feriâ secundâ Paschæ*, quo die mortuus pater, ex Chronico Medardensi. Porrò Dagobertus vivere desiit, XIV. *Kalendis Februarii*, ex Chronico Monasterii sancti Petri Vivi. Annos proindè ferè quinque regnavit. Hinc conciliantur diversi annales, quorum alii annos regni quatuor, alii quinque huic Dagoberto tribuunt. Charta quædam ordine trigesima quinta apud Goldastum, in tomo secundo rerum Alamannicarum, data dicitur *anno trigesimo post regnum Tagoberti Regis*,

X OBSERVATIO VIII. Dagobertus III.

De

XI OBSERVATIO IX. Caroli Principis Confessarius Martinus.

De Carolo Principe, quem Tuditem cognominant, aliqua sunt observatu haud indigna. Is quippe Martinum Corbeiensem Monachum (quod antea nullus animadvertit) Capellanum seu Confessarium habuit, Alfonsum Castrensis Monasterii Abbatem, intimorum consiliorum participem, qui ipsum ad piè moriendum coràm hortatus est. Martinus iste, hactenus nomine solo notus, in Annalibus Francicis designatus est, his omnino verbis, *Anno DCC. XXVI. Martinus mortuus est*. Quo in loco Hadrianus Valesius non immeritò arguit tantam securitatem negligentiamve Annalistarum nostrorum, ut nudis hominum nominibus lectis, qui illi fuerint, posteros divinare voluisse, aut divinaturos credidisse videantur. Ego verò tandem lectione veterrimorum annalium, qui apud Labbeum in tomo secundo Bibliothecæ novæ editi sunt ex codice Masciacensi, didici quis fuerit ille Martinus. *Anno DCCXXVI. Martinus mortuus est. Fuit autem Monachus in Corbeïa, vir vita continentissima & adprimè eruditus: quem Carolus Dux in summa veneratione habuit, & peccata sua ei confitebatur.* Id sanè non fugisset Hadriani Valesii diligentiam, si Annales illi tum, quum historiæ suæ tomum tertium condebat, in lucem editi fuissent. Plura de hoc Martino viro sancto adnotavi ad annum præcitatum.

XII OBSERVATIO X. Alfonsus eidem à Consiliis.

Præter Martinum, Carolo quoque familiaris fuit Alfonsus Castrensis Abbas è nostris, uti & Martinus. Alfonsum ita laudat Chronographus Castrensis in tomo septimo Spicilegii.

Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,
Injecit dominas in sacra feuda manus:
Castrensi gazæ parcens Abbatis amore,
Cujus consilio est usus & auxilio.
Proximus est morti Princeps: hunc excitat Abbas
Et tinctum Christi Sanguine monstrat iter.

Fabula de ejus damnatione.

Hæc si compares cum diplomate Pippini Regis, dato Compendii anno quarto regni ejus, quo diplomate Fulrado Abbati ac Monachis Dionysianis concedit *locum in pago Virdunensi, qui appellatur ad Montem sancti Michaëlis, tum pro sua ipsius mercede, tum pro remedio animæ genitoris sui Karoli*; intelliges sanè fabulosa esse quæ de vulgata Caroli Principis damnatione circumferuntur. Neque enim Pippinus ignorasset Eucherii visum ac factum, detectionem scilicet paterni sepulchri & fuliginosam illam serpentis officinam, damnationis indicem, nec si resciviisset, posteà pro animæ ejus remedio preces sacras instituisset. Qua de re fusiùs in Actis sancti Eucherii Aurelianensis Episcopi dictum est ad annum septingentesimum duodequadragesimum. Eadem fabula de Carolo Calvo jactata est in vulgus sæculo tertio-decimo teste Richerio in Chronici Senoniensis libro tertio, capite septimo decimo. Carolus Princeps Regnum Francorum solus tenuit per interregni annos quinque, à morte scilicet Theodorici Regis ad suum ipsius obitum. Cujus rei argumento est diploma, quod ipse Monasterio Dionysiano concessit *anno quinto post defunctum Theodoricum Regem, die septima decima Septembris*, uno ferè mense antè, quàm è vivis excederet Idibus Octobris anni septingentesimi quadragesimi primi, tametsi non Regis, sed Majoris-domûs nomen dumtaxat usurpavit. Instrumentum quoddam Ermenoaræ DEO sacratæ in gratiam Cœnobii Benigniani datum legitur *ante Kalendas Madias, defuncto Domno Theoderico, & electo Karolo Majore-domûs*, & in Annalibus Francorum editis ex codice Tiliano apud Chesnium: *Anno DCCXLI. Karolus Major-domûs mortuus est.*

Pip-

XIII OBSERVATIO XI. Pippini Regis exordium.

Pippinus Caroli filius & Major-domûs post eum sub Childerico Rege per annos decem, posteà Rex dictus est: cujus regnum, non ab anno septingentesimo quinquagesimo quarto (ut putat Baronius) quo coronatus ab Stephano est, sed ab anno quinquagesimo secundo numerari cœptum, ut ex variis monumentis constat. Tria nobis diplomata ex chartario Gallensi Goldastus suppeditat, nimirum chartas ordine quadragesimam secundam & sequentem in tomo secundo rerum Alamannicarum, & aliam in tomo tertio, paginâ quinquagesimâ septimâ. Prima ex tribus sic desinit *Notavi die Martis VIII. Idus Augustas, anno tertio regnante Domno nostro Pippino Rege*, hoc est anno septingentesimo quinquagesimo quarto, quo littera Dominicalis F. obtinebat, dies Martis in octavum Idus Augusti incidebat. In alia charta: *Notavi die Dominico sexto Idus Octupris, anno decimo regnante Domno Pippino, Rege Francorum*, id est anno septingentesimo sexagesimo secundo, qui littera C. Dominicali præditus erat. In tertia denique: *Ego Arnulfus rogitus anno sexto Pippini Regis, die Mercoris duodecimo Kalendas Januarii scripsi & subscripsi*, puta anno septingentesimo septimo, quo littera Dominicalis B. currebat. Neque aliter Pippini Regis annos in Gallia numeratos fuisse, testatur in primis Chronographus Fontanellensis. Hinc verisimilius videtur, Pippinum à Bonifacio Romanæ sedis Legato Regem coronatum fuisse anno septingentesimo quinquagesimo secundo, uti legitur in Annalibus Fuldensibus: quo ex tempore Regnum iniisse dictus sit; tametsi Annales Francorum & Egenhardi, quibus subscribunt Regino & Chronographus Fontanellensis in Austrulfo Abbate, id factum anno quinquagesimo referunt. Certè Childericus Rex, qui non ante annum septingentesimum quadragesimum secundum iniit principatum, non ante annum regni decimum abjectus est, testante charta quadragesima apud Goldastum, quæ data est *septimo Idus Septembris, anno decimo regni Domini nostri Ildeirici Regis*. Is in Sithivense Monasterium retrusus perhibetur, tum apud Johannem Iperium, tum in Chronico Fontanellensi; malè apud alios in Gemeticense: Theodoricus verò ejus filius in Fontanellense, auctore prædicto Chronographo, in loco jam citato. Ex his corrigendus Isonis Monachi sancti-Gallensis calculus, qui Childerici dejectionem & regni Pippini initium reponit anno septingentesimo quinquagesimo quarto, eumdemque errorem Baronio imposuit. In quodam Chronico pervetusto, quod in principatu Ludovici Augusti desinit, Pippinus, qui obiit anno septingentesimo sexagesimo octavo, septimo Idus Octobris, *annis septemdecim* regnavisse fertur. Ceterùm Pippino Regi Adam filiam, hactenus non satis notam, fuisse patet ex codicis Trevirensis inscriptione inferiùs relata ad annum septingentesimum trigesimum quartum, ubi de Ada Palatioli Abbatissa. Hæc de Regibus Francorum.

XIV OBSERVATIO XII. Desiderii Regis Langobardorum exitus Corbeiæ.

Desiderium Langobardorum Regem à Carolo Magno in Papia urbe comprehensum, in Galliam abductum testantur Annales nostri: sed nec solum ubi reliquum vitæ peregit, nec vitæ mortisve genus designant. Id verò deprehendi lectione Hepidanni Cœnobitæ Gallensis in hæc verba: *Anno septingentesimo septuagesimo secundo Paveia civitas conquisita, & Desiderius & Ansa uxor ejus pariter exsiliati sunt ad Corbeiam: & ibi Desiderius in vigiliis & orationibus & jejuniis & multis bonis operibus usque ad diem obitûs sui*. Ejus rei nulla penes Corbeienses nostros memoria supererat.

XV. OBSERV. XIII. Tassilonis Gemetici.

Tassilonem Bajoariorum Ducem ob violatam fidem relegatum fuisse in Gemeticense Monasterium, certis probavi argumentis in ejus Elogio sub finem istius sæculi: eumque esse conjicio, qui unà cum filio Theodone & alio innominato illic sepultus, Enervatorum fabulæ originem dedit, prout eo loci opinionem declaravi. Alia

XVI OBSERV. XIV. Calvinianus quidam refutatus. Alia multa sunt, quæ in has Observationes ex his Actis conjici possent, nisi me jam longiùs prolapsum brevitatis studium revocaret. Sed tamen præterire hoc loco non possum facinus cujusdam heterodoxi hominis, qui recèns in Dissertatione Gallicè ab se edita de auctore opusculi vulgati nomine Bertmanni contra Paschasium Ratbertum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ausus est adfirmare in primæ partis capite secundo, „ Paschasii discipulos, id est Catholicos, Magistri sui scriptis nonnullis imposuisse nomina auctore suo illustriora, in his librum de perpetua virginitate Deiparæ virginis, quem Paschasii lucubrationem esse modò constat apud eruditos, Hildefonso Toletano auctori adfictum sæculo decimo fuisse impostura temerariâ cujusdam Presbyteri, nomine Gomezani, mala fide mentientis opusculum istud ab Gotescalco Episcopo ex Hispania allatum: eoque impudentiæ processisse hominem, ut in Catalogum Hildefonsi operum intruserit hæc verba, quæ leguntur in Miræi editione: *Scripsit* Hildefonsus *libellum de Virginitate sanctæ Mariæ contra tres Infideles*, ob idque genuinum Paschasii fetum Hildefonso subditum ad ætatem nostram fuisse. „ Ubi hæc legi, miratus sum sanè & obstupui Dissertatoris, hominis alioquin docti ac politi, confidentiam ac securitatem, qui tam audacter falsarii crimen Gomezano, nedum Catholicis omnibus imponit, & quidem tam inconsideratè, ut ipse falsi delatoris nomen effugere non possit. Certum est omnino, Paschasium Ratbertum edidisse opusculum *de partu Virginis*, in quo agit de Virginitate Deiparæ, at nihilominùs certum est, Hildefonsum scripsisse *libellum de perpetua Virginitate sanctæ Mariæ*. Idem utriusque scopus; sed diversus fetus, inscriptio diversa, alii atque alii adversarii. Hildefonsus scripsit *contra tres Infideles*, *Jovinianum* scilicet, *Helvidium*, *& Judæos*, qui Virginitatem Beatæ Mariæ erecta fronte impugnabant, ut constat ex epistolis Quiricii Barcinonensis Episcopi ejus æqualis, editis in Spicilegii tomo primo. Paschasius scripsit contra *Fratres* (sic adversarios vocat in Præfatione sua) qui de virginitate quidem DEI Matris rectè sentiebant, sed modum partûs Dominici non rectè explicabant. Hildefonsi libellus, idest opusculum dividitur in libros tres; Paschasii in duos. Hujus Præfatio nuncupatur *Venerabili Matronæ Christi unà cum sacris Virginibus Vesonæ* (legendum *Suessonæ*) *monasticè degentibus*. Illius prologus incipit ab his verbis: *DEUS lumen verum, qui illuminas omnem hominem*. Primus, idest Hildefonsus, opusculum suum *testimoniis veteris ac novi testamenti plenum edidit*, testante Zixilane in ipsius Vita, alter testimoniis Patrum sententiam suam probat. Hæc fusiùs demonstrata in Observationibus ad Vitam S. Hildefonsi Sæculo nostro secundo. Sæculo II. ad ann. 647. Aliud ergo est Hildefonsi opusculum *de perpetua virginitate Beatæ MARIÆ* ab eo, quod Paschasius composuit *de partu Virginis*. Etsi idem ferè utriusque sit argumentum. Nec Gomezanus Paschasii lucubrationem Hildefonso supposuit, sed verum ac germanum Hildefonsi opus ab se descriptum auctori suo tribuit. Gotescalcus Aniciensis Episcopus in Hispaniam profectus, istud Gomezani exemplum retulit in Galliam *ærâ* DCCCC. LXXXIX. Exstat in Bibliotheca Monasterii Carolilocensis prope Silvanectum Hildefonsi verum opusculum, cui præfigitur inscriptio Gomezani, hoc in Sæculo edita ad Vitam sancti Theofredi Abbatis Calmeliacensis, qua manifestè retunditur falsa criminatio Dissertatoris Calviniani. Idem opusculum Bartholomæus Laudunensis Episcopus sæculo duodecimo studiosè perquiri curavit per Hermannum Monachum, qui tandem tres illos libellos Catalauni inventos descripsit cum vita Hildefonsi, uti adnotatum ad Acta Hildefonsi. Primus è Catholicis Franciscus Feu-Ardentius, Theologus Parisiensis, edidit Opusculum Hildefonsi *contra tres Infideles*, ei-

eidem Auctori subdidit Paschasii lucubrationem *de Partu Virginis* sine Præfatione, ab his verbis: *Quamvis omnium Ecclesiarum* &c. Quod non mala fide ab eo factum constat; sed cùm utramque hanc scriptionem invenisset, nec ullo indicio Paschasii lucubrationem discernere potuisset, eas ejusdem auctoris esse putavit, nempe Hildefonsi, sive propter argumenti similitudinem, sive quòd ambo opera, alterum post alterum in exemplari manuscripto, quo usus est, continenter exsistebant. Id verò contigit Amanuensis imprudentiâ, qui (ut fit sæpissimè) Paschasii Præfationem omiserat in apographo. Falsum est itaque Gomezanum aut Hildefonso Paschasii librum supposuisse, aut Catalogum Hildefonsi operum interpolâsse, quin immo multum Gomezano debemus, cujus operâ Hildefonsi opusculum de Virginitate B. MARIÆ in Gallia habuimus. Corrigat ergo disceptator imposturam, quam ipse commisit, dum commentus est alienam. Jam ad tuendas Ordinis nostri partes me converto.

§. II.

Defensio Præfationis Sæculi secundi.

DEfunctus mihi videbar molestis illis controversiis, quas de Sanctorum nostrorum severiori delectu, & moroso calculo gratis movent quidam homines eruditi. Proposueram in superioribus Præfationibus titulos aliquot justæ possessionis nostræ, quibus consideratis sperabam conquieturos homines æqui verique amantiores, quàm odiosæ ac fere otiosæ contentionis. At vix tum edita Præfatione Sæculi nostri secundi, ad novam rursus disputationem provocor invitus. Carolus Cointius, doctissimus Oratorii Presbyter, qui de rebus Ecclesiasticis Francorum jam edidit Annalium tomos quatuor, minorem operis magni partem; passim Benedictinis facessit litem, dum Monachos pæne omnes, qui per sæculum sextum septimumve floruerunt, Ordini S. Benedicti detrahit. Opposueram in Præfatione superiori pagellas duas: reponit ille octo & viginti, quibus si ego respondeam, vereor ne in immensum tandem protendantur Disputationes nostræ. Verùm & finita, ac propè jam confecta materia est, & uterque (ut puto) longè absumus ab altercandi libidine. Neque enim virum amicitiâ mihi conjunctum refutarem, nisi necesse esset: & id erit signi me invitum id facere, quòd non persequar longiùs, quàm causa Ordinis nostri & fides mea postulabit. Ad rem aggredior. XVII

Varia sunt capita disputationis nostræ cum doctissimo Annalista, si colligantur per partes; unum, si in summa expendantur. Quot ferè Sancti sunt, quot Monasteria per sæculum sextum septimumque & octavi initium, tot ferè offendicula Cointio sunt adversùs Ordinem nostrum. Fatendum tamen est eum ad moderatiores paullisper se recipere leges. Scripserat siquidem in Annalium tomo tertio hunc in modum. *Plurima Monasteria Regulam sancti Columbani, perpauca Regulam sancti Benedicti sequebantur, lapsu verò temporis cùm utraque remisso religionis fervore torpescerent, & cetera Franciæ Monasteria in meliori statu non essent; è Cœnobio Casinensi, ubi Regula sancti Benedicti vigebat, vocati sunt Monachi, qui Monasticæ vitæ disciplinam in Gallia collapsam restaurarent: eoque modo Regula sancti Benedicti introducta est in varia Monasteria, quæ Instituto sancti Columbani priùs obnoxia erant. Et ne sancti Columbani nomen penitus aboleretur, deinceps illorum locorum Monachi dicti sunt juxta Regulam sancti Benedicti & sancti Columbani consistere. Recentiores solum nomen sancti Benedicti, cujus Regulam observabant* XVIII *ad ann. 667. n. 20.*

bant, expuncto sancto Columbano retinuerunt. Tria hoc loco supponit Vir doctissimus, perpauca scilicet fuisse Monasteria Ordinis sancti Benedicti, antequam Monachi Casino evocarentur, hoc est (si bene capio) ante instaurationem Cœnobii Casinensis; tum Casino evocatos Monachos, qui Monasteria Gallicana, S. Benedicti perpauca, plurima Columbani, ad meliorem frugem revocarent; denique tum primùm adunatum Regulæ sancti Benedicti & sancti Columbani vocabulum. De his posteà erit dicendi locus. Interim observo, eruditum Annalistam ad primum nobis facere satis in Annalium suorum tomo quarto.

ad ann. 734. n. 69. *Non sumus, inquit, ex eorum numero, qui redarguuntur in Præfatione tomo secundo præfixa, quòd unum S. Maurum & fortasse paucissimos discipulos agnoscunt Regulæ Benedictinæ primarios cultores ad usque Ludovici Augusti cognomento Pii imperium. Regulam sancti Benedicti per Franciæ Regnum ante annum Christi sexcentesimum octogesimum, quo superiorem nostrorum Annalium tomum clausimus, latè propagatam non infitiamur.* Qui hoc modo loquitur, non *perpauca* sed *plurima* Cœnobia Ordini S. Benedicti adjudicat longè ante Casinensem instaurationem, quæ vix ante annum septingentesimum vigesimum inchoata, non ante annum septingentesimum quadragesimum propagari potuit. Bene est. Jam ergo id obtinuimus, ut non *perpauca* sed *permulta* Monasteria ante annum sexcentesimum octogesimum addicta Ordini nostro fuisse fateatur. Quamquàm vereor, ut quod ille argumentorum nostrorum robore coactus est concedere verbis, re nihilominus ipsa ne cedat, plus concepto semel præjudicio tribuens, quam justæ nostræ defensioni. Id satis patet ex postrema Disputatione, quam redigit in capita quatuor, hæc enim capita ejusmodi sunt, ut iis concessis in antiquum originis nostræ chaos recidamus.

XIX CONTROVERSIÆ CAPITA QUATUOR. *Tota, inquit, Controversia summatim ad quatuor capita redigi potest: utrùm Regula Benedictina in Monasterio Bobiensi suscepta sit à sancto Columbano, utrùm post Synodum Matisconensem statim in Galliis cum Regula sancti Columbani coaluerit, utrùm Cœnobio Fontanellensi præscripta sit à sancto Vvandregisilo, utrùm Monasteriis Gandensibus & Elnonensi à S. Amando imposita.* Brevius ad unum caput tota contrahi poterat, nimirum utrùm Regula sancti Benedicti recepta in Gallia sit ante Caroli Magni Principatum. Id enim occultis cuniculis hactenus molitus est Cointius, licèt verbis tantisper ab hac sententia decedere coactus sit. Verùm sequar partitionem ejus, argumentis ab eo prolatis ex ordine responsurus.

XX CAPUT I. Primum igitur caput ita ipse constituit *utrùm Regula Benedictina in Monasterio Bobiensi suscepta sit à S. Columbano.* Sed pace optimi viri dixerim, neutiquam hoc fuit caput primæ Disputationis nostræ. Communem Cointio sententiam cum sociis Bollandianis fuisse adverteram de sera Benedictinæ Regulæ propagatione in Gallia. Argumentis validissimis (ni fallor) ac certissimis demonstravi, (& demonstrare ampliùs potero, si res exigat) sancti Benedicti Regulam ante sæculum octavum receptam ubivis in Gallia fuisse, tum nonnullis Cointii peculiaribus objectis respondi, quorum unum de Cœnobio Bobiensi exposui in verbis

num. 22. Præfationis meæ in sæculum secundum: „ Venio ad Cœnobium Bobiense, „ in quo (si Ferdinando Ughello ejusque approbatori Carolo Cointio credimus) postremis temporibus Regulam sancti Benedicti receptam fuisse ratum est. Theodorus Papa in litteris Privilegii Bobuleno Abbati Bobiensi „ concessi meminit *Regulæ sanctæ memoriæ* Benedicti: Ughellus interpolationem „ in hæc verba irrepsisse dicit, additque nullum de S. Benedicti Regula testimonium ante Lucii secundi pontificatum in monumentis Bobiensibus extare. Ughello Cointius supplaudit. „ En status quæstionis de Cœnobio Bobiensi à me præstitutus, nimirum an nullum sit testimonium de Regula sancti Benedicti

dicti eo in Cœnobio ante Lucii secundi pontificatum, ad quem sinè dubio rejicere voluerat Cointius Institutionem Regulæ Sancti Benedicti eo loci factam, ut satis ex ejus verbis perspectum est, tum an interpolatum censeri debeat Theodori Privilegium, ubi Regulam S. Benedicti nominat? Huc spectant omnia argumenta à me proposita: huc retuli Gerberti Abbatis Bobiensis, huc Monachi anonymi testimonia. Denique quid sentiam, aut quid instituerim, manifestè patet ex conclusione, quàm exinde sic deduco: „ Vigebat ergo Re„ gula hæc in Bobiensi Monasterio Theodoro Pontifice, Constantini anno se„ cundo, Consulatûs primo, Indictione prima, (hi enim sunt chronologici Bul„ læ characteres) id est anno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, quum „ Bobulenus Abbas Monachis Bobiensibus præerat. „ Quin etiam propè post ea verba dico, Bobiense Monasterium Regulam sancti Benedicti admisisse exemplo Luxoviensium Monachorum statim à Synodo Matisconensi, decem annis post Columbani obitum celebrata. Versatur ergo controversia nostra de Cœnobio Bobiensi in duplici quæstione, quarum altera est, num sancti Benedicti Regula inaudita fuerit in isto Cœnobio ante Lucii secundi Pontificatum. Huic parti respondent Gerberti Abbatis & Monachi anonymi Bobiensis testimonia, quorum ille sub finem, hic sub initium sæculi decimi florebat. Porrò uterque Regulam S. Benedicti suo tempore servatam apud Bobienses fuisse tam disertè tradunt, ut subterfugii nulla detur vel minima rima. Sic enim Gerbertus scribit in epistola quadam ad Bobienses: *Qui Regulam sancti Benedicti professi estis, & Pastorem deserendum abjecistis; colla Tyrannis sponte subdidistis*. Altera quæstionis pars est, utrùm vitiatum censeri debeat Theodori Privilegium, ubi mentio Regulæ S. Benedicti: quod contrà se habere certò ex Anonymo colligitur. Anonymus quippe in libro de miraculis S. Columbani ait, *Privilegia sanctæ Sedis Apostolicæ Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ*, coram Hugone Rege fuisse recitata, eaque haud dubiè autographa nec suspectæ fidei, ut scilicet iis inspectis adversarii cederent Monasterii rebus occupatis, non cessuri, si privilegiorum dumtaxat exempla prolata fuissent. Hæc privilegia, quorum Auctor ille summam refert, si haberemus in promptu, facile esset dirimere controversiam nostram. Sed tamen ex ipsis Anonymi verbis, qui lectioni præsens interfuit eaque vidit, satis intelligimus, in illis mentionem factam Regulæ S. Benedicti. Sic enim iste loquentem inducit Episcopum Dertonensem, qui contra decreta Privilegiorum jus in Monasterium Bobiense usurpare tentabat. *Nolo segregari ab illorum Pontificum societate, nec etiam decreta illorum disrumpere volo: sed quia video ipsum Cœnobium penè destructum esse, & cupio ut per me ad pristinum redeat statum*. Ad hæc reponit Anonymus ille. *Dicis quòd penè destructum est* Monasterium; *verum dicis. Sed si verum est quod ais: per te ad pristinum redeat statum, ut Abbatem secundùm Regulam habeat, qui adimpleat hoc quod te adseris velle adimplere: & tunc apparebit, quòd zelo DEI utaris, & illa vera sunt quæ dicis, quia sicut scriptum est. Non potestis duobus Dominis servire; ita & tu non vales tuum Episcopatum regere, & Monachos secundùm Regulam S. Benedicti gubernare*. Ex his apparet, Anonymi istius hanc sententiam fuisse, non posse reduci Bobiense Monasterium ad pristinum statum, hoc est primarium, qualis tempore concessorum privilegiorum erat; nisi per Abbatem qui *secundùm Regulam* electus esset, qui *Monachos secundùm Regulam sancti Benedicti gubernaret*. Quod sanè non consequeretur, nisi Regulam sancti Benedicti in primariis illis instrumentis expressam legisset Anonymus. cap. 23.

Quin etiam ex illis verbis non obscurè colligitur, saltem ejus mentem fuisse, Regulam S. Benedicti ab initio impositam Cœnobio Bobiensi. Quapro- XXI

pter posui in Præfatione mea superiori, sed tamen extra lineas disputationis, dici haud temerè posse, Columbanum in Italiam profectum, ut se Romanis moribus accomodaret, admisisse Regulam S. Benedicti. Hoc, inquam, posui extra lineas disputationis: nec, si id potest citra temeritatem dici, hoc continuò defendendum pervicaciter suscepi. Illud verò à me propositum eo animo est, quo
num. 9. paullò ante dixeram, immo & multis firmaveram, Scriptores nostros non sinè causa existimâsse, (qua de re tamen paullò aliter sententiam dixi) Regulam Columbani non esse a Benedictina diversam: tum scilicet ne partes has omnino desererem, vel excluderem à nostris, libenter eas propugnaturus, ubi firmiora suppeterent argumenta: tum ne causam facerem deteriorem, si conanti non successisset. Præstat enim aliis causam integram relinquere, quàm malè tractando in majus discrimen adducere. Quod igitur dici haud temerè poterat relinquens, ut mihi non omnino constans & exploratum; quod certius visum est mihi sumsi: idque tandem perfeci, ut Adversarii fateri cogantur, non esse tam feram, ut putabant, Regulæ Benedictinæ mentionem apud Bobienses, ut ad Lucii secundi tempora rejici debeat: sed annis ampliùs ducentis præcessisse ejus memoriam apud illius loci Auctores omni exceptione majores: quorum unus id ita testatus est, ut eam Regulam legerit in Theodori Papæ literis expressam.

XXII In tanta Scriptorum veterum qui de isto Monasterio egerint penuria, nemo jure à nobis alia exigit argumenta pro secunda quæstionis parte; nec unus aliquis contrà quidquam satis firmum objicere poterit. Si præter ea tamen quiddam adjicere necesse est, adjiciam id, quod apud Cointium maximè valere debet: nulla scilicet Monasteria in illis partibus a condito cœnobio Bobiensi comparata fuisse ad aliud Institutum, quàm ad Benedictinum. In civitate quippe Mediolanensi, quæ Provinciæ caput est, Monasterium S. Benedicti nomine & Regulâ institutum erexit Benedictus Archiepiscopus sæculo septimo. Propius Bobio est Ticinum, in quo Bertaredus seu Pertaritus Langobardorum Rex Virginum Benedictinarum cœnobium, quod novum dictum est, in honorem S. Agathæ construxit eodem sæculo: & insequenti Luidprandus Rex Monasterium Beati Petri, Cœlum aureum dictum, unà cum sancti Augustini Reliquiis commendavit Sodalibus nostris. Nec longiùs hinc abest Nonantula Monasterium agri Mutinensis, quod Anselmus Dux Forojuliensis, posteà Monachus & Abbas condidit; & Geminianus Regiensis Episcopus in honorem B. MARIÆ & S. Benedicti consecravit. At si tum in cœnobio Bobiensi viguisset Institutum S. Columbani separatim à nostro, credendum ne est, nullum eorum, quæ eo tempore condita sunt Monasteriorum sub Regula S. Columbani, cujus tanta ubique fama & existimatio erat, instituendum fuisse? Hæc, inquam, argumentandi ratio magni momenti esse debet apud Cointium, qui passim Columbano Monasteria vindicat eo nomine, quòd in vicinis Luxovio locis constructa sint.

XXIII Ceterùm quòd primi hujus capitis seu quæstionis statum ad lineas reduxi, ideò feci, ut intra legitimæ disputationis cancellos consisteremus; non quò vim defugerem argumentorum à Cointio propositorum: quibus ex abundanti respondere non multùm operosa res fuerit.

XXIV In superiori Præfatione contra vulgatam nostrorum opinionem probave-
num. 14. ram, sancti Columbani Institutum principio à Benedictino fuisse distinctum; Regulam à nostra omnino diversam. Alterum ostenderam ex eo, quòd Columbanus ex Hibernia seu ex Bancorensi Monasterio accessit in Galliam, antequàm Benedictinum Institutum in Britanniam Insulam, adeoque in Hiberniam pene-

tra-

travisset; alterum ex eo, quòd Regulam peculiarem scripsit Columbanus, in qua nullum ferè Benedictinæ vestigium, & si Jonas aliquot in locis *Regulam sanctam* laudat, quo nomine Concilia sancti Benedicti Regulam commendare solent; cum tamen videri hoc elogio Columbani obsignâsse Regulam, quam ipse professus erat. Hæc argumenta opponebam communi persuasioni quorumdam è nostris, qui Regulam sancti Columbani aliam esse negant à Regula sancti Benedicti, sed quasdam dumtaxat declarationes (ut vocant) & commentationes in Benedictinam esse volunt. Sic autem animo reputabam. Si Columbani nulla est Regula propriè dicta, cur Jonas sancti Columbani passim, nusquam sancti Benedicti Regulam nominat, quum eam vult designare? Certè *Regulam sanctam* aliquoties memorat, quo nomine Patres ac Concilia Regulam sancti Benedicti exornant, at quidni eo vocabulô intelligat Regulam Columbani, quam ipse professus erat? Quid ad hæc Cointius? *Hæc*, inquit, de *Columbano & Jona nemo potest asserere, quin fateatur Regulam sancti Benedicti numquam à sancto Columbano susceptam fuisse. Jonas enim in Bobiensi Cœnobio Monachum induit Columbano jam mortuo, Actaque ejusdem Columbani ejusque discipulorum longè seriùs in litteras retulit.* Et infra: *Porrò sancti Columbani, non autem sancti Benedicti Regulam professus est Jonas, ut ipsimet Auctores Benedictini fatentur.* Jonas, inquiunt, Columbani Regulam, quam ipse professus erat obsignasse videtur? *Ergo in Monasterio Bobiensi viguit Regula sancti Columbani sub sancto Attala, secundo illius loci Abbate.* Cedo consecutionem hanc, alias duas constanter nego. Regula sancti Columbani in Bobiensi Monasterio vigebat Abbate Attala, sed simul cum Regula S. Benedicti. Utramque professus erat Jonas: nec mirum si, quum de Regula sancti Columbani speciatim loquitur, eam Regulam sanctam appellat, idem elogium Benedictinæ tributurus, si de ea dicendi nata esset occasio. Cùm verò totus esset in prædicando Columbano, non agit nisi de ejus Regula, tametsi jam conjuncta cum Benedictina erat. Neque verò ita conjunctas fuisse dico, ut diversæ non fuerint etiam, quando simul in uno eodemque Cœnobio servabantur. Id autem quomodo intelligendum sit, docebit posteà pro me Usserius Armachanus. Non ergo consequitur ex argumentis meis, Regulam sancti Benedicti à Columbano susceptam non fuisse in Monasterio Bobiensi, neque unquam fassus sum aut fateri cogar, Jonam non fuisse professum Regulam sancti Benedicti, quin immo contrarium omnino disertè propugno. Ex his nemo non videt, doctissimum Annalistam aut ea sumere quæ non concedantur; aut ea, quæ etiam concessa ipsum nihil adjuvent.

ad ann. 734. n. 14.

XXV CAPUT II

Alterum disputationis nostræ caput est, *utrùm Regula sancti Benedicti post Synodum Matisconensem statim in Galliis cum Regula S. Columbani coaluerit.* Coaluisse aliquando certum est, siquidem diversa est una Regula ab alia: nec Cointius ipse diffitetur. Sed quæstio est, an ea conjunctio utriusque Regulæ facta sit ante Synodum, an statim post Synodum Matisconensem, an seriùs. Primum etsi non mihi improbatur omnino, non tamen satis exploratum visum est, ut illud defenderem. Sed incumbere malui in secundum, quod confirmavi tum permultis Monasteriorum instrumentis, in quibus Regula sancti Benedicti & sancti Columbani simul uno vocabulo exprimitur numero singulari: tum certis & evidentissimis testimoniis gravium Auctorum, præcipuè sancti Donati Vesontionensis Episcopi, discipuli sancti Columbani, qui Regulam utramque Jussanensibus aptavit Sanctimonialibus; & Scriptoris vitæ S. Salabergæ, qui *agmina Monachorum ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulâsse* dicit Valdeberto Luxoviensi Abbate, qui paullò post prædictam Synodum Eustasio successit. In aliam sententiam abit Carolus Cointius, censetque Re-

gu-

ad ann. 734. n. 143. gulam sancti Benedicti ante annum sexcentesimum octogesimum, quo tertium Annalium suorum tomum clausit, receptam non fuisse in Luxoviense Monasterium: sed seriùs per Monachos Casinates *introductam in varia Monasteria, quæ Instituto S. Columbani priùs obnoxia erant*, tumque *ne S. Columbani nomen penitus aboleretur, deinceps illorum locorum Monachos, dictos juxta Regulam sancti Benedicti, & sancti Columbani consistere; recentiores nomen solum Benedicti retinuisse*. Sed videndum est quibus argumentis nostra elevare ac infirmare conetur vir doctus, quibusve momentis suam probet sententiam.

tom. 3. ad ann. 667. n. 20.

XXVI Variis diplomatum instrumentis ante & post medium sæculum septimum conditis, in quibus Regula utraque in iisdem Monasteriis simul viguisse dicitur, unum opponit Jonæ silentium, qui de iisdem Monasteriis agens, unius Regulæ sancti Columbani meminit. Hoc argumento fretus, abradendum censet Benedicti nomen, ubicumque cum Columbani nomine conjunctum in illis litteris invenitur. Expeditum sanè argumentandi genus, delere scilicet atque abradere id, quod solvere non possis. Si sic agere pergit, facilè in omni causa superior evadet. Hanc viam si tenuissent Græci, quum de Processione Spiritus sancti altercabantur adversùs Latinos, facili negotio elusissent Adversariorum argumenta, hoc est eorum Patrum testimonia, in quibus Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedere dicebatur. Græcis quippe non deerant sententiæ Patrum bene multæ, in quibus Filii producentis mentio nulla fit. Cur ergo ex horum silentio non inferebant, abradendum esse in aliis Filii nomen: nisi quia hanc non esse legitimam consequentiam advertebant? Age verò videamus, an tanti debeat esse Jonæ silentium, ut sexcentis ejuscemodi instrumentis à nobis prolatis præponi debeat.

XXVII Jonas cùm totus esset in celebrandis gestis sancti Columbani ejusque discipulorum, Regulam Columbani laudare debuit, non Regulam Benedicti, de quo sermo non erat. Deinde unius hominis silentium non præjudicat multorum aliorum testimoniis, in quibus nulla exceptio legitima deprehendi potest. Sanè si unum dumtaxat diploma reperiretur, in quo mentio simul facta esset utriusque Regulæ; fateor, moveret me non parùm Jonæ silentium, si nulla esset aliunde in contrarium auctoritas. At cùm legam in literis bene multis diversorum ac distantium Monasteriorum eadem verba, videamque ita legisse ac intellexisse Patres Concilii Suessionensis nono Sæculo pro Sollemniacensi; Frodoardum sæculo decimo pro Altivillarensi Monasterio; Helgaudum pro Floriacensi; aliosque probatos ac vetustos Auctores pro aliis, approbare certè non possum censoriam illam abradendi licentiam, qua Carolus Cointius non tantùm adversùm nos, sed adversùm Concilia & Patres abutitur. Quid enim? legit scilicet Cointius Jonam; legerat & Frodoardus, qui ejus lucubrationes versibus reddidit; legerant etiam (ut puto,) aliqui è Patribus Concilii Suessionensis: nec tamen Sancti Benedicti nomen è chartis illis delendum, quin immo retinendum esse censuerunt, quia scilicet primariis illis instrumentis, quorum autographa vidisse eos nemo jure negaverit, plus detulerunt, quàm unius hominis silentio, cujus silentii causa in promptu erat.

XXVIII Prætereà nulla causa fingi potest, cur prisci illi Monachi, tot numero diversi, tam à se invicem dissiti, tam sibi invicem ignoti; uno consilio in primaria suorum Monasteriorum diplomata Benedicti nomen intruserint. Si dicas id privato, quo in Ordinem quisque suum ejusque Auctorem affecti erant, amore factum esse: merum figmentum. Nondum eo tempore, scilicet octavo nonove sæculo, immo neque duobus consequentibus, invaluerat apud Monachos privata illa æmulatio extollendi citra delectum Ordinis sui, ejusve Institutoris. Omnia unus

unus Ordo erat, nec de sanctis superiorum temporum Monachis sibi vindicandis rixa erat inter eos ulla. Monachi quippe cùm de parente suo Benedicto loquebantur, non secùs ferè quàm de Columbano loquebantur. Exemplis res comprobanda. Monachi Benedictini in Cœnobio Dionysiano prope Luteciam Parisiorum longè ante sæculum nonum, ut constat ex diplomate quodam Ludovici Augusti de restitutione monasticæ disciplinæ in eo Monasterio; immo ab ipsa conditione Monasterii inibi collocati fuerant; nec tamen aut in libro Monachi Dionysiani de gestis Dagoberti, aut in exemplis diplomatum regiorum pontificiorumve Monasterio concessorum, ulla Regulæ nostræ memoria. In Cœnobio Laubiensi multi floruère scriptores Benedictini, qui loci cultores primos, Ursmarum, Theodulfum, & alios elogiis suis celebrârunt: nusquam tamen de Regula sancti Benedicti quidquam loquuntur. Adso Monachus & Abbas Benedictinus Acta sanctorum Basoli & Bercarii Abbatis Altivillarensis & Dervensis in literas retulit sæculo decimo; Servatus Lupus Ferrariensis Abbas Acta sancti Vvigberti Abbatis Fritislariensis; Paschasius Ratbertus Vitam sancti Adelardi Corbeïensis Abbatis sæculo nono; Gotselmus Bertinianus Monachus Acta S. Augustini Cantuariensis Episcopi sæculo undecimo; eodemque Theodericus Abbas Trudonianus sancti Trudonis, & Rainerus Cellensis Monachus sancti Ghisleni Acta scripserunt: nec unus ex illis in hisce lucubrationibus suis de sancti Benedicti Regula ullum verbum inseruit. Quin immo tam supina erat quibusdam in Cœnobiis negligentia in cultu sanctissimi Patris, ut Monachi Uticenses anno primùm trecentesimo quarto-decimo supra millesimum statuerint *in Capitulo Generali de voluntate & consensu Domini Nicolai Heberti Abbatis ac totius Conventus, ut de transitu sancti Patris nostri Benedicti facerent de cetero festum duplex eodem modo & ordine, quo facere consueverant de Annuntiatione Dominica.* Non ergo apud illos mediæ ætatis Monachos tam cæca tamque præceps erat efferendi Ordinis sui ejusque Auctoris libido, ut nomen sancti Benedicti temerè intruserint in exempla diplomatum suorum.

Denique si id commiserunt, cur idem nomen in Acta sancti Columbani aliorumque ejus discipulorum non inseruerunt? nonne iidem Monachi & Acta ista, & diplomata illa descripsère? cur ergo in illis falsarii, in his religiosi? Alia ratio est de notis Chronologicis, Incarnationis & Indictionis, quas in gratiam sodalium suorum, qui minùs veteres illas notas intelligebant, librarii apposuerunt, & quidem monito nonnumquam Lectore, uti Folguinus Monachus in sua collectione diplomatum Sithivensium. XXIX

Retinendum ergo nomen sancti Benedicti in primariis illis monumentis, idque suo calculo approbat Usserius Armachanus, vir doctus, tam à partibus Benedictinis, quam à Catholicis alienus. Sic enim ille in Addendis ad antiquitates Britannicas. *Ordericus quidem Vitalis S. Columbanum Spiritu sancto edoctum monachilem Regulam edidisse, primumque Gallis tradidisse scribit, sed discipulos ipsius addit ædificationis gratiâ normam suscepisse Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent sui statuta Magistri, almi videlicet Columbani.* Et relato toto Orderici contextu, ita subdit Usserius; *Unde rationem intelligimus, cur toties in antiquis monumentis Regulas Benedicti & Columbani simul conjungi videamus.* Tum citatis diplomatis Leodebodi Abbatis pro Floriacensi Cænobio, Bertefridi Ambianensis Episcopi Trevirensis pro sancti Deodati Cœnobio, & Theoderici secundi Francorum Regis pro Mauri Monasterio, quibus in diplomatis utraque Regula communi vocabulo exprimitur; hæc addit: *Non quòd una eademque esset utriusque Regula: sed quòd Columbani sectatores majoris profectus ergo duas illas celeberrimas asceticæ vitæ normas conjunxissent, quæ mediis hisce temporibus in Italia, Gallia, & Germa-* XXX pag. 1050.

mania sola enitebant & apparebant. Hunc Usserii locum, hanc heterodoxi hominis, sed docti & eruditi, moderationem perpendat quæso Cointius: & calamum censorium, ad delendum abradendumve nimis facilem, tantisper cohibeat adversùs Regulam sancti Benedicti. Neque hoc peto in detrimentum veritatis, cui omnia cedere velim: sed pro veritate ipsa, quæ cujusque familiæ ac personæ titulos, decora & ornamenta violari ac proteri sinè legitimis ac certissimis instrumentis non patitur: Ad hæc extrema & inimicissima censuræ jura descendere nullâ injuriâ provocatus, nulla necessitate adactus, postremò nulla, nisi admodum levi, ratione ductus nemo debet. Dubitare sanè Cointio licuerit de jure nostro; etiam dubitationem suam proferre scripto, si nihil inde humanitati ejus debituri sumus, certè non obsistemus censuræ. At in re, quæ apud conjuratissimos Adversarios dubia summùm est, certam, definitam, ratamque pronuntiare sententiam, immo ubique Benedicti nomen delere & eradere, si cui licet, amicum certè (qualem se ipse erga nos fateri dignatur) planè non decet. *Audacter* (inquit) *erado nomen Benedicti*. Et ego nomen Benedicti non tam audacter, quàm justè restituo. Non enim audacia sententiis addit pondus, sed potiùs detrahit. Ad reliqua pergamus.

ad ann. 734. n. 107.

XXXI Ad argumentum quod protuleram ex compilatione Regularum sancti Cæsarii, sancti Benedicti & sancti Columbani, à Donato Vesontionensi Episcopo, Columbani discipulo facta in gratiam Jussanensium Virginum, quæ Monachorum æmulatione adductæ, utramque Benedicti & Columbani Regulam strictiùs sequi cupiebant; ità respondet Cointius: *Donatus de Regulis sanctorum Cæsarii, Benedicti & Columbani sic loquitur, ut palàm ostendat tres esse valde diversas*. Et ego etiamsi Donatus non diceret, ultro ipse faterer. Usserius paullò superiùs rem explicavit. Manet ergo integra vis argumenti mei.

num. 100.

XXXII Quid verò Cointius ad testimonium ex vita Salabergæ? *Acta*, inquit, *sanctæ Salabergæ sic interpretare; ut agmina Monachorum per Gallias ex Regula dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulâsse credas: quoniam ut Glannafoliense Monasterium aliaque Regulam Benedicti, sic Luxoviense aliaque Regulam sancti Columbani sequebantur*. At quænam illa præter Glannafoliense alia Monasteria Regulam sancti Benedicti sequebantur? quænam illa alia, in quibus pullulavit Regula sancti Benedicti, si eam ab Regula Columbani separare pergit? Enumeret quæso longam illam seriem Monasteriorum, in quæ *latè propagatum* Ordinem nostrum ante sexcentesimum octogesimum Christi annum ipse tandem fatetur. Nam quò magis Annales ejus verso & revolvo, eò magis obstupesco solitudinem nostram: nec præter unum Glannafoliense, & forsan Castrense, (quod nescio an nobis liberaliter concedet) invenio, quò se expulsi Ordinis seminarium recipiat. Si ergo nunc demum aliter quàm antea sentire cœpit Cointius, exigunt sanè justitiæ leges, ut restituat Ordini malè detracta jura & ornamenta, & numerosam Monasteriorum Monachorumque sobolem, quam ipsi præripere molitus est, scriptis tandem eidem vindicet suis, id quod de viri moderatissimi æquitate exspectamus. Alioquin certè non se expediet ab illo testimonio, quod nobis suppeditat in Vita Salabergæ Auctor gravis & ferè æqualis: nulla poterit adsignare Monasteria, in quibus pullulaverit sancti Benedicti Regula: nullam coloniam Monachorum è Glannafoliensi seminario eductam. Verùm esto, plura illa Monasteria Regulam sancti Benedicti receperint, exclusâ Regulâ Columbani. At certè admitti etiam necesse est, Monasteria ex Luxoviensi Asceterio pullulâsse, Vualdeberto Abbate, sub utriusque Regulæ disciplina. Quid enim pertinebat ad elogium Vualdeberti Abbatis, quem Auctor ille commendat hoc loco, ut eo Abbate pullulaverint agmina Monachorum ex Regula

ibid.

num. 69.

gula dumtaxat sancti Benedicti & sancti Columbani, si utriusque Regulæ propagatio per Vvaldebertum facta non est? Quis laudet sanctum Maurum hoc nomine, quòd eo vivente non tantùm Glannafoliense Monasterium sub Regula sancti Benedicti conditum sit: sed etiam quòd Reomaense sub Regula Macarii, Mitiacense sub Sanctorum Antonii & Pauli Institutis prodierint? Cùm ergo in prædictis Actis laudetur Vvaldebertus, quòd sub ejus regimine *agmina Monachorum ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperint:* utramque Regulam simul conjunctam fuisse dicendum est.

Cœperunt ergo Vvaldeberto Abbate Luxoviensi, ut disertè Anonymus hîc attestatur, pullulare Monasteria è Luxoviensi Asceterio sub utraque Regula, nec temerè proinde id factum adfirmavi post Synodum Matisconensem, quæ solido anno ante Eustasii Abbatis decessum celebrata est, hoc est anno sexcentesimo vigesimo quarto, aut insequenti, prout Eustasii obitum, qui *IV. Kalendas Aprilis* accidit, vel ad finem anni sexcentesimi vigesimi quarti, secundùm veterem calculum; vel ad initium anni proximi referes secundùm recentiorem. Nec quidquam contra efficiunt ea quæ profert Cointius, sive ex vita sancti Johannis Abbatis Reomaensis, quam Jonas interpolavit: sive ex Actis sancti Filiberti Gemeticensis Abbatis, satisque refutata manet ex superioribus consequentia ab eo illata, seriùs anno sexcentesimo octogesimo cùm in Luxoviense, tum in alia Cœnobia, quæ sancti Columbani Regulam sequebantur, mores ritusque Benedictinos introductos fuisse. Majoris tamen probationis gratiâ quædam insuper adferre juvat. Primò Synodus Augustodunensis appellari solita, quæ canone quinto-decimo præcipit Abbatibus & Monachis, *ut quidquid Canonicus Ordo vel Regula sancti Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant*, Nationale, ut vocant, Concilium fuisse videtur, illud scilicet, de quo sermo est in vulgato Leodegarii testamento, *quinquaginta quatuor Coepiscoporum Christiaco* unà cum Leodegario congregatorum *anno tertio Theoderici Regis*. Etsi enim testamentum istud in notis Chronologicis interpolatum est, & in nonnullis forsan nominibus propriis errore librariorum; non tamen omnino rejici debet: maximè cùm tam prædicti testamenti, quàm donationum in eo factarum mentio fit in litteris Johannis Papæ octavi, quas Perardus in monumentis Burgundicis post idem testamentum vulgavit. Et certè convenit huic loco epocha istius Synodi apud Sirmondum, qui Theodorici annum quartum adsignavit, nam facilè annus tertius regni cum anno quarto componitur sub diversa ratione, qua nonnulli regnum cujusque Regis ab ipso decessoris obitu, alii ab anno insequenti numerare incipiunt. Si ergo nationale Concilium ejusmodi Statutum de Regula sancti Benedicti condidit, approbantibus quatuor & quinquaginta Episcopis, constat sanè majorem Gallicanorum Episcoporum partem in hoc convenisse, ut scilicet Regula sancti Benedicti in Monasteriis accuratè *impleretur, custodiretur*, servareturque. Jam ergo ubique per Galliam in Monasteriis etiam B. Columbani vigebat, maximè in Luxoviensi, aliisque Augustoduno finitimis. Certè non de receptione, sed de *conservatione* Regulæ agit Concilium. *Si enim*, inquiunt Patres, *hæc omnia fuerint legitimè apud Abbatem vel Monasteria conservata, numerus Monachorum Deo propitio augebitur*. Porrò istud Concilium Cointius revocat ad annum sexcentesimum tertium. Longè proinde ante annum sexcentesimum octogesimum ritus moresque Benedictini etiam in B. Columbani Monasteria introducti erant.

XXXIII

ad ann. 734. n. 43.

De Burgundicis Monasteriis id confirmatur ex priori, quod in lucem hîc protulimus, Vvidradi Abbatis testamento pro Monasterio Flaviniacensi, condito *anno quarto Chilperici Regis*, hoc est anno Christi septingentesimo vigesimo aut in- XXXIV.

insequenti. Eo enim in testamento Vvidradus constituit, ut Abbas regat Monachos *secundùm Regulam S. Benedicti*. Abbate verò mortuo eligant Monachi religiosum successorem, aut ex se ipsis, aut certè (si talis apud eos inveniri non possit) *ex proximis Monasteriis*. Nulla verò tum erant prope Flaviniacum Monasteria præter Reomaense, Sequanense, Besuense, Benignianum, & Autissiodorense, quæ proinde eamdem quam Flaviniacense Regulam observabant. Et de Sequanensi quidem res certa est ex Actis Benedicti Anianæ Abbatis: de ceteris etiam id probant tum ipsa Acta, tum Concilia octavi ac noni sæculi, Capitularia Caroli Magni, & Alcuini aliorumque Auctorum testimonia jam alibi à me commemorata, quæ Regulam nostram ante Caroli Magni hominumque ejus ætatis memoriam ubique receptam fuisse adstruunt. Gratis proinde supponit Cointius, id præstitum per Monachos Casinates, qui mores Benedictinos introduxerint in B. Columbani Monasteria: tumque deinceps Monachos dictos *consistere juxta Regulam S. Benedicti & S. Columbani*. Nullam quippe coloniam Casino profectam uspiam leget: nisi forte Theodemari Abbatis Epistolam huc torqueat, quod certè non potest. Neque enim hoc pacto ignoravisset Carolus Magnus, an & quænam viguisset in Gallia Regula præter Benedictinam, nec quæstionem Episcopis hac de re proposuisset in Capitulari interrogationum. Cùm verò id inquirendum esse judicaverit, consequens est, longè ante id tempus factam esse conjunctionem utriusque Regulæ, siquidem ejus rei, immo Regulæ S. Columbani memoria jam tum obsoleverat. Denique nullum locum, nullum testimonium, vel in Conciliis, vel in Auctoribus octavi ac noni sæculi inveniet Cointius ad probandam opinionem suam: quin immo omnia Concilia; Auctores omnes unam sancti Benedicti Regulam tum viguisse una voce contestantur. Eam proinde cum Regula Columbani sæculo præcedente adunatam fuisse manifestum est. Hanc unionem probat insignis locus Chronographi Fontanellensis in capite duodecimo in editis: ubi Ragenfredus anno septingentesimo septimo decimo Vvandoni Abbati plurimos codices dono concessisse perhibetur, in his codicem unum in quo continebatur Regula S. Benedicti, & S. Columbani cum Martyrologio. Sciunt quippe rerum Monasticarum periti, sollemne fuisse quondam apud Monachos, ut quam quique servarent Regulam, eam in Cœnobiis suis descriptam atque compactam haberent cum Martyrologio: ut sic utrumque esset in promptu ad legendum in Capitulo post primam. Tunc enim lecto inibi Martyrologio, post quasdam precationes, sententias aliquot seu capitulum ex Regula Monasterii recitari mos erat. Cùm ergo initio sæculi octavi Ragenfredus penes se habuerit codicem sic ordinatum, scriptum haud dubiè jam ante annos plures, in quo utraque Regula cum Martyrologio continenter exarata erat; utramque longè ante id tempus in Monasteriis simul observatam fuisse fatendum est. De altera parte disputationis hæc satis.

ad ann. 667. n. 20.

XXXV CAPUT III. Tertium caput sic statuit doctissimus Annalista: *utrùm Regula S. Benedicti Cœnobio Fontanellensi præscripta sit à S. Vvandregisilo*. Id negat ipse, Aigradi Fontanellensis Monachi auctoritate fretus: & ego eodem auctore id probo. Aigradus in libello de vita S. Ansberti Rotomagensis Episcopi describens modum, quo à beato Vvandregisilo susceptus Fontanellæ est, ait virum sanctum audita Ansberti postulatione dixisse, *inducias consulendi super hoc habere se velle: ut sicut Apostolica & Monastica docet Regula, sciret ad quid venerat*. Deinde Landbertum Abbatem Vvandregisili successorem laudat, quòd in administrando Fontanellensi Monasterio *cuncta strenuè atque inreprehensibiliter gesserit secundùm normam sanctorum Patrum*. Denique Ansbertum ex Abbate Rotomagensem Episco-

Episcopum statuisse, in Synodo, *ut sicuti sub ejus regimine, ita inantea* id est imposterum, *& ipsi & posteri eorum* Monachi scilicet Fontanellæ, *secundùm Regulam S. Patris Benedicti fideliter Christo deservirent*. Porrò ex his deduxeram, Regulam S. Benedicti, quæ tertio loco signanter exprimitur, eamdem etiam dici κατ' ἐξοχὴν *Monasticam Regulam*, & normam Sanctorum Patrum in duobus superioribus locis; eam proinde Fontanellæ à primordiis observatam fuisse. Sanè *Regulæ Monasticæ* nomine Benedictinam intelligi maximè apud Auctorem Benedictinum, qualis sinè dubio Aigradus fuit, nemo jure negaverit. Et Regula nostra, quæ modum recipiendi Novitii præscribit capite quinquagesimo octavo, Sacerdoti in Monasterium admitti cupienti nihil relaxari præcipit capite 60. *ut sit sicut scriptum est, Amice ad quid venisti?* quæ verba huic loco rectè quadrant. Apostolica Regula, quam Vvandregisilus hoc in facto secutus est, desumitur ex epistola prima Johannis Apostoli, monentis capite quarto, *probari Spiritus, si ex DEO sint*, quem locum etiam in medium adfert S. Benedictus initio capitis 58., transiliit Cointius, tametsi integrum ferè caput descripsit. Regulæ verba hæc sunt: *Noviter quis veniens ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus: Probate Spiritus si ex DEO sunt*. Hæc ipsa est *monastica & Apostolica Regula*, à Vvandregisilo designata hoc loco, uno versu à Benedictino expressa.

Longè aliis oculis hæc legit Carolus Cointius, qui plurimum discriminis inter Vvandregisili factum in suscipiendo Ansberto, & S. Benedicti sanctionem capite 58. expressam intercedere arbitratur. *Apud Aigradum* inquit *Vvandregisilus Abbas Fontanellensis spiritualium fratrum consulta priùs suscipit, quàm Ansberti noviter ad conversionem venientis postulationibus acquiescat: & Ansbertus, ubi votorum compos fit*, Clericatûs habitu decorabilis *redditur. Capite autem duodesexagesimo Regulæ Benedictinæ, nihil de spiritualium Fratrum consultis, nihil de Clericatûs habitu legitur*. Quàm cautè dixit *capite duodesexagesimo*. Sed quid refert, capite hoc an alio, consulta Fratrum requirat S. Benedictus? Requirit autem capite tertio, ubi in quibuscumque etiam minoris momenti rebus Fratres in consilium convocari ab Abbate jubet. Porrò hoc præceptum intellexère Majores nostri etiam de susceptione Novitiorum. Vvalfardus Abbas Monasterii Adescancastri in Anglia, in quo teste S. Vvillibaldo Regula S. Benedicti servabatur, Bonifacium, futurum Germaniæ Apostolum, *inito Fratrum consilio* admisit. Idem patet in S. Poppone, qui in Monasterio S. Theodorici Monachus fieri cupiens, causas voti sui *Abbati cæterisque Fratribus intimavit*, cui petenti *Abbas unà cum Fratribus ingressum annuit*. Et Hugo, qui postea Cluniacensis Abbas sanctissimus fuit, Cluniacum veniens, primùm Odiloni Abbati mentem suam de monastica professione aperuit, tum *ex more Capitulum ingressus, in conventu Fratrum* petitionem suam exposuit, ut scilicet eum in suam societatem recipere dignarentur. Id etiam probare possem ex aliis Actis Sanctorum nostrorum. At exempla hæc æquis rerum æstimatoribus sufficient in causa nostra. Mirari verò subit, qua mente vir doctus nobis rursus objiciat *Clericatûs* vocabulum, quod ab antiquis Auctoribus Instituto Monastico tribui solitum esse, tam apertè demonstravi in Præfatione sæculi secundi. Nollem sanè his in rebus viri optimi æquitatem desiderari. Quòd si rem ut est intelligere voluisset, advertisset utique, Harduinum Fontanellæ longè post admissam (ut Cointius fateri cogitur) eo loci Regulam S. Benedicti non aliis verbis Monachum initiatum memorari, quàm quòd in eo Cœnobio *Clericatûs suscepit habitum*, uti legitur in Chronici Fontanellensis capite decimotertio, quod quartum decimum esse debet. Hæc perpendat quæso Cointius & manifestæ tandem cedat veritati.

XXXVI num. 56.

XXXVII Ad id quod dixeram, Regulam S. Benedicti in ordine Romano diei *Regulam à sanctis Patribus traditam*, quod idem est ac *Regula seu norma Sanctorum Patrum*, ad id, inquam, multa respondet Cointius. Vvandregisilum scilicet à Cœnobio *Romanis*, ubi aliquamdiu vixit, accepisse Regulam, quam posteà Fontanellensibus imposuit, eamdemque in susceptione Ansberti designavit. Porrò Monasterium *Romanis* idem esse cum Condatescensi seu S. Romani, in quo *Regula Sanctorum Patrum*, id est Regula ex variis Patrum Regulis concinnata servabatur. Hæc ille multis: cui ego paucis, at certis. Quo ex Monasterio Vvandregisilus acceperit Regulam Fontanellæ imponendam, nec Cointius ipse, nec quivis alius adsequi potest. Monasteria plura perlustravit, Montis-Falconis, Bobiense, Romanense: quod an idem sit cum Condatescensi, sæculo proximo examinabimus in Actis sancti Bernardi Archiepiscopi Viennensis. Nec si constaret quo ex Monasterio Vvandregisilus Regulam suam acceperit, inde quidquam conficeretur adversùs Regulam sancti Benedicti, quam etiam in Condatescensi Monasterio tum receptam fuisse jure contenderemus. Tota hic controversia in eo versatur, an Regula S. Benedicti aliquando appellata sit *Regula* seu *norma sanctorum Patrum*. Huic rei probandæ sufficere debuerat argumentum ex Ordine Romano, in quo disertè Regula *à sanctis Patribus tradita* vocatur. At hæ locutiones, *Regula sanctorum Patrum* & *Regula à sanctis Patribus tradita*, non censendæ sunt synonimæ, ait Cointius. Fateor in his locutionibus duplicem latere sensum. Mirum verò est, cur Carolus Cointius eas potiùs contra nos, quàm pro nobis explicet: maximè cùm cetera causæ nostræ suffragentur, mensque Auctoris ex aliis ejus verbis plana & aperta sit. Quæ auctoritas, quod testimonium non infirmari, aut convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus: consilium autem eorum qui scripserunt, & rationem & auctoritatem relinquamus? Aigradus Regulam Monasticam nominat, Regulam S. Benedicti Ansberto Abbate Fontanellæ servatam laudat: cur eamdem non esse dicas, quæ dicitur sanctorum Patrum? *Specialis*, inquis, *Regula S. Benedicti numquam appellatur Regula sanctorum Patrum*. Bona verba quæso: quid si ostendero non unum sed plures Auctores mediæ ætatis, qui hoc nomen Regulæ nostræ tribuunt? Primus aderit Ambrosius Autpertus, vir sanctus & doctus, octavi sæculi auctor, ut in ejus Actis infrà probabo, qui expressis verbis Regulam S. Benedicti appellat *Regulam sanctorum Patrum* in Vita S. Paldonis Abbatis Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum, non procul à Casino. Paldo sequacibus suis promiserat, Monachum illum, qui in suo Monasterio usque ad finem permansisset, vitâ æternâ donandum esse. *Quod quidam ignorantes*, ait Aupertus *qua intentione id prosecutus fuerit, falsa se ipsos securitate decipiunt, quamvis malè viventes & contra Regulam Patrum facientes, hoc in Monasterio si permanserint salvos esse in futurum posse*. Quam Regulam quæso intelligit, nisi Regulam Monasterii sui, Regulam utique S. Benedicti? de qua ipse in consequentibus dicit: *Omni ex parte sanctum à nobis propositum violatur, & penè nobis nihil superest, nisi quod S. Pater prædixit Benedictus, per tonsuram & habitum nos DEO mentiri*. Audin' Regulam S. Benedicti vocari *Regulam Patrum*? quidni & *Regulam sanctorum Patrum*? Neque enim eum te esse puto, qui syllabas numeres, qui objicias hic non exprimi *sanctorum* nomen. Vis adhuc & alium testem? tertium addam etiam si lubet. Vvilfridum Eboracensem Episcopum ejus nominis primum, Regulæ S. Benedicti studiosissimum fuisse propagatorem, patet ex Bedæ & Vvillelmi Malmesburiensis Monachi testimoniis in ejus Vita relatis. At verò Regula hæc tantopere ab ipso adamata & culta, dicitur *Regula Patrum* in ejus Epitaphio apud Bedam in libri quinti capite vigesimo,

In-

num. 48. & seqq.

Sæc. III. ad ann. 720.

supra ad ann. 709.

Inque locis istis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum,
Sedulus instituit.

Non dubito quin his argumentis tam claris & manifestis cessurus sit Cointius: addo tamen & alium testem, tametsi minùs antiquum, Adamum Bremensem Canonicum, qui in Historiæ suæ capite vigesimo nono Anscharium Bremensem Episcopum ex Monacho Corbeïensi laudat, quòd *siquando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi Congregationum suarum curam egit: quarum primam, quæ ab Hammanaburg olim Barbarica incursione depulsa est, ipse transtulit ad Ramsolas; secundam in Bremis habuit Sanctorum Virorum, qui habitu quidem usi canonico, Regulâ vivebant Monasticâ*, haud aliâ sanè quam Benedictinâ, quæ hoc nomine simpliciter à Latinis appellari consuevit, quamque Anscharius Corbeïæ imbiberat, eamdemque Bremæ Canonicis imposuerat, uti etiam ex Lambecio in Actis S. Vvillehadi inferiùs probabitur. Quid ergo? certè idem Auctor quam *Regulam monasticam* hoc est Benedictinam prædicto in loco nuncupat, eam posteà in capite sexto decimo supra centesimum, seu in libri secundi capite primo & sexagesimo *Regulam sanctorum Patrum* vocat his verbis: *Sanè ex illo tempore Fratribus, qui antè canonicè vixerant, extra claustrum vagantibus, Regula sanctorum Patrum per multa priùs sæcula studiosè conservata, primò negligentiùs haberi cœpit, deinde funditus abjecta consenuit.* Denique si sanctiorem insuper auctoritatem requiras, præstò est Concilii Trosleiani anno nongentesimo nono habiti caput tertium, ubi Patres arguunt usum Abbatum sæcularium, primò auctoritate Regulæ S. Benedicti, quam *Regulam sancti & sancto Spiritu pleni Beatissimi Patris Benedicti* appellant; secundò, auctoritate Conciliorum; tertiò Capitularium à Regibus conditorum. Quibus fusè expositis, quasi recapitulando subjungunt: *Hæc ita post primam sanctorum Patrum duce sancto Spiritu ordinationem, ac deinde post Canonicam de his auctoritatem, à prioribus Imperatoribus & Regibus decreta & custodita fuerunt.* Vides Regulam S. Benedicti tantopere à Patribus istius Concilii laudatam appellari *Ordinationem sanctorum Patrum*, quod sensu idem est ac *Regula & norma sanctorum Patrum*. Ergo hæ locutiones *Regula à sanctis Patribus tradita*, *Regula sanctorum Patrum*, in Ordine Romano & apud Aigradum synonimæ censendæ sunt. Sed relinquamus quæso ista, nec aucupia verborum & litterarum tendiculas in invidiam ulteriùs voces. Si quis verò quærat, quam ob rem S. P. Benedicti Regula dicta sit *Regula sanctorum Patrum*, id maximè factum reor, ut jam aliàs dixi, ob sanctimoniam eorum, qui eam profitebantur. Hanc quippe rationem suggerit Eigil Abbas Fuldensis in Actis Sturmii Abbatis, dum ait Sturmium in Italiam missum à Bonifacio fuisse, ut perfectam Regulæ Benedictinæ observationem disceret, *& omnium Fratrum mores traditionesque Monasteriorum* disceret: eumdemque Fuldam reversum opere complevisse ea, *quæ in Italiæ partibus & Tusciæ provinciæ Monasteriis à sanctis Patribus didicerat.*

Ex superioribus manifestum est, Regulam S. Benedicti Fontanellæ à Vvandregisilo impositam fuisse, quam Ansbertum Abbatem loci tertium tenuisse nulla Prioris Regulæ mutatione facta constat. Id verò etiam perspicuum fit ex Actis sancti Hermenlandi Abbatis, ab Auctore gravi ac ferè ejus æquali descriptis, in quibus Hermenlandus à Lantberto Vvandregisili successore vestes monasticas suscepisse, ac proinde ab eodem in Armoricam missus, ut *novus Benedictus effulsisse* in Antrensi Monasterio perhibetur. Quod elogium sanè nemo rectè Hermenlando tribueret, si S. Patris Benedicti mores ac Regulam secutus non fuisset. De Fontanella satis. XXXVIII

Jam

XXXIX CAPUT IV Jam tandem devenimus ad caput quartum disputationis nostræ, nimirum *utrùm Regula sancti Benedicti Monasteriis Gandensibus & Elnonensi imposita sit per beatum Amandum.* Probaveram in Præfatione Sæculi secundi, Amandum Turonis in Martiniano Cœnobio monasticum suscepisse habitum, & addixisse se Regulæ S. Benedicti, quæ ibidem vigebat: quam postea Belgicis Monasteriis ab se constructis imposuerit. Et quia Baudemundus agens de monastica Amandi initiatione, ait eum comam capitis sui abscidisse, adeptumque *Clericatûs honorem*; ne adversarii fucum facerent in voce *Clericatûs*, manifestis docueram testimoniis, Monachos passim apud auctores medii ævi, immo apud superiores, Clericos appellari solitos, & Monasticæ professioni non rarò tribui *Clericatus* vocabulum.

XL. *ad ann. 734. n. 70. & seqq.* Huc incommoda quædam, argumentorum longam pompam admovet Cointius. Incommodum invenit in ipsius Amandi proposito, qui antequàm tonsuram susciperet, obnixè ad sepulchrum beati Martini oravit, *ut numquam eum Dominus ad solum patrium remeare permitteret, sed omnem vitæ suæ cursum in peregrinatione expenderet.* Quibus aliisque verbis relatis infert vir doctus: *in hisce Baudemundi scriptis nihil occurrit, quod Amandum Ordini Benedictino adscribendum suadeat, immo sunt multa, quæ Regulæ Benedictinæ refragantur.* Quænam illa multa? Nempe *Amandus ad tumulum sancti Martini prostratus post lacrymas uberrimè profusas nihil à DEO postulâsse vel obtinuisse dicitur, quàm ut eum numquam Dominus ad solum proprium remeare permitteret. Convenitne ritibus Benedictinis vehementissimum hoc desiderium obeundarum totâ vitâ peregrinationum?* Audio. At intempestivum sit illud desiderium; cogita novitii hominis votum esse & monasticæ disciplinæ regulis nondum informati. Deinde si paullò attentiùs expendas Amandi verba, invenies non aliam ejus fuisse mentem, non aliud desiderium, quàm ut ne ad paternos lares umquam reverti cogeretur: sed in peregrinatione, hoc est in aliena regione degeret, non assiduè cursitando, sed in alieno solo permanendo. Denique non desunt religiosorum virorum, etiam Benedictinorum exempla, qui meliorem ætatis suæ partem in peregrinationes impenderunt. Exempla non pauca in medium adducere possem, si hærere licet in re tam levi. Verùm, ut dixi, alia mens Amando erat, qui ut unum quærebat, ut apud exteros ignotus lateret: cui rei argumento est, quòd is vix annum unum Turonis moratus, adit Austregisilum Bituricensem Episcopum, & ab eo cellulæ inclusus, ibi degit *annis quatuordecim*, non tam diu illic perstiturus, si assiduè peregrinari habuisset in animo.

XLI Occurrit etiam Cointius hoc loco. *An illud*, inquit, *vitæ genus moribus Benedictinis conforme dixeris?* An verò conformius moribus Clericorum, ad quorum partes adjungis Amandum? an Clericis solemniter, uti de Amando cogeris dicere, susceptis licebat recedere ab Ecclesia, cui nomen dederant, & cui (ut loquuntur Canones) incardinati addictique erant? Sed quid tandem eo in facto contrarium moribus Benedictinis, quales ea tempora ferebant? Amandus recedit à Turonico Monasterio anno probationis exacto, *ab Abbate ipsius loci & à Fratribus benedictione percepta.* Biturigas profectus, *recluditur in cellula ob amorem vitæ æternæ, cilicio tectus & cinere, jejunio attritus atque inedia, ordeaceo tantùm pane contentus atque aquâ perpaululum: ibique ternis fermè militavit lustris.* Deinde *incidit ei cogitatio, ut ad limina Apostolorum properare deberet.* Clericorum hi mores sunt, an Monachorum? Certè ut communes utriusque sint peregrinationes; at benedictio ab Abbate impertita, in cellam reclusio, asperrimum hoc vitæ genus, Monachorum mores magis sapiunt quàm Clericorum. Non immorarer his rebus, mi Cointi, nisi haberem te ducem: reliqua argumenta tua percurro. Illud

Illud deinde occurrit, quòd Monachos simul & Clericos in Martiniana Basilica eo tempore, quo Amandus istuc secessit, extitisse dicis, sed non probas. Monachos Gregorii Episcopi Turonensis ætate eo loci fuisse demonstrat Hadrianus Valesius in disceptatione de Basilicis, capite tertio, proindeque Clericos non alios quàm Monachos inibi vixisse constat. Neque enim misti illi Canonicorum & Monachorum cœtus per ea tempora ulli erant, immo Canonicorum Collegium ferè nullum ante Sæculum octavum aut noni initium, extra Ecclesias cathedrales. Erant ergo, ut dicebam, in Martiniana Basilica Monachi per id tempus. At non Benedictini, inquis. Non mirum si hoc dicis; nam familiaris tibi est oratio ista. Sed mirum quomodò id probas. XLII

Primum argumentum tuum sic procedit. *S. Maurus, qui Regulam S. Benedicti primus in Gallias intulit, obiit anno Christi sexcentesimo quarto* (immo anno quingentesimo octogesimoquarto.) *Eo in vivis superstite nullam Glannafolio legimus eductam Monachorum coloniam. Anno post septimo beatus Amandus Turonos venit, an illic tunc Ascetæ Benedictini?* Si sic argutari pergis, numquam Regulam S. Benedicti admittes in Cœnobium Martinianum. Nusquam enim coloniam de Glannafolio istuc deductam leges. Et tamen concedis, Regulam S. Benedicti Berto Episcopo istic post annum Christi sexcentesimum sexagesimum quintum viguisse. At ubi colonia Monachorum, ubi Abbas Glannafolio transmissi? Lege, revolve Annales & chartas veteres; nullum hujusce rei vestigium invenies. Ampliùs dico: si hanc argumentandi rationem tenes, ex omnibus Galliæ Monasteriis eliminanda est S. Benedicti Regula. Nusquam enim, quod sciam, legimus colonias Monachorum Glannafolio eductas, a nullis petitas, receptas à nullis legimus, præter id quod de Monasterio S. Salvini legitur apud Rodulfum Glabrum, & in Actis S. Hugonis Monachi Æduensis. Cùm ergo palam res sit, omnia Galliæ Monasteria concessisse in Regulam S. Benedicti ante Caroli Magni Principatum, nec de coloniis Glannafolio aut Casino transmissis ulla mentio sit; fatearis necesse est, aut id neglectum ab Scriptoribus illius temporis; aut Regulæ nostræ propagationem in antiquiora Monasteria factam aliis modis fuisse. Qua de re aptior erit alias dicendi locus. XLIII num. 76.

Alterum argumentum, quo Monachos è Martiniana Basilica vir doctus excludit sæculi septimi initio, desumit ex eo, quod Dagobertus longè post illud tempus, quo Amandus in Turonicum Monasterium exceptus est, *Ordinem psallentium* in Monasterio Dionysiano *ad instar Monasterii sanctorum Agaunensium & S. Martini Turonis instituit. Agaunenses autem Monachi,* inquit, *Regulæ Benedictinæ non erant addicti. Ergo nec Martiniani.* De Monachorum Agaunensium Instituto, quos S. Benedicti Regulam, quum illac transivit beatus Maurus, accepisse non immeritò sentiunt plerique, disputare non juvat hoc loco. Consecutionem istam tantùm consideràsse sufficiat. Qualis fuerit Ordo psallendi penes Agaunenses Monachos, fusè disputat doctissimus Annalista in tomo primo, contenditque contra omnium mentem, ritum illum non fuisse Laudem, ut vocant, perennem; sed Psalmodiam alternis choris quotidie persolutam. Hæc enim sunt ejus verba: *Temporibus Sigismundi Regis in Synodo Agaunensi non est sancitum, ut Agaunenses Monachi laudem perennem celebrarent: sed tantùm ut alternis psallerent choris, eoque ritu singulis diebus omnes horas Canonicas in congregatione decantarent &c.* bellè omnino. Atqui nullum validius poterat suppeditari argumentum, quo demonstrarem, hujusmodi ordinem psallendi, quem Agaunenses ac Turonenses Monachi servabant, non fuisse diversum à Benedictino; siquidem S. Benedictus in Regula sua præcipit, ut alternis choris per dies singulos horæ Canonicæ decantentur, quod ab Ordinis nostri exordio XLIV ibid. tom. 1. ad ann. 536. n. 225. & seqq. num. 251.

dio frequentatum esse nemo nescit. Non ergo detrahendi nobis sunt Turonenses Monachi hoc argumento, quòd servarent Ordinem psallendi ad instar Monasterii Agaunensis, si ordo ille consistat in psalmodia alternis choris celebrata in dies; immo potiùs ex hac interpretatione sequitur, prædictos Monachos à nostris non fuisse diversos. Si verò cui magis placeat, (ut meritò certè omnibus hactenus visum est) ritum illum psallendi explicare de perenni laude; nec etiam hoc modo subducendi nobis Martiniani Cœnobitæ: cùm constet jugem illam psalmodiam in Monasteriis nostris nonnullis, puta in Centulensi & aliis, diu viguisse.

XLV Nihil ergo efficiunt argumentationes istæ, nec causæ nostræ quidquam officiunt, quo minùs Regula S. Benedicti jam recepta fuerit in Martinianum Cœnobium, quum Amandus istuc secessit. Et sane causam nostram illud juvat; non solùm quòd Berti Turonensis Episcopi pontificatu jam ibi vigebat, ut Cointius ipse fatetur; sed etiam quòd Amandus Cœnobiis Gandensibus ab se institutis à primordiis imposuit S. Benedicti Regulam, eam scilicet quam in Turonico didicerat. Clericos primùm in Gandensibus Monasteriis, dein paucis post annis Monachos fuisse collocatos scripsit Theodoricus Abbas Trudonianus in libro de Vita S. Bavonis ab se expolita, malè interpretatus primarium Auctorem anonymum, qui libellum de gestis ejusdem Sancti primitus condiderat. Is quippe Anonymus Monachos ab Amando Gandæ stabilitos, eo in libello *Clericos* vocat, uti & alii Auctores non pauci mediæ ætatis. Theodoricus verò cùm animadverteret Monachos inibi ante omnium memoriam extitisse, illud demum ita explicavit, ut diceret, Clericos primùm eo in loco, dein paullò pòst Monachos positos ab Amando fuisse, quibus Florbertus Abbas primus præfectus sit. Extat Anonymus iste a nobis in Sæculo secundo primùm editus, ex cujus verbis tam evidenter in Præfatione ejusdem sæculi demonstravi, Monachos Gandæ ab initio collocatos fuisse, ut nemo sinceri amans id infitiari possit.

LXVI Ut indè se eximat eruditus Annalista, duos fingit Anonymos, qui S. Bavonis gesta in literas retulerint, unum antiquiorem, à quo Theodoricus auctoritatem suam mutuetur: alterum recentiorem, id est nostrum, quo Theodoricus usus non sit. Hæc mihi tam facilè fuerit negando revincere, quàm Cointio non probando adferre. Attamen ut Anonymo nostro integra constet auctoritas, juvat paucis urgere hunc locum. Quòd alius Anonymus antiquior Acta S. Bavonis descripserit, nemo adfirmare, nemo adfirmanti credere debet, nisi aut ea Acta exhibeat, aut testimonia hanc in rem proferat. Unicum libellum de Vita S. Bavonis citant Othelboldus Abbas, & Anonymus scriptor Miraculorum ejusdem Sancti, Theodorico superiores ætate. Theodorico antiquiorem esse Anonymum nostrum, constat tum ex veterrimis codicibus, in quibus ejus scriptio reperitur, tum ex stylo ejus rudi & impolito, tum ex brevitate; cùm è contrario Theodorici lucubratio politior prolixiorque sit, & quibusdam interpolamentis auctior. Quid? quòd Theodoricus distinguit Clericos à Monachis, secùs quàm Anonymus noster: quod argumento est, Theodoricum præ oculis habuisse hunc Anonymum, in cujus interpretatione hallucinatus est. Nam rogo te, an id commissurus erat homo recentior; si Ordini suo favere (ut vult Cointius) in animo habuisset? Sanè hæc vocis acceptio non parùm Auctoris antiquitatem probat, ævo Theodorici jam ignorata. Ut istius Anonymi antiquitatem aliquo indicio designarem, adduxeram hæc illius verba in Observationibus præviis: *Si omnia, quæ de ejus*, nempe Bavonis, *gestis comperimus, vellemus prosequi; dies, ut opinor, antè quàm verba cessarent*. Quæ verba, inquiebam,

tom. 4. ad ann. 734. num. 79.

bam, quasi testem oculatum præseferunt. Longè aliter sentit Cointius. *Eadem verba*, inquit *quamvis anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo scribamus, & ab ætate S. Bavonis longè remotiores simus; pari jure absque dispendio historicæ veritatis usurpare possemus.* Verùm ea Anonymi verba nemo sinè veritatis dispendio usurpare potest, qui non longè plura de S. Bavonis vita comperta habeat, quàm quæ Anonymus ipse commemorat. Si ergo verba hæc sinè dispendio historicæ veritatis usurpare Cointius potest, reliqua Bavonis facta proferat quæso in lucem, nec ea diutiùs ignorari à nobis patiatur. Si verò non tenet memoriâ tot & tantas res ab Anonymo prætermissas, quæ de Bavonis vita loquenti sufficere possint in multam diem; concedat tandem verba illa hominis esse, qui Bavonis res gestas proximè didicerat, & quasi oculatus testis callebat. Anonymus ergo à nobis editus ille est, quem laudat tum Ado Viennensis Episcopus in Martyrologio suo Kalendis Octobris, cujus proinde Anonymi libellus per Galliam jam tum dispersus erat, tum Scriptor miraculorum S. Bavonis, homo sæculi decimi: standumque ejus Anonymi auctoritati scribentis Monachos Benedictinos in Cœnobiis Gandensibus ab initio extitisse. Id ipsi etiam Cointio (ut spero) persuadebit & ipsius Anonymi antiquitas, manuscriptis codicibus aliisque argumentis comprobata; & lectio ejusdem paullò attentior. Absit enim ut eum habeam in illorum numero, qui pugnare malint, quàm verum confiteri. Hactenus virum & Instituti societate, & privata necessitudine nobis amicum, æquis animis sustinuimus multa contra nos, tametsi levibus omnino argumentis, molientem; hactenus ut de ejus æquitate ac moderatione rectè sentiremus, animis nostris imperavimus. Si verò ulteriùs pergit nobis objicere speciosas, ut solet, argutias; vereor ne nostris persuadeatur tandem, id non tam inquirendæ veritatis, quàm insectandi monastici Ordinis studio susceptum fuisse. Quod ut credi nolim, ita nec velim diutiùs occupari nos in his disputationibus: quæ cùm ferè otiosæ sint, tum viris eruditis nauseam pariunt, certè mihi ipsi. *ibid.*

Ceterùm hæc de tota ista controversia multis amplificare & confirmare potuissem; sed in animo est, ut initio dixi, leviter transire & tantummodò perstringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, intelligat etiam Cointius ipse, me non studio refutare, sed officio defendere. XLVII

In fine totius Præfationis reliquum est, ut cum debita grati animi significatione commemorem eos, qui studia nostra juvare & promovere studuerunt, & auxiliares copias huic tertio sæculo suppeditârunt, tum ex Germania, tum ex Belgio, tum ex Anglia. Quos inter mihi multis nominibus celebrandus est Reverendissimus Pater Romanus Abbas Monasterii S. Pantaleonis Coloniæ, idemque Congregationis Bursfeldensis Præfectus, cujus beneficentiâ contigit, ut eruditi viri Vvillelmus Vvlfrathus Cœnobii Prior, Bernardus Moërsius Theologiæ Lector, recèns mortuus; & Antonius Erkelensius nobis operam suam contulerint. Id etiam ultrò præstitêre amplissimi Abbates D. Carolus Marchantius Monasteriensis in Valle S. Gregorii, & D. Maurus Iburgensis, ac per eum Adolphus Overhamus Cœnobita & Bibliothecarius Corbeiæ Saxonicæ eruditus. Ex Belgio item amplissimi Abbates Letiensis, Bergensis, & Blangiacensis, tum etiam Sodales nostri Bertiniani, Ghisleniani, Vedastini, Afflegemiani, quos propriis nominibus, ubi locus exiget, designabo. Studiis etiam nostris non parùm favit amplissimus D. Prælatus Blandiniensis, adnitente etiam Andrea Vanheulio Bibliothecario docto, amico meo. Ex Anglia unus instar multorum est vir spectatissimus D. Josephus Vviliamson, Regi ab intimis secretis, jam laudatus à nobis non semel, cujus beneficio ac liberalitate permulta XLVIII

accepimus, quæ non minùs historiam nostram illustrant, quam ejus memoriam ac nomen apud nos commendant. Hæc de exteris; nam ab Italia & Hispania nihil dum obtinuimus. Ad Nostrates quod attinet, non est necesse ut numerum ineam eorum, qui nobis tulêre suppetias. Quot ferè Monasteria nostra sunt in Gallia, tot beneficia exinde nobis provenerunt. Quamquam non est, cur ejus rei mentionem faciam: cùm opus hoc non tam unius aut alterius sit, quam Congregationis nostræ Sodalium, præter id quod erratum à me est, quod certè agnosco meum. Non prætéribo tamen ex Galliæ nostræ hominibus V. C. Antonium Vionem Herovallium, numquam satis Literatis omnibus laudatum, qui pro sua humanitate ac liberalitate nullum prætermisit officium, quod è re nostra esse intellexit. Addam ex florentissima S. Vironi Congregatione Benedictina religiosos viros Constantinum Gravellium, recèns Luxovii Priorem; & Bartholomæum Senocum Monasterii sancti Vironi Cœnobitam ac Theologiæ Lectorem eruditum: è Cistertio amicum nostrum Jacobum Lanoium, qui ante duos annos Belgii Monasteria & Bibliothecas nostri causâ perlustravit. Ceterùm illud beneficii loco ab aliis peto, ut conatus nostros DEO Opt. Max. commendent, quatenus studia nostra qualiacumque cedant in Reipublicæ Christianæ utilitatem & Ordinis nostri profectum.



JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM PRIMAM
SÆCULI QUARTI
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quod est ab anno Christi DCCC. ad DCCCC.
impressa Parisiis anno 1677.





Ost longas studiorum inducias ; quas adversa mi- I
hi valetudo ante annos ferme quatuor indixit ; post
intermissam à triennio hujusce operis editionem , cujus
filum in Anno Christi DCCC.XXIX. abrumpere co-
actus sum ; denique post editos veterum Analectorum
tomos duos , quos per ea morbi tædia atque otia pro
modulo digessi ; jam tandem , quatenus affectæ vires
sinunt, redeo ad optata studia, id est ad Sæculum Ordi-
nis nostri quartum , Ecclesiæ nonum ; cujus lætis ac
magnificis initiis (ut rebus humanis accidere solet)
perturbatus decursus, infelix ac miserabilis exitus successit.

Carolus, cognomento Magnus , sed animi rerumque gestarum præstan- II
tiâ maximus, acceptum à Pippino patre Regnum in eam amplitudinem & ma- Europæ
jestatem evexerat, nullum ut in orbe potentius foret nullumque fortunatius , si Status
magis diuturnum fuisset. Parebat ejus legibus non solùm Gallia omnis, sed
etiam magna pars Italiæ, Germania , Noricum, Pannonia , Dacia, & aliæ Sep-
tentrionales Regiones, eidemque manum Hispania dare gestiebat. Sed ubi tan-
tum Imperium extra sortis aleam positum videbatur, magnitudine sua laborare
cœpit: ut non facilè ab uno homine teneri ac regi posset, qui Carolo Magno
esset minor . Tanto Principe cadente cessit Ludovico Filio paterna hæredi-
tas , bellica virtute ac pietate comparata : qui Ludovicus cùm à plerisque prin-
cipiò amaretur ut pius, ab omnibus demum desertus, abjectusque est , memoran-
do ac miserendo humanæ inconstantiæ exemplo . In thronum posteà restitu-
tus, Imperium in tres filios divisum reliquit : qui sua sorte non contenti , cùm
alter alteri insidias & bella parant, Septentrionalibus populis (Nortmannos vo-
cant) in has Regiones aditum præbuêre. Illi omnia igni & ferro vastantes, &
cum legitimis Regibus per annos ferè septuaginta sæpiùs conflictati , eversi
tandem Imperii reliquias cum vero hærede partiti sunt . Dani haud absimi-
lem cladem intulêre majori Britanniæ, Hiberniæque adjacenti : cùm Arabes
antè in Hispanias effusi diram Christianorum stragem edidêre.

Iisdem propemodùm gradibus processit Ecclesiæ status . Quo sua cumque III
Carolus, eò etiam Crucis tropæa inferebat, Templis, Arisque, Episcopatibus, Ecclesiæ
ac Monasteriis erectis : adeò ut non tam sibi, quàm Christo vicisse non imme-
ritò credatur . Ludovicus Augustus patris Religionem æmulatus, majorem
etiam curam regni Christi gessisse visus est, quàm sui, quando in Boreales trans
Albim regiones, quas ferro domare desperaverat , Evangelii Præcones dire-
xit , Anscharium, aliosque è nostris viros doctrinâ ac pietate præstantes : qui
efferis illis nationibus Christi jugum imposuêre , quod bellicæ artes armaque
perficere non potuerant.

Utrique etiam Imperatori magna fuit sollicitudo restituendæ cùm eccle- IV
siasticæ, tum regularis disciplinæ, ac monastici Ordinis propagandi. Varia & rei mo-
hac de re Concilia indicta, Capitularia edita, utiles conditæ leges , quas extem- nasticæ,
plò violavit bellorum intestinorum licentia. Eò verò Caroli studium in rem
Chri-

Christianam exarsit, ut Saxonibus Baptismum detrectantibus, iisdem jam conversis, sed Ecclesiæ de Quadragesima leges abjicientibus, mortis supplicium interminatus sit. Ludovicus Augustus in restituenda monastica disciplina plurimùm usus est operâ Benedicti Anianæ Abbatis, quem alterum Ordinis nostri parentem Gallia sortita est.

V Controversiæ. Ut bella Rempublicam, sic graves controversiæ per id tempus Ecclesiam perturbârunt. Ex Oriente quippe in Occidentem permanavit quæstio de colendis Imaginibus: quæ Gallorum animos integro sæculo à Græcis abalienavit. Galli vicissim Orientalibus contentionis materiam subministrarunt, ob additamentum Symboli de processione Spiritus Sancti. Quin etiam ex Hispania in Galliam per Elipandum & Felicem Episcopos hæresis Adoptivorum infeliciter disseminata est: at continuò repressa. Accessere quatuor capitula de gemina prædestinatione, de libero arbitrio, de divina voluntate salvandi omnes homines, ac de pretio sanguinis Christi Domini: quæ ingentes in his regionibus turbas excitavêre. De Eucharistia etiam hinc indè graviter agitatum apud Gallos, atque de modo, quo Christus è Virgine processit. His omnibus malis cumulum imposuit funestum Græcorum discidium, qui Photio auctore ac incentore in Latinos debacchari cœperunt, variis objectis criminationibus, quæ non tam simultatis causæ, quam colores fuêre. In his omnibus quantùm pro Ecclesia Majores nostri adlaboraverint, testantur libri ab ipsis editi: in quibus renascentis scientiæ & eloquentiæ, paullò pòst intermorituræ, vestigia præclara invenias. Hæc breviter ob oculos posita, fusiùs pro more meo illustrare convenit in gratiam studiosorum; quibus non ingrata est istarum rerum plana & pacata tractatio. Exigit etiam institutum meum, ut de restituta per Benedictum Anianensem Abbatem, aliosque monastica disciplina, datâ operâ iterum edisseram, ut in loco: tum de celebrioribus Ordinis nostri Scholis per ea tempora institutis. Cui argumento succedunt Observationes Ecclesiasticæ, Monasticæ, atque Historicæ.

§. I.

De hæresi Feliciana, seu Adoptivorum.

VI CUm octavo ac nono sæculo negotiorum Ecclesiasticorum summa aut per Nostros, aut cum Nostris gereretur, penes quos & Ecclesiæ dignitates, & studiorum cura maximè residebant; quænam illorum partes fuerint in controversiis, quæ ea tempestate Ecclesiam sollicitârunt, brevi oratione explicandum est.

VII Ex septem controversiarum capitulis, quæ per illa tempora efferbuisse in Ecclesia mox dicebam; tria tantùm hac in Præfatione explicare juvat, aliis in alium tomum rejectis. Cùm enim hujus Sæculi Acta in duo volumina partiri coactus sim; simul etiam præloquendi argumenta necesse est dividere in duas partes, ut sua utrique tomo Præfatio respondeat. Hîc itaque agendum ante omnia de hæresi Feliciana; tum de Symboli additamento: ac demum de cultu Imaginum: quæ tria origine priora turbarum capita exstiterunt.

VIII Atque ut à primo exordiar, cùm circiter annum DCC.LXXX. Elipandus Toletanæ Ecclesiæ præesset, Felicem Urgelitanæ Sedis Episcopum, præceptorem quondam suum, consuluit, quo pacto Christum Dei Filium agno-

sce-

ſceret, naturalem an adoptivum. Hic literis ſuis profeſſus eſt, Chriſtum ſecundùm naturam aſſumtam filium eſſe non naturalem, ſed nuncupativum adoptivumque. Reſcripto accepto Elipandus (qui eâ doctrinâ ſinè dubio antè imbutus fuerat) hoc peſtiferum dogma per Aſturias & Galliciam diſſeminavit; Felix verò per Septimaniam, teſtante Jona Aurelianenſi Epiſcopo initio libri primi de cultu Imaginum. Inter eos, quos Elipandus ad partes ſuas adduxit, fuêre Aſcaricus Bracarenſis Epiſcopus, & Fidelis Abbas, cui primo ſectæ ſuæ arcana revelavit, ſcriptâ ad eum epiſtolâ *menſe Octobri, æra DCCC. XXIII.* ſeu anno Chriſti DCC.XXXV. teſtante Beato Abbate ab ipſo initio libri I. adversùs Elipandum. Acceſsêre etiam ad eandem ſectam Cordubenſes nonnulli, ut mox ab ipſo Elipando diſcemus. Id ubi reſcivit Hadrianus Papa primus, ad univerſos Hiſpaniarum Epiſcopos ſcripſit Epiſtolam, quæ eſt 97. Codicis Carolini. Hac eos monet, ut Mingentii cujuſdam, ejuſque Aſſeclæ, nomine Ægilæ, turbas de Paſchatis die feſto; atque adeò Elipandi & Aſcarici Neſtorianam in Chriſtum Dominum blaſphemiam coërcerent. Convocato provincialium Epiſcoporum cœtu, Elipandus Mingentinos, uti ipſe in Epiſtola ad Fidelem Abbatem gloriatur, reprimit incunctanter: at proprium errorem, quem à Felice acceperat, publicare pergit. Gliſcenti hæreſi occurrerunt in primis Beatus Abbas Hiſpanus, & Hitherius ejus diſcipulus: quibus in operæ conſortionem acceſſit, præter Paulinum Aquileïenſem Patriarcham, Alcuinus, de utroque ita ſcribens in libro adversùs Felicem primo. *Quòd verò quemdam Beatum Abbatem, & diſcipulum ejus Hitherium Epiſcopum dicitis huic veſtræ ſectæ primùm contraire; laudamus eos in eo, quòd veritatem defendere conati ſunt. Sed ſi verum eſt quod dixiſtis, eos duas naturas Chriſti in unum confundere, ſicut vinum & aquam; hoc nullatenus conſentimus.* Falſa erat hæc criminatio, quam Adverſarii ex ipſorum ſententia perperam inferebant, quaſi indè conſequeretur, ſi Chriſtus cenſeretur filius Dei naturalis, quà homo eſt, ut natura humana cum Divina confundi deberet. Ubi Felicis epiſtola in Alcuini manus pervenit; auctorem ab errore amica admonitione retrahere conatus eſt; cui Felix literas remiſit amarulentis, aculeatiſque verbis plenas, ut vel ipſa earum probat inſcriptio in hunc modum: ***Reverendiſſimo Fratri Albino Diacono, non Chriſti miniſtro, ſed Antiphraſii Beati fœdiſſimi diſcipulo.*** Ita locum hunc reſtitui, cùm legatur in editis *antiphraſt beato fœdiſſimi diſcipulo*, apud Cheſnium, qui etiam in ſuperiori Alcuini verſu, ubi de Beato Abbate agitur, *beatum Abbatem* adjectivo nomine expreſſit.

De eodem Beato intelligendus eſt Elipandus in epiſtola ad Felicem nuper converſum in hæc verba. *Ego verò direxi epiſtolam tuam ad Cordobo fratribus, qui de Deo recta ſentiunt, & mihi multa ſcripſerunt, quæ in tuo adjutorio debueram dirigere, ſed ab ipſo hæreſiarcham Albini magiſtro Antiphraſio Beato direxi relegenda*, id eſt *ad ipſum hæreſiarcham Albini magiſtrum, Antiphraſium Beatum.* Ad hanc antiphraſim reſpexit ejus vitæ ſcriptor, qui de Beati Abbatis libris duobus adversùs Elipandum editis ita ſcribit. *Cujus cùm in manus Elipandi & aliorum ſequacium pervenit codex, illum infeſtiſſimis ſunt dedecorum ulceribus verbo & paginis inſecuti, inter quæ Antiphraſii nomine maculârunt.* IX

Acceptis Felicis literis Alcuinus reſpondit libris ſeptem; idemque adversùs Elipandum quatuor libros compoſuit, præmiſsâ epiſtolâ, quæ Elipandi bilem in ipſum excitavit. Felix Narbone primùm anno DCC.LXXXVIII.; dein Ratiſponæ anno DCC.XCII.; tum Francofurti ad Mœnum biennio pòſt; mox Hadriano Pontifice Romæ; ibidemque ſub Leone anno DCC.XCIX.: ad hæc eodem anno in Synodo Urgelitana, cui Benedictus Anianenſis Abbas à X

Ca-

Carolo Magno Legatus interfuit, ac demum in Synodo Aquisgranensi confutatus, convictusque ab Alcuino est. Totius ferè negotii seriem describit Felix in confessione fidei suæ, quam Clericis parochiæ suæ jam sanior factus transmisit. Hæc tametsi omnia octavo sæculo gesta sint, ad hunc locum revocavi: propterea quòd ea facta ad Beatum Abbatem, Alcuinum, & Benedictum itidem Abbates, quorum Acta refero in hoc Sæculo nono, pertineant.

XI Post obitum Felicis, quem Lugduni decessisse ex fama refert Ado in Chronico, Agobardus quemdam illius invenit Dialogum; eoque perlecto animadvertit, *hominem diligenter, & fraudulenter instauráſſe, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Episcopatûs depositus*. Agobardi hoc de libello censuram *quidam ex fratribus indignè tulerunt*, arbitrati, eam non procedere ex *zelo fidei, sed invidentiæ*. Hinc est, quòd tum judicii sui æquitate, tum Fidei integritate ac religione impulsus, *schedulam*, ut vocant, istam sive dialogum impugnare aggressus est in gratiam simplicium, rudiumque Christianorum, *qui incautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda cuncta putabant quæ dixisset; nescientes, quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita*. Opusculum hac de re suum Agobardus nuncupavit Ludovico Imperatori, ad cujus exordium imperii Felicem pervenisse inde conjicere licet. Eum etsi *religiosâ vitâ ac sanctitate spectabilem* appellet Alcuinus non semel; tamen *in errore suo mortuum* ferebant Adonis ætate. Mala sanè (si ita res est) boni hominis fortuna!

§. II.

De additamento Symboli.

XII EOdem tempore exorta est quæstio de processione Spiritus Sancti, ventilata primùm anno DCC.LXVII. in Synodo Gentiliacensi, dein anno DCCC.IX. in Aquisgranensi, ac paullò pòst in Collatione eodem anno Romæ cum Leone Pontifice habita, cui Adalhardus Abbas Corbeïensis jussu Caroli Magni, unà cum Jesse Ambianensi & Bernario Vvormatiensi Episcopis, interfuit, comitante Smaragdo Monasterii S. Michaëlis in pago Virdunensi Abbate, qui prædictam Collationem in literas retulit. Dogma probavit singulari edito libello Theodulfus Episcopus Aurelianensis, cui Carolus Augustus hanc provinciam demandaverat. Hujus Controversiæ occasio petita est ex more Gallorum, qui cùm in Symbolo Constantinopolitano addidissent vocem *Filioque*; in quorundam reprehensionem incurrêre, præcipuè Johannis Monachi Hierosolymitani. Is quippe anno jam dicto in Galliam missus ad Carolum, controversiam hac de re commovit, quæ ad Romani Pontificis judicium delata est. Gallorum sententiam probavit Leo Papa III. non factum: ratus nefas esse quidquam citra Ecclesiæ universæ definitionem in Fidei Symbolum admittere. *Licet*, inquit, *docendo cantare & cantando docere: sed illicitè in prohibitis, nec scribendo nec cantando licet inserere*. Legatis persuadentibus consensit Pontifex, ut ne vox *Filioque* penitus expungeretur, ne videlicet id crederetur esse contra Fidem: sed tamen ut paullatim in palatio intermitteretur consuluit, quatenus aliæ Ecclesiæ ejus exemplo eam vocem cantare dediscerent. Verùm vox semel admissa revocari non potuit, immo propagatus est ejus usus ad alias Ecclesias, adeoque per totam Ecclesiam Latinam ante medium sæculum nonum, te-

testante Photio Patriarcha, qui litem de hac additione Latinis intentavit, ac post eum Michaël Cerularius Leonis Papæ noni pontificatu, uti suo loco demonstrandum. Ab hac voce ventum est ad dogma ipsum, quod fuit seminarium & præcipua causa funestæ discessionis Græcorum à Latinis: de qua etiam nunc ingemiscimus.

§. III.

De cultu sacrarum Imaginum.

Longè gravior ac diuturnior fuit contentio de cultu sacrarum Imaginum, quæ ex Oriente in Occidentem ea tempestate propagata est. Imaginum sacrarum usus in Ecclesia antiquus, & à primis Christianæ religionis incunabulis institutus; usus varius atque multiplex pro variis temporibus fuit. De planis seu pictis Imaginibus loquor: nam fictarum seu exstantium (quas statuas vocant) longè seriùs frequentatus est usus in Ædibus sacris, præterquàm in Ecclesiarum aditu sive portis: ubi jam inde à sæculo septimo, saltem apud nostrates Gallos, protuberantes erectæ sunt Icones sacræ. XIII Imaginum usus antiquus

Theodorus Lector in historiæ libro primo commemorat, Eudociam ab urbe Hierosolymitana ad Pulcheriam misisse Imaginem Matris Domini, quam Lucas Apostolus depinxisse ferebatur. De statua Christi per Syrophœnissam (ut fama erat) confecta Eusebius Pamphili agens in historiæ libro 7. cap. 18. ait „ non mirum esse, si Gentiles a Salvatore nostro beneficiis affecti hæc præ„ stiterint: cùm & Apostolorum, inquit, Petri & Pauli, Christique ipsius „ pictas Imagines ad nostram usque memoriam servatas viderimus. „ Mitto Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Prudentii, aliorumque Veterum in hanc rem testimonia. XIV

Jam ergo tum, id est præcedente sæculo quarto, antiquus in Ecclesia censebatur Imaginum usus. An cultum initio probaverit, aut exegerit Ecclesia, non constat. Nam etsi Imagines Christi Domini, aliorumque Sanctorum esse venerabiles doceat ipsum rationis lumen; nec umquam Ecclesia secùs senserit; nihilominùs principio à cultu Imaginum fortasse temperavit, ne si id permisisset, Gentiles ad Christi fidem conversi in simulacrorum cultum, cui maximè priùs addicti fuerant, relapsuri essent. *Si enim Sanctorum Imagines*, inquit Agobardus, *hi qui Dæmonum cultum reliquerant, venerari juberentur; puto quòd videretur eis non tam idola reliquisse, quàm simulacra mutâsse*. Sed quia prona quadam facilitate vulgus in visibilia ferri ac diffluere solet; quibusdam Ecclesiarum Pastoribus principio consultius visum est omnino temperare ab Imaginum usu, quàm eo admisso occasionem dare colendi Imagines cum Gentilium scandalo & offensa. Hinc Patres Eliberitani statuerant, *picturas in Ecclesia esse non debere, nec quod colitur aut adoratur, in parietibus depingi*. Et S. Epiphanius à vicana quadam Ecclesia velum removit, in quo Imago Christi vel Sancti cujusdam depicta erat, ut ipse testatur in epistola ad Johannem Hierosolymitanum. XV an etiam cultus?

Neque verò Imaginum cultus adeò necessarius est, ut citra salutis dispendium intermitti aut dispensari ab Ecclesia non possit pro temporum ac locorum conditione. Id ante omnia constituendum censuit vir præstantissimæ doctrinæ Dionysius Petavius in Theologicorum dogmatum lib. 15. cap. 13. „ Imagines scilicet ex eorum per se genere esse, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc „ est, XVI an necessarius?

„ est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam „ Religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat, vel „ ablegat, pro eo atque satius esse decreverit. „

XVII Permisso ac propagato Imaginum usu, ex præconcepto Christi Domini, Sanctissimæ ejus Matris, aliorumque Sanctorum amore facilè inducti sunt Fideles, tum ad ornandas & nitidè habendas eorum Imagines, decentique loco exponendas, tum ad eos execrandos, qui eas contemptui ac ludibrio habuissent. Hoc autem studio non solùm affecta est rudis ac religiosa plebs: sed etiam Ecclesiæ Pastores & Episcopi eas hoc præcipuè nomine probaverunt, quòd & idiotis essent librorum loco, ad discenda Christi Domini atque Sanctorum ejus egregia facta, & quibusque utiles ad memoriam eorum refricandam. Et quidem hæc ferè prima fuit priscæ Ecclesiæ religio in Imagines sacras. Deinde ventum est ad oscula, ad salutationes, ad geniculationes, thuris ac thymmiamatis suffitum, cereorumque accensiones: quæ omnia primùm quidam ut superstitionis germina aversari; alii tolerare tanquam rudis simplicitatis facta; alii denique ut sinceræ pietatis officia probare, modò animus in exemplaria dirigeretur.

Quibus modis inductus?

XVIII Ea res commovit inprimis (sic ferunt) Judæos: qui cùm Christi Domini, quem cruci adfixerant, Imaginem coli animadverterent, rem se præclaram acturos arbitrati sunt, si discidium de cultu Imaginum inter Fideles excitarent. Facilis ac lubrica huic facinori occasio accessit. Quippe Leo Imperator, cognomento Isauricus, Judæorum præstigiis in certam spem adductus Imperii, ubi compos ejus est factus, ut se gratum illis exhiberet, primò quidem Christi effigiem, quæ supra portam æream collocata erat, per suos satellites dejecit anno Imperii decimo; tum anno XIV., qui reparatæ salutis DCC. XXX. fuit, apertum bellum Imaginibus sacris indixit, promulgato edicto de illis evertendis. Obstitit in cassum Germanus novæ Romæ Patriarcha Sanctissimus: nec Gregorii Papæ secundi, tertiive admonitio, dirarumque imprecatio furentem hominem à proposito revocare valuerunt. Leoni è medio sublato successit anno DCC. XLI. Constantinus dictus Copronymus, paternæ impietatis non minùs quàm Imperii hæres: qui anno DCC. LIV. coacto trecentorum triginta octo Episcoporum gregario cœtu cultum Imaginum damnari curavit. Eidem infeliciter extincto Leo filius suffectus est anno DCC. LXXX. Interim Tarasius in sedem Patriarchalem cooptatus, non priùs ad eam dignitatem capessendam adduci potuit, quam Augusti potestatem fecissent congregandi Synodum generalem ad restituendum Imaginum cultum. Ea concessa facultate, Constantinopolim Episcopi Orientales unà cum Apostolicis Legatis convenêre anno DCC. LXXXVI., translati anno insequenti Nicæam Bithyniæ (unde Synodus aliquando Constantinopolitana; aliquando & rectiùs quidem, Nicæna secunda, septima universalis dicta) ubi totum negotium pro voto Sanctissimi Patriarchæ, omniumque Catholicorum perfectum est, decreto edito in Actione 7. his verbis: *Statuimus cum omni exacta cura & diligentia, similiter ac sanctæ Crucis & vivificæ figuram, venerandas & sanctas Imagines palàm proponi, quæ coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis ac vestibus, nec non parietibus & tabulis, ædibus ac viis: nempe tum Domini ac Dei ac Salvatoris Jesu Christi Imagines, tum incontaminatæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, nec non honorabilium Angelorum, ac Sanctorum omnium, ac piorum Virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginatam expressionem videntur, tantò magis qui illas intuentur, ad prototyporum recordationem & desiderium excitantur. Et ut ipsis osculum*

Ab Iconoclastis impugnatus.

Nicænæ Synodi in eos decretum.

&

& honorariam adorationem deferant, seu, ut Græca verba reddam, καὶ ἐπιπόθησιν, καὶ ταύταις ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν; *non tamen verum secundùm fidem nostram latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit*, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει, *sed eodem modo veneremur, quo figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, & sancta Evangelia, ac cetera sacra donaria: tum ut suffitus & lumina ad illas honorandas adhibeantur, quæ fuit Antiquiorum religiosa consuetudo.*

His omnino verbis continetur septimæ Synodi decretum de colendis Imaginibus: in quo multa occurrunt observanda. Primum, nullam in eo fieri mentionem statuarum, quas nondum usus ferebat, immo neque ad hunc usque diem fert apud Græcos; sed planarum, seu pictarum, tessellatarumque Imaginum. Unum tamen huic sententiæ opponi potest ex epistola Michaëlis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augustum: ubi conqueruntur, quòd quidam Græcorum *corpus Domini in manus Imaginum ponebant*, à quibus communio accipiebatur, quod quidem pictis Imaginibus convenire non potest, sed tantùm fictis. Harum proinde usus apud Græcos nonnullos ea tempestate obtinebat, tametsi rarior, & nulla Ecclesiæ auctoritate approbatus. Unde in æde S. Sophiæ, ab Justiniano Augusto constructa sæculo sexto, cùm multæ essent Imagines, nullæ tamen fictæ extabant; sed tantùm cælatæ, insculptæque in argenteis tabellis, referente Paulo Silentiario, teste oculato: quæ quidem effigies à pictis & planis parùm differunt, uti & tessellatæ. Deinde in superiori Concilii Nicæni definitione observo, nihil etiam decerni de Sanctissimæ Trinitatis, Dei Patris aut Spiritûs Sancti picturis, quas necdum etiam admittebat ætas illa. Tertium Imaginibus Christi Domini ac Sanctorum, non absolutum, sed relativum dumtaxat cultum concedi, qui ad πρωτότυπα referatur. Quartum, τιμητικὴν προσκύνησιν, id est honorariam seu externam adorationem, non verum latriæ cultum, soli divinæ naturæ debitum, deferri eum ad modum, quo *Crucem ac sacra donaria*, hoc est proposita Sacrosancti Missæ Sacrificii munera, quæ Græci etiamnunc ante consecrationem honorant, venerabantur. Ex quo manifestum est, deceptos fuisse, quemadmodùm notavit in primis Guillelmus Estius, Scholasticos plerosque, qui Imagini Christi & sanctæ Cruci latriæ relativam (quam vocant) adorationem tribuendam esse affirmârunt, contra expressam hujusce Concilii ac veterum Patrum definitionem. Cum Nicena Synodo hac in parte omnino tum conveniebat Gallicana Ecclesia, quæ *ex Sanctorum Patrum traditione Crucem Christi venerabatur, adorabat, colebat, non cultu & adoratione, quæ solius Divinitatis est;* sed inferiori, nimirum eam salutando, & ad eam procumbendo, directa mente ad Christum, qui per eam nos redemit, uti explicat Jonas Aurelianensis Episcopus in lib. I. adversùs Claudium Taurinensem, & ante eum Dungalus Reclusus. XIX

XX Gallis haud probatum.

Absoluta Synodo Nicæna, Patres ejus decreta retulêre ad Summum Pontificem Hadrianum, qui ea probavit, atque auctoritate sua confirmavit, missis Synodalium Actorum exemplis ad Carolum Magnum, aliosque Principes Latinæ communionis. Offendit Gallicanos Præsules προσκυνήσεως seu adorationis nomen, quod Imaginibus sacris Synodus tribuebat. Hinc querelis ad Carolum delatis, commissa est cura nonnullis Episcopis colligendi capitula quædam ex Sanctis Patribus de Imaginum cultu. Anno post Synodum tertio, hoc est anno Christi DCC.XC., editum est hac de re opusculum in quatuor libros divisum: quod quidem integrum, aut certè quædam capitula ex eo selecta, ut censet Petavius, Carolus anno DCC.XCII. per Angilbertum Abbatem Centulensem transmisit ad Hadrianum Papam, ut Gallicanæ Ecclesiæ ejus-

que expostulationis rationem Pontifex haberet. His capitulis acceptis Hadrianus alia opposuit in decreti Nicæni confirmationem. Nec sic tamen acquievit Gallicana Ecclesia: sed anno DCC. XCIV. in Synodo Francofurti ad Mœnum habita maximè in causa Felicis Urgelitani Episcopi, contrarium Nicænæ definitioni decretum Patres edidere cap. 2. in hæc verba: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà Sanctissimi Patres nostri, omnimodis adorationem & servitium renuentes, contemserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Idem in Anglia paullò antè sancitum dicitur; simulque Alcuinus epistolam contra Nicænum statutum exarâsse *ex auctoritate divinarum scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque ex persona Episcoporum & Principum* istius Insulæ *Regi Francorum attulisse*: cujus rei fides est penes Symeonem Dunelmensem Monachum, ac Rogerium Hovedenum, quibus accedit Matthæus Monachus Vvestmonasteriensis.

XXI Anno dein DCCC. XXIV. Legati Michaëlis & Theophili Imperatorum ex Oriente ad Ludovicum Augustum missi, traditis divalibus literis exposuerunt intempestivum (ut ferebant) Græcorum studium in sanctas Imagines, quòd scilicet *sanctas Cruces de templis* expellerent, & earum loco pictas Imagines statuerent, accenderentque *lucernas coram eis*, simul & incensum adolerent; quòd eas psallendo adorarent, atque ab eisdem Imaginibus *auxilium* peterent, easque *filiorum suorum* de baptismatis Fonte susceptrices facerent. Quin etiam addebant, quosdam Sacerdotum colores de Imaginibus erasos immiscere vino & oblationibus sacris; & ex hac oblatione post Missarum sollemnia Fidelibus communionem sacram porrigere; aliaque multa id genus superstitiosè patrari.

XXII Ludovicus his literis commotus, petitâ licentiâ ab Eugenio Papa Episcoporum Conventum Luteciam Parisiorum indixit, in quo conditus est alius libellus ad probandum retinendas quidem Imagines, at nullatenus adorandas esse, ullove superstitioso cultu honorandas. Sed cùm vereretur Augustus, ne lecto integro libello commoveretur Eugenius Papa; collecta ex eo libello capitula ipsi direxit per Hieremiam Senonensem, & Jonam Aurelianensem Antistites, dato mandato, ut hac de re prudenter ac moderatè cum Pontifice agerent. Quid indè actum sit incertum: at constat Gallicanam Ecclesiam in eadem sententia perstitisse usque ad finem Sæculi noni, quo ferè tempore cum Græcis & Romana Ecclesia in modo colendi Imagines convenire cœpit, ut posteà exponam.

XXIII Post Synodum Parisiensem Claudius Taurinensis Episcopus, natione Hispanus, Felicis Urgelitani discipulus, auctoritate qua apud Ludovicum Augustum pollebat, nimis quàm elatus, Imagines & Cruces ex Parochiæ suæ Basilicis abegit, confregitque. Ea re comperta, Theodemirus Gallus Abbas cujusdam Monasterii, in quo *centum quadraginta Monachi sub Regula S. Benedicti* vivebant, Claudio ceteroquin familiaris admodum & acceptus, adversùs eum ob istud factum commotus, conquestus est scriptâ epistolâ, qua retinendas Imagines, non tamen adorandas asserebat. His literis ab amico directis superbè ac protervè Claudius respondit apologetico (quod vocat) edito adversùs Theodemirum, cujus defensionem Dungalus Reclusus suscepit biennio post Synodum Parisiensem; tum Jonas Aurelianensis Episcopus sub extremum tempus vitæ Ludovici Augusti tribus libris, quos iisdem Ludovico & Claudio mortuis perfecit, & Carolo Calvo nuncupavit. Ambo verò in opusculo suo

tria

tria moliuntur adversùs Claudium. Quippe *de tribus*, inquit Dungalus, *causis ille impudens calumniator in sua disputavit epistola, hoc est primò de Imaginibus confringendis ac projiciendis, secundò de Cruce non adoranda ampliùs, quàm asinus quilibet, aut spinosa rubus, tertiò memorias*, id est oratoria, *Sanctorum, & specialiter Ecclesiam S. Petri prohibebat adiri*. Hos Claudii errores Dungalus & Jonas libris suis confutant.

De Sanctæ Crucis & Imaginum cultu eadem fuit aliorum Galliæ, immo & Germaniæ Episcoporum sententia, testante Jona in lib. I. *Qui quæso te sunt isti, qui agnos pictos velint adorare? numquidnam Galli aut Germani? qui eu:cumque picturæ adorationem non solùm deferre detrectant, sed & adorantibus libera voce resultant, eosque quantùm possunt invectione redarguunt, & ut ad sanam mentem redeant, toto conamine elaborant*. Aperta est hac de re Eginhardi, Agobardi, Annalium Francorum, Bertinianorum, atque Fuldensium, Hincmari, & Adonis sententia in Synodum Nicænam. At videndum porrò est, in quo sita fuerit Gallorum sententia pro Imaginibus sacris, qua in re discrepârint à Græcis: ac quomodò tandem in consensionem cum eis venerint. XXIV

Gallos, uti & alios populos catholicæ communionis Imaginibus in Basilicis & in privatis ædibus usos antiquitus fuisse constat. Præclarus hujus rei locus est apud Gregorium Turonensem Episcopum in libro I. de gloria Martyrum cap. 22. *Etiam & isto nunc tempore per credulitatem integram tanto Christus amore diligitur, ut cujus legem in tabulis cordis credentes populi retinent, ejus etiam imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis visibilibus pictam per Ecclesiàs ac domos adfigant. Sed in hoc inimicus semper humani generis æmulus extat*. Deinde commemorat Judæi cujusdam factum, qui cùm hujusmodi Imaginem in tabula pictam ac parieti adfixam in Ecclesia sæpè vidisset: telo ipsam Imaginem perfodit, elisamque de pariete clanculùm deportavit in domum suam, ut eam flammis exureret: at divinitus impeditus fuit, fluente sanguine ex vulnere inflicto. Eadem religio fuit Anglorum in Imagines, testante Beda in lib. I. de Vita Biscopi Abbatis sui: *Is picturas Imaginum sanctarum*, scilicet B. Mariæ & duodecim Apostolorum, præterea *Imagines Evangelicæ historiæ & visionum S. Joannis Evangelistæ Romà detulit, & in Ecclesia sua collocavit: quatenus intrantes Ecclesiam omnes, etiam literarum ignari, quaquaversum intenderent, vel semper amabilem Christi, Sanctorumque ejus, quamvis in Imagine, contemplarentur adspectum; vel Dominicæ Incarnationis gratiam vigilantiore mente recolerent; vel extremi discrimen examinis, quasi coram oculis habentes, districtiùs se ipsi examinare debuissent*. Hinc errati arguuntur Centuriatores Magdeburgenses, qui ex Nauclero & Balæo, sinè veteris alicujus (ait Spelmannus) testimonio, asserunt Imagines per Egvvinum Vvigorniensem Episcopum in Anglicanas primùm Ecclesias fuisse invectas, Pontificatu scilicet Constantini Papæ, qui sedere cœpit anno DCC. VIII. octodecennio post mortem Biscopi Abbatis. Ad Galliam revertor, ubi notum est factum Sereni Massiliensis Episcopi, qui sub initium sæculi septimi, cùm populum sibi creditum ad adorandas Imagines fervescere animadverteret; eas è templis eliminavit, projectasque confregit. Sereni zelum probavit Gregorius Magnus, prohibentis ne quid manu factum adoraretur: factum improbavit, quòd scilicet easdem Imagines confregisset. *Idcircò enim*, inquit, *pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illa servare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent; & populus in picturæ adoratione minimè peccaret*. Qua in epistola duo tantùm exigit Sanctissimus XXV

ſimus Pontifex, nempe Imagines in Eccleſiis retinendas eſſe, non tamen adorandas. Hanc regulam à Summo & verè Magno Pontifice Gallicano Antiſtiti præſcriptam, tota quanta eſt Gallicana Eccleſia ſibi ſequendam eſſe indubitanter exiſtimavit.

XXVI
Græci cur in imaginum cultum magis effuſi?

Quam ob rem Imaginibus ſacris plùs tribuerint Græci, eorumque exemplo Maſſilienſes, Græcorum colonia quondam; quadamtenus conjeciſſe mihi videor. Id ſiquidem in more poſitum erat apud Græcos, aliosque populos Romano ſubjectos Imperio, ut ſtatis diebus Imagines & Statuæ Imperatorum, qui beneficiis Rempublicam demeruiſſent, quotannis colerentur certis ritibus: quos poſteà Imaginibus ſacris exhibendos eſſe religio facilè perſuaſit. Quantus honos Conſtantini Magni ſtatuæ delatus ſit, perſpicuè innuit Theodoritus in Hiſtoriæ lib. 2. cap. 34. ubi de iis, quæ ejuſdem jam defuncti cadaveri exhibita fuerant, fidem facturus, hæc habet. *Εἰ δέ τις ἐκείνοις ἀπιστεῖ, τὰ νῦν περὶ τὴν ἐκείνου θήκην, καὶ τὴν ἀνδρίαν τὰ γινόμενα βλέπων, πιστευσάτω τοῖς γεγραμμένοις*, id eſt juxta emendatam ſuſpiciendæ memoriæ Henrici Valeſii verſionem: *Quòd ſi quis iſtis non vult credere; is ea intuens, quæ nunc ad ejus loculum & ſtatuam geruntur, credat iis quæ nunc ſcripta ſunt.* Quænam verò fuerint illa, quæ ad Conſtantini ſepulchrum & ſtatuam fiebant, obſervat idem Valeſius ex Philoſtorgii lib. 2. cap. 18., ubi auctor iſte tradit, Julianum Apoſtatam Chriſtianos accusâſſe, quaſi Conſtantini Imaginem, in porphyretica columna ſtantem, ſacrificiis propitiarent, lucernis atque odoribus colerent, precesque velut Deo allegarent, & ad depellenda mala ei ſupplicarent, quæ ſollemnis pompa celebrabatur quotannis undecima die menſis Maii. Quod mortuorum Imaginibus deferebatur, id etiam vivorum ſtatuis non rarò fiebat tanta cum adulantis vulgi licentia, ut Theodoſius Imperator piiſſimus edita lege juſſerit, ut ſi quando ejus Statuæ vel Imagines erigerentur, ſeu diebus (ut adſolet) feſtis ſive communibus; adeſſet judex ſinè adorationis ambitioſo faſtigio, curaretque, ut excedens cultura hominum dignitatem, ſuperno numini reſervaretur. Effuſam hanc ſtatuas & imagines Imperiales colendi licentiam, tametſi tantiſper caſtigatam, improbat Zachæus Chriſtianus in Dialogi lib. 1. cap. 28., ubi conquerenti Apollonio Philoſopho, cur imagines hominum, vel ceris pictas, vel metallis defictas, ſub Regum reverentia etiam publica adoratione venerarentur; reſpondet id ſibi probari nec poſſe, nec debere. Divini quippe ſpeciale hoc nomen officii eſſe. *Sed ſicut in hujuſmodi malum*, inquit, *primùm adulatio homines impulit: ſic nunc ab errore conſuetudo vix revocat. In quo tamen incautum obſequium, non aliquem divinum deprehenditis cultum, ſed propter conſuetudinem amabilium vultuum, gaudia intenta plùs faciunt, quàm hi fortè exigant, quibus defertur; aut perfungi oporteat deferentes. Et licèt hanc incautioris obſequii conſuetudinem cautiores horreant Chriſtiani, nec prohibere deſinant Sacerdotes; non tamen Deus dicitur, cuius effigies ſalutatur; nec adolentur thure imagines, aut colendæ aris ſuperſtant: ſed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum factorum probabilium poſteris præſtent, aut præſentes pro abuſione caſtigent.* Perſeveravit mos iſte uſque ad tempora Gregorii Magni, ut patet ex initio libri XI. epiſtolarum, ubi hæc verba lego: *Venit icona Focæ & Leontiæ Auguſtorum Romam, & acclamatum eſt eis in Lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero vel Senatu: Exaudi Chriſte. Focæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita.*

L. un. C. Theod. de Imag. Imperial.

XXVII
Gallorum ſententia explicatur.

Ita ergo res accidiſſe videtur, ut cùm adorationem, odores, aliosque ſollemnis pompæ ritus auguſtalibus ſtatuis deferrent Græci; viſum eſt etiam religioſis quibuſque, nihil minùs Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, aliorumque San-

Sanctorum Imaginibus deferendum. Sicque honoraria illa imperialium statuarum veneratio ad sacras Imagines traducta est primùm apud Græcos, seriùs apud Gallos, quibus inauditus insitatusque fuit cùm prioris, tum posterioris generis cultus. Certè Carolini operis scriptor Imaginum Imperialium adorationes magnopere reprehendit in lib. 3. cap. 15. Quamobrem, ubi ejusmodi cultum synodali auctoritate Imaginibus sacris delatum accepêre Gallicani Præsules; contrà obniti cœpêre, quasi honor Deo proprius ad simulacra transferretur.

Atque ut perspicuum fiat, qua in re versaretur Gallorum discrimen tum à Græcis, tum ab Imaginum effractoribus seu Iconoclastis; quidve moliti sint Patres Synodi Francofurtensis, & Parisiensis; observandum est Latinos tribus in rebus consensisse cum Græcis. Primò retinendas & exponendas in ædibus privatis atque sacris Christi & Sanctorum Imagines ad excitandam eorum memoriam, & ad erudiendos simplices ac illiteratos Christianos. Secundò colendam & adorandam esse Crucem, non quidem adoratione summa & latreutica, ac κατὰ πίςιν, secundùm fidem, quasi quid divinum, aut cultu dignum ei inesse credatur; sed honoraria, id est illam salutando, aut caput inclinando vel procumbendo ad illam, mente ad Christum directa. Tertiò etiam Reliquias Sanctorum congruo cultu venerandas esse. Quæ postrema duo disertè asserunt Jonas & Dungalus in libris suis adversùs Claudium Episcopum Taurinensem. At unum erat in quo Galli à Græcis dissidebant: nimirum quòd cultum etiam honorarium seu externum Imagini cuilibet denegabant, non tantùm absolutum, sed etiam relativum (ut vocant) transitorium. Denique ab Imaginum effractoribus omnino recedebant, tum in eo, quòd Imagines sacras penitus abjicerent; tum in eo, quòd Imaginum adoratores vocarent idololatras. Quod convicium Latini, saltem nonnulli, Græcis impingi nolebant ob Imaginum cultum, tametsi ab eis dissentirent. Hæc paucis, quoad ejus fieri poterit, explicanda. XXVIII

Adorationem & cultum Imaginibus sacris detrahebant Galli, hac inducti ratione, quòd omnis cultus & adoratio soli Deo debeatur. Hinc Carolinus auctor in lib. 2. cap. 21. probat cultum & adorationem Imaginum pænè cunctarum Divinarum scripturarum abdicari eloquio. *Solum namque Dominum*, inquit, *colere, ipsum adorare, ipsum glorificare debere totius divinæ scripturæ tuba intonat*. Eodem ferunt Jonæ verba in libro 1. *Creaturam adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi nefas ducimus; hujusque sceleris patratorem detestandum & anathematizandum libera voce proclamamus*. Et Agobardus, *soli Domino*, inquit, *offeramus gloriam & honorem, nec cum simulacris fornicemur*. Et infrà: *nemo se fal'at, nemo se seducat, nemo se circumveniat. Quicumque aliquam picturam vel fusilem sive ductilem adorat statuam*; * *non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos vel homines sanctos, sed simulacra veneratur*. XXIX

* *Erant ergotum in usu saltem alicubi statuæ Sanctorum.*

Neque dixeris hæc intelligi de cultu absoluto non verò de transitorio, qui ad exemplaria refertur. Tam enim secundarium hunc cultum auctores isti, quàm primarium refutabant. Audiamus Agobardum in cap. 19. *Dicit forsan aliquis, non se putare Imagini, quam adorat, aliquid inesse Divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facilè respondetur: quia si Imago, quam adorat, Deus non est; nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores*. Et in cap. 35. *Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non Imagines Sanctorum adorare sed Sanctos. Clamat enim Deus; Gloriam meam alteri non dabo*. Eadem est sententia Jonæ in libro 1. Nam relatis ex Claudio eorum, XXX

qui

qui colebant Imagines hisce verbis: *Non putamus Imagini, quam adoramus, aliquid inesse Divinum; sed tantummodò pro honore cujus effigies est, tali eam veneratione adoramus.* Hæc subinfert: *Unà autem reprehendimus ac detestamur. Quia cùm eorum sententiam non subterfugiat Imaginibus nihil esse divini; majori digni sunt invectione, eò quòd debitum honorem divinitati impenderint infirmo & egeno simulacro.*

XXXI Ex his manifestum est Gallos ejus temporis, saltem nonnullos, omnem penitus cultum, absolutum atque relativum Imaginibus abdicâsse; ac proinde solam Crucem, cujus cultus ad Christum Dominum refertur, Angelos & Homines sanctos, hoc secundario cultu esse honorandos; non tamen cultu divinitatis, ut identidem inculcat Jonas. Quapropter dispiciendum est, num tota controversia in adorationis & cultûs vocabulis hæserit; ob idque solum ejusmodi officia Imaginibus denegarent Galli, quòd hæc supremi cultûs nomina ab ipsis crederentur. Quod ut magis exploratum evadat, investigare necesse est, an aliquid observantiæ Imaginibus detulerint, quam tamen cultûs aut adorationis nomine designandam esse negaverint.

XXXII Hac in controversia, ut ferè in omnibus aliis, quidam mediâ viâ, quidam extremis ambulabant. Auctor Carolinus, & scriptor libelli editi nomine Synodi Parisiensis, simulque Agobardus (quem istius libelli auctorem agnoscunt nonnulli) aliquantò ferventiùs rem agunt, & longiùs progrediuntur. Paullò moderatior est Jonas; At Walafridus Strabus, & Dungalus non longè a sententia Nicænæ Synodi recedunt. Hujus discriminis causa petenda est tum ex novitate controversiæ, qua incipiente contentiones ampliùs fervere solent: tum ex diverso hominum genio, quorum alii æquiores, alii magis præcipites, in diversa feruntur; alii Adversariorum sententiam iniquè æstimant, exprimuntque.

XXXIII Carolinus Auctor in lib. 2. cap. 24. censet fas esse, hominem *adorare* caritatis & salutationis officio: secùs imagines manu factas, quibus ne quidem eundem honorem, qui sacris vasis defertur, concedit in cap. 29., tametsi Sanctorum Sacrarumque Reliquiarum venerationem approbat in lib. 3. cap. 24. & 31.

XXXIV Eodem fertur libellus Synodi Parisiensis, in quo legitur non mediocriter erràsse septimæ Synodi Patres, *qui eas* (Imagines) *non solùm coli & adorari & Sanctas nuncupari sanxerunt, verùm etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt.* Quin etiam Hadrianum qui Synodi decreta confirmavit, eo nomine reprehendit, quòd Imaginum superstitiosam (sic appellat) venerationem auctoritate sua probaverit.

XXXV Ulteriùs progreditur Agobardus, in cap. 32. scribens, Imagines, vel pictas, vel sculptas causâ historiæ ad recordandum, non ad colendum admitti oportere. Et cap. 33. errorem invalescentem eò evasisse, *ut idololatriæ vel anthropomorphitarum hæresi propinquum aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere.* Ad hæc, Imagines sanctas apellari non patitur in cap. 34. quod etiam improbat libellus Synodi Parisiensis. Denique eò progressus est Agobardus in cap. 23., ut dixerit, exemplo Ezechiæ Regis, qui serpentem æneum à Deo institutum magna cum laude contrivit, quoniam errans populus eum tanquam idolum colere cœperat; multò religiosiùs Sanctorum Imagines comminuendas esse, & usque ad pulverem eradendas: præsertim *cùm non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.*

XXXVI Jonas etsi omnem Imaginibus cultum abjudicare videtur, easque ad memoriam dumtaxat, & eruditionem exhibendas putat; non tamen cultores *ido-*

lo-

lolatras vocari finit, ut ejus verba testantur in lib. I. *Nam & illi*, inquit, *qui nimio & indiscreto amore ob honorem Sanctorum eorum Imaginibus supplicant, nescio an temerè idololatræ sint vocandi. Videntur sanè potiùs ab hac superstitione adhibito rationis moderamine revocandi, quàm Idololatræ (cùm utique Sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent) nuncupandi.* Contendit tamen Jonas nequaquam venerandas esse Imagines. Id nescio, an, vel quid aliud improbaverit Lupus Abbas Ferrariensis, cui opus suum discutiendum transmiserat. Huc enim refero Lupi epistolam 27., quam *Reverendissimo Præsuli Jonæ* inscribit cum VV. Monacho (ut credere par est) suo respondens in hunc modum: *Librum vestrum sicut rogastis, excurrimus, sed ut parcissimè dicamus, in eo mutare nihil voluimus: ut operis vestri sitis ipsi correctores, cujus estis auctores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio, & ætatis, ac Ordinis vestri habenda consideratio: nec facilitatem ac delectationem quamdam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.* Ita pro modestia sua Lupus, cujus sententiam hoc de argumento indè elicere nobis non licet.

VValafridus Strabus Abbas Augiensis in lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 8. XXXVII tantillò ampliùs Imaginibus indulget, quàm Jonas; censetque non tantùm esse retinendas, sed etiam ob amorem eorum, quorum similitudines sunt, animis videntium artiùs imprimendas. Et quidem in eo *devotionem & utilitatem, qua commoveri vel instrui appetimus, non esse culpandam: sed in his colendis superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Itaque tam eos improbat, *qui easdem Imagines ultra quàm satis est venerantur;* quàm qui illas ut quasdam idololatriæ species penitus respuunt. Unde intelligitur à VValafrido non damnari quemlibet Imaginum cultum; sed tantùm immodicum, maximè *spiritalem*. Quod omnino consonat Nicænæ Synodi decreto, quæ *honorarium* dumtaxat cultum, id est externum Imaginibus tribuit.

Præterea VValafridus *ne ipsos quidem sanctos Homines*, vivos vel mortuos XXXVIII divinis colendos honoribus vel honorandos ait, quæ certè doctrina sana est, maximè si ad ejus interpretationem expendatur. *Rogamus enim*, inquit, *Sanctos, non ut ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt: sed ut ab auctore bonorum utpote illi proximiores meritis, & ideò certiùs audiendi, impetrent, quæ saluti petentium opportuna non nesciunt. Deum autem oramus, ut sua bonitate gratuita, meritis & intercessionibus Sanctorum, quæ nobis judicat commoda, largiatur. Et huic quidem ut Deo, Domino, Judici, Creatori, Omnipotenti & Salvatori supplicamus: illos verò ut Dei amicos, Domini famulos, & patronos, verè honoratos, & pleniter salvatos in adjutorium vocamus. Tales esse preces Fidelium, qui publicas Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt.* Ex his patet VValafridum de Sanctorum honore & appellatione rectè sensisse, eos nempe honorari, precibus interpellari posse ac debere: at nequaquam iis uti Deo, Domino ac Judici supplicandum, quasi ab ipsis petita accipere possimus; qua in re divinos honores reponit. Post hæc demum, tam Sanctorum, quàm sacrarum Imaginum cultum ita concludendo exponit. *Cùm itaque talis sit christiani perfectio sensûs, non sunt omnimodis honesti & moderati Imaginum honores abjiciendi.* Hæc tam clara sunt pro religioso ac legitimo cultu Imaginum, ut mirum sit aliquos dicere, cautè hoc in loco legendum esse VValafridum. Nam etsi divinos Imaginibus ipsisque Sanctis honores negat; honestos tamen & moderatos concedit. Neque subscribere possum magno certè viro Dionysio Petavio, scribenti in Dogmatum lib. 15. cap. 16. n. 8. VValafridum in hoc tantùm illos honores reposuisse, ut minimè conculcentur, aut deleantur. Etsi enim id subinde

admonet; tamen aliquid amplius desiderat, cùm agit de moderato Imaginum cultu, quo aliquam externi honoris significationem omnino designat. Immo non tantùm in externo cultu reponit hunc honorem, sed & in affectu interno, ut patet ex ultimis ejusdem capituli verbis. *Sic itaque Imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ; ut nec despectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam: nec cultu immoderato Fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus arguat nos minùs spiritalia contemplari.* Itaque ex Vvalafridi sententia *amandæ* sunt Imagines, non despiciendæ, ita ut amor ille externum à nobis honorem in picturas sacras exigat, & in exemplaria dirigatur externus affectus.

Sic Anastasius σχετικὴν προσκύνησιν *ex Theophane vertit* affectivam adorationem *in Hist. Eccl.*

XXXIX Cum Vvalafrido consentit Dungalus Reclusus Monasterii (ut puto) Dionysiani in agro Parisiensi. Is siquidem epistolam ad Carolum Magnum de duplici Solis eclipsi, quæ anno DCCC. X. contigit, scripsit interventu Vvaldonis Abbatis, cui ejus rei gratiâ Carolus direxerat epistolam, ut per illam ipse ex Caroli *verbis* Dungalum *interrogaret de ratione defectûs solis*. Unde conjector Dungalum fuisse Reclusum in Cœnobio Dionysiano: tum quia Vvaldo Abbas per id tempus huic loco, uti & Augiæ, præerat: tum quia liber Dungali contra Claudium, judicio Papyrii Massoni primi ejus editoris, „ scriptus „ est in Monasterio B. Dionysii ad Sequanam flumen, ubi in manibus Velii „ Benedictini Ordinis, & Bibliothecarii, nobilis & docti viri à multis visus „ est. Itaque Dungalus contra Claudium agens in fine libri sui de cultu Ima„ ginum, hæc habet. „ *His ergo omnibus superiùs comprehensis, certissimè & evidentissimè patet, picturas sanctas, & sanctam Domini Crucem, & sacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus à Catholicis & Orthodoxis in Deo, & propter Deum venerari oportere: non ut sacrificando eis divinus honor & cultus, soli Deo omnium Creatori debitus, sit à quoquam deferendus; sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua sancta insignia & venerabilia vasa, prout decet, singula eorum à fidelibus & religiosis salva fide & non ficta honorentur, & amplectantur.* Ubi nemo non videt Imaginibus a Dungalo tribui religiosum cultum, qualem sanctæ Cruci ac Reliquiis sacris tunc temporis impendebat Gallicana Ecclesia.

XL Eumdem etiam cultum picturis sacris concessit Hincmarus Remorum Antistes, qui *flagitantibus Coepiscopis fratribus suis librum scripsit, qualiter Imagines Salvatoris nostri, vel Sanctorum ipsius venerandæ sint*, testante Frodoardo in historiæ Remensis lib. 3. cap. 29., quod Hincmari opus etsi exciderit, tamen ex Frodoardi verbis intelligimus, Hincmarum Imaginibus non denegâsse cultum omnem, sed qualemcumque concessisse. Itaque inter eos omnes, quos hactenus commemoravi, auctores Gallicanos, nulli sunt qui propiùs ad Nicænæ Synodi decretum accesserint, quàm Hincmarus, Dungalus, & Vvalafridus Strabus, quem Gallicanis scriptoribus hoc in loco accenseo, omnes ex Ordine S. Benedicti.

XLI Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, intelligimus, quænam fuerit Gallorum sententia de cultu Imaginum; & qua ratione explicari debeat honos ille divinus, quem scriptor Carolinus, libellus Synodi Parisiensis, Agobardus & Jonas picturis sacris abrogant. Nempe sentiebant Galli Imagines honore moderato coli posse, eas scilicet decenti in loco collocando, & ornando, curandoque, ut quam maximè niterent; & ne pulvere sordibusve inficerentur. Sic Servatoris nostri statuam, hominum incuriâ jam mutilatam, deformatamque & ignoratam cujus esset, posteà agnitam, Christiani in Diaconico, id est in sacrario Ecclesiæ, collocarunt, teste Philostorgio in historiæ lib. 7., competentem ei curam atque observantiam deferentes, τὰ πρέποντα ἐθεράπευον,

ne-

nequaquam tamen eam colentes aut adorantes, σέβοντες μὲν ἢ προσκυνοῦντες οὐδαμῶς. Neque enim fas erat, inquit Philostorgius, æneam, aut aliam quamlibet materiam adorare. In hoc, inquam, Gallorum nostrorum religio in Imagines eo tempore ferè sistebat, eorum scilicet, qui res sacras meliùs callebant. Nam simpliciores, immo & fortè religiosiores Christiani, à salutationibus, & capitis saltem inclinationibus abstinuisse non facilè crediderim.

Quòd verò opus Carolinum, libellus Synodi Parisiensis, & Agobardus vehementiùs in cultum sacrarum Imaginum invehuntur; id factum ex præjudicio & præconcepta opinione immoderati cultûs, quem Græci Imaginibus ita deferre censebantur, ut in eis spem suam ponerent, & internum cultum adorationemque eis adhiberent. Quippe προσκυνήσεως vocabulum, quo usi sunt Patres Nicæni, vehementer Gallos offendit, ratos illam vocem in proposita materia legitimum sensum pati non posse: propterea quòd adoratio religiosa, qualiscumque sit, aut soli Deo convenire aut spiritalem internumque cultum, quem picturis exhibere nefas, designare videatur. Et oscula quidem ac thymiamatum suffitus, cereorumque accensiones Imaginibus citra superstitionis culpam concedi non posse putabant. Hinc Auctor Carolinus ex præconcepto adorationis, aliorumque rituum Græcanicorum odio longiùs progressus est, ut ne eum quidem honorem, qui sacris vasis conceditur, Imaginibus tribui pateretur, nimirum propter periculum superstitionis. Huc referri potest Augustini sententia in Psalmum 113., ubi paganos arguens ob cultum simulacrorum, innuere videtur eo tempore non viguisse in Africana Ecclesia Imaginum usum, sed sacrorum vasorum; *quæ quidem ipso ministerio consecrata sancta dicuntur. Verumtamen*, inquit, *numquid os habent, & non loquuntur? numquid oculos habent, & non videbunt? numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo?* Et hinc forsan Carolinus Auctor vasis sacris qualemcumque honorem indulsit, quem Imaginibus sacris abjudicavit. Sic etiam affecti erant Galli in libros sacros, nam teste Jona in Præfatione lib. 2. contra Claudium, *sacræ religionis usus in sancta Ecclesia tunc servabatur, ut perlecta sacri Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, ceterisque sacri Ordinis Religiosis, codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneraretur*, capite inclinato ad codicem, *illius* scilicet *causâ, cujus verba esse creduntur*. Hinc verò contra Gallos argumentum sumsit Anastasius in Præfatione ad versionem Synodi Nicænæ, contendens ob eamdemmet causam Imaginibus sacris cultum non esse denegandum. Hæc ergo Carolinum Auctorem movebant adversùs decretum Nicænum. XLII

Simili ratione Patres Synodi Francofurtensis duabus offensi sunt rebus, nempe adorationis vocabulo, & prima interpretatione sententiæ Nicænæ, quam Carolinus Auctor attulerat. Quippe ipsi adorationis vocem non ferentes, omnino Imaginum *adorationem, & servitutem* admittere recusârunt, ob id scilicet, quòd ista vocabula cultum uni *Deificæ Trinitati* competentem designarent. Quapropter ubi dicunt, *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur*, hæc verba, *ut Deificæ Trinitati* ab ipsis Patribus Francofordiensibus adjecta esse puto, ut explicarent adorationis vocabulum, non verò quòd ea legissent in decreto Nicæno, in quo hoc additamentum non reperitur, immo contraria omnino sententia. Quo fit, ut nonnulli existiment, Synodum Francofordiensem adversari non Synodo Nicænæ, sed Conciliabulo Constantinopolitano, quod eodem anno (ut ajunt) coactum, supremum Imaginibus cultum decreverit. Verùm XLIII

Cc 2 quid

quid de hac re sentiendum sit, accuratè docet Jacobus Sirmondus in admonitione ad Canonem Francofordiensem.

XLIV Ad Agobardum quod attinet, (idem esto judicium de libello Synodi Parisiensis) præter invidiosum adorationis vocabulum, accessit etiam ad inflammandum ejus animum epistola Michaëlis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augustum: in qua multa commemorantur de superstitiosa religione Græcorum in Imagines, quæ non immeritò Agobardum commoverunt. Quis enim non indignè ferret, audito, quòd Græci ejectis crucibus è Basilicis, substituerent Imagines, eisque incensum adolerent, lucernis insuper admotis? quòd eas psallendo adorarent, & ab eis auxilium peterent? quòd plerique linteaminibus easdem Imagines circumdarent; & filiorum suorum de baptismatis fonte facerent susceptrices? quòd ab eis alii religiosum habitum susciperent? quòd quidam Sacerdotum colores de Imaginibus eradentes immiscerent sacrificio; alii verò corpus Domini in manus Imaginum ponerent, ab illis communionem accepturi? quòd denique nonnulli spretis Ecclesiis, in profanis ædibus altarium vice tabulis Imaginum uterentur, & supra eas sacra mysteria celebrarent? Quis, inquam, hæc audiens non aversetur, saltem pleraque, ut superstitiosa? Ea porrò in literis ab Imperatoribus directis continebantur. Quamobrem his lectis ultra modum exarsit Agobardus, idololatriæ & Anthropomorphitarum errori proximum esse existimans, sic adorare simulacra, & spem in eis ponere: maximè verò invehitur in eos, qui *sinè Basilica, sinè Altari, absque Sanctorum Reliquiis, super hujusmodi* (ut ipse vocat) *figmenta Missam celebrant*; censetque rectius esse Imagines abjicere & comminuere, quàm ad hujusmodi superstitiones declinare. Quod quidem dixit, non quòd Imagines è Basilicis sublatas vellet; sed ut superstitiosa id genus errata emendanda esse demonstraret; neque hac religionis specie pacem Ecclesiæ Orientalis perturbari licere. Ea res in primis movit Patres Synodi Parisiensis, quibus persuasum fuit Ecclesiæ tranquillitatem, sinè qua caritas & necessitudo Christiana constare nequit, longè præponendam esse huic controversiæ, qua detinebantur Græci, *inflammati ultrà, quàm oportuisset, vel umquam priùs actum esset in Imaginum cultura*, ut scribunt sub finem libelli sui.

XLV Galli ob id à Romana Sede non divisi. Hæc non eo animo à me dicta sunt, quasi Gallos ejus temporis omni penitus culpa vacâsse existimem, si non in ritu colendi Imagines, saltem in modo impugnandi decretum Nicænæ Synodi, quam universalem esse pernegabant, ut probat caput 28. libri 4. Carolini. Et sanè perspectam probatamque fuisse Romanis Pontificibus Gallorum religionem in Imagines sacras, satis apparet, tum ex responsis Hadriani primi, qui eos nusquam erroris notat: tum ex aliis Pontificibus, qui nullum hac de re negotium Ecclesiæ Gallicanæ facesserunt. Observatu digna est admonitio Nicolai Papæ primi ad Addonem Viennensem Archiepiscopum. Is cùm initio sui Episcopatus cautionem seu fidei suæ professionem ad Nicolaum direxisset, professus se probare quatuor Synodos generales, nulla ceterarum mentione facta; ita ipsi rescribit Nicolaus. *In petitione pallii vobis annuimus. Verumtamen istiusmodi occasione nacta, non fuerat postulatio vestra implenda, nisi recensita intentione directæ scripturæ cognovissemus, vos per omnia tenere velle, quod sancta dogmatizat Ecclesia. Ideoque volumus, pariterque Sanctitatem Vestram rogamus, ut sub omni celeritate dirigatis, qualiter vos de ipsis quinta & sexta Synodis sentiatis.* Qua in epistola Pontifex nullam mentionem facit septimæ Synodi, sive quòd eam à Gallis universalem non censeri haud ignoraret, seu quòd nullatenus ipsi suspecta foret Gallicanæ Ecclesiæ in Imagines religio, tametsi longè moderatior fuerit, quàm Græcorum.

Sub

Sub idem tempus in Romano Concilio sub eodem Nicolao; dein in octava Synodo universali, quam anno DCCC.LXIX. reponit Baronius, Annales verò Bertiniani anno DCCC.LXXII., sub Hadriano secundo confirmatus est Imaginum cultus, & duæ in Iconomachos prolatæ. *In qua Synodo*, inquit Annalista Bertinianus, *de Imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi Doctores antea definierant; & pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de adorandis Imaginibus annuit; & quædam contra antiquos Canones, sed & contra sacram ipsam Synodum constituerunt, sicut qui eamdem Synodum legerit, patenter inveniet*. Hæc paulò duriùs scribit Bertinianus Annalista: sed tamen indè intelligimus, Gallos nondum colendis Græcanico ritu Imaginibus adsuevisse; quod factum pedetentim post septimæ Synodi Latinam versionem, quam Anastasius Bibliothecarius, cùm Constantinopoli pro octava Synodo versaretur, elaboravit: cujus in versionis præfatione Gallos hortatus est ad colendas Imagines more & exemplo Græcorum, eum ad modum quo Crucem & librum Evangelicum Galli ipsi venerabantur. XLVI

Ad cultum imaginum accedunt.

Procedente tempore tanto cum fervore Galli in cultum Imaginum effusi sunt, ut magis retinaculo, quàm incitamento jam opus habeat vulgi religio. Pia quidem est Imaginum veneratio: sed optandum esset, ut plus sedulitatis tribueretur Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo ipse Christus, non imagine sed re ipsa existit. At (quod maximè dolendum est) videas non rarò Fideles Ecclesiam ingressos, insalutato tanto hospite ad Imagines procumbere, quasi plus præsidii esset in istis, quàm in ipso Eucharistiæ Sacramento. Verùm hæc errata sunt rudis & imperiti vulgi, ab Ecclesiæ emendanda Pastoribus, quorum officii est instruere plebem sibi commissam de congruo cultu Imaginum, & legitimum ipsi præscribere modum, ne ad superstitiosa effluat. Ad ipsos etiam spectat pictorum sculptorumque licentia, qui Imagines aliquando non tam ad excitandam, quàm ad corrumpendam pietatem componunt. Nunc optandum esset, ut id eveniret, quod sua ætate Narbone accidisse Gregorius Turonensis Episcopus commemorat in libro primo de gloria Martyrum capite 23. de pictura, quæ Christum Dominum Cruci affixum, quasi linteo præcinctum exhibebat. Ait quippe Christum semel ac tertiò cuidam per visum intimâsse, ut se non parte tantùm, sed toto corpore operiret. Re tandem ad Episcopum delata, is *jussit desuper velum expandi: & sic obtecta*, inquit Gregorius, *nunc pictura suspicitur. Nam etsi parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur*. Hinc factum puto, ut in nonnullis Ecclesiis Crucifixi statuæ veteres talari veste indutæ conspiciantur: qualis est ea quæ in æde S. Ciliniæ B. Remigii nutricis apud Remos hodie quoque visitur. XLVII

Modus in his habendus.

Ceterùm optandum esset, ut qui conciones ad populum habent, sive qui concertationes edunt de Imaginum cultu, Conciliorum verba, integras non dimidiatas sententias religiosè adhiberent, sequerenturque ad amussim Ecclesiæ definitionem, quæ duobus præcipuè decretis continetur, Nicæno scilicet, ac Tridentino. Nicænum superiùs attuli, veluti fundamentum harum Observationum: quas aptissimè claudet Tridentinum, his conceptum verbis in Sessione 25. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant; ita ut* XLVIII

per

per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus: & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt veneremur. Hæc vera ac sana Ecclesiæ doctrina de Imaginum usu atque cultu. Ad res Monasticas accedo.

§. IV.

Specimen Monastici Ordinis, qualis fuerit ævo S. Benedicti, ac post eum.

XLIX DE prima regularis disciplinæ in Ordine nostro remissione, deque ejusdem restitutione, maximè per Benedictum Anianensem Abbatem facta, dicturus, quatuor in præsenti demonstranda suscipio. Primum restitutionem hanc non esse primariam (ut quibusdam videtur) Regulæ nostræ propagationem in omnia Galliæ Monasteria, sed regularis normæ in eis instaurationem. Quod etsi ordine postremum sit, primo tamen loco id exequi necesse est ad præstruendam consequentium fidem. Alterum quo in statu publica res Benedictina esset ante ejusmodi restitutionem. Tertium quibus gradibus ad remissionem lapsa sit. Quartum quibus modis facta fuerit regularis observationis restitutio. Sed priùs in antecessum quædam præmittenda sunt de statu seu republica veterum Monachorum.

Quinque hic examinanda.

L Cùm primùm ad illustranda Sanctorum nostrorum Acta me contuli, statutum apud me erat, nuntium remittere altercationibus illis privatis, quæ de Sanctis Ordini certo vindicandis præter modum excitari, ac progredi solent. Sanè id mihi persuadebat tum necessitudo religionis Christianæ, ejusmodi singularia partium studia non probantis: tum caritas veterum Monachorum, quibus unus Ordo erat, atque una societas: tum instituti mei ratio, ut ad tractandas vetustas &c. accederem animo ipso veterum, qui ab hujusmodi discidiis animum semper alienum habuêre: tum denique majorum nostrorum exempla, qui de priscis Monachis agentes, Benedictinos ab aliis nusquam discrevêre ante Trithemii ætatem. Testis hac de re Bernardus Casinensis Abbas, posteà Cardinalis: testis & Vvillelmus Abbas Monasterii S. Pauli, in suo uterque Sanctorum Monachorum catalogo, quem Vvillelmus exemplo Johannis Papæ XXII. se condidisse testatur. Primus qui privatum id genus indicem Virorum illustrium Ordinis S. Benedicti texuit, invenitur Trithemius, eoque vivente Johannes Griesheremus, Monasterii S. Udalrici Augustæ Vindelicorum Presbyter ac Monachus, quibus accessit Vvion: quorum etsi quædam errata sunt, certè probabilis est labor, & quidem difficilis, pro novo ac nondum trito argumento.

Lites de Sanctis Ordinis antiquis ignotæ.

Trithemius Benedictinos ab aliis sejunxit primus.

LI Neque tamen ego, ubi Sanctos nostros in certas sæculorum classes redigere proposui, id citra delectum facere institueram: sed ea lege id à me præstandum susceperam, non ut magnificum quemdam Sanctorum nostrorum catalogum adornarem ad pompam, sed ut factum ad historicæ veritatis amussim expenderem; & si quid peccatum esset contra veritatis leges, id pro modulo emendarem. Nimirum id postulabat sæculi nostri genius, cui obsequendum erat: ut Sodales nostri, qui magis domesticis, quam alienis exemplis moveri solent, accuratum, quantùm in me esset, haberent indicem Majorum suorum, quorum sanctitatem debeant imitari. Verùm mihi id agitanti accidit præter

vo-

votum, ut disputationes de Sanctorum nostrorum delectu & longiores, & forsan etiam acriores, quàm optassem, inire coactus sim; tametsi justæ defensionis modum tenere diligenter studui.

Certè multùm contrahi poterant concertationes nostræ, si utrique animo recogitassemus, quàm ferè inutiles sint ejusmodi altercationes, maximè ubi agitur de privatis Ordinibus veterum Monachorum, quibus unus (ut sæpiùs dixi) Ordo fuit ante annos retro sexcentos. Una quippe erat eorum societas, facilis & promiscuus in alia Monasteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus: tametsi omnia separata erant: sed una caritatis lege confœderata. Primaria vitæ monasticæ regula erat abdicatio rerum omnium, tum propriorum studiorum, qualis in Evangelio præscribitur. Ad hæc secessio à sæculi tumultu, officia divina statis horis, obedientia summa, juge silentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis castigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in summa, propriæ salutis una ferè & maxima cura; pro aliena continentes ac sollicitæ preces; pro Ecclesia etiam suscepti labores, ubi postulabat caritas, aut necessitas. Legumlatorum omnium regulæ eò spectabant: & quæ ad id magis conducere videbatur, eam suscipiebant Monachi cujuscunque Monasterii pro Rectorum arbitrio & voluntate apud Occidentales seu Latinos. Hinc mutatæ passim Regulæ, & plures in uno eodemque Monasterio non rarò servatæ, uti Gregorius Turonensis Episcopus scribit de Athanacensi, in quo ait servatas fuisse *Regulas Sancti Basilii, Cassiani, Cæsarii, & aliorum Patrum*, detractis scilicet & usurpatis iis, quæ pro locorum ac temporum conditione intempestiva, aut opportuna videbantur. LII

Unus Ordo veterum Monachorum.

Vitæ forma æqualis.

Regulæ mutatæ pro nutu Rectorũ.

Gregor. Turon. Hist. lib. 10. c. 29.

Vagam illam regulas mutandi licentiam primus tantisper castigavit S. P. Benedictus, cujus discipulis susceptam semel Regulam abdicare numquam fas fuit. Id verò indè processit, quòd cùm Sanctissimus Legislator primus, aut certè inter primos, sollemnis professionis formam, modumque præscripserit, intra professionis terminos incluserit Regulæ suæ observationem, à qua deinceps recedere non liceat. Hinc est, quòd Novitiis frequentem Regulæ suæ lectionem commendat in cap. 58.; *ac demum, si habita secum deliberatione promiserit* Novitius *se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare; tunc suscipiatur*, inquit, *in congregatione, sciens lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere*. Hanc servandæ S. Benedicti Regulæ promissionem ab ipsis Ordinis nostri incunabilis disertè semper expressère ejus Alumni, tum in petitione ac professione adultorum, tum in oblatione parvulorum. Veterrima hujusce oblationis exempla bene multa nobis suppetunt in scriptis atque editis libris: unum in nova Capitularium editione, quam vir de republica literaria optimè meritus Stephanus Baluzius recèns adornavit: aliud in Chronico Novaliciensi, ubi Amblulfi pueri oblatio, imperante Carolo Magno facta conceptis verbis exprimitur: alia item in notis Acherii nostri ad Lanfrancum, quæ formulæ in Remigiano apud Remos Cænobio usitatæ erant Sæculo IX. In his porrò formulis omnibus, quæ iisdem omnino verbis ubique constant, Parentes filii oblati nomine sanctè jurant, se ita filium suum tradere Deo, *ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo Regulæ excutere*. Huic petitioni accedebat Promissio, testante Hildemaro, iisdem omnino verbis à parentibus vice filii facta, atque ab adultis pro se ipsis. Utrumque sponte sua confirmabant, approbabantque filii, cùm ad intelligibilem ætatem pervenerant ex Synodi Aquisgranensis cap. 36. LIII

Mutationem hanc temperavit S. Benedictus.

Hanc

LIV Petitio à professione distincta. Hanc adultorum petitionem cum ipsa professione confundunt Menardus noster & Haeftenus, doctissimi viri, aliique recentiores. At aliam ab alia diversam esse constat. Eas quippe non obscurè distinguit S. Benedictus in Regulæ cap. 58., ubi post verba superiùs præmissa, de Promissione hæc habet. *Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia coram Deo & Sanctis ejus: ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Tum de Petitione subdit. *De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis: quam petitionem manu sua scribat; aut certè, si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat; & ille Novitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat.* En promissio & petitio à S. Benedicto distinctæ. Promissio Monachum Deo; Petitio, veluti contractus & pactum (sic appellat Fructuosus) etiam hominibus ac religioni obnoxium reddebat. Eum verò esse istius loci sensum patet ex antiquis Regulæ commentatoribus, Hildemaro, & Smaragdo. Uterque enim hunc initiandi Monachi Ordinem commemorat, ut primò Novitius promittat *de stabilitate, conversione & obedientia secundùm Regulam S. Benedicti. Et cùm hæc dixerit promittens*, inquit Hildemarus, *tunc debet facere petitionem, id est aut tunc debet scribere ipsam petitionem: aut si scripta fuerit ipsa petitio, tunc ibi in presentia debet scribere aliquid, hoc est nomen suum: aut, si non sapit scribere, tunc in præsentia Fratrum ibi debet facere signum Crucis.* Duo ista signantiùs distinguit Smaragdus, qui formulas & promissionis & petitionis in Commentario suo refert: quibus alias octavo sæculo receptas in hujusce tomi appendice adjicio ex editione Baluziana. Porrò in oblatione parvulorum Parentes edebant non solùm Petitionem, sed etiam Promissionem, testante Hildemaro in cap. 59.

LV Denique in utriusque formulis, Promissionis scilicet ac Petitionis, includitur votum ac promissio servandæ Regulæ, uti mox afferebam, id cuivis planè perspicuum fiet ex vetustis formularum exemplis, quæ ad nos usque pervenerunt. Nam præter Baluzianas superiùs memoratas, in ejus rei argumentum alias habemus Professionis formulas, tum in epistola Theodemari ad Carolum Magnum, tum apud Hildemarum & Smaragdum, sæculi noni auctores; tum apud Haeftenum. Atqui formulæ istæ omnes in cunctis Monasteriis Regulæ nostræ subjectis principio receptæ sunt ex veteri more. Certè Fuldenses Monachi *Regulam S. Benedicti se impleturos* ab initio *promiserunt*, ex Sturmii Abbatis Vita num. 14. & Germanici itidem Monachi atque Sanctimoniales omnes idem præstabant ineunte sæculo IX., ex Concilii Moguntiacensis can. 11. & 13. Huic Professionis ac Regulæ retinaculo accesserunt aliæ duæ ejusdem Regulæ prærogativæ. Una, quòd ex omnibus veterum Patrum Regulis hæc sola à Summis Pontificibus, videlicet Gregorio Magno ac Bonifacio IV., commendata sit ac promulgata. Altera, quòd sola etiam in frequentibus Conciliis, maximè Gallicanis, celebrata, ac Monachis omnibus præscripta, quod nulli alteri Regulæ concessum legimus. Hoc triplici funiculo repressa est promiscua illa Regularum mutatio in Monasteriis Occidentalium seu Latinorum.

LVI Neque tamen sic Regulam suam instituit S. Benedictus, ut secessionem aut quasi divortium faceret à corpore sive cœtu ceterorum Monachorum. Etsi enim discipulos suos Regulæ servandæ voto adstrinxit, non tamen aliarum Regularum usum eis interdixit, aut aliorum Monachorum societatem. Quippe Regularum qualis tunc erat diversitas, non magis omnium Monachorum unioni obstabat, quàm variæ in eamdem Regulam commentationes, quas modò admittunt Congregationes diversæ, quæ sub eadem Regula, eodemque Ordine

ne militant. Deinde S. Benedictus discipulis suis potestatem fecit alias superinducendi Patrum Regulas, puta S. Basilii, aliorumque, ad ea supplenda, quæ in sua vel indefinita reliquerat, vel imperfecta (quæ Viri sanctissimi modestia erat) ipse reputabat, ut ex Regulæ capite ultimo perspicuum est, adeò ut hæc supplementa ex aliis petita Regulis, quasi Regulæ nostræ commentationes tunc haberentur. Illustre est hanc in rem exemplum Benedicti Anianensis Abbatis, qui non solùm omnes Regulas in unum codicem redegit; sed etiam ex eis conflavit concordiam (quam vocat) Regularum: in qua relatis Regulæ nostræ singulis capitulis, singula aliarum Regularum capita pro argumenti materia subjungit, aptatque: tum ut ex mutua collatione amplior accederet Regulæ nostræ auctoritas; tum ut indè supplerentur ea, quæ S. Benedictus indefinita reliquerat: qualis est pœnitentiarum modus, vestium forma & color, aliaque id genus, Abbatis arbitrio commissa.

Huc etiam pertinent capitula, quæ Grimaldus & Tatto *Regimberto præceptori*, aliisque Cœnobii S. Galli Monachis transmiserunt ad explicandam Regulam, quæ capitula in appendice nostra reperies. Præterea alienis Monachis in Cœnobia Regulæ suæ subjecta accedendi licentiam dedit Pater Sanctus in cap. *61.*, si modò probata eorum vita esset, ipsique Monachi stabilitatem in Monasterio promitterent. Hujus Promissionis formam invenio in Regulæ nostræ commentario perantiquo, qui Paulo Diacono hactenus adscriptus est, at Hildemarum Monachum auctorem habet. En Promissionis forma. *Ego ill. veniens de longinquis Provinciis in hoc Monasterium, quia placuit mihi conversatio Fratrum istius loci, & illis mea placuit conversatio; ideò stabilitatem meam in hoc Monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuùm confirmo.* Ut verò de adventantium Monachorum constaret moribus, probatio non porrigebatur in annum, sed breviori tempore definita erat. Magister in Regula sua, quæ tota ex Benedictina conflata est, duorum tantùm mensium exigit probationem, in cap. *39.*, quod Fratribus jam conversis, uti & alia duo superiora, competere manifestum est. LVII

Jam qua via, quave ratione alia Monasteria, quæ vel ante S. Benedictum, vel eo vivente aut mortuo sub alia Regula erecta sunt, ad Institutum nostrum accesserint, ex dictis explicare non fuerit operosum. Id quippe nulla vi, nullo dolo malo, nullis machinis (ut quidam perperam fingunt) admotis patratum est; sed prona voluntate cujusque loci Monachorum, qui Regulam nostram *discretione præcipuam, sermone luculentam* attendentes, sicque Gregorii M. oraculo approbatam, propriis Institutis præferendam esse existimârunt. Nulla, aut certè admodùm rara, ex Monasteriis nostris transmissa colonia veteres inquilinos è propriis sedibus ejecit: sed spontaneos ad sui cultum adduxit Regulæ sanctæ auctoritas. Ad id porrò quibusdam quasi gradibus pedetentim ventum est. LVIII Regula S. Benedicti quibus modis propagata.

Primò enim cùm in voluntate Abbatum posita esset tunc cujusque Monasterii Regula; ex nostra plerique in suos usus transtulêre, quæ ad informandos sibi subjectorum mores ac pietatem instruendam magis conducere videbantur, nulla tamen Regulæ nostræ promissione sollemniter ac disertè facta. Alii ad nostros propiùs accessêre, non solùm plerosque ritus ex Regula S. Benedicti mutuando, sed etiam admittendo substantialem hanc (ut ita dicam) ejus partem, hoc est sollemnem ipsius Regulæ professionem. Sic in Regula Donati Vesontionensis Episcopi, quæ in Jussanensium Sanctimonialium gratiam ex Regulis S. Cæsarii, S. Benedicti maxima ex parte, ac S. Columbani condita est; ubi de probandis Virginibus agitur, id est in cap. *6.*, tota hujus negotii in- LIX

ſtitutio petitur ex Regula noſtra, ad cujus præſcriptum profeſſionis forma exigitur in hunc modum: *Prædicentur ei omnia dura & aſpera, per quæ itur ad Deum: & ſi promiſerit de ſtabilitate ſua perſeverantiam; tunc demum poſt anni circulum in Cœnobium ingrediatur: & obedientia ac ſtabilitate promiſſa, in congregatione ſocietur*, quæ totidem verba exſtant in Regulæ noſtræ cap. 58. hoc ſolùm addito, quòd promiſſio illa fiat non modò *de ſtabilitate ac perſeverantia*, ſed etiam *de converſione morum*, & quidem *ſecundùm Regulam*, ut habent veteres formulæ ſuperiùs memoratæ. Quamquam in veteri Benedictinæ profeſſionis formula apud Theodemarum, in duabus aliis in Appendice noſtra relatis, atque in Regulæ Magiſtri cap. 89., (quæ Regula non tam ſpecialis eſt, quàm commentatio Benedictinæ) nulla etiam occurrit mentio converſionis morum: nimirum quia *obedientia ſecundùm Regulam* voto ſatis contineri videbatur. Ad eumdem modum Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus *Converſorum*, id eſt adultorum, profeſſionem ordinavit, ſtatuto edito in Regulæ primæ cap. 22, ut Abbas candidati Monachi *accipiat pactum, omnem ſuæ profeſſionis continens originem: in quo etiam ita ſe idem convertens alligabit, ut omnia ſe Inſtituta Cœnobii mente devota profiteatur implere, nec ea ullo umquam tempore violare; neque à diſtrictione Cœnobii, quam expetiit, polliceatur ullatenùs evagari*. Quibus verbis Fructuoſus, qui Regulam ſuam maximè ex noſtræ decretis contexuit, obedientiam & ſtabilitatem non obſcurè deſcribit, apertiùs verò in iſtius *Pacti* formula, quam refert in fine Regulæ ſuæ communis. Qui priori modo Regulam noſtram ſibi aſſumebant, dimidiati, ut ſic loquar, Benedictini; qui poſteriori ſeu Donatiano, veri ac perfecti cenſeri debent Inſtituti noſtri alumni. Porrò Donatianus omnibus S. Columbani diſcipulis, Waldeberto Abbate, communis fuit.

LX His duobus inducendæ Regulæ modis acceſsêre alii duo, nempe ut mitterentur, unus aut alter Monachi, vel è noſtris in aliena Cœnobia, qui docerent; vel ex alienis in noſtra, qui diſcerent, aliiſque poſteà traderent Inſtituti noſtri rationem. In hoc genere invenio Abbatem Fundani in Italia Monaſterii, qui cùm omnia totius Italiæ Monaſteria ad Benedictinam vivendi normam certatim concurrere adverteret; duos ex diſcipulis ſuis Caſinum miſit ad Simplicium, ejus loci poſt S. Benedictum Abbatem ſecundum, ut *juxta prædictam S. Regulam & obſervantiam pleniùs inſtruerentur in Caſinenſi ſancta Congregatione*. Ejus epiſtolæ, quam alibi integram retuli, exordium hujus facti rationem exponit his verbis. *Experientiâ compertum eſt, multorum Rectorum mores varias vivendi normas in Monaſteriis peperiſſe. Hinc factum eſt, ut jam omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum Provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam Sanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus Magiſter tuus inſtituit, ſervare decreverint: ut juxta illam viventes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare præſumant*. Quibus verbis probatur id quod ſuperiùs dixi, ſcilicet varias in ſingulis Monaſteriis Regulas antiquitus acceptas fuiſſe pro Rectorum arbitrio; eamque demum licentiam Sancti Benedicti Regulâ caſtigatam. Sed ut ad propoſitum revertar, aliquando unus alterve Monachi ex Monaſteriis noſtris in aliena mittebantur, ut Regulæ ſanctæ Inſtitutis alios informarent. Id verò potiùs conjecturâ, quam certo ullo argumento inductus affirmo contigiſſe. Nullum enim hujus facti exemplum apud veteres Scriptores legere memini. Miſſi ſunt quidem perſæpe ex probatis Inſtituti noſtri Cœnobiis Monachi ad alia emendanda ſeu reformanda, in quibus Regulæ noſtræ jam collapſa erat diſciplina. At qui eam in aliena primis illis ſæculis induxerit, miſſum lego neminem. His duobus modis affines ſunt alii itidem duo. Unus, cùm peregrini Monachi à noſtris humaniſſimè de-

mo-

more accepti, Regulæ nostræ observationem, quam hospitii consuetudine didicerant, ad suos reversi commendarent, eisque approbarent. Sic Sancti Vvandregisilus & Filibertus varia Galliæ & Italiæ Monasteria perlustrârunt, atque ex iis Regulæ Benedictinæ aliarumque cultum in sua derivârunt. Postremus denique modus est, cùm extranei Monachi in nostrorum societatem firmata stabilitate admissi, cum licentia remearent ad pristinas sedes, ibique Instituti nostri rationem observari curarent. Neque enim ea, quam apud nostros voverant, stabilitas huic rei obstabat: ut docent Regulæ commentatores, in primis Hildemarus, in capita 58. & 60. Lege formularum Petitionis primam in Appendice nostra. Omnibus istis modis, certè benignissimis, primitus propagata est Regula sancta in vetera Monasteria alienis subjecta Regulis: non verò Monachorum ejectione aut substitutione aliorum.

LXI Paullò aliter actum est cum Scotticis Monachis: qui cùm à Romanis ritibus in multis desciscerent, ob idque schismatici judicarentur; è propriis aliquando sedibus eliminati sunt, ut nostris facerent locum. Id factum in Monasterio Lindisfarnensi auctoritate Alchfridi Northumbrorum Regis; in Ripensi, aliisque Diœcesis Eboracensis Cœnobiis per Vvilfridum Episcopum sæculo septimo; denique in Landevenecensi sæculo nono per Ludovicum Pium Regula nostra inducta est.

LXII Sic ergo ad partes nostras commigravêre vetera Monasteria: quæ tamen non in unum quasi corpus redacta sunt: non alia aliis subjecta, aut subordinata; non ab uno generali Præfecto administrata: sed ab invicem singula discreta ac separata, diversos habuêre Rectores sub ejusdem Regulæ institutione, variis aliquando ritibus distincta. Primus Galliæ ac Germaniæ Monasteria ad uniformem sub Regula nostra vivendi modum adducere tentavit Benedictus Anianæ Abbas, favente Ludovico Augusto: cujus auctoritate Synodus Aquisgranensis eo fine indicta est ac celebrata, convocatis totius Galliæ ac Germaniæ Abbatibus. Quin etiam eidem Benedicto multa commissa sunt regenda Cœnobia, quibus ipse omnibus Abbatis primarii vice præerat. Eo mortuo, eadem Monasteria denuo translata sunt ad proprios quæque Rectores, qui hanc Benedictinæ Congregationis veluti primam ideam violârunt, & ad diversos ritus iterum redacti sunt. Rem feliciùs exsecutus est S. Odo Abbas Cluniacensis. Is enim ipsiusque successores infinita pænè Monasteria sub unius Abbatis regimine coadunârunt & principi Monasterio Cluniacensi subjecerunt. Cluniacensi successit sæculo XI. Camaldulensis Congregatio auctore S. Romualdo, tum Vallumbrosana auctore S. Johanne Gualberto, ac Cisterciensis auctore S. Roberto Abbate Molismensi, aliæque complures, quas hìc enumerare otiosum est, omnes sub eadem Regula S. Benedicti. Eodem sæculo XI. institui cœpit Ordo Cartusianus per S. Brunonem, dein Præmonstratensis insequenti per S. Norbertum, ac demum sæculo XIII. variæ mendicantium Religiosorum societates.

Monasteria quando una in corpus coaluerint.

Ordinum varietas ut incœpit.

LXIII Ab istis temporibus scindi cœpit Monasticæ Reipublicæ communio in varios Ordines. Nam antea, ut jam dixi, unus Monachorum Ordo censebatur, non solùm quòd Monasteria pænè omnia in Europa sub una S. Benedicti Regula militabant; verùm etiam quòd, etiam si qua alieno instituto addicta superarant, unà tamen cum nostris Societatis lege connecterentur. Primus Ordinem S. Benedicti, quasi specialem, ab aliis distinxisse videtur Lupus Ferrariensis Abbas in epistola 29., ubi non modò *Patrem nostrum Benedictum* vocat; verùm etiam ex ejus Regula asserit, Sacerdotes in Monasteria fuisse admissos *jam indè ab initio nostri Ordinis*. Ast ita locutum fuisse Lupum existimo, non quò dis-

discernat Ordinem S. Benedicti ab aliis; sed quòd unicus tum esset in Gallia Monachorum Ordo Benedictinus. Certè in eadem epistola paullò ante verba mox relata, *nostram, hoc est Monachicam Religionem* interpretatur. Eadem ratione explicanda sunt, quæ in S. Mauri Abbatis vita leguntur, hæc verba: *Observatio Ordinis nostri summam deposcit quietem*: id est monastici; quæ eadem ferè verba reperio in Actis S. Hermelandi Abbatis cap. 2. Neque etiam Ordinum varietatem arguunt Litaniæ ab Alcuino conditæ pro feria tertia, in quibus *omnium Monachorum Ordines* precibus interpellat. Hic enim locus intelligendus est de variis Monachis in cœlum receptis: quorum alii Martyres, Confessores alii, alii Doctores in vivis fuerant. Aliàs sanè non *omnium Monachorum Ordines*, sed *omnium Ordinum Monachi* erant appellandi. Sæculo insequenti cùm per S. Odonem erecta fuisset Cluniacensis Congregatio, propriis ritibus adstricta Regulæ S. Benedicti, quæ priscos ritus retinebant Monasteria, alterius Ordinis dicebantur, tametsi ejusdem Regulæ unione confœderata; maximè quæ varias sub se Cellas ac Monasteriola habebant. Sic *Ordo Majoris Monasterii* vocatur apud VVillelmum Gemeticensem Monachum in lib. 7. cap. 37.

LXIV Cartusiensi, Camaldulensi, Vallumbrosanæ, Grandimontensi ac Cistertiensi Familiis exortis, major facta est Monachorum discretio, ob varias vestes, aut Regulas, variosque ritus, quibus utebantur. Nigros appellabant veteres Benedictinos; Cistertienses principio griseos, tum albos seu candidos. Certè Robertus de Monte *Ordinem Cistertiensem*, uti & Cartusiensem vocat in tractatu de mutatione Ordinis Monachorum cap. 2. Hinc S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Unum Ordinem professione teneo, ceteros caritate*. In variis tamen hisce Ordinibus perseveravit unus atque idem veteris Monastici Ordinis genius, unus idemque scopus, qualem superiùs exposui.

LXV Tandem Sæculo XIII. & subsequentibus antiqua Reipublicæ Monasticæ facies non parùm immutata est; distracta unio in diversos fines, unus Ordo in multiplices distinctus Ordines, immo & Religiones. Neque enim omnes capit unum Monachorum nomen, nec illud ipsum ferunt omnes. Hinc pro divinis officiis & labore manuum, alii concionandi officium, alii studia, alii utrumque; quidam etiam pro studiis caritatis officia; alii pro ceteris prisci monachatùs insignibus varios ritus induxêre, omnes ferè in aliorum commoda & salutem instituti. Profecit Ecclesia tot Ordinum varietate, quamdiu intra Regulæ quisque suæ limites constitêre; proficitque in dies, ubi primis Ordinis moribus statur. Omnes hos Ordines probi quique laudant, approbant, foventque, & meritò certè. At Monachis maximè cavendum est, ne à primario Instituti sui proposito atque scopo retrahantur, sive exemplo aliorum, qui aliorum saluti procurandæ se se totos addixêre; sive querelis hominum sæcularium, qui eos quasi Reipublicæ Christianæ inutiles traducunt, & à solitudinis secessu revocare moliuntur.

LXVI Monachi Reipublicæ Christianæ perutiles. Jam dudum adversùs hunc scopulum Eugenius Papa III. præmunivit Cistertienses suos in epistola ad Capitulum generale. *Et quoniam*, inquit, *filii sæculi hujus vos renitentes etiam ad regimen sui trahere moliuntur, & de quiete contemplationis & deserti silentio volunt vos aliquoties ad occupationes & negotia revocare; ad mentis oculum Patrum vestrorum Instituta reducite: & propheticum habentes exemplum, eligite magìs abjecti esse in domo Dei, quàm habitare in tentoriis peccatorum*. An verò desidiosum hominum genus instituissent Antonius, Pachomius, Basilius; laudasset Athanasius; defendisset Chrysostomus; sectati essent cum Basilio & Chrysostomo Gregorius Nazianzenus, Martinus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Cæsarius, & (ut infinitos alios sileam) Grego-

gorius Magnus, omnes præclariſſima Eccleſiæ lumina? Itane otioſos approbaret Eccleſia; Concilia, Patreſque laudarent, tanquam illuſtriorem gregis Chriſti portionem; confirmarent, foverentque piiſſimi quique Principes, Reges, Imperatores? Audiant illi Monachorum cenſores, quid de Monachorum Inſtituto pronuntiarit Juſtinianus in novella 133. *Singularis vita, hujuſque contemplatio res eſt ſacra, & ex hoc evehens animas ad Deum; & non ſolùm juvans eos, qui ad hanc accedunt; ſed etiam aliis omnibus pro ejus puritate & ſupplicatione ad Deum præbens inſpectam utilitatem. Unde & priſcis Imperatoribus ſtudii fuit, & à nobis non pauca ſancita ſunt de eorum honeſtate & ornatu.* Hanc verò utilitatem inferiùs explicat his verbis. *Si enim illi puris manibus & nudis animabus pro Republica ſupplicent Deo; manifeſtum, quòd & exercitus habebunt bene, & civitates bene diſponentur. Deo quoque placato & propitio exiſtente, quomodò non univerſa plena totius pacis & devotionis? ſed & terra nobis feret fructus, & mare quæ ſua ſunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem Rempublicam deducente. Sed & ipſum commune ſchema hominum reverentius erit, & vivet meliùs illorum erubeſcens perdurationem.* Idem ſenſit de Monachorum Inſtituto magnus ille Johannes Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cognomento Eleemoſynarius: qui cùm non fuiſſet Monachus, *nolens autem*, teſte Leontio Epiſcopo, *hujus boni eſſe expers, congregavit Alexandriæ duos Ordines ſanctorum Monachorum; & ſtatuit eis omnem utilitatem tribui de villis ſuis in civitate ſua: & faciens eis cellulas in duobus oratoriis: Ego*, inquit, *poſt Deum utilitatem corporalem veſtram procurabo, vos autem ſpiritalis habetote meæ curam ſalutis.* Quantum verò indè utilitatis acceperit Alexandria, ſubdit Leontius, dicens, *ad ſimilitudinem Monaſterii ex his civitatem penè vixiſſe, & in diverſis locis pervigiles hymnodias Deo retuliſſe.* Hæc vera Monachorum officia, quorum Inſtitutum nemo poterat meliùs aut exprimere aut tueri. Ad eum ſiquidem modum comparata eſt proborum quorumque hujus etiam temporis Monachorum vita, qui non minùs ſeceſsûs ac ſilentii exemplo Fidelibus aliquando proſunt, quàm alii concionandi officio. Quis enimverò, ſi modò de Chriſtiana pietate rectè ſentit, remque coram Deo examinat; quis, inquam, Eccleſiæ non perutiles exiſtimet eos, qui Chriſti vitam atque Evangelium factis ſuis aſſiduè pro modulo confirmare ac proteſtari conantur? qui religionis præcipuum officium, Dei ſcilicet cultum, quanta poſſunt religione celebrant, corpore & animo in perfectum laudis Sacrificium contrito & mactato? qui Chriſtianæ pœnitentiæ antiqua veſtigia ſpecimenque in Eccleſia retinent? qui virtutis publicas ſcholas aperiunt? qui veterum ſcriptorum monumenta labore ſuo tranſmiſêre ad poſteros? qui Clericis laudabiles inſtituendi ſocietates exemplum dedêre? qui denique quot Monaſteria, tot Xenodochia erexêre, in quibus animorum morbi curantur, innocentia per Baptiſmum parta inviolata ſervatur, aut perdita reſtauratur, omnium pauperum egenorumque inopia ſublevatur? Xenodochia, inquam, Monaſteria ſunt, in quibus non ſolùm Monachi à ſæculi corruptelis vindicantur; ſed etiam *mundus omnis*, ut teſtatur Leodegarius, immo Gallicani cum eo Epiſcopi in Concilio Auguſtodunenſi: qui cùm ad ſervandam S. Benedicti Regulam Abbates & Monachos cohortati eſſent, hæc ſubdunt in canone 15. *Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monaſteria conſervata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes continuas malis carebit contagiis.* Denique quis dicat eos civili ac Chriſtianæ Reipublicæ inutiles, qui provincias ferè totas incultas & in ſolitudinem redactas, opidis, vicis impleverunt, ornârunt ædificiis, litteris excoluerunt, erectis Epiſcopatibus, Paſtoribus inſtitutis, multis paganorum millibus ad Fidem ad-

Erasm. in epist. ad Joban. Emstedium Carthusian. adductis? Hæc qui per Monachos patrata nescit, planè in Historia novus hospes est. „ Quænam igitur est animi perversitas, „ ut cujusdam verbis utar, qui Monachorum potiùs censor, quàm adulator est, „ odisse Monachum ob „ hoc ipsum, quòd Monachus est? profiteris te Christianum, & adversaris „ eis, qui Christo simillimi sunt? Hîc protinus occinent, scio, plerosque „ plurimùm abesse ab hac Imagine priscorum Monachorum. Nullum igitur „ vitæ genus probabimus, si propter malos oderimus & bonos. „ Deflexerint sanè tantisper à primario proposito suo Monachi. At quotus quisque est Christianorum, qui primitivæ Ecclesiæ sanctimoniam hactenus retinuerit? Nullus Ordo; nullus status, nullusve locus à generali corruptela ex integro immunis est. De probis Monachis illud audeo dicere, nullum esse in Ecclesia statum, qui ad primigenios Instituti sui mores postliminio redire ferventiùs contendat, & in dies fieri melior. Hæc per excursum attigerim, non quò sæcularium hominum probra, dicas, ac querelas hoc modo temperari posse putem: sed ut apud æquos homines monastici Ordinis causam paucis perorem; ac demum ut statûs sui dignitatem intelligant Sodales nostri, neque ab eo deflectant Adversariorum improperiis, quæ homini Christiano (quantò magis Monacho?) æquanimiter toleranda sunt.

LXVII Neque porrò his detractum imus aliis recentiorum temporum Ordinibus, quorum Institutum probamus ac veneramur. Manet sua cuique laus & prærogativa: nec ex eorum numero esse velim, qui de Ordinis sui præ aliis dignitate, de vitæ contemplativæ præstantia super activam longas serunt disputationes. Quæ hactenus de variis Ordinibus retuli, eò tantùm spectant, ut diversos monasticæ Reipublicæ status exponam. Nunc ergo (ut dicere cœperam) tanta facta est Ordinum, quanta Regularum, immo & rituum sub eadem Regula, ac Statutorum diversitas: adeò ut violatæ fidei reus censeatur Monachus aut Religiosus quisque, qui in alterius Ordinis aut Professionis locum migrârit absque Pontificia passim auctoritate. Ex hac Familiarum & Ordinum discretione nata est bonorum cujusque Ordinis propria ac privata possessio, certis legibus definita. Hinc est, ut quod uni competit Ordini, ad alium transferri non magis possit, quàm singularis cujusque personæ facultates ad aliam.

LXVIII *Columbani Institutum ab aliis an divisum.* Ex his omnibus, quæ hactenus dixi manifestum est, quàm facilè fuerit antiquis Monachis admittere S. Benedicti Regulam, ubi ejus dignitas, discretio, & præstantia ipsis perspecta esse cœpit, quave ratione ea res demum perfecta sit. Hæc cùm ita sint, non tantopere disceptandum erat de Monachis sanctis, qui ævo S. Benedicti vixêre, nimirum an & quando ejus Regulam susceperint; deque Instituto Columbani, an fuerit à Benedictino diversum, an Regula ejus peculiaris. Certum quippe est, unicum fuisse, non solùm Benedicti & Columbani sed etiam omnium Monachorum eo tempore Ordinem, tametsi varias Regulas, atque ritus habuerint diversos. Constat etiam, non solùm S. Benedictum, sed & Columbanum, cùm duo in Gallia Cœnobia ædificasset, *Spiritu sancto repletum*, ut testatur Jonas, *condidisse Regulam quam tenerent*. Præter hanc Regulam Columbanus scripsit pœnitentialem librum; quod utrumque opus habemus in codice Regularum. Tota lis est, an hæc Regula semper in unoquoque Columbani Monasterio cum Benedictina ita coaluerit, ut nullo tempore ab illa sejuncta sit: aut si sejuncta aliquando, quo demum tempore cum ea coaluerit. Quod sanè non magni momenti esse videbitur, si attendamus, utriusque Patris discipulos unius Ordinis consodales ac commilitones fuisse. Diversi quidem in nonnullis fuêre Columbani,

ejusque

ejusque discipulorum mores à Latinorum Monachorum ritibus, quos Regulæ S. Benedicti professores sectabantur. At, si quædam discidiola indè exorta excipias, unius Ordinis unionem non magis violabat illa diversitas, quàm variæ nunc commentationes in Regulam nostram. Tametsi verò quidam Columbani ritus à nostris differebant; eòdem tendebant præcipua quæque, penitusque similia erant, qualis est Oblatio infantium in Monasteriis, cujus oblationis ritum Columbanus ex Regula S. Benedicti forsan acceperit, nam ea de re nullum in ejus Regula decretum invenio. Certè Donatus puer *in Monasterio Luxoviensi alitus*, ibidemque Deo *à teneris consecratus* est Columbano Abbate, quod etiam de Agilo puero legitur.

Atque ut ampliùs elucescat, Columbani Ordinem non fuisse ab aliis sejunctum ac separatum, insigne affero exemplum Eustasii, post Columbanum Abbatis Luxoviensis: qui ad eum in Italiam profecturus, *introjens cœnobium Agaunense*, ubi tum Monachi degebant, *sciscitari cœpit, quis inter primos sanctitate primus ibidem haberetur*. Cognito eum esse Amatum Monachum, qui post annos triginta inibi exactos, *in excelsissima rupe jam ferè per triennium duram gerebat vitam*, ipse, *revertens ab Italia, ablatum sanctum hominem Luxovium usque produxit*, ubi is aliquod temporis spatium conversatus, *ab omnibus amatus effectus est*, ut scribit gravis auctor & æqualis in Actis S. Amati in Sæculo secundo relatis. Quo in facto observandum est, Agaunenses non vixisse ad præscriptum Regulæ S. Columbani, sed aliùs, nempe (ut probabile est) Benedictinæ: quam à S. Mauro in Galliam accedente, illacque transeunte suscepisse dicuntur. At sive hanc, seu aliam Regulam professi sunt Agaunenses; ex superiori facto apertè intelligitur, Columbani Institutum ab aliis non fuisse diversum: quandoquidem Amatus nulla habitûs aut professionis mutatione facta Luxovium admissus sit & cooptatus. LXIX

Non diffiteor tamen secùs actum aliquando cum alienis Monachis, quorum non ita perspecti erant mores ac probata vita, ut patet ex Actis S. VValarici Abbatis, qui in Monasterio Autumo apud Arvernos Monachum professus, cùm Luxovium se recepisset ad Columbanum, *in primis humilitatis causâ & ritu Novitiorum hortum excolere cœpit*. Hinc explorata ipsius virtute, Columbanus *jussit eum inter condignos probatosque Monachos constitui, quem Fratres adhuc, quasi Novitium, inter modernos esse judicandum æstimabant*. Itaque VValaricus jam antè Monachus, apud Luxovium probatus est *ritu Novitiorum*, eumque Fratres *quasi Novitium* æstimabant, quoadusque Columbanus eum inter *probatos Monachos* admisit. Verùm, ut dixi, id non fiebat adversùs omnes, sed erga eos dumtaxat, quorum vita dubia atque mores incerti erant. Alioquin statim ab ingressu ejus loci Monachi censebantur, ut ex Amati facto discimus: qui inter Luxovienses non aliter acceptus est, quam Luxovii proprius Alumnus. LXX

S. V.

§. V.

Regula S. Benedicti ante sæculum octavum recepta ubique Galliarum.

LXXI QUorsum, inquis, hæc tam longo repetita principio? nimirum ut appareat, quàm otiosi sint eorum conatus, qui non solùm Columbanum, sed etiam ejus discipulos Ordini nostro detrahere conantur, & Regulæ S. Benedicti generalem in Monasteriis usum rejiciunt in sæculum VIII. immo & IX. Nam cùm ab initio unicus fuerit Benedicti, Columbani, aliorumque Legumlatorum monasticus Ordo, etsi quidam ritus (ut hodie etiam in unius ejusdemque Ordinis variis familiis cernuntur) diversi fuerint; consequens est Columbanum ejusque discipulos non immeritò Sodalibus nostris vindicari posse; & hos quidem eò priori jure, quòd cum Regula Institutoris sui etiam Benedictinam, si non ipso Columbano auctore, certè propria sponte ipsi susceperint. Quia verò id non placet Recentioribus nonnullis, qui Regulæ S. Benedicti propagationem seriùs admittunt; operæ pretium me facturum puto, si argumenta quædam, sive à me jam relata in superioribus præfationibus; seu nova & postmodùm inventa huc referam historico more, non contentioso illo modo, qui in controversiis exhiberi solet. Quod ut dilucidiùs exsequar, & quibuscumque Adversariorum argumentis & effugiis aditum præcludam; hîc demonstrare aggredior, neque Benedictum Anianensem, aut Ludovicum Augustum; neque Carolum Magnum, aut Casinenses Monachos; neque Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum, aut Pippinum Regem, Carolomannumve ejus fratrem, generalis propagationis Regulæ Benedictinæ auctores, sed ejusdem observationis restitutores fuisse. Hæc singulatim explicanda.

Quæ hic explicanda.

LXXII Ludovico Pio imperante Regula sancti Benedicti adeò propagata erat, ut S. Benedictus *cunctorum Monachorum Pater* appelletur ab Ardone Monacho, Ludovici temporis æquali. Et ante eum Alcuinus id ipsum iisdem ferè verbis tradiderat, de S. Benedicto ita canens in epigrammate 112.

Turba Monachorum celebrat te sancta per orbem,
Quorum vita fuit famine scripta tuo.

Regulæ S. Benedicti propagator.

Itaque labente sæculo octavo, regnante Carolo Magno, tam longè latéque *per orbem*, saltem Occiduum seu Latinum, sancti Patris Regula propagata erat, ut *turba Monachorum per orbem*, ipsum velut parentem ac præceptorem suum celebraret. Quod si advertisset quidam vir doctus, S. Benedictum anno DCCXLII. *omnium Monachorum Patrem* dici potuisse forsan non negasset; cùm ab annis indè ferè XL. ita dictus sit ab Alcuino. Sed ne fortasse huic Alcuini loco plus, quàm ejus verba præseferant, tribuere videar; affero alium ejusdem Auctoris ex carmine 141. ubi Benedictus absolutè *Monachorum Pater* appellatur.

O Benedicte vale, Monachorum maxime Pastor
Quos generas verbis, hos rege jam precibus.

Sic in charta Ludovici Pii, tum Aquitaniæ Regis, S. Benedictus *Monachorum Pater* laudatur nimirum anno DCCCVII. ut legitur in appendice Capitularium.

Baluzius in Append. Capitular. num. XXI.

rium. Sed rixas hîc ferere non est animus; præstatque audire S. Odonem Abbatem Cluniacensem, qui in sermone de S. Benedicto eam fuisse dicit ipsius prærogativam, eumque fulgorem; *ut etiam remotissimos totius Christianitatis sinus radiis suæ beatitudinis illustraret*. Tum subdit. *Nec Monachorum cohortes ubique terrarum diffusæ tantam ejus altitudinem ignorant, qui sanctam ipsius institutionem præ cæteris sectantur: ita ut etiam in illorum Patrum Cœnobiis, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgârunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri; non immeritò arbitrantes, quòd hunc specialiter tanquam alterum Moysen, Deus mundo prædestinavit: ut sicut ille Judæis: ita iste tam Judæis, quàm gentibus monasticæ legis decreta sanciret*. Ex his omnibus conficitur, Regulam nostram sæculo nono adeò fuisse diffusam, ut sola, saltem in orbe Latino, generali usu recepta esset. Atque ut de aliis modò Regnis & Provinciis sileam, certè id maximè constat de Gallia: sed quando & quo auctore id factum sit, investigandum est.

LXXIII. I. non Benedictus Anianensis.

Benedictum Anianæ Abbatem, non istius propagationis auctorem, sed Benedictinæ disciplinæ jam collapsæ restitutorem fuisse certis argumentis demonstrare facile est. Huic rei probandæ sufficere posset testimonium Indensium Monachorum, qui ipsius Benedicti obitum, resque ab eo gestas Ardoni Monacho scriptis litteris commemorantes; *Hic est*, inquiunt, *Benedictus, per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam S. Benedicti restauravit*. Quæ verba in proposito argumento tam clara, tamque perspicua sunt, ut commentariis non egeant. *Restauravit* ajunt: non monasticum in communi Ordinem, non quamlibet Regulam, sed *Regulam S. Benedicti*. Non ergo primus eam instituit in Gallicanis Cœnobiis; sed collapsam restituit in integrum: & quidem non in paucis dumtaxat Monasteriis, sed *in omni Regno Francorum*, datâ operâ, ut eodem modo ubique servaretur, quo fuerat olim instituta. Hoc unum testimonium, quod testium est oculatorum, sufficit ad rem, de qua agimus, finiendam: cùm adeò perspicuum, validum, ac necessarium sit, ut nulla dissimulatione, aut tergiversatione eludi possit. Accedit ipsius Benedicti auctoritas ex epistola, quam morti proximus Anianensibus Monachis scripsit, commendans illis Cœnobia, quæ ab se reducta fuerant ad meliorem frugem. En ejus verba. *Sicut ergo Monasteria dudum vitiata, jam aliquid emendationis à nobis accepisse videntur largiente Domino: ita maximè nunc cavete, ne (quod absit, te posco misericors Deus) sinistram viam ullo tempore tendant*. Jam ergo cùm Benedicti, tum ipsius discipulorum testimonio perspectum ac demonstratum habemus, *dudum vitiata* Galliæ Monasteria per Benedictum emendationem accepisse, & in eis Regulam S. Benedicti, non primitus institutam fuisse, sed restitutam. Quippe *hic est Benedictus*, per quem *Christus in omni Regno Francorum* Regulam S. Benedicti restauravit.

LXXIV.

Tota vitæ ejusdem Benedicti series id ipsum nos docet, auctore Ardone ejus discipulo. Primò enim Benedictus cùm primùm condito Anianensi Monasterio præesse cœpit, Carolo regnante, *dedit cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam; eamque ut intelligere posset, satagere, circumiens Monasteria, peritos quoque interrogans quæ ignorabat*. Nimirum quia in singulis Monasteriis erant mores, ritusque diversi, & varius Regulæ usus; ea circumibat Vir sanctus, ut ex variis locis perfectam Regulæ observationem deflorarer, quam ex uno haurire non poterat. Tum *omnium Sanctorum quascumque invenire potuit Regulas congregavit*. Nimirum eo consilio, ut concordiam texeret, codicemque Regularum, ex quarum comparatione de-

Ee mon-

monstraret legitimum Regulæ S. Benedicti sensum, ad quam *investigandam* id agebat: ut ex hac comparatione ac convenientia major accederet eidem Regulæ auctoritas. Hoc modo *normam utilem & Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas*. Hic locus notatu dignus est. Quippe non alias Monachis suis imposuit consuetudines, quam Regulæ S. Benedicti ab eis promissæ convenientes. Atqui aliorum *Monasteriorum consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas*. Constat igitur in illis Monasteriis Consuetudines ad mentem & institutum Regulæ nostræ antè observatas fuisse, quàm Benedictus ea Monasteria emendaret, & ad strictiorem normam revocaret.

LXXV num. 28. Postquam ita Monasterium suum instituit Abbas pius, jam aliorum correctioni curam & operam suam adhibuit. Siquidem *omnium Monasteriorum tam in provincia, quàm in Gothia & Novempalitana* * *provincia consistentium, erat quasi nutrix fovens, juvansque, atque ab omnibus amabatur ut pater, venerabatur ut dux, reverebatur ut magister. Caritatis enim amore, ut plures faceret salvos, aliorum circuibat cellas, & eis Regulæ suæ pandebat abscondita. Regulæ*, inquit, *suæ*, id est cujusque Monasterii. Non ergo aliam tum inducebat, sed receptam confirmabat, explicabatque. Porrò non aliam explicabat, ut ipsi fatentur adversarii, à Regula S. Benedicti, quam ipse professus erat. Pergit Ardo ejus vitæ scriptor. *Gloriosissimus autem Ludovicus, tum Rex Aquitanorum, compertâ ejus sanctitatis famâ; Eum omnibus in Regno suo Monasteriis præfecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet*. Ad quid putas? an eo animo, ut Regulam S. Benedicti quasi eatenus isthic inauditam, & necdum receptam traderet? Immo verò ut longè antè inductam, & jam servari desitam revocaret ad usum, & Monachos ad Canonicorum vitam prolapsos emendaret. Id namque disertè probant Ardonis verba quæ sequuntur. *Erant enim Monasteria instituta canonica servantes.* * *Regulæ autem præcepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circuivit singulorum Monasteria, non solùm semel & bis, sed & multis vicibus; ostendens monita Regulæ, eamque eis per singula capita discutiens; nota confirmans, ignota elucidans. Sicque actum est providente Deo, ut omnia penè Monasteria in Aquitania sita regularem susciperent formam*. Insignis hic locus est, neque ullus in rem nostram luculentior afferri potest. Quippe Monasteria illa, quæ *instituta canonica* servabant, *Regulæ autem præcepta* ignorabant, erant illorum Monachorum, qui sponte sua ad Canonicorum mores, & forsan etiam habitum accesserant, ignorantes præcepta Regulæ, quæ in ipsis Monasteriis jam dudum instituta fuerat. Certè de solis Monachis intelligi potest hic locus; nam hîc de Monachorum Cœnobiis agitur. Id patet ex sequentibus verbis, quibus dicitur Benedictus prædictis Cœnobitis ostendisse *monita Regulæ*, non primùm imposuisse, eisque *per singula capita excussisse*, seu exposuisse; adeóque *nota confirmâsse*, (Ergo nota illis erant quædam Regulæ capita, ea scilicet quæ usu adhuc retinebant,) ac denum *ignota elucidâsse*. In his porrò omnibus nihil est, quod de novæ Regulæ institutione explicari possit: sed omnia eò conspirant, ut Regulam S. Benedicti his in locis restitutam fuisse demonstrent.

* Novempopulana la Gascogne num. 31.

num. 40.

* servantia.

LXXVI Hunc locum egregiè illustrat canon 25. Concilii Turonensis anno DCCC. XIII. celebrati, inscriptus *de Monasteriis Monachorum Regulæ S. Benedicti*. Sic autem canon iste se habet. *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula beati Benedicti Patris conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custoditur, vel certè penitus abolita negligitur; bonum videtur ut ad pristinum revertantur statum: & Abbates eorumdem in eodem habitu & vi-*

& vita, qua ipsa Regula præcipit eos incedere, vivere studeant. Erant ergo tum monasteria quædam, in quibus tum Regula S. Benedicti remissa erat; immo nonnulla, in quibus penitus defecerat: ita ut Abbates etiam regulares habitum monasticum deposuissent, quæ monasteria Patres Concilii jubent, *ut ad pristinum revertantur statum*. Idem in eodem met canone clariùs explicat subsequentibus verbis. *Quoniam aliqua sunt Monasteria, in quibus jam pauci sunt Monachi, qui prædicti Patris Regulam suis Abbatibus promissam habeant, quippe cùm ipsi Abbates magis canonicè quàm monachicè inter suos conversari videntur.* Ex quibus patet & Abbates Regulares in quibusdam Monasteriis Regulæ sancti Benedicti pridem addictis, magis canonicè quam monachicè tum vixisse, & Monachos in tantam remissionem fuisse prolapsos, ut servandæ Regulæ promissionem, quam Abbatibus fieri Regula præcipit, facere desiissent. Hoc in numero fuêre Turonenses Monachi Cœnobii S. Martini, ut lego in epistola Caroli Magni ad ipsos scripta in reum Theodulfi Aurelianensis Episcopi Clericum, qui ad S. Martini tumulum confugerat, defendentibus eum Monachis, quos Carolus ita increpat. *Ipsi quoque nostis, qui congregatio hujus Monasterii ac servi Dei, & utinam vero, dicimini, qualiter jam crebrò vita vestra à multis diffamata est, & non absque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis.* Erant ergo ex institutione sua *Monachi & servi Dei* Turonenses illi: sed tamen abjecta Regulæ observatione ita deformati, ut aliquando *Monachos*, aliquando *Canonicos* se dicerent. His emendandis adhibitus est Alcuinus, testante Carolo in eadem epistola, quam recèns publicavit vir eximiæ eruditionis Stephanus Baluzius in tomo primo Capitularium, qualis in hujusce tomi Appendice habetur. Fontanellenses etiam Monachi, cadente *almæ Regulæ* statu, *Canonico ordine* vivebant: dum Ansegisus Abbas pristinam revocavit disciplinam, *juxta quod voluntatem Domini Imperatoris* Ludovici *super hoc noverat*. Utrisque adjungendi sunt Monachi Dionysiani, testante eodem Ludovico Pio in insigni diplomate, quod de eorum correctione & emendatione scripsit: cui negotio adhibitum ait ab se Benedictum nostrum unà cum Arnulfo Abbate, quem vel Heriensis, vel Glonnensis, vel certè utriusque Monasterii Abbatem fuisse puto. Et hæc erant Monasteria *instituta canonica servantia*, ut loquitur Ardo: de quibus agit Concilium Turonense: quæ cùm à Regula S. Benedicti jam pænè defecissent; ad eamdem per Benedictum revocantur.

Vide acta hujus tomi pag. 632.

LXXVII Si à Benedicti factis ad ejus scripta reflectamus animum; eumdem etiam in eis scopum inveniemus. Ex variis opusculis, quæ vir pius edidit in gratiam Ordinis sui, duo præcipua sunt, nempe Codex Regularum, earumque Concordia cum Regula S. Benedicti. Sunt qui existiment concordiam ab eo fuisse conditam, ut ad suscipiendam S. Benedicti Regulam omnium animi magis benevoli redderentur. Immo alias ob causas omnino duas. Erant quippe tunc temporis duo Monachorum genera. Alii prorsus dissoluti, *instituta Canonica servantes*, Regulæ præcepta ferè ignorabant ex dictis; vixque ad Monasticas leges, regularesque mores à Benedicto reduci poterant. Alii *tepidi ac segnes*, cùm Regulæ nostræ usus & officia utcumque exsequerentur, ad sublimiora quædam aliarum Regularum capita provehi se non ferebant, allegantes promissionem ab se factam unius Regulæ servandæ, nempe Benedictinæ. In utrorumque gratiam Benedictus scripsit Concordiam Regularum: ut dissoluti, quanti sint facienda S. Benedicti Instituta, discerent ex aliarum comparatione Regularum: tepidi verò non rejicerent alias Patrum Regulas, ex quibus S. Benedictus suam ferè deflorasset. Priorem istius libri scribendi

causam aperit Ardo his verbis. *Rursus ut ostenderet contentiosis*, iis nempe; qui ad Regulæ praxim non facilè reduci poterant, *nulla frivola cassaque à B. Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulis; alium collectis Regularum sententiis composuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit: ita dumtaxat, ut beati Benedicti præcederet sententia; ei verò rationabiliter convenientes jungerentur deinceps*. Præmiserat Ardo Benedictum antea composuisse alium librum ex Regulis diversorum Patrum collectum, qui *Codex Regularum* appellatur: in quo præcederet S. Benedicti Regula, ceteræ subsequerentur, tametsi alius ordo extat in editis. Hunc librum *ad Collectam Matutinam*, id est ad communem lectionem manè fieri solitam, legi jussit. Cùm verò Monachi nonnulli aliam sibi prælegi, quam S. Benedicti Regulam ab se voto promissam, indignè ferrent; alterum composuit librum de Concordia aliarum Regularum cum Benedictina, ut earum etiam lectionem (quæ altera hujus operis occasio est) Monachis suis approbaret. Eam porrò fuisse Viri Sancti mentem in hoc posteriori opere, docet ipse in prologo, quem *Abbatibus & Monachis omnibus* nuncupavit. Modò ergo constet librum hunc directum esse Monachis Regulam S. Benedicti professis; constet etiam necesse est, omnes tum in his partibus eidem Regulæ fuisse addictos. Id verò patet ex ipsa præfatione, cujus initium ejusmodi est. *Dum communi utilitati consulens, attentiùs quærerem, quo modo utiliùs possem cunctis prodesse; cœpi Sanctorum vitas, Regulasque legere Patrum, quas dum sagaci intentione percurrerem, & eadem penè, quæ à S. Benedicto prolata sunt, verba in quibusdam locis, in quibusdam verò sensum eumdem cognoscerem; occurrerunt animo ea, quæ à segnibus tepidisque Monachis dici assolent. Quid ceteræ huic conferunt Regulæ? quid ad me quas non promisi, pertinet legere?* Ergo ab aliarum lectione Regularum *tepidi* illi Monachi ideò avertebantur, propterea quòd de eis servandis non fecissent promissionem, sed de una S. Benedicti Regula: quam proinde unam sibi prælegi & imponi patiebantur. *Et hæc quidem dicunt*, subdit Concordiæ auctor Benedictus, *ignorantes beatum Benedictum suam à ceteris assumsisse Regulam, & veluti ex manipulis unum strenuè contraxisse manipulum*. Hac ergo ratione Concordiæ scriptor aliarum lectionem Regularum, tametsi eis non sese addixissent Monachi, nequaquam insuper habendam dicit, quòd S. Benedicti Regula, quam promiserant ac lectitare debebant, ex illis Regulis sit conflata. Ergo isti, in quorum gratiam hunc librum condebat, omnes S. Benedicti Regulæ adstricti voto erant. Cùm igitur operis titulus librum hunc *Abbatibus & Monachis omnibus* nuncupatum esse disertè præseferat, Abbates & Monachos omnes quotquot scilicet Gallicano tum Imperio subjacebant, eidem Regulæ nomen dedisse manifestum est. Non ergo ad hoc condita Concordia Regularum, ut Monachorum animi ad Regulam nostram suscipiendam magis benevoli redderentur: sed ut ad ipsius praxim & usum dissoluti postliminiò revocarentur, & tepidi ad lectionem aliarum Regularum. Jam quid in eadem causa gestum sit in Synodo Aquisgranensi, etiam explicandum est.

LXXVIII Ludovicus Pius. Mortuo Carolo Ludovicus ejus filius ac successor Aquisgrani Synodum indixit anno DCCC. XVII., VI. Idus Julias, ubi *convenientes Abbates complures unà cum suis Monachis*, septuaginta duo capitula *communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus conservari decreverunt*. Huic Synodo interfuêre inprimis Benedictus Anianensis, penes quem summa negotii erat; Arnulfus Heriensis, Apollinaris Casinensis, Euticius Balmensis, Alveus Andaginensis, Apollinarius Flaviniacensis, Josue Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum Abbates, & alii bene multi, omnes Regulam S. Benedicti servantes. Pri-

Primo capitulo statutum ab eis est, *ut Abbates mox ut ad Monasteria sua remeaverint, Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis suis implere studeant*. His verbis manifestum est declarari Regulam cuivis notissimam, receptamque in cunctis Monasteriis. Nam si de inducenda nova Regula huic sermo fuisset institutus, explicandum erat, quæ esset hæc Regula, & de aliis abjiciendis decretum fieri debuerat. Eodem modo pergit capitulum secundum, *ut Monachi omnes, qui possunt, Regulam memoriter discant*. Hic si dicant significari propriam cujusque Monasterii Regulam, ipsi sententiam suam evertunt adversarii: nam in ea Synodo Regulam S. Benedicti Monasteriis omnibus imperatam affirmant. Ergo de eadem Regula ubivis jam recepta intelligenda sunt capitula duo superiora. Et certè id manifestè declarant tum secundi capituli titulus, qui sic habet: *De Monachis ut Regulam S. Benedicti, qui valuerint, memoriter discant*, tum subsequentia, quæ pleraque ex ipsis nostræ Regulæ verbis ac sententiis constant. Et capite 3. præcipitur, *ut officium, juxta quod in Regula S. Benedicti continetur, celebrent Monachi*. Ad hæc in capitulis 22. & 29. eadem Regula absolutè *Regula* vocatur. Nam in cap. 22. relatis omnibus, quæ Monachis dari præcipit Regula S. Benedicti, subdunt Patres: *Et quæcumque præter hæc Regula jubet, singuli cùm necessitas fuerit, absque dilatione accipiant*. Et cap. 29. *Ut nihil lectori nisi quod Regula jubet, detur*. Nempe Regula, de qua cap. 1. præcipitur, *ut eam per singula verba discutientes, pleniter legant Monachi*, id est Regula S. Benedicti, ut disertis verbis præfert secundi capituli inscriptio. Itaque Synodi Aquisgranensis auctoritate Regula nostra non primùm inducta est in Monasteria: sed ejus lectio, memoria, & observatio commendata, inculcata, præscripta: quæ antea pænè tota neglecta erat.

Id verò luce clariùs demonstratur ex Ardone, qui de hac Synodo loquitur in hunc modum. *Præfecit eum quoque Imperator Ludovicus cunctis in Regno suo cœnobiis*; nempe ut quemadmodum eo Aquitaniæ Rege omnia Galliæ, id est Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ, ac Novempopulanæ Cœnobia Benedicto commissa fuerant: sic eo jam facto Imperatore, Benedictus omnia ipsius Imperio subjecta Monasteria regeret & emendaret. *Multa* quippe *Monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta: sed, paullatim tepescente rigore, regularis penè deperierit Ordo. Ut autem sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium Monasteriorum salubris una consuetudo*; *jubente Imperatore, aggregatis cœnobiorum Patribus unà cum quampluribus Monachis, per plures resedit dies*. En Synodi Aquisgranensis occasio & causa: nempe ut Monasteria, in quibus *regularis deperierat Ordo*, & quorum jam *una* erat *professio*, non solùm monasticæ vitæ, sed etiam Regulæ, *fieret quoque omnium salubris una consuetudo*. Ergo de uniformi rituum ac consuetudinum usu agebatur, non de Regula ipsa inducenda. Atque ut id magìs magísque exploratum fiat, hæc subdit Ardo. *Omnibus ergo simul positis, Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines, affectusque confirmavit*. Tantùm igitur abest, ut novam Regulam Synodi auctoritate imposuerit Benedictus, quin immo explicatâ Regulâ nostrâ, *utiles consuetudines*, Regulæ scilicet convenientes, confirmavit: noxias tantùm *abstulit*, quas nempe remissio vitiosa ac veternosa invexerat. LXXIX num. 50.

Jam videamus, quid novi hac in Synodo Monasteriis impositum sit. *Judicia igitur Regulæ*, inquit Ardo, *cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minùs Regula pandit consuetudines, assentientibus cunctis protulit: de quibus etiam Capitularem institutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Re-* LXXX

gno

gno suo positis Monasteriis observare præciperet, ad quem scire cupientem dirigimus. Ad hoc igitur condita sunt capitula Synodi Aquisgranensis, non ut Regula S. Benedicti primitus inveheretur: sed ut consuetudines, quas ipsa non satis explicat, adtententibus cunctis ratæ haberentur, susciperenturque. Post hæc totius negotii summam ita concludit Ardo. *Perfectum itaque propagatumque est opus, divina opitulante misericordia; & una cunctis generaliter posita observatur Regula: cunctaque Monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, ac si ab uno Magistro, & in uno imbuerentur loco.* Nempe *uniformis mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus, cunctis observanda est tradita.* Quæ fusiùs in consequentibus explicat Ardo. *Quia enim multa Regula implere jubet; sed permulta sunt, quæ usus explere cotidianus expetit, ipsa tamen reticet: nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter observantiam honestatis, seu propter considerationem fragilitatis commutantur: idcirco venerabilis Abbas quæque observanda comperit, absque ulla cunctatione vel excusationis fuco, implere decrevit. Ea verò, quæ certis pro causis, aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilominùs prout rectiùs & secundùm posse locique positionem decere cognovit, suis observanda discipulis tradidit. Si qua nempe minùs lucidè pagina Regulæ pandit, aut omnino silet, rationabiliter aptèque instituit.* Hæc tota œconomia Synodi Aquisgranensis; quæ ad uniformem Regulæ nostræ observationem, non ad ipsius admissionem spectat, uti perspicuum redditur ex iis Statutis, quæ Ardo sigillatim subjungit, *ut Monachi omnes convenirent in officiis divinis in cibo & potu, & maximè in habitu*: in quo *dissimiles fecerat multorum consuetudo*, non Regula diversa.

LXXXI His omnibus consonat id, quod in Vita Ludovici Pii de hac Synodo memoriæ proditum est: nempe Ludovicum constituisse *Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strenuæ vitæ, qui per omnia Monasteria euntes, redeuntesque uniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris quàm sanctimonialibus, vivendi secundùm Regulam S. Benedicti incommutabilem morem.* Itaque jam ante *cunctis Monasteriis* imposita fuerat Regula S. Benedicti: sed cùm eam secundùm varios ritus observarent Monachi, à Ludovico Augusto provisum est, ut missi *per omnia Monasteria* Monachi *uniformem traderent tam viris quàm sanctimonialibus incommutabilem vivendi morem secundùm Regulam S. Benedicti.* Ergo in hac Synodo non de novæ Regulæ susceptione actum est, sed de uniformi ratione vivendi secundùm Regulam S. Benedicti. Invictum ejus rei argumentum colligo ex capitulis, quæ Missi dominici post Synodum Monasteriis omnibus proposuêre. Capitulorum inscriptio sic habet. *Capitula novitiarum * de his, in quibus præceptum Regulæ & constitutiones novellorum Conciliorum acutiùs nos considerare & promtiùs exercere jussio imperialis ammonet.* Tum sequitur capitulum primum. *In primis ut nulla in ullis rebus inter hujus professionis viros in toto Regno suo, nisi ubi impossibilitas non permittit, inveniatur varietas: cujus impossibilitatis qualitatem summo studio Missi pro hoc directi satagant inquirere.* Capitula hæc numero XXXI., quæ ex codice Monasterii S. Galli vir clarissimus Stephanus Baluzius primus in lucem edidit, in appendice nostra denuo reclusa, omnia condita sunt *secundùm præceptum Regulæ*, vel *ut Regula mandat*, nulla legislatoris mentione facta, tametsi ipsissima Regulæ nostræ verba passim adducuntur. Ex quo manifestum est ea Monasteriis fuisse præscripta, ut Regula jam recepta, id est Regula S. Benedicti, uniformi ritu observaretur, seu ut primo capitulo statuitur, *ut nulla in ullis rebus inter hujus professionis viros inveniretur varietas in toto regno* Ludovici Augusti. Id porrò luculenter demonstrat epistola, cum

* Supple constitutionum.

XII.

XII. Capitulis ante Missorum dominicorum adventum ad Augiense Monasterium directa per quosdam Monachos, qui inde ab Abbate & Conventu, ad Benedicti, ut puto, Abbatis Cœnobium transmissi fuerant, ut ejus probatos mores ac ritus coram addiscerent, ac Sodalibus suis postea renuntiarent. Hæc epistola, quæ item in hujusce tomi Appendice extat, Abbati & Congregationi Augiensi inscripta est, incipitque in hunc modum. *Quia igitur, sanctissime Pater, vestra auctoritatis voluntas exstitit, ut huic sanctissimæ legationi nostra parvitas deserviret; placuit & nobis, ut, sicut ipsi injungere estis dignati, quidquid morum honestorum in Ordine Regulari apud venerabilem illum Abbatem, & erga ejus Fratres constituti addiscere possemus, vestræ panderemus Sanctitati.* Et infra. *Duodecim igitur capitula ex his omnibus, qua vos maximè de pernecessariis commoneri faciliùs posse credidimus, facere, & vestræ Beatitudini destinare curavimus.* Nempe, *ne dum regulares Monachi venerint, qui jussu imperiali tota cœnobia gentis nostræ, ubi opus fuerit, regulariter instruere debebunt, imparatiores vos inveniant ad ea informanda, quorum partem aliquam hæc capitula quæ sequuntur, continent.* Hæc omnia capitula desumta sunt ex Regula S. Benedicti, quæ tamen nusquam nominantur. Quod verò de Regularibus Monachis, qui jussu imperiali Cœnobia circumibant, scribitur; referendum est ad Missos dominicos superiùs memoratos, qui post Synodum Aquisgranensem in omnia Monasteria directi sunt à Ludovico Pio ad instituendum in eis Regulæ nostræ uniformem ritum: eum ad modum quo alii jussu Caroli Magni cœnobia itidem circumiêre ad instaurandas regulares officinas (ut legitur in Concilio Moguntino anno DCCC.XIII. celebrato cap. 20.) ad præscriptum *sanctæ Regulæ*, id est Regulæ S. Benedicti, cujus verba referunt Patres Moguntini. Porrò ex hac epistola Augiensium Monachorum, subjunctisque capitulis intelligimus, Missos Dominicos a Ludovico per *tota cœnobia* gentis illius, id est Germaniæ, fuisse directos; idemque præstitisse, quod Augienses illi Monachi in cœnobio suo, qui Missos illos prævertêre, non novam Augiensibus Monachis imponendo Regulam, sed ritus uniformes, quales scilicet in cœnobiis per Benedictum ordinatis ipsi observaverant.

LXXXII Hactenus Benedicti Abbatis Anianensis facta & scripta, tum Synodi Aquisgranensis occasionem, processum, decreta & effectum expendimus. Hæc omnia eodem prorsus collimant, nimirum ut Regula S. Benedicti, quæ in plerisque locis jam ferè obsoleverat, ubique verò sub variis ritibus servabatur, ad uniformem ejusdem observantiæ concentum reduceretur. Huc non verisimiles dumtaxat rationes, non probabiles conjecturas protulimus; sed argumenta (ut quidem existimo) invicta, manifesta ac necessaria: quibus, spero, acquiescent æquissimi quique rerum æstimatores. Si quis ulteriùs in posterum refragari volet, cum eo ampliùs contendere non est animus, ne otio ac litteris abuti videar. Ceterùm apud nos æternùm vigebit memoria Ludovici Pii benefactorum in Regulam nostram, cujus *decreta* ut in Monasteriis omnibus imperio suo subjectis inviolata *tenerentur*, data *lege sancivit*; ejusdemque *normæ* jam *antiquæ* seu antiquatæ *legalia*, id est instituta, *renovari* curavit, ut vetus Poëta, qui de exordio & origine gentis Francorum carmen scripsit ad Carolum Calvum, his versibus cecinit.

Poëta editus per Thomam à S. Joseph. Carmel. Excalc.

Hic decreta Patris Benedicti lege tenenda
Sancit, & antiquæ renovat legalia normæ,
Cujus erat fautor devota mente.

LXXXIII Jam, quod secundo loco mihi probandum incumbit, Carolum Magnum Regulæ nostræ, non propagationem primam, sed restitutionem procurâsse, *non Carolus Magnus.*

satis

satis itidem ex superioribus conspicuum est: cùm ea, quæ hoc in negotio patravit Benedictus, partim ipsius Caroli, partim Ludovici principatu gesta sint. Ad majorem tamen hujus rei illustrationem specialia quædam argumenta huc conferre juvat.

LXXXIV Ex Capitularibus. Varia Concilia & Capitula promulgari curavit Carolus Magnus, in quibus multa sancita sunt in gratiam Regulæ S. Benedicti, in cujus observationem maximè propensus erat, adeò ut sicuti *Monachos voti sui prævaricatores despexit*, ita *observatores, omni affectu dilexerit*, testante Monacho Sancti-Gallensi, in lib. 2. cap. 16. In *Capitulis quæ ad Monachos propriè spectant*, omnia condita sunt ad mentem Regulæ S. Benedicti, quæ absolutè *Regula* vocatur. (Sirmond. tom. 2. Conc. pag. 156.) Quod argumento est eam omnibus tum notam fuisse, solamque observatam. Exemplo sint capitula. Quintum *de Decanis & Præpositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat*. Sextum de *Cellariis Monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales Regula præcipit*, id est Regula S. Benedicti, uti explicat canon 14. Concilii Francofurtensis, eodem Carolo regnante celebrati. Nonum de *susceptione hospitum, sicut Regula continet*. Ex quo sic argumentari licet. Caroli Magni Capitulare, quod anno regni ejus XXI., Christi DCC.LXXXIX. editum est, ita de Regula nostra loquitur, quasi jam dudum ab omnibus recepta, utpote quæ Regulæ nomine nudè prolato designatur. Ergo longè ante istud tempus ubique invaluerat. Id autem confirmatur ex Capitulari anni DCC.LXXIX. decernente cap. 9. *de Monasteriis, quæ regularia fuerunt, ut secundùm Regulam vivant*. Ubi Regulæ nomine non propria ac singularis cujuslibet Monasterii Regula intelligitur, sed Benedictina, ut patet ex superiori Capitulari. Idem etiam de aliis Capitulis dicendum est, in quibus eadem Regula simpliciter dicta servari præcipitur. Aliis omissis consideratione dignum est illud, quod a Carolo anno Imperii XI. emissum lego, in quo varias proponit quæstiones, quas solvi ac sibi explicari postulat Imperator: ubi cap. 12. interrogat *de conversatione Monachorum, & utrùm aliqui Monachi esse possint præter eos, qui Regulam S. Benedicti observant. Inquirendum etiam, si in Gallia Monachi fuissent, priusquàm traditio Regulæ S. Benedicti in has Parochias pervenisset*. Ubi vides dubitasse Carolum, an alii Monachi præter Benedictinos tum potuissent admitti. Unde consequens est, eos solos in Gallia tunc extitisse, & Regulam S. Benedicti unicam usu receptam in Imperio Caroli Magni, non recentiori tempore, sed ante omnem ejus temporis hominum memoriam. Si enim aut Caroli Magni ætate, aut præcepto, in Gallicana Cœnobia invecta fuisset; certè id non ignorasset Carolus, nec interrogationem hac de re proposuisset. Eòdem spectat quæstio Capitularis sequentis in cap. 17. *Qua Regula Monachi vixissent in Gallia, priusquàm Regula S. Benedicti in ea tradita fuisset; cùm legamus S. Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multò ante S. Benedictum fuit. Tradita* proinde, id est recepta, jam erat in tota Gallia S. Benedicti Regula. Nam si in paucis dumtaxat, vel etiam plerisque cœnobiis usitata tum fuisset, aut si Caroli mandato invecta; supervacua, immo & absurda esset interrogatio.

LXXXV Et ex Conciliis. In Conciliis ferè omnibus regnante Carolo habitis eadem Regula commendatur, maximè in Francofurtensi, in Aquisgranensi universali anni DCCC. II., & in aliis quinque Conciliis anno DCCC. XIII. congregatis, in quibus multa decreta sunt ad ipsius Regulæ restituendam observationem, non ad eam propagandam.

LXXXVI Ordior à postremis quinque Synodis, in quinque totius Francici Imperii partibus simul convocatis, nempe Cæsaroduni Turonum, Moguntiaci, Remis,

mis, Arelate, & Cabilone, & quidem anno DCCC.XIII., qui Caroli supremus fuit. In his quippe Conciliis Monachorum mores ad præscriptum Regulæ nostræ emendari curarunt: quam proinde jam ubique receptam agnoscunt. Observandus inprimis canon 25. Concilii Turonensis superiùs jam memoratus, decernentis, ut *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula B. Benedicti Patris conservabatur; sed tunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissiùs ac dissolutiùs custodiebatur, vel certè penitus abolita negligebatur; ad pristinum revertantur statum*. Neque dici potest, hunc canonem de cœnobiis dumtaxat aliquibus, in quibus Regula S. Benedicti jam pænè in desuetudinem abjisset, interpretandum esse. Nam Patres sinè dubio Monachorum omnium Turonensis Provinciæ rationem habuêre: nec dubium quin mentionem fecissent, non eorum solùm qui Regulam S. Benedicti servassent; sed etiam aliorum Monachorum, si præter nostros alii exstitissent in eadem Provincia.

Idem etiam de Germania universa attestatur Concilium Moguntinum, LXXXVII constans Episcopis Provinciæ Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis & Saltzburgensis: quo in Concilio varia Statuta edita sunt à capite XI. *de vita Monachorum*, ubi necessariò exigebat locus, ut si qui alii præter Benedictinos in quatuor illis Provinciis reperti fuissent, ad suam quique Regulam vivere compellerentur. Verùm una ubique mentio fit Regulæ S. Benedicti, una proinde in illis partibus servabatur, non solùm in Monachis, sed etiam Sanctimonialibus. Id planè demonstrat canon XI. *de vita Monachorum* inscriptus. *Abbates autem censuimus ita cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi qui in præsenti Synodo aderant, palàm nobis omnibus promiserunt, id est secundùm doctrinam S. Regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas*. Quippe in plerisque Monasteriis ipsius Regulæ observatio jam remissa, ac, ut ita dicam, dimidiata erat. Patres verò Moguntini censuêre *pleniter* observandam esse; idque palàm omnibus promiserunt Abbates. Hunc locum egregiè illustrat canon XIII. *de sacris virginibus* in quo hæc verba. *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem S. Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, canonicè vivant pleniter*. Duo tum erant Sanctimonialium Ordines, Monacharum & Canonicarum. His præscribitur, *ut canonicè vivant pleniter*, non remissè, ut de Monachis dictum est. Illis, *quæ professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerant, ut regulariter vivant*. Ergo non primùm istis imposita est hæc Regula, sed denuo commendata & inculcata.

De Gallia Lugdunensi aperta est itidem Cabilonensis Concilii auctoritas LXXXVIII in cap. 22., cujus inscriptio attendenda est. *De Abbatibus & Monachis ut secundùm Regulam vivant*. Dixerit aliquis hunc esse tituli sensum, ut secundùm Regulam quique suam vivant. Immo verò, ut secundùm Regulam S. Benedicti, uti explicat capitis series. *De Abbatibus verò & Monachis, idcirco hic pauca scribimus, quia pænè omnia Monasteria Regularia in his regionibus constituta secundùm Regulam S. Benedicti se vivere fatentur: quæ B. Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis vivendum sit. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundùm ipsum Ordinem vivitur, & ubi ab ipso Ordine digressum est: ut juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se, ut ita viverent, cum attestatione professi sunt*. Vides Abbates & Monachos totius Galliæ Lugdunensis (ut habent Acta Concilii) non adigi ad novæ Regulæ susceptionem, immo verò *pænè omnia Monasteria regularia in his regionibus constituta, secundùm Regulam S. Benedicti*, ut fatebantur, eatenus vixisse, Monasteria, inquam, regularia

penè omnia in his regionibus, id est Gallicanis: in quarum nonnullis Monasteriis id contigerat; quod in Dionysiano contigisse testatur Ludovicus Augustus in diplomate pro restitutione monastici Ordinis in eodem Cœnobio: ubi Monastica professio adeò labefactata erat, ut ex his, qui *in eodem loco regularem promissionem fecerant, quidam desertores ejusdem propositi effecti; quidam etiam non eamdem professionem se fecisse mentiti sint.*

LXXXIX Ad hæc, in Remensi Concilio, quod totius Belgicæ secundæ Episcopis constabat, quemadmodùm ad ordinandam Canonicorum vitam *lecti sunt sancti Canones, ut quisque Canonicus legem vitamque suam minimè ignoraret*, ex capite 8. sic ad Monachorum mores informandos lecta est *Regula Monachorum;* (id enim absolutè præfert titulus Capitis noni) hoc est Regula S. Benedicti, uti caput ipsum explicat: quatenus ad istius Regulæ præscriptum viverent Monachi omnes, quemadmodùm Canonici omnes ad præscriptum canonum. Ita habet textus cap. 9. *Lecta est Regula S. Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minùs scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se, & suos secundùm eamdem Regulam custodire valerent, atque gubernare.* En ad quid *lecta est Regula S. Benedicti*, nempe *ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minùs scientibus, si qui fortè adfuissent*: non ut recèns eis imponeretur. Quippè quæ jam dudum suscepta fuerat: adeò ut jam ad memoriam reduci eam oporteret. Ergo in tota Belgica secunda longè ante istud tempus Monachi omnes informati fuerant S. Benedicti Institutis.

XC Denique in Concilio Arelatensi, quod ex quinque superiùs memoratis unicum superest examinandum, nihil singulare decretum est de Regula Monachorum, nisi quod provisum est cap. 6. *qualiter secundùm ordinem Regularem vivere deberent;* uti & Canonici *secundùm ordinem canonicum*. Hic *Ordinis Regularis* nomine haud dubiè intelligitur Ordo regularis secundùm Regulam S. Benedicti: tum quia Concilium Arelatense conflatum erat ex Episcopis non solùm utriusque Provinciæ Viennensis, sed etiam Narbonensis, in qua sita erant Anianense, Gellonense, aliaque Monasteria, quæ à Benedicto Anianæ Abbate regebantur: tum quia Benedictus ipse Concilio Arelatensi, ut veri simillimum est, interfuit: tum denique quia in his regionibus nempe Gallicanis, *omnia penè Monasteria regularia secundùm Regulam S. Benedicti se vivere fatebantur*, ut superiùs ex Concilio Cabilonensi præmissum est. In his porrò quinque Conciliis nulla fit mentio Provinciæ Maximæ Sequanorum, quam cum Lugdunensi Cabilonem; nulla de secunda & quarta Lugdunensi, id est Rotomagensi & Senonensi, quas Remos; nulla denique de duabus Aquitaniis, quas Turonos convenisse existimo. In toto itaque Francico Imperio, id est in tota Gallia & Germania, una in Monasteriis Regula S. Benedicti servabatur anno DCCC. XIII. quo hæc quinque Concilia celebrata sunt.

XCI Idem verò Benedictinæ reipublicæ status erat tempore Synodi generalis Aquisgranensis, quæ procurante Carolo Imperatore Aquisgrani convenit anno DCCC. II. De hac Synodo Annales veterrimi, qui in anno DCCC. XVII. desinunt, à Petro Lambecio editi in tomo 2. Bibliothecæ Cæsareæ cap. 5., ita memorant ad annum DCCC. II. *Et mense Octimbrio congregavit universalem Synodum in jam nominato loco: & ibi fecit per Episcopos cum Presbyteris seu Diaconibus relegi universos canones, quos sancta Synodus recipit; & decreta Pontificum, & pleniter jussit ea tradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates & Monachos, qui ibi aderant, & ipsi inter se conventum faciebant, & legerunt Regulam S. P. Benedicti, & eam tradiderunt sapientes in conspectu Abbatum & Monachorum. Et tunc*

jus-

jussio ejus generalis super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, seu universo Clero facta est, ut unusquisque in loco suo juxta Constitutionem Sanctorum Patrum, sive in Episcopatibus, seu in Monasteriis, aut per universas sanctas Ecclesias, ut Canonici juxta Canones viverent; & quidquid in Clero aut in populo de culpis aut de negligentiis apparuerit, juxta canonum auctoritatem emendassent. Et quidquid in Monasteriis seu Monachis contra Regulam S. Benedicti factum fuisset, hoc ipsum juxta Regulam S. Benedicti emendare fecissent. Sed & ipse Imperator interim quòd ipsa Synodus facta est, congregavit Duces, Comites & reliqua Christiano populo cum legislatoribus: & fecit omnes leges in regno suo legi, & tradi unicuique hominum legem suam, & emendare ubicumque necesse fuit, & emendatam legem scribere; & ut judices per scriptum judicassent, & munera non accepissent: sed omnes homines pauperes & divites; in regno suo justitiam habuissent. In hoc itaque Concilio tres factæ sunt turmæ, prima Episcoporum cum ceteris Clericis; altera universorum Abbatum cum Monachis: tertia Ducum, Comitum & Procerum. Ab his omnium mores examinati, Clericorum ad præscripta Canonum: Monachorum ad Regulam S. Benedicti: populorum ad cujusque proprias leges. Quidquid contra Regulam S. Benedicti peccatum fuerat, emendari curavit Imperator. Ea proinde jam longè ante id tempus recepta erat ab universis Francici Imperii Monachis: uti Canones à Clericis & privatæ cujusque gentis leges à singulis populis. Hunc locum eò libentiùs retuli, quòd nulla ejus Concilii supersint Acta, nec ferè ulla memoria, præterquàm in Chronico Moisacensi, ubi eadem verba leguntur de Regula S. Benedicti.

His Conciliis accedit Francofurtense anno DCC. XCIV. habitum, in quo varia pro Monachis sancita sunt decreta, cap. 13. *Ut Abbas cum suis dormiat Monachis secundùm Regulam S. Benedicti*, cap. 14. *Ut Cellarii in Monasteriis tales electi sint, quales Regula S. Benedicti docet*, cap. 16. *Ut pro suscipiendis in Sancto Ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur; sed secundùm Regulam S. Benedicti recipiantur*. Quæ omnia eò tendunt, non ut recepta pridem Regula abjiciatur, novaque inducatur; sed ut Regulæ S. Benedicti observatio restituatur in melius. XCII

Sive ergo Caroli Magni Capitularia, sive Concilia eo regnante ac procurante habita consideremus; is erat Monasteriorum in ejus Imperio omnium ordo ac status, ut ante ipsius Caroli principatum viverent ad præscriptum S. Benedicti Regulæ, ad cujus accuratam observationem Imperator Monachos Imperii sui omnes jam aliquantùm prolapsos revocare curavit. Non longè à sententia nostra recedere videtur eruditus vir Carolus Cointius, professus se nusquam negasse sub Carolo Magno Regulam S. Benedicti *communi usu* receptam in Gallia. Tum subdit. „ Sub Meroveadis Regibus & Pippi- „ no Caroli Magni Patre steterunt in Galliis multa Benedictinæ familiæ Mo- „ nasteria. Hæc ut & alia ceterorum Ordinum, quoniam Monastice pluri- „ mùm remittebatur, ad antiquos mores veteremque disciplinam revocare „ conatus est Carolus, remque, quamvis arduam, non parùm promovit, ut „ inferiùs pleræque Synodi docebunt. Opus autem à patre tam feliciter in- „ choatum triennio post ejus obitum vix elapso perfecit Ludovicus filius. „ Quod de ceterorum Ordinum Monasteriis habet hæc commentatio, id intelligendum de uno aut altero Monasteriis, quæ alterius Instituti, quàm Benedictini partes regnante Carolo Magno & Ludovico ejus filio tenere pergebant: quale erat Landevenecense in Armoricæ finibus, quod cùm Scotorum mores atque ritus eatenus sectaretur; re comperta Ludovicus Augustus ejus loci Mo- XCIII

Coint. tom. 6. ad ann. 789. ann. 153.

nachos ad Benedictinos adduxit. Nescio an ullum aliud fuerit alieni Instituti cœnobium in Gallia. Certè si plura ejusmodi tum exstitissent, aliqua de illis, deque eorum Regula speciatim mentio facta fuisset aut in Capitularibus Regum, aut in Conciliis Episcoporum, quæ pro instauranda Monastica disciplina condita sunt. Verùm una semper in utrisque audit S. Benedicti Regula: quæ passim *Regula*, & *Regula Monachorum* nullo addito appellatur. Ex ea itidem unica tum Capitularia, tum Synodorum decreta pro Monachis eruuntur. Ad ejus etiam præscriptum, quæcumque in Monasteriis peccata fuerant, emendare curarunt Francici Imperii *universi Abbates* in generali Synodo Aquisgranensi: & in Cabilonensi *omnia penè Monasteria regularia* secundùm eamdem Regulam in his Gallicanis regionibus se vivere confessa sunt, paucis admodum, quæ à S. Benedicti Institutis ad canonica prolabi cœperant, *mendaciter* negantibus se de ejusdem Regulæ observatione promissionem fecisse. Denique nulla cujusvis alius Regulæ memoria est, sive in Capitularibus, sive in Conciliis, aliisve scriptis ejus temporis: frequentissima verò Regulæ S. Benedicti, quæ proinde una in Gallicanis Germanicisque Cœnobiis tum obtinuerat, id est regnantibus Carolo Magno & Ludovico Augusto.

XCIV Cur nihil simile in Italicis cœnobiis imperio suo subjectis tentaverint ambo isti Imperatores; id duabus ex causis accidisse existimo. Una, quòd rem gratam Romano Pontifici, in cujus oculis sita erant hæc Monasteria, se facturos arbitrati sint, si Monachorum Italicorum correctionem ejus providentiæ committerent. Altera, quòd in meliori statu esset tunc disciplina regularis penes Italos, quàm penes Gallos. Quippe restituto Casinensi Monasterio, denuo viguit in eo, tamquam in capite monastica norma: quæ indè in alia Italiæ cœnobia sensim propagata est. Hinc est, quòd non solùm VVillibaldus, futurus Eistetensis Episcopus Casinum; sed etiam Sturmius Abbas Fuldensis in alia etiam Italiæ Monasteria profectus est, eò directus à S. Bonifacio Moguntiacensi Archiepiscopo, ut *conversationem regularem*, qualis tum ibi servabatur, *perfectè disceret*. Id contigit anno à conditione Fuldensis Cœnobii quarto, Christi DCC.XLVIII. quo anno Sturmius *adsumtis secum duobus Fratribus Romam profectus est: atque in illa terra cunctis Monasteriis lustratis, & omnium mores ibi Fratrum consistentium, traditionesque Monasteriorum ad plenum discens, integrum annum apud illa Monasteria perseverans, secundo indè anno repletus quibus viderat virtutibus, regressus est.* Cùm verò *mores gentis illius & disciplinas Monachorum retulisset* Bonifacio, ab eo remissus est ad *novellum* Monasterium Fuldense, sub S. Benedicti Regula primitus institutum, *ut ad instar morum Monachorum*, quos in Italia viderat, illud *institueret*. Rem protinus exsecutus est Sturmius, & *ea quæ in Italia & Tuscia Provincia Monasteriis à sanctis patribus didicerat, & verbis prudentibus promsit, & exemplis in semetipso monstravit. Tunc desiderium ingens inerat fratribus* Fuldensis Cœnobii *ad omnia, quæ eis dicta vel ostensa fuerant Sanctorum exemplis semetipsos toto adnisu aptare; & Regulam S. Benedicti, quam se implesse*, id est impleturos, *promiserant, ad omnia observabant*. Ex quo intelligitur, quàm accurata fuerit per id tempus apud Italos monastica disciplina.

XCV Eodem animo Carolus Magnus Casinates Monachos consuluit super ipsorum observatione, ut Gallicanis eam Cœnobiis, quæ ad meliorem frugem revocare destinabat, sectandam proponeret. Exstat in Chronici Casinensis libri 1. cap. 12. epistola à Paulo Diacono ad Carolum scripta nomine Theodemari Abbatis, qua ei gratulatur, quòd *Dei agrum studiosè excoleret, ac Monachorum religionem ad meliorem perduceret statum*. Scio hanc epistolam eruditis

Neque ex Theodemari epistola ad Carolum M. quæ vindicatur.

tis viris nonnullis, in primis Menardo nostro quibusdam in locis suspectam videri, Carolo Cointio suppostitiam, existimanti has litteras intra illud temporis spatium, quod ab excidio Casinensi anni DCCC. LXXXIV. ad tempora Leonis Marsicani, id est ad sæculi XII. initium effluxit, Theodemaro fuisse affictas. At neque suspicionis, neque suppositionis argumenta tanti mihi videntur, ut isti epistolæ fidem abrogare debeamus. Ea quippe reperitur, teste Angelo de Nuce, in pervetusto codice Joannis Casinensis Abbatis, qui Codex non integro sæculo post Paulum & Theodemarum compilatus fuit. Deinde ejus epistolæ veritati Hildemarus in commentario Regulæ ante annos octingentos & quadraginta scripto apertè suffragatur, uti posteà ostendam. * Ad hæc, nulla fingendæ epistolæ causa probabilis afferri potest, nihilque continet sive à Pauli Diaconi stilo, sive à Theodemari ætate alienum.

Coint. tom. 6. ad ann. 759. num. 137. & seqq.

* num. 99.

CXVI Præcipua secùs opinantium conjectura desumitur ex enormi panis quantitate, nimirum unciarum octo & quadraginta, quam in dicta epistola singulis Monachis in diem assignari arbitrantur. Theodemari hæc verba sunt. *Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum, juxta sacræ textum Regulæ, possit dividi; quod pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc esse loco repertum*. Ubi mirari subit, eruditos viros, Haëftenum, & Angelum de Nuce, non assecutos sensum hujus loci, qui de pane quatuor librarum, non singulis Monachis in solidum concedendo; sed *in quaternas quadras singularum librarum* pro totidem Monachis *dividendo* interpretandus est, ut ipsa lectionis series docet; & ego inferiùs manifestè demonstrabo *. Nihilo validior est objectio petita ex *cappa* vocabulo ad designandam monasticam vestem. Ambigua est, fateor, hujus vocis acceptio, aliquando pro clericali, vel etiam sæculari, aliquando pro monastica veste. Clericalem significat in Chronici Fontanellensis cap. 10., in Concilii Troslejani cap. 6. apud Ordericum Vitalem in lib. 8. pag. 711. & alios. At nego id quod Peïratius in Antiquitatibus Regiæ Capellæ, & ex eo Carolus Cointius affirmat, nullum è scriptoribus rerum Francicarum reperiri, qui cappæ nomine sub Carolinis Regibus, in eadem ac Theodemarus acceperit significatione. Certè sub Carolinis Regibus vivebant VVlfinus Boëtius, Ansegisus Abbas Fontanellensis, Smaragdus Abbas, VValafridus Strabus, Rudolfus Fuldensis Monachus: qui omnes cappæ nomine usi sunt ad designandam vestem monachalem. VVlfinus quidem Boëtius in libello de vita S. Juniani Abbatis, *Vestis ejus*, inquit, *cilicina de caprarum pilis, quæ in modum caracellæ, quam nunc cappam vocamus perseverat usque hodie*. Ansegisus Fontanellensis Abbas in constitutione sua pro Fontanellæ Monachis, *saccos quindecim seu griseos siccisco*s concedit, *unde cappa fiant*. Smaragdus Abbas S. Michaëlis in agro Virdunensi, in commentario super caput 55. Regulæ S. Benedicti, *cucullam dicit ille*, nempe S. Benedictus, *quod nos modò cappam dicimus*. VValafridus in lib. de vita S. Othmari cap. 2. scribit, Othmarum vestes plerumque suas nudis pauperibus tribuisse, ita *ut interdum sinè tunica, solâ cappâ contectus ad Monasterium remearet*. Postremò Rudolfus in Vita S. Liobæ Abbatissæ cap. 17. *Cappam*, inquit, *qua erat induta, abjiciens*, &c. His omnibus accedit auctoritas Patrum Synodi Aquisgranensis anni DCCC. XVII., in qua ter mentio fit de cappis Monachorum, nempe cap. 13. ubi Monachus à Priore suo increpitus, *cum cappa veniam petere* jubetur. Et cap. 21., *unusquisque Monachorum duas cappas habere* permittitur. Denique cap. 61. statuitur, *ut Monachi cappas dissutas, præter villosas non habeant*. Hæc tam perspicua sunt ac decretoria, ut nullus, opinor, dubitaturus

* num. 153.

rus sit in posterum, sub Carolinis Regibus cappæ nomen in eadem, qua apud Theodemarum, significatione usurpatum à scriptoribus rerum Francicarum, id est ad designandum Monachorum habitum: neque hinc quidquam contra Theodemari epistolæ veritatem elici posse; immo eam indè confirmari. Tanta nubes testium gravissimorum, qui Ludovico Pio imperante floruerunt, cappæ nomen non tunc primùm inolevisse satis superque probat; sed ejus originem ad superiora sæcula, quæ ad Merovingicos Reges pertinent, referri oportere, contra quam sentiunt Peiratius, ejusque sequaces. Et quidem in ea persuasione fuit VValafridus Strabus, qui in lib. de rebus Ecclesiasticis ultimo capite existimavit, *dictos fuisse primitus cappellanos à cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere.* Quod etiam approbat Monachus Sancti-Gallensis in vita Caroli Magni. Itaque existimavit VValafridus cappæ nomen sub Meroveadis Regibus receptum fuisse. Verùm hoc πάρεργον est, sufficitque ad propositum meum id, quod superiùs demonstravi, scilicet cappæ nomen sub Carolinis Regibus pro monastico habitu invaluisse.

XCVII His minutias quasdam addunt ad Theodemari epistolam elevandam, nempe quòd vestes plures, plura item fercula, volatilium etiam esum frequentiorem, quàm Casinensis Monasterii per id tempus ferat status, Monachis hæc epistola indulgeat; multò utique remissiùs, quàm Synodus Aquisgranensis. De vestimentis, quæ in ea epistola scribit auctor, Cointius censet adeò laxa esse, adeóque Benedictinæ Regulæ refragari, ut scripta minimè videantur ab Abbate Benedictino, Monachos ad reformanda Galliarum Monasteria transmissuro. At idem dici posset de Synodo Aquisgranensi, quæ tametsi ad restituendam Regulæ Benedictinæ observationem celebrata est, non pauciores Monachis vestes, immo plures indulget, quàm epistola controversa. De ferculis silet Concilium, & siquidem volatilium esum in festis Natalis Domini & Paschæ redigit ad quatuor dies, quam licentiam epistola ad octo prorogat, certè usum pinguedinis, quem epistola non habet, Gallicanis Monachis tribuit in cap. 77. Ceterùm non ita laxa videntur quæ in ea epistola legimus: quandoquidem eo tempore apud *Casinum plures ex Fratribus, quâlibet quartâ & sextâ feriâ pane tantùm herbisque hortensibus vescebantur; plerique etiam vinum non bibebant,* ait epistolæ scriptor. Neque verò mirandum, si quid paullulum severiùs in Synodo Aquisgranensi, quæ ad restituendos in melius Monachorum mores indicta est, statutum fuisset, quàm in epistola Theodemari. Sanè etsi speciatim pro Franciæ Monachis convocata est; nihilominùs ab aliarum regionum cœnobiis recepta sunt ejus decreta, maximè à Casinensibus Monachis, apud quos Aquisgranensia capitula, *acsi beati Benedicti Regula olim observata* sunt, referente Leone Marsicano in Chronici Casinensis lib. 1. cap. 16.

XCVIII. Ad Theodemari epistolam redeo, in qua lego hæc verba. *Quare quia beati Patris nostri Benedicti doctrinam & luculenta exempla aliquos Monachorum regionis illius, nempe Gallicanæ, vestræ clementiæ informari placuit; juxta praeceptionem in vobis Regulam ejusdem beati Patris de ipso codice, quem ille suis sanctis manibus exaravit, transscriptam direximus.* Non quòd Regula S. Benedicti tunc ignota esset in Gallia; sed ut eò clarior & acceptior esset, quòd ejus exemplum ex ipso autographo Carolus Magnus habuisset. Aut potiùs id muneris loco Theodemarus Carolo misit, eum ad modum, quo Carolus ipse librum psalmorum aureis scriptum literis transmisit ad Hadrianum Papam. Simili modo Grimaldus & Tatto sub annum DCCC. XVII. ex Gallia Sancti-Gal-

Gallensibus Monachis *Regulam beati Benedicti egregii Doctoris direxêre, quæ de illo transcripta est exemplare, quod ex ipso exemplatum est codice, quem beatus Pater sacris manibus suis exarare ob multorum sanitatem animarum curavit.* Existimo exemplar istud non aliud fuisse ab illo, quod beatus Maurus secum attulit in Gallias: quod quidem exemplar destructo Glannafoliensi Cœnobio in potestatem Majoris Monasterii Monachorum pervenisse colligo ex Brovero. Is enim in Fuldensium Antiquitatum lib. 2. cap. 16. memorat, in Fuldensi Monasterio adservari codicem Regulæ nostræ perantiquum, ad cujus calcem hoc præclarum attexitur mnemosynon beati Patriarchæ. *Codex peccatoris Benedicti. Væ mihi misero habentem contrariam mihi rem, qui reus in his omnibus, quæ adversantur moribus meis malis. Tu verò horum lector, si tuam videris vitam concordare præceptis, orans pro scriptore, codicem redde domino suo. Hæc verba S. Patris,* subdit hujus clausulæ exscriptor, *reperta sunt in fine Regulæ, quam ipse manibus suis propriis scripsit, & S. Mauro, cùm eum ad Gallias mitteret, tradidit. Quæ Domnus ac venerabilis Abbas N.* (Ruthardus scilicet, qui Fuldensi Monasterio præesse cœpit anno MLXXV.) *cùm apud Majus Monasterium Turonense in eadem Regula, quæ ibi pro reliquis servatur, invenisset; rogavit sibi apud Cluniacum transmitti, & in hac Regula nostra pro amore ipsius Sanctissimi Patris nostri jussit studiosè describi.* Grimaldus & Tatto haud dubiè hoc exemplari usi sunt, forsan cùm residerent in scholis Martiniani Cænobii Turonensis.

Post superiora verba Theodemarus subjicit missos ab se libros hymnorum & ritus psalmodiæ tum usitatæ, unà cum mensura panis & vini; XCIX
demumque agit de mensura & forma vestimentorum. Nempe Carolus sollicitè curabat, ut Monachi à primaria vivendi norma prolapsi ad B. Benedicti normam, qualis Casini servabatur, informarentur, id satagente in primis Benedicto Anianensi: qui teste Ardone, *quos peritos in Regulæ cultu esse compererat, attentè sciscitabatur, circà longéque positos, eos etiam qui istis in partibus ad montem Casinum accederent, veluti qui non audita solummodo, sed visa pereiperent*: ut scilicet Monasterium suum ad Casinensium mores emendaret. Quapropter rogatu Caroli Magni Theodemarus ea, quæ superiùs commemorata sunt, in Galliam misit, ut ad eorum normam Gallicani se se Monachi conformarent. Id perspicuè declarat epistolæ titulus, qualem ex MS. codice Trevirensi excepit Haëftenus in fine disquisitionum suarum ita redditus: *Epistola Congregationis S. Benedicti ad Carolum Regem Francorum, de privatis eorum moribus.* Ad hoc ergo missa est epistola, non ut vetustis Regulis abrogatis Benedictina inveheretur in Gallicana cœnobia: sed ut peculiares Casini ritus Benedictinis Galliæ Monachis traderentur. Ad istam epistolam Hildemarus, qui Regulam nostram commentatus est imperante Ludovico Augusto, indubiè respexit, cùm super cap. 40. de hemina loquitur in hunc modum. *Carolus Rex qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum Monasterium*, videlicet S. Benedicti*: & ibi reperit antiquam heminam; & juxta illam datur Monachis vinum.* Quæ verba sic prædictæ epistolæ tenori respondent, ut vel hoc solo argumento penitus corruant omnes contradicentium rationes. Denique hæc epistola scripta est post Caroli Magni accessum Casinum, ut ex Leonis Marsicani Chronico discimus; id est post annum DCC. LXXXVI. quo anno Carolus Casinum acceptus est. Scripta est, inquam, eo anno, quo Carolus *victoriam de hostibus triumphosque* reportavit, nempe anno (ut mihi videtur) DCC. XC., post victoriam scilicet Avaricam: ob quam trium dierum

rum litaniam indixit, scriptis hac de re literis ad Fastradam Reginam. Certè in Capitulari anni præcedentis multa pro regula S. Benedicti decrevit à capite 73. quo nuntio accepto Theodemarus Christianissimo Regi gratias egit, *quòd Monachorum Religionem ad meliorem statum perducere* moliretur. Ceterùm si per Casinates Carolo regnante propagata fuisset in Gallia Benedictina Regula, id profectò non ignorasset Carolus: nec proinde quænam Regula in his partibus viguisset ante Benedictinam, inquisisset in Capitulari inquisitionum superiùs memorato.

C

neque Carolomannus aut Bonifacius.

Et certè (quod quarto loco demonstrandum occurrit) Regula nostra jam ubique vigebat in Gallia principatu Carolomanni ac Pippini ejus fratris, tempore S. Bonifacii Romani Pontificis Legati, qui omnes Regulæ nostræ cultores eximii, non primarii propagatores dicendi sunt: nisi propagatores appellaveris eos, qui nova in nostrorum gratiam cœnobia construxêre: quales non solùm Carolomannum ac Pippinum, sed etiam Carolum, ac maximè Ludovicum exstitisse constat. In Synodo Germanica, quæ anno DCC. XLII. *sub Carolomanno Majore domûs Regiæ* coacta est Kalendis Martiis, decernitur cap. 7. *ut Monachi & Ancillæ Dei monasteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, ac vivere studeant; & vitam propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.* Observandum est in primis id absolutè de *Monachis & Ancillis Dei monasterialibus* universis, quotquot scilicet Carolomanni principatui, hoc est Austrasiæ regno, subjacebant, intelligendum esse. Deinde verbum, *non negligant*, non satis superque indicare, istud decretum non de primaria, sed de strictiori Regulæ nostræ observatione interpretandum, quæ in nonnullis monasteriis jam remitti cœperat. Et quidem cùm ea Synodus habita sit in Germania, ubi Bonifacius ejusque discipuli Regulam S. Benedicti ubique instituerant; Statutum hoc non aliò spectat, quàm ad refricandam fugientis observationis memoriam. Denique id confirmatur ex præfatione Concilii, quod ideò congregatum dicitur, *ut lex Dei & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruit.*

CI

Anno sequenti in Synodo Liptinensi; cui etiam Bonifacius noster præfuit, confirmata sunt Synodi Germanicæ decreta, & nova quædam condita, in quorum primo ita scriptum legitur. *Omnes venerabiles Sacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti prioris Synodi decreta consentientes firmaverunt, seque ea implere velle & observare promiserunt. Et omnis ecclesiastici Ordinis Clerus, Episcopi & Presbyteri, & Diaconi cum reliquis Clericis, suscipientes antiquorum Patrum Canones promiserunt se velle ecclesiastica jura & moribus & doctrinis & ministerio recuperare. Abbates verò & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ.* Quo in loco eodem modo, & ob eamdem causam Abbates & Monachi Regulam S. Benedicti *recepisse* dicuntur, sicut Clerici antiquorum Patrum canones *suscepisse*. Atqui non tum primùm Clerici Canones susceperunt: sed eorum observationem jam neglectam denuo revocarunt. Quod eodem modo etiam de Regula S. Benedicti interpretandum est, cujus disciplinam jam in desuetudinem abire cœptam *receperunt* Abbates & Monachi ad restaurandam normam regularis vitæ, quæ tum labefactata erat. Sic Patres Concilii IV. Toletani, *Recipimus*, inquiunt, *quatuor Synodos*, non quòd tunc primùm eas ratas acceptasque haberent: sed ut earum sanctionibus adhærere in posterum, uti ante Synodum, se velle, publica confessione contestarentur. Sic in Concilio Aquisgranensi anni DCCC. II. superiùs laudato, *universos canones* sancta Synodus *recepit*, id est tanquam veram

ac

ac legitimam Clericorum Regulam à Majoribus institutam, servatamque agnovit, approbavit, eisque se subjecit. Ceterùm si verborum severior esset habenda ratio in decreto illo Synodi Liptinensis, ubi Clerici canones *suscepisse*, Monachi Regulam S. Benedicti recepisse perhibentur; Clerici primùm canones; Monachi S. Benedicti Regulam, quam scilicet remissiùs observare cœperant, denuo atque iterum admisisse dicendi essent. Nam recipere tantumdem valet, atque iterum accipere. Quòd si neutrum verbum in rigida hac significatione usurpari velis, saltem concedas necesse est, legitimo niti fundamento assertionem nostram, cùm dicimus, Monachos tum Regulam S. Benedicti recepisse eodem modo, quo Clerici *susceperunt* sacros Canones, quibus antea subjecti fuerant. Et certè hunc loci istius sensum exigunt argumenta, quæ pro generali Regulæ nostræ per Galliam propagatione septimo sæculo facta mox adducturus sum. Quod de Synodo Germanica & Liptinensi dixi, Carolomanno curante in Austrasiano Regno gestum est.

Eodem tempore alteram Franciæ ditionis partem sub Childerico Rege CII
adminiftrabat Pippinus Princeps, cujus mandato celebratum est anno DCC. 5 neque Pippinus.
XLIV. Svessione Concilium, cui S. Bonifacius Apostolicæ Sedis Legatus præsedit. In eo Concilio definitum est cap. 3. *ut Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*. Ubi *Regulæ sanctæ* nomine Benedictinam significari constat. Etsi enim sanctæ sint sanctorum Patrum Regulæ omnes, suasque Cæsarius & Fructuosus, uti Benedictus, Regulas sanctas appellent, & cujusvis Regulæ Professores suam quisque sanctam Regulam dicant; nulla tamen alia Regula præter nostram hoc elogium obtinuit apud omnes, ut nudo, sed præclaro Regulæ sanctæ nomine designaretur. Sanctæ sunt quidem Regulæ omnes: sed quemadmodùm etsi plures sunt Apostoli, unus tamen Paulus Apostoli nomine censetur; uti Oratoris nomine solus apud Latinos Cicero, tametsi plurimi alii Oratores exstitêre: sic una Regula S. Benedicti ob sui dignitatem & æstimationem apud omnes Regula sancta nuncupatur. Sed ne extra propositi fines longiùs abeam, nullam aliam per octavum nonumve sæculum Regulam esse contendo, quæ hoc nomine affecta sit in Actis sanctorum Monachorum apud Latinos, in Gallicanis Conciliis, atque Scriptoribus; & in diplomatis Francorum Regum & Imperatorum. Nimius sim, si ex Actis Sanctorum referam locos omnes, in quibus Regulæ Sanctæ nomen soli Benedictinæ tribuitur. Id disertè probant Vitæ Sanctorum Richmiri Cenomannensis, VValafridi Palatiolensis, Sturmii Fuldensis Abbatum, & Harlindis Abbatissæ, in Sæculo nostro tertio: item in hocce tomo Vitæ VVillelmi Gellonensis Monachi, Eigilis Fuldensis, Benedicti Anianensis, VValæ Corbeïensis Abbatum: quæ Vitæ omnes à Scriptoribus ejus temporis editæ sunt. Eamdem honoris prærogativam S. Benedicti Regula meruit in Concilio Moguntino cap. 20. ubi loca & ædificia Monachis congrua providentur, *sicut in sancta Regula* dicitur. Et ne fortè ad aliam Regulam detorqueatur hic locus, mox istius Regulæ sanctæ referuntur hæc verba. *Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra Monasterium exerceantur:* quæ totidem verba reperiuntur in Regulæ nostræ cap. 66. Moguntino accedit Troslejanum in cap. 3. ubi laudatâ *sancti & sancto Spiritu plenè beatissimi Patris Benedicti Regulâ*, post aliquot versus hæc leguntur. *In ipso ingressu lectionis sanctæ Regulæ legitur de eligendo Abbate, & qualis debeat esse*: quod argumentum est capitis secundi Regulæ S. Benedicti. Ex variis Regum nostrorum diplomatis, duo tantùm huc profero, unum Caroli Magni, alterum Ludovici Augusti, in quibus *Regula sancta* pro Benedicti-

Regulæ sanctæ vocabulum Benedictinæ assertum.

na usurpatur. Caroli Magni hac de re præceptum pro Cella nova exstat in pag. 222. hocce tomo, rogatu Benedicti Anianensis Abbatis concessum. Ludovici Augusti literæ pro subjectione Cœnobii Glannafoliensis Fossatensi habentur apud num. LII. V. C. Stephanum Baluzium in appendice tomi secundi Capitularium. Ad hæc, præter memorata sanctorum Acta, ex Auctoribus sæculi octavi duos, totidemque noni hanc in rem conferre juvat. Primus sit Paulus Diaconus, qui in lib. 6. de gestis Langobardorum cap. 40. de Petronace Cassini Abbate agens, *Multorum*, inquit, *ibi Monachorum nobilium & mediocrium ad se concurrentium Pater effectus, sub sanctæ Regulæ jugo, & B. Benedicti institutione reparatis habitaculis agere cœpit*. Hæc verba, *sub sanctæ Regulæ jugo*, specialem designant Casini Regulam, non aliam quamcunque, aut monasticæ vitæ commune institutum. Nec aliam sanè indicant, quam S. Benedicti Regulam, ad cujus verba ex cap. 58. *sub jugo Regulæ*, hîc Paulus alludit. Ergo quod *de B. Benedicti Institutione* subdit, explicationis gratiâ adjectum est. Paulo Diacono suffragatur Alcuinus in formula Confessionis ad Monachos Turonenses. Sic enim in parte prima loquitur nomine istorum Monachorum. *Præcepta tua sinè intermissione contemno; promissiones meas, quibus me S. Regulam servaturum spopondi, momentis singulis violo*. Hic sinè dubio intelligit propriam cœnobii Martiniani Regulam, id est Regulam S. Benedicti, ut patet tum ex libello de Psalmorum usu, parte 1. ante medium, ubi ait in persona eorumdem Monachorum: *Concede mihi dilecti tui Patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia*, tum ex his, quæ de ejusdem Monasterii Regula posteà dicturus sum. His duobus Auctoribus tertium adjungo Benedictum Anianæ Abbatem, qui in Præfatione metrica ad Concordiam Regularum Benedictinos convenit in hunc modum.

Sumite hac Monachi monita, quæ Regula sancta
Vos monet assiduè.

Nimirum Regula S. Benedicti, in cujus capite ultimo Pater Sanctus suos cohortatur ad aliarum lectionem praximque Regularum. Denique Regulæ sanctæ notionem egregiè explicat Hincmarus Remorum Antistes in libro de non Hincmar Trina Deitate. *Sancta Regula*, inquit, *eodem Spiritu sancto, quo & sacri Canones* tom. 1. pag. *in venerandis Conciliis, per os B. Benedicti promulgata*: quibus verbis nihil 443. &c. luculentius ad propositum afferri potest. Sic ex Actis Sanctorum Monachorum, ex Conciliis Gallicanis ac diplomatis Regum; denique ex Auctoribus octavi sæculi ac noni, patet Regulæ sanctæ nomen per octavum nonumve sæculum nulli alii attributum, quàm Regulæ S. Benedicti. Neque locus ullus certus & exploratus ex eorum temporum scriptoribus in contrarium afferri potest. Ex quo consequens est, præmissum Concilii Svessionensis decretum eidem soli Regulæ convenire. Verum fac elogium istud, non soli Regulæ nostræ proprium, sed omnibus aliis esse commune: nec sic tamen Svessionense Statutum ulli alii, quàm nostræ aptari potest. Quippe temporis, loci, ac personarum circumstantiæ omnes ad eam speciatim spectant. In primis cùm dictante S. Bonifacio, aut saltem eo agente istius Synodi Decreta, uti & Germanicæ, ac Liptinensis condita sint; hunc locum de Regula S. Benedicti, quam Bonifacius professus erat, jure interpretandum esse nemo non videt. Denique Synodi Germanicæ Liptinensisque eadem ferè sunt pleraque Capitula, atque Svessionensis, quæ Synodi alia post aliam celebratæ sunt intra biennium, eodem Bonifacio singulis præsidente. Ergo ubi capitulorum argumenta respondent, eodem modo ubique explicanda sunt. Itaque cùm in Synodis Germanica & Liptinensi *Monachis & ancillis Dei monasterialibus* præcipiatur,

piatur, *ut secundùm Regulam S. Benedicti vivant*; eodem etiam sensu Synodi Svessionensis decretum, *ut ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*, de Benedictina interpretandum est. Et certè si Carolomanus in Regulæ nostræ observationem, quam postmodum amplexus est, propensus fuisse dicatur; idem etiam de Pippino ejus fratre, quo præsente Synodus Svessionensis habita est, asserere meritò possumus; siquidem Monasterio S. Galli per Othmarum Abbatem restituto idem Princeps *libellum, quem Benedictus Pater de Cœnobitarum conversatione composuerat, eidem Abbati* transmisisse memoratur apud VValafridum Strabum in libro de miraculis S. Galli cap. 11. Denique sub ejus principatu, quotquot in Gallia cœnobia exstructa sunt, non aliam, quàm S. Benedicti Regulam accepêre, quibus Pippinus ipse privilegia amplissima prona voluntate indulsit. Exemplo sunt privilegium Soriciniensi Monasterio concessum anno DCC. LIV., aliud Juncellensi anno DCC. LXVIII. in Appendice Capitularium. Ad hæc ut Monasteria non minùs duodecim S. Pirminius vel instituit, vel restituit Pippini principatu: sic duo Chrodegangus Mettensis Episcopus in parochia sua construxit sub Regula S. Benedicti, testante Paulo VVarnefridi in libro de Mettensibus Episcopis. Adde Eikense Virginum, quod à Sanctis Harlinde & Reinula *secundùm normam S. Regulæ* ineunte sæculo VIII. conditum est. Ex his omnibus, ut puto, manifestum est, prædictum Svessionensis Concilii decretum, statuentis, *ut Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneat*; explicandum esse de Regula S. Benedicti: quæ proinde ante id tempus in Gallicano regno jam ubique recepta erat in Monasteriis: cùm ad Regulæ jam receptæ stabilitatem non ad ejus admissionem pertineat hic locus.

Baluz. Append. numer. XIII. & XV.

CIII Regula S. Benedicti una in cœnobiis sæculo 8.

Jam satis, ni fallor, demonstratum apparet, eamdem Regulam in antiquiora Monasteria non fuisse invectam sæculo octavo, multò minùs nono, neque per Ludovicum Pium, aut Benedictum Anianensem; neque per Carolum Magnum, aut Casinenses Monachos; neque per Carolomannum, Pippinumve, aut Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum; quos omnes Regulæ nostræ cultores ac fautores eximios fuisse constat, non auctores primariæ ejus propagationis in antiquiora Monasteria, quæ jam ante sæculum octavum omnia, aut ferè omnia eam admiserant. Et quidem principio illam servavêre cum propriis cujusque loci Regulis: at sæculo octavo sola jam ubique servabatur, audiebaturque Regula S. Benedicti apud Gallos & Germanos, ut patet ex omnibus Conciliis, Regum & Imperatorum Capitularibus ac literis ejus temporis, in quibus nulla Regulæ S. Columbani, aliorumve Patrum mentio reperitur.

CIV Farfensis privilegii clausula explicatur.

Unicum invenio diploma Caroli Magni, datum anno septimo & primo regni ejus, hoc est anno Christi DCC. LXXIV. quo diplomate Carolus jubet Farfense Monasterium eodem privilegio gaudere, *sicut cetera Monasteria Lirinensium, Agaunensium, Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, & Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur*. Qui locus hoc modo explicari debet, ut in illis Monasteriis plures simul Regulæ servatæ fuerint, nempe Regula prisca cujusque Monasterii cum Regula S. Benedicti, quæ in omnibus tum recepta erat. Sic in Luxoviensi Regula nostra servata est cum Regulæ S. Columbani ritibus nonnullis, in Agaunensi cum Tarnatensi, & in Lirinensi cum Regula S. Basilii. Certè in literis Ludovici Pii eidem Farfensi Monasterio concessis, quibus Caroli patris præceptum confirmat, una fit mentio Regulæ S. Benedicti, ubi de iisdem Monasteriis agitur, *Sicut cetera*, inquit,

inquit, *Monasteria, quæ in Francia sub S. Patris Benedicti norma consistunt*. Adeò ut Carolus Magnus in dicto privilegio non tam sui temporis rationem habuisse videatur, quàm superioris: quo tempore plures simul Regulæ Lirini, Agauni, & Luxovii servabantur.

CV. Neque verò negari potest, S. Benedicti Regulam in tribus illis Cœnobiis ante sæculum octavum observatam fuisse. Ejus quippe notitiam atque usum Agaunenses accepêre à S. Mauro, cùm is in Franciam veniens apud eos hospitatus est. De Luxoviensi res patet, tum ex eo quòd initio sæculi noni Fontanellense Cœnobium ad Regulæ nostræ strictiorem disciplinam revocatum est per Monachos Luxovienses, procurante Ansegiso Abbate, ut constat ex Chronici Fontanellensis scriptore æquali, tum maximè ex eo quòd Sequanenses Monachi eamdem institutionem à Luxoviensibus acceperunt ante sæculum octavum. Certum enim est, eo tempore, quo Benedictus Anianensis ad S. Sequani Cœnobium accessit, id est anno DCC.LXXIII. aut insequente, Regulam S. Benedicti eo in loco servatam, immo jam negligi cœptam fuisse. Eam proinde longè ante istud tempus admiserant Sequanenses. Unde verò acceperant? nempe ex Luxoviensi Monasterio, uti nos docet liber de vita S. Frodoberti Cellensis Abbatis. Quippe cùm VValdebertus Abbas Luxovio præesset, ibique moraretur Frodobertus, *vir Apostolicus Bertuvaldus, Lingonicæ urbis Episcopus, quemdam ex cœnobio S. Sequani Abbatem, Theudolenum nomine, eruditionis gratiâ illuc destinare curavit*. Non dubium, quin Theudolenus iste, *qui eruditionis gratiâ*, hoc est addiscendæ Luxoviensis disciplinæ causâ, eò perrexerat; ad propria reversus, eamdem postea Monachis imposuerit suis. Hæc verò disciplina jam istic remissa erat, testante Ardone, cùm Benedictus ibi Monachum induit, scilicet anno DCC.LXXIII. Regula, inquam, S. Benedicti, ut disertis verbis attestatur Ardo. Itaque fateri necesse est, ejus primariam institutionem, aut certè strictiorem observationem ad Sequanenses per Theudolenum Abbatem fuisse derivatam ex Cœnobio Luxoviensi, ubi proinde medio sæculo VII. jam vigebat. Si verò id constet de Luxoviensi, quantò magis de aliis beati Columbani Monasteriis, quæ principis hujus Cœnobii exemplum sequebantur? De Lirinensi nihilo major dubitandi occasio relicta est. Nam Benedictus Anglus, cognomento Biscopus, qui variis perlustratis Monasteriis eam vivendi normam, teste Beda, VViremuthensi ac Girvvensi ab se erectis imposuit, qualem in aliis perspexerat, didiceratque, Monachi vestem induit in Cœnobio Lirinensi. Quam verò Regulam Monachis suis tradiderit, exponit Beda in lib. I. de ejus vita, scilicet *Regulam Magni quondam Abbatis Benedicti*, quam morti proximus discipulis suis commendavit. Eam igitur Lirini didicerat sub annum DC. LVI. quo ferè anno istuc accessit. Paullò pòst S. Aigulfus, is qui B. Patris Benedicti reliquias Casino Floriacum transtulit, Lirino præfectus est, ubi tam Regulam nostram tunc temporis viguisse, quàm Aigulfum eidem paruisse exploratum est. Hinc explicata manet clausula Farfensis privilegii à Carolo Magno concessi, idque unum ex eo colligi potest, nimirum primarias Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium Regulas, id est S. Basilii & S. Columbani, saltem aliqua ex parte & secundùm aliquos ritus unà cum S. Benedicti Regula viguisse in istis locis, tametsi hæc Regularum conjunctio longè ante concessi privilegii tempus, ut demonstravi, facta fuerat in illis, immo & in aliis tam Columbani, quàm aliorum veterum Patrum Cœnobiis, in quibus haud seriùs sæculo septimo recepta est Regula S. Benedicti.

CVI Et quia huc devenimus, quædam hanc in rem momenta cùm nova-

tum

tum alibi jam à me expoſita adhuc ſemel exhibere juvat, ut impoſterum non ſit neceſſe idem argumentum retractare. In primis occurrit Synodus Auguſtodunenſis, in cujus cap. 15. ita ſtatutum invenio. *De Abbatibus verò vel Monachis ita obſervare convenit, ut quidquid canonicus Ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere, & cuſtodire in omnibus debeant.* Ubi obſervare convenit hæc verba, *canonicus Ordo* tantundem ſonare, ac Canonum leges, quas cum Regula S. Benedicti obſervari præcepit Synodus Auguſtodunenſis, nam vel hoc in capite, uti alibi paſſim, non disjunctivè, ſed conjunctivè uſurpatur. Hanc canonici Ordinis acceptionem probat capitis argumentum, quod eſt *de Abbatibus eorumque Monachis*. Neque enim hic de Canonicis ſermo eſt. Hujus Statuti ratio, quæ mox ſubjicitur, ſententiam noſtram apertè confirmat. Eſt autem ratio ejuſmodi. *Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monaſteria conſervata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.* Si hoc in loco de Canonicis ac Monachis actum eſſet, ratio utriſque communis eſſe debuerat. Præter ea in ſubſequentibus ejus capitis ſententiis varias Monachis præſcribunt, aut potiùs inculcant Patres, Canonicis nullas. Certè in eodem ſenſu *Canonicus Ordo* ſumitur à Gregorio Magno in lib. 11. epiſtola 54. & apud alios auctores. Gregorii locum huc afferre ſufficiat. Is Johanni defenſori ſignificat, *Monachos Monaſterii in Capricana inſula* perversè agere; eidemque mandat *ad prædictum Monaſterium accedere, & quæ reſecatione digna repererit, corrigere, ſicut Canonicus Ordo deſiderat*, id eſt canonum ſanctiones atque decreta; quo in ſenſu etiam accipitur in præmiſſo capite Auguſtodunenſi. Porrò hæc Synodus conſtabat *quinquaginta quatuor Epiſcopis Chriſtiaci* congregatis, ut ex Leodegarii teſtamento obſervavi in Præfatione ſecunda Sæculi tertii. Non ergo diæceſana dumtaxat fuit hæc Synodus, ſed ferè nationalis; tum quia per ea tempora Synodi pænè omnes, in quibus canones condebantur, erant minimùm provinciales: tum quia Statuta Synodi Auguſtodunenſis cenſentur inter canones Eccleſiæ Gallicanæ: tum quia pro univerſa Gallia condita ſunt, probante canone ſexto, *ut in civitatibus non inveniantur Monachi*. Dicuntur autem *Canones S. Leodegarii*, quòd eorum auctor fuerit Epiſcopus ſanctus: *Auguſtodunenſes* verò *Canones* ab antiquis, ut patet ex formula 36. novæ collectionis Baluzianæ, propterea quòd in diœceſi ejus civitatis conditi ſunt. Itaque in toto Franciæ Regno, anno tertio ſive quarto Theoderici Regis, una S. Benedicti Regula cum decretis canonum Monachis præcipitur, non ut primùm admittatur, ſed *ut conſervetur & impleatur*.

Regula noſtra Sæculo VII. in Gallia recepta ubique.

Præfat. num. 11.

CVII *In Burgundia.*

In tanta rerum veterum diſtantia & obſcuritate, huic rei confirmandæ quædam argumenta conferre ſatis fuerit de nonnullis variarum Galliæ Provinciarum Monaſteriis: ut de ceteris conjecturam faciant æqui rerum æſtimatores. In Burgundiæ regno ſola S. Benedicti Regula novis cœnobiis imponebatur ſub medium ſæculum ſeptimum. Id colligo ex duplici ejus temporis formula, quam utramque ex vetuſtiſſimo codice ab annis ferè nongentis exarato eruit eruditus vir Stephanus Baluzius. Prima formula eſt ordine XXXVII. nempe *qualiter chartam faciat qui Monaſterium in proprio ædificat*. Inter cetera ſtatuitur, *ut cùm Abbas iſtius loci acceperit tranſitum, quemcumque de ſemetipſis Monachi ibidem habitantes ſecundùm Regulam B. Benedicti meliorem invenerint, ipſum Abbatem ibidem conſtituant*. Si verò talis iſtic defuerit, *poteſtas maneat ipſis Monachis, ubicumque in propriis Monaſteriis rectiùs, & ſanctiùs ſecundùm Regulam S. Benedicti invenerint expetere &c.* In fine conditor ſupplicat *glorioſo Domino, qui eſt temporibus modernis, & futuris ſucceſſoribus, quos Deus regnum* Bur-

Burgundiæ gubernare permiserit, ut hoc sua voluntatis statutum adversùs omnes inviolatum servet. Eadem leguntur in sequenti formula, *Qualiter privilegium condatur*. Porrò utraque hæc formula, in appendice nostrâ habetur, conditaque est sæculo VII., quo tempore Burgundiæ regno proprius Rex præerat. Nam ab eo tempore nimirum à principatu Chlotharii secundi defecit istorum Regum successio usque ad annum DCCC. LV. quo Carolus Provinciæ Rex constitutus est ab Lothario parente suo, cui regno pars magna Burgundiæ parebat. Verùm Regius codex, quo usus est Baluzius, ante imperium Ludovici Pii scriptus fuerat. Unde consequens est prædictas formulas superiorum Burgundiæ Regum tempore fuisse conditas, id est ante finem sæculi septimi: quo proinde tempore, & nova quæ condebantur, & alia vetera jam S. Benedicti Regulam servabant. Siquidem ubi mortuis Abbatibus deficiebant in novis Monasteriis Monachi ad ea regenda idonei, ex vicinis alii ejusdem Regulæ Professores accersebantur. Hanc scribendi instrumenti formam imitatus est VVidradus anno DCC. XX. in suo testamento pro conditione Cœnobii Flaviniacensis. In eodem enim testamento VVidradus constituit, ut Abbas Flaviniacensis Monachos suos *regat secundùm Regulam S. Benedicti*: Abbate verò mortuo eligant fratres religiosum successorem, aut ex se ipsis, aut certè (si talis apud eos inveniri non possit) *ex proximis Monasteriis*. Itaque eamdem Regulam sectabantur proxima quæque Monasteria, scilicet Reomaense S. Johannis, Sigestericense S. Sequani, Besuense, Divionense S. Benigni, Æduense S. Martini, Autissiodorense S. Germani, & Melundense, quod Molomense vocant Recentiores.

CVIII In Provincia Lugdunensi. In Provincia Lugdunensi prima, ad quam pleraque ex his Monasteriis pertinebant, facilè principem locum obtinebat Insulæ Barbaræ Cœnobium, in Araris meditullio, paullò supra Lugdunum situm: in quo, eodem tempore, id est medio sæculo VII., vigebat Benedictinum Institutum. In hujus rei confirmationem proferuntur Chlodovei secundi literæ, quæ nulla infitiatione legitima refelli possunt. Sanè Benedictus Anianensis Abbas eidem loco præfectus est à Carolo Magno, ut senio lapsam Regulæ Benedictinæ disciplinam ibidem restitueret, testante Leïdrado Lugdunensi Archiepiscopo in epistola ad Carolum Magnum: nec dubium quin eamdem etiam restituerit Viennæ, ubi duodecim sæculo VII. Cœnobia erant utriusque sexus. De Lirinensi Asceterio actum superiùs.

CIX Narbonensi. In Provincia Aquitanica prima, Albigensi pago, Castrensem Abbatiam *construxerunt tres viri pii & nobiles sub Regula S. Benedicti*, & ecclesiam in ejusdem Sancti honorem dedicari curarunt *anno Domini* DC.XLVII. Eodem tempore Cadurcis præerat Desiderius piissimus Episcopus, ante cujus Pontificatum *à Cadurcis secta Columbani procul aberat, Instituta B. Benedicti longè distabant. Desiderii autem tempore hæc secta Caturca intravit, hujus sub die hæc religio adolescere cœpit*, nempe in Marciliacensi, aliisque cœnobiis. Hujus rei testis est auctor gravis in Vita ejusdem Desiderii. In Aquitania secunda apud Pictones Mariacense Cœnobium sub S. Juniano Abbate Regulæ nostræ paruit, ut scribit VVlfinus Boëtius in ejus Vita. Et S. Maxentii Abbatia idem Institutum servabat sub regimine S. Leodegarii Abbatis, posteà Episcopi Æduensis. Idem de Ansionensi S. Jovini, & Quinciacensi Asceteriis sentiendum est, ex Vita S. Aicadri Abbatis.

CX Turonensi. In civitate Turonica unum ex præcipuis Monasteriis erat Martinianum, in quo S. Benedicti Regula vigebat sæculo VII. Id disertè probant literæ Ibbonis ejus urbis Episcopi, in quibus Chrotperti ac Bertoni, hac de re privilegia

legia laudantur. Exstant in hujusce tomi appendice Ibbonis literæ, quarum fragmentum olim accepi ex Chartario Martiniano, idque retuli in Præfatione Sæculi primi. At postea integrum privilegium in ms. codice Thuaneo ante annos octingentos exarato reperi, in privilegii formam redactum : in quo eadem omnino verba, atque in fragmento Martiniano, leguntur, suppressis dumtaxat propriis nominibus Episcoporum. In eo porrò privilegio, quod sub Christi annum DCC.X. Guntramno Abbati concessum est, statuit Ibbo, *ut si Abbas ab hac luce discesserit, per electionem memoratæ Congregationis Monasterii, quorum vita perfecta creditur, sicut Regula S. Benedicti edocet, in eorum consensu solidetur, sicut & auctoritas Papæ urbis Romæ Adeodati continet per privilegii seriem*. Et multis interpositis : *Nos inspirante Domino plena devotione deinceps in idipsum venerabilem Guntramnum Abbatem, suamque Congregationem, vel præfati Monasterii S. Martini Antistitem, volumus confirmare, ut inspecta ipsa privilegia tam decessoris nostri Chrotperti, Bertoni, quàm & Adeodati Papæ urbis Romæ, seu confirmationes gloriosorum Regum, ut nostro tempore vel successorum nostrorum omnimodis inviolabiliter conserventur &c. Ego in Christi nomine Ibbo, etsi peccator, Episcopus hoc privilegium integra voluntate & devotione ad Monasterium S. Martini; ubi ipsi Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conversari videntur, subscripsi*. Has litteras nemo in falsi suspicionem adducere potest; idque vetant causæ potissimùm duæ. Prima est, quòd in privilegii formulam redactæ sunt ab annis ferme nongentis, ut patet ex codice Thuaneo, in quem relatæ fuerunt vel ex ipso autographo, vel ex autographi exemplo incorrupto : quandoquidem Martiniani Cœnobitæ jam inde ab ineunte Caroli Magni principatu cucullam monasticam abjicere meditabantur, & deficere à S. Benedicti Regula, cujus proinde memoriam Ibbonis privilegio inserere abhorruissent. Altera causa est, quòd privilegium istud ab octingentis, & septuaginta annis penes se adservant Monachis suffecti Canonici sæculares : quorum potiùs intererat Regulæ S. Benedicti mentionem supprimere, quàm in ejus gratiam ficta interpolatione illud vitiare. Verùm etsi nobis deesset Ibbonis privilegium, alia suppeterent argumenta, quibus Martinianam Ecclesiam nostris quondam Institutis paruisse demonstraremus. Una quippe id evincit Alcuini auctoritas, qui in formula confessionis Martinianis Monachis directa, eos inducit pænitentes, quòd *promissiones suas, quibus sanctam Regulam servaturos se spoponderant, momentis singulis violarent*. Et in libello de Psalmorum usu, in eorum persona, *Concede mihi*, inquit, *dilecti tui Patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia*. Illud autem præsidii causæ nostræ addit Ibbonis Privilegium, quòd ante id tempus, id est ante annum DCC.X. Martiniani *Monachi secundùm Regulam S. Benedicti conversari videbantur*, ut privilegii verbis utar, id est re ipsa conversabantur, ut res palàm omnibus erat. Ex quo consequens est, Regulam hanc jam ibidem viguisse sæculo septimo. Si verò id de Martiniano constat, cur non etiam de Majori Monasterio?

Præfat. Sæculi I. nu. 68.

Fluxit ea disciplina in hæc aliaque ejusdem provinciæ Cœnobia ex Glannafoliensi agri Andegavensis, *in quo venerabile corpus S. Mauri Patris Benedicti discipuli jacebat humatum, ubi olim ipse Deo dilectus cum sibi subjectis multis fratribus sub sancta Regula deguit*, ut lego in diplomate Ludovici Pii apud V. C. Stephanum Baluzium in Appendice ad Capitularia. Prope Namnetum civitatem Martinus Abbas Vertavum condendo Monasterio elegit, in quo *Regulæ Beatissimæ statuit normam, quam satis arduam & discretionis censurâ præcipuam* (quod Benedictinæ elogium est apud Gregorium Magnum) *olim ipse à Transalpinæ regionis partibus fertur detulisse*, nimirum post medium sæculum sextum, CXI

Append. ad Capit. n. LII.

sextum, ex secunda ipsius Vita. Apud Cenomannos sæculo septimo duo vigebant sub eadem Regula Parthenones, unus de Prato, in quem S. Adrechildis Abbatissa Regulam nostram ex Suessionensi B. Mariæ Parthenone intulisse perhibetur: alter S. Scholasticæ, ubi ipsius sanctæ Virginis reliquiæ Casino advectæ reconditæ sunt. Pænè prætermiseram Heriense Asceterium, quod S. Filibertus; & Antrense, quod S. Hermelandus in Namnetensi pago ad idem Institutum composuêre. Filibertus Abbas erat etiam Gemeticensis, Hermelandus Monachus Fontanellensis.

CXII Rotomagensi. Duo hæc cœnobia in Provincia Rotomagensi ceteris præeminebant sæculo VII. erantque veluti duo seminaria sanctorum Monachorum. Fontanellense condidit regnante Chlodoveo juniori, rexitque per annos ferè viginti VVandregisilus Abbas sanctus: cui successit Lantbertus in annos undecim; Lantberto Ansbertus, dein Archiepiscopus Rotomagensis, qui in Synodo apud eamdem Urbem habita statuit, *ut sicuti sub ejus regimine, ita in antea, & ipsi Fontanellenses, & posteri eorum, secundùm Regulam S. Patris Benedicti fideliter Christo deservirent:* eum ad modum quo Patres Synodi Suessionensis posteà decreverunt, *ut Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundùm Regulam sanctam stabilis permaneret*. Hæc Synodus Rotomagensis celebrata est anno XVI. Theodorici Regis, teste Aigrado Monacho subæquali, qui annus Christi anno DC.LXXXIX. respondet. Itaque sub Ansberti Abbatis regimine Fontanellenses jam vivebant ad Regulæ nostræ præscriptum. Certè ab ineunte dignitate Ansbertus *assiduè meditabatur, quale susceperat onus, videlicet commissi à Domino gregis regere animos & multorum servire moribus*, utì præscribit S. Benedictus in Regulæ cap. 2. Sub Lantberto Abbate ejus decessore idem vigebat Institutum. Is enim Condedum, futurum Monachum, Fontanellam accipiens, *post orationes ad Dominum & salutationes fraternas & spiritalia colloquia, omnem humanitatem, ut Monastica dictat norma, eidem viro sancto cum suis omnibus exhibuit.* Hæc Monastica Norma haud alia est à Benedictina, quæ hunc suscipiendi hospitis ritum totidem verbis præscribit in cap. 53. Accedit quòd S. Hermelandus ab eodem Lantberto in Monachum attonsus, ac deinde ab ipso in Armoricam missus, *ut novus Benedictus effulsisse* in Antrensi Monasterio perhibetur. Quod sanè elogium Hermelando non rectè tribueret Vitæ scriptor æqualis, si is S. Patris mores ac Regulam non fuisset sectatus. Denique nulla mutatæ ab Ansberto Abbate Regulæ vestigia, nulla occasio, mentiove reperitur. Quin immo apud Aigradum Lantbertus *capit cariùs diligere Ansbertum, sicut Monastica docet Norma, nitore Religionis pollentem omnimodis diligendum*, nempe Regula S. Benedicti; qui in cap. 2. Abbatem monet, ut *nullum* Monachorum suorum *plùs amet, quàm alium, nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem*. Hanc ergo Regulam cum suis sectabatur Lantbertus, quam proinde à VVandregisilo primo loci Abbate acceperat. Certè, Aigrado referente, postquàm VVandregisilus Monasterium construxit, *cum magna Monachorum cohorte sub sancta Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam*. Aigradus Fontanellæ Monachus erat sub Hilterto Ansberti successore, Benedictinæ utique Regulæ sectator: quam *S. Regula* nomine haud dubiè designavit, utì ab Auctoribus sæculi octavi ac noni omnibus designatam fuisse superiùs * demonstravi. Pergit idem Auctor scribere de VVandregisilo, qui Ansberti monasticum habitum petentis *postulationem audiens, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle, ut, sicut Apostolica & Monastica docet Regula, sciret ad quid venerat*. Quæ totidem verba sunt Regulæ S. Benedicti in cap. 58.

* num. 112.

Præ.

Prætereà VVaningus filium ſuum Deſideratum monaſticis diſciplinis *ſub forma & inſtitutione S. Patris Benedicti* VVandregiſilo imbuendum tradidiſſe memoratur in fragmento relato apud Bollandum, Ad hæc S. VVlframnus inſtante morte, quæ DCC. XX. accidiſſe dicitur, Fontanellenſes admonuit, ut *inſtituta diſciplinæ Regularis, quæ à S. Patre VVandregiſilo didicerant, vel in ipſo vidiſſent vel in Patrum præcedentium factis ſive dictis inveniſſent, indefeſsâ inſtantiâ ſequerentur*. Proinde eadem Inſtituta, quæ Fontanellæ præſcripſerat VVandregiſilus, immutata vigebant anno DCC. XX., qui ſecundus & vigeſimus erat ab obitu S. Ansberti. Denique Fontanellenſis Chronographus anonymus, qui principatu Ludovici Pii ſcribebat, conqueritur de Teutſindi Abbatis regimine, *cujus tempore ſtatus vitæ innocentis, quem in eodem cœnobio ſecundùm eximii Patris Benedicti Normam excolendum fore B. Pater VVandregiſilus inſtituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit*. Hinc nemo dubitare poteſt, non aliam, quàm S. Benedicti Regulam Fontanellæ primitus fuiſſe impoſitam à S. VVandregiſilo, idque ita ſenſiſſe non ſolùm Chronographum Fontanellenſem, ſed etiam Aigradum, cujus auctoritatem nonnulli perperam nobis objiciunt; quæ objecta dilui in ſæculi tertii Præfatione ſecunda. Ceterùm ex Fontanellenſi eadem Inſtitutio derivata eſt in Ogienſe diœceſis Trecenſis Monaſterium per S. Godonem; & in Fiſcamnenſe per ſanctam Hildemarcam Abbatiſſam, quam VVandregiſilus ex Burdigala civitate, ubi Sanctimonialium Parthenona regebat, accerſivit.

VVandregiſili amicus & æqualis erat S. Filibertus, qui Monachum Resbaci profeſſus ſub Sancto Agilo Abbate, in ejus locum poſteà ſucceſſit: ſed ob quorumdam vexationes loco cedere compulſus, *cœpit Sanctorum cœnobia circuire, ut aliquid emolumenti ex ſuſceptione Sanctitatis valeret accipere*. Quippe *luſtravit Luxovium & Bobium, vel reliqua cœnobia ſub norma S. Columbani degentia; atque omnia Monaſteria, quæ intra ſuum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia: aſtuta intentione providens; ut quidquid melioribus florere videret ſtudiis, hoc ſuis traheret exemplis*. Hinc *Baſilii ſancti chariſmata, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani Inſtituta ſanctiſſima, lectione frequentabat aſſidua: ſicque onuſtus virtute aromatum ſequacibus ſanctum monſtrabat exemplum*. Harum Regularum præſidio atque uſu fultus, Cœnobium Gemeticenſe condidit in agro Rotomagenſi ad Sequanam, illudque ad earumdem Regularum præſcriptum adminiſtravit. Dein *multa Monaſteria per ejus exemplum ſunt conſtructa in Neuſtria: & confluebant ad eum Sacerdotes Domini, cupientes exemplum illius imitari, & de Regula ſua ornabant Cœnobia*. Prodiit ex Gemetico Sidonius Monachus ſanctus, ejuſdemque loci Cellerarius, qui ad Caletos eo annuente migravit, ut Cœnobium nomine ſuo poſteà inſignitum extrueret. Iſtic monaſtica veſte donatus eſt ſanctus Leutfredus, primus Abbas & Conditor Cœnobii Madriacenſis. Ipſe verò Filibertus *aliud conſtruxit Cœnobium nomine Pauliacum, decem millibus à Gemetico ſequeſtratum: ubi ſanctarum congregavit multitudinem Feminarum*, quas *ſub Religionis norma gubernabat* ſancta Auſtroberta, quæ ex Taraunenſi pago iſtuc accita eſt. Tandem Filibertus Ebroini invidiam declinans, ſanctum Aicadrum Quinciacenſem Abbatem, Regulæ S. Benedicti (ut ex ejus Actis patet) ſervantem, Gemetico præfecit: tum in Herium inſulam tranſmigravit, ubi condito Herienſi Cœnobio mortuus, ſepultuſque eſt. CXIII

Eadem tempeſtate rem monaſticam mirificè illuſtrarunt, propagaruntque in primis Audomarus cum collegis ſuis, Remaclus, Amandus, Bercharius, & Urſmarus, præter Eligium Epiſcopum, qui Tornaci Cœnobium CXIV Belgica.

Hh S. Mar-

S. Martini; VValaricum, qui Leuconaense; & Richarium, qui Centulense & Forestense condiderunt. Audomarus ex Monacho Luxoviensi Morinorum Episcopus promovente Dagoberto creatus, præcipuè sategit, ut diœcesim suam novo Monachorum cœtu exornaret. Erant id genus piorum hominum apud Morinos plurimi jam indè à tempore Victricii Rotomagensis Antistitis, probante Paulini Episcopi Nolani epistola ad ipsum. Et S. Treverius Monachus, *ex genere Romanorum Cadurcensi territorio ortus, Monasterium, quod in suburbio Taravvanicæ urbis situm erat, expetiit* sæculo VI. Ad Audomarum protinus accessêre populares ejus Mummolenus, Ebertramnus, & Bertinus. In horum gratiam ædificatum est Vetus Monasterium, cui Mummolenus; tum Sithiense, cui Bertinus Abbas præfuit primus, Mummoleno rapto ad sedem Noviomensem; Ebertramno in Abbatem Basilicæ S. Quirini, quæ tum Monachorum erat, assumto. Monasterio Sithiensi constructo consultum voluit Audomarus, dato privilegio, *ut quieti sub Regula sancta Monachi* ibi *viverent, anno Chlotarii Regis sexto.* Ex eodem Asceterio processêre Monasteria (si Ipperio credimus) duodecim: ex quibus Bergense conditum est à S. VVinnoco Abbate, quem Bertinus *sub Norma pii Patris Benedicti edocuit ferre jugum Christi.*

CXV Totidem Monasteria in Arduenna saltu erexisse dicitur ab Herigero Sigibertus Austrasiorum Rex, hortante inprimis Remaclo Trajecti ad Mosam Episcopo, cui Stabulense ac Malmundariense Monasteria acceptam referunt originem suam. Remaclus Monachus fuerat, Abbasque primus Sollemniacensis apud Lemovicenses Cœnobii, quod S. Eligius in fundo paterno ædificarat *ea conditione, ut Monachi Regulam beatissimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter tenerent.* Testes ejus rei literæ ab Eligio concessæ *anno decimo Dagoberti Regis*, quales exstant in fine sæculi secundi. Has literas probat Vita S. Tillonis, confirmat Synodus Suessionensis anni DCCC. LXVI., quæ solius Regulæ S. Benedicti meminit, relata hac clausula testamenti Eligiani. Per idem ferè tempus floruit S. Adela Dagoberti Austrasiorum Regis filia, quæ Palatioli apud Treviros Cœnobium exstruxit, *in eoque Monacharum cœtum sub disciplina & Regula S. Benedicti viventium aggregavit*, quibus ipsa præfuit Abbatissa. Id probat ejus testamentum, quod anno XII. Theoderici Regis conditum est.

CXVI Remaclo in sedem Trajectensem suffectus est S. Amandus, qui Monachus primùm Cœnobii S. Martini apud Turonos, dein procurante Chlotario Francorum Rege absolutè ordinatus Episcopus, demum jussu Dagoberti post Remaclum admotus est Cathedræ Trajectensi. Is non solùm Nantense Vabrensis pagi Cœnobium, sed alia complura in Belgio exstruxit: quorum præcipua fuere Gandense, posteà S. Bavonis dictum, & aliud Blandiniense S. Petri in eadem Urbe Gandavo; tum Elnonense Virorum, & Marcianense duplex in pago Tornacensi: quibus posteà Barisiacense agri Laudunensis accessit. Unus ex Amandi præcipuis discipulis fuit S. Bavo, primæ in Belgio nobilitatis vir: cujus Acta in literas retulit Anonymus ferè æqualis, à Rabano atque Adone laudatus in Martyrologiis. Ex his Actis discimus, Gandense Monasterium (: quod etiam de Blandiniensi dicendum :) primitus insedisse Monachos, quibus S. Amandus Abbatem Florbertum imposuit cum Regula S. Benedicti, quam ipse in Martiniano Cœnobio professus erat, uti demonstravi in Præfatione sæculi secundi, & in Præfatione secunda tertii. Idem præstitum in Elnonensi & Marcianensi. Istic Monasterium erat duplex Virorum ac Puellarum. Viris præfectus est Jonatus, quem nonnulli eumdem

esse

esse cum Jona Bobiensi Monacho existimant. Nec vanâ sanè conjecturâ. Nam Jonas iste Abbatis nomine donatur in Vita S. VValarici cap. 6. his verbis: *Jonas Abbas vir magnus, eloquentiâ plenus, dictandi peritus;* idemque est *Jonas Abbas*, qui librum de Vita S. Johannis Reomaënsis Abbatis expolivit. Denique Jonas ipse Bobiensis Monachus in Præfatione ad Vitam S. Columbani huic sententiæ non obscurè attestatur in hæc verba. *Quamquam me & per triennium Oceani per ora vehat & scabra linttis adacta; has quoque scatens, molles sectando vias, madefacit sæpè & lenta palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi Pontificis ferendum suffragium, qui bis constitutus in locis veteres Sicambrorum errores evangelico mucrone coërcet.* Quidquid sit de Jonæ Prælatura Marcianensi; hinc saltem constat, eum sæpè ventitasse ad Elnonense Monasterium causâ visendi Amandi, qui ex ejus consuetudine coram didicit S. Columbani ritus, quos cum Regula S. Benedicti, ut probat ejusdem Amandi privilegium a me editum ad calcem sæculi secundi, præscripsit Cœnobio Barisiacensi ab se constructo *sub Regula*, inquit, *Domni Benedicti seu Domni Columbani.* Sub S. Pontificis auspiciis Ghislenus Cellense, Gertrudis Nivialense, Aldegundis Melbodiense, VValdetrudis Castrilocense, Vincentius seu Madalgarius Altimontense ac Sonegiense Monasteria condiderunt: & S. Vindicianus Atrebatensis Episcopus Cœnobio S. Vedasti ab se instituto Abbatem primum præfecit Hattam, accitum ex Blandiniensi.

Intereà Landelinus, cognomento Morosus, Autberti Cameracensis Episcopi hortatu conversus ad meliorem frugem, secessit primùm *in locum super fluvium Sambram situm, qui ex nomine rivuli decurrentis in prædictum flumen vocatur Laubacus: & ibi construxit sibi & discipulis suis monasteriales habitationes.* Posteà Crispiniacum se recepit, & Laubaco *præfecit beatum Ursmarum*, teste Balderico, *piis moribus præditum, in functoria tantùm prædicatione sacratum Episcopum.* Is præter S. Mariæ Ecclesiam, quam in vertice montis ad Fratrum sepulturam erexit, alia duo condidit Cœnobia, Alnense scilicet, quod nunc Cisterciensis est Ordinis, *ad Sambram; & VVaslarense in finibus Faniæ versùs Teorasciæ saltum.* VVaslarensi *Dodonem præfecit, virum admodum sanctum* inquit Fulcuinus in Chronici Laubiensis cap. 4. CXVII

Quin etiam Bercharius, monasticis Regulis apud Luxovium institutus, favente Nivardo Remorum Pontifice rempublicam monasticam egregiè illustravit. Et primùm quidem opitulante Childerico Rege Cœnobium Altivillarense in agro Remensi, posteà Dervense in Catalaunensi ædificavit cum Parthenone Puellarum, quibus VValtildem præfecit Abbatissam, VValtildis hæc una cum marito suo VVaimero fundum suppeditavit condendo Cœnobio Dervensi: tum posteà velo suscepto Sanctimonialis, ac demum Abbatissa effecta est. Dervensi virorum ac puellari Monasterio privilegium concessit Bertoëndus Catalaunensis Episcopus *anno secundo Chlodovei Regis*, quale exstat in Spicilegii tomo X. decernens inter cetera, *ut si aliquando ipsa Congregatio de eorum religione tepidè egerint, secundùm Regulam S. Benedicti vel Domni Columbani ab eorum Abbate vel Abbatissa, qui pro tempore spiritalis Pater vel Mater exstiterint corrigantur.* Nivardus idem sancivit pro Altivillarensi, referente Frodoardo in historiæ lib. 2. cap. 7.; idemque Viriziacensis Cœnobii *Monachis sub Perrone Abbate Deo servientibus immunitatem instituit, ut nullus Ecclesiasticorum judicum eos indebitè in aliquo inquietare præsumeret; sed eis quieto ordine sub sancta Regula vivere, ac Deo servire liceret*, ex eodem auctore in lib. 2. cap. 6. Nivardo successit Regulus seu Reolus, qui *construxit Monasterium Orbacense in loco, quem promeruit dono Regis Theoderici per ipsius li-* CXVIII

centiam, suffragante quoque Ebroino Majore domûs, inquit Frodoardus in ejusdem libri cap. 10. *Impetravitque Domnus idem Reolus à Monasterio Resbacensi sex Monachos, qui regimina sanctæ Regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent*. Per sæculum septimum *Regula sancta* nomine ita designatur Regula S. Benedicti, ut tamen Regulam S. Columbani, aliasque complectatur nonnumquam, ut patet conferenti duplicem S. Præjecti vitam. Nam in priori, quæ ab Auctore æquali scripta est, Camelariensis Parthenon dicitur fabricatus *ex Regula dumtaxat virorum sanctorum, id est S. Benedicti, & S. Cæsarii, atque Columbani*: in posteriori Auctoris item coætanei, *sub norma S. Regulæ*. At sæculo octavo & insequenti Regulæ Sanctæ vocabulum soli Benedictinæ tribuitur. Tametsi Frodoardus, sæculi decimi scriptor, Regulæ sanctæ nomen ac sensum ex sæculi septimi literis atque usu aliquando usurpavit, nempe pro Regulis S. Benedicti & S. Columbani simul conjunctis. Cùm igitur Reolus ex Cœnobio Resbacensi Monachos, qui Regulæ utriusque *regimina* sectarentur, Orbacum induxerit; consequens est, utramque hanc Regulam jam tum viguisse apud Resbacenses.

CXIX Apud Meldos, Parisios &c. Situm est Monasterium istud in Briegio ad torrentem Resbacem, conditum à Dadone seu Audoëno, posteà Episcopo Rotomagensi. Dadoni fratres duos tribuit Dagoberti diploma pro Cænobio Resbacensi, & Hildegarius Meldorum Antistes in Vita S. Faronis Meldensis Episcopi, videlicet Adonem, & Radonem: ex quibus Radonem rejiciendum censet eximius vir Hadrianus Valesius, cujus sententiæ subscripsi in Sæculo 2. Adonem Jotrense Monasterium duplex, Radoliense Radonem auctorem agnoscunt. Præterea Monasterium sanctæ Crucis apud Meldos à S. Farone erectum est, Eboriacense à Sancta Fara seu Burgundofara, paullò antè, quàm Furseus Latiniacensi, ac Balthildis Regina Calensi Virginum intra Parisiensem pagum, & Corbeiensi Virorum intra Ambianensem construendis admoverent manum. His omnibus illustrius fuit S. Dionysii amplissimum Cœnobium, quod Dagobertus in agro Parisiaco regiâ magnificentiâ exstruxit, instituto perennis psalmodiæ officio, quod posteà Aigulfus Abbas abrogavit. Ejus loci Monachos ad Canonicorum solutiorem vitam inclinantes Ludovicus Pius revocavit ad cultum Regulæ S. Benedicti. Eodem Dagoberto favente Geremarus Flaviacensi Asceterio dedit originem, *construxitque omnia necessaria Monastica vitæ congrua, vel artes diversas, quas intra Monasterium exerceri utile est, ut non esset Monachis necessitas vagandi foras: quia sicut B. Benedictus dicit, omnino animabus eorum non expedit*, ut legitur in ipsius Geremari Vita, scripta ab Auctore (ut puto) æquali.

CXX In Provincia Senonensi. In urbe Senonica antiquum est S. Petri Cœnobium ab Theodechilde Regina conditum ante medium seculum sextum: cujus loci Monachis Emmo ejusdem civitatis Episcopus privilegium concessit anno tertio Chlotarii Regis, Christi DC. LVII. hac inductus ratione, *quòd sancto desiderio succensi sub Regula B. Benedicti, & modo Luxoviensis Monasterii consistere deliberarent*. Annuit Emmo cum Episcopis comprovincialibus, statuitque, ut si aliter ipsi Monachi egerint, *secundùm Regulam ipsius Domni Benedicti vel S. Columbani corrigantur*. Præerat tum isti Cœnobio Aighilenus Abbas: sub quo S. Ebbo Monachus, posteà Episcopus Senonensis, *obedientiam Regulæ magistram cum humilitatis gradibus* (quos in Regulæ cap. 8. exponit S. Benedictus) familiari usu exercuisse dicitur. Habes in sæculi tertii appendice integrum Emmonis privilegium ad cujus exemplum Drausio Suessionensis Episcopus, qui eidem subscripsit, consimile impertiit illustri Partheno-

ni

ni B. Mariæ apud Suessionas editum in probationibus Gallicæ Historiæ ejusdem Cœnobii. Indè educta est sancta Ada seu Adrechildis, quæ petente Cenomannensi Episcopo ad Cenomannicam urbem venit, & in suburbano Parthenone de Prato, cujus superiùs mentio facta est, *Regulam S. Benedicti docuit*, ut tradunt Acta vetera Aldrici Episcopi Cenomannensis. Revertor ad provinciam Senonensem, in qua nescio an situm erat Cœnobium Virginum, B. Mariæ, S. Columbæ, atque S. Agathæ sacrum: cui Cœnobio Joannes Papa IV. privilegium concessit, in quo ejus loci Sanctimoniales ait militasse sub Regula S. Benedicti; aliisque, ut posteà fusiùs exponam *. De Gajacensi * B. Mariæ Parthenone (qui modò Prioratus est in pago VVastinensi, pendens à Cœnobio S. Faræ) privilegium istud explicari posse aliquando suspicabar. At S. Mariæ, & Beatis Apostolis Petro & Paulo sacratum erat, ut patet ex Formula 41. apud Bignonium. * num. 123. * Giy.

CXXI Floriacense Asceterium in Agro Aurelianensi ad Ligerim erexit Leodebodus Abbas Aurelianensis, illudque B. Mariæ & S. Petro dedicari curavit. Ibi *Monachi juxta Regulam Sanctissimi Benedicti & Domni Columbani* primitus *constitisse* memorantur in ipsius hac de re testamento, *quod anno secunda Chlodovei* junioris conditum est. Istuc sancti Patris Benedicti reliquiæ curante Mummolo Abbate paullò pòst Casino advehuntur. Ad eadem quoque tempora pertinere videtur Cœnobium, quod *Magnulfus venerabilis Abbas* construxit in honorem *S. Petri & S. Benedicti*, testante Alcuino in epigrammatibus 162. & 163. ubi *Fratres ad normam Regulæ* vivere deberent. Quo in loco situm fuerit Cœnobium istud, quisve ejus auctor Magnulfus; nondum adsequi mihi licuit. An fortasse Menulfus, quem Britanniæ minoris Episcopum ferunt, patronumque suum agnoscunt Sanctimoniales Cœnobii Borbonensis, quod S. Menulfi nomine, tumulo ac reliquiis decoratum, aliquando etiam virorum fuit? Aliorum hac de re exspecto judicium. Interim observo habitum fuisse sæculo VII. Concilium Aurelianense, in quo decreta quædam, pro nostræ Regulæ observatione sancita. Unum ex istis (ni fallor) refert Egbertus Eboracensis Antistes, in Excerptionum cap. 63. apud Spelmannum, ubi canon Aurelianensis refertur in hunc modum. *Si quis Abbas cautus in regimine, & humilis, & castus, sobriusque, misericors & discretus non fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis non ostenderit; ab Episcopo in cujus consistit territorio, & à vicinis Abbatibus & ceteris Domini * timentibus, à suo arceatur bonore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens Abbatem eum habere voluerit*. Has omnes Abbatis dotes totidem verbis exigit S. Benedictus in Regulæ suæ capitibus 2. & 64., ex quibus sine dubio Patres Synodi Aurelianensis depromserunt Statuti sui formam, quod Monachis hanc Regulam servantibus altè infixum esse volebant. Celebrata est hæc Synodus ante Egberti Pontificatum, qui sedem iniit anno DCC. XXXIV. Ad sæculum proinde septimum referenda est, fortasse ea ipsa, cujus præclara mentio est apud S. Audoënum in lib. 1. de vita S. Eligii cap. 34. cujus Eligii studio & opera coacta est hæc Synodus sub annum DC. XLV. adversùs quemdam hæreticum Monotheletam. Si in illa Synodo sancitum est superius decretum, indè consequitur Regulam nostram tum viguisse non solùm in diœcesi Aurelianensi, sed etiam in aliis: quandoquidem hæc Synodus ex multis Gallicanis Episcopis, Audoëno, Eligio, aliisque constabat. Neque enim solent condi Canones ad Regulas arbitrarias, sed ad communes receptasque leges, pro cujusque statu & conditione. Aurelianis proxima est provincia * l. Deum.

Bitu-

Bituricensis, in qua sanctus Sigirannus Abbas *sub S. Regula à beatissimo edita Benedicto* militavit. Eadem haud dubiè vigebat in Navensi sancti Sulpicii, & in aliis Cœnobiis, quæ sub Regula sancti Columbani primitus instituta fuisse tradit Jonas in Vita Eustasii Abbatis. Denique in pago Arvernensi Præjectus Pontifex sanctus unum, Genensius alterum Virginum Cœnobia condidere sub sancta Regula, quam Donatus ex Benedictina maxima ex parte collegerat.

CXXII Regulæ S. Benedicti conjunctio cum aliis asserta. Ex his omnibus, quæ de variis Galliarum Cœnobiis hactenus exposui, satis superque compertum est, quàm latè propagata fuerit sæculo VII. sancti Benedicti Regula in vetustissima quæque ac nova hujusce regni Monasteria. Id factum conjunctione Regulæ sancti Benedicti cum aliis aliorum Patrum, maximè Columbani Institutis. Ejus rei exemplum, referente Gregorio Turonensi Episcopo in Historiæ lib. 10. cap. 29. præcesserat in Cœnobio Atanensi, in quo *non modò Cassiani, verùm etiam Basilii & reliquorum Abbatum qui Monasterialem vitam instituerunt, celebratæ sunt Regulæ* sub Aredio rectore. Idem in plerisque Cœnobiis Gallicanis sæculo VII. contigisse plurima probant vetera instrumenta, quæ in singulis eisdemque locis varias ac diversas Regulas simul observatas fuisse evincunt. Ejusmodi sunt literæ Leodebodi pro Floriacensi, Eligii pro Sollemniacensi, Amandi pro Barisiacensi, Bertoëndi pro Dervensi sancti Petri, Drausionis pro Suessionensi B. Mariæ, Blidegisili pro Fossatensi, Hidulfi pro Deodati, Chlotarii tertii Francorum Regis pro Besuensi, Theoderici item tertii pro Mauri Monasterio & aliæ complures: in quibus omnibus monumentis istorum locorum Monachi vixisse memorantur *secundùm Regulam S. Benedicti ad modum Luxoviensis Monasterii*. Harum literarum Usserio Armachano viro doctissimo tanta visa est auctoritas, ut ex eis conjunctionem Regulæ sancti Benedicti cum Institutis sancti Columbani asserere non dubitaverit. (*Usser. in Addendi Antiquit. Britan. pag. 1050.*) Certè hæc instrumenta multitudine se se tuentur sua. Si enim unum dumtaxat aut alterum ejus rei testimonium in promptu haberemus; aliqua forsan interpolationis suspicio veniret in mentem. Nunc verò cùm tot, tamque locis ac personis diversa, in quibus hæc Regularum unio deprehenditur, monumenta supersint; nemo de hac conjunctione jure merito controversiam movere potest. Et quidem eam agnoverunt pro Sollemniacensi Monasterio Scriptor Vitæ S. Tillonis ejus loci Monachi; pro Altivillarensi Frodoardus sæculi X. Scriptor; pro Floriacensi Helgaldus Frodoardi suppar; pro Bosuensi anonymus sæculi XI. Chronographus; pro Vesontionensi veteres membranæ à Johanne Jacobo Chiffletio in sua Vesontione relatæ. Denique hanc Regularum unionem aliquando factam esse fatendum est. Atqui eam ante sæculum octavum contigisse constat, tum ex iis quæ superiùs dixi, tum ex eo, quòd nulla ejus conjunctionis jam tum primùm factæ vestigia restent in sæculi VIII. monumentis, sive in Conciliis Episcoporum, sive in Diplomatis ac Capitularibus Regum, sive in ejus temporis Auctorum scriptis: in quibus omnibus Regulæ sancti Benedicti mentio frequens occurrit, aliarum nulla, præterquàm in privilegio Farfensi, quod certè unionem hanc longè antè factam designat.

CXXIII Præ his omnibus luculentissimum est hac in causa privilegium Johannis Papæ IV. postulante Chlodoveo juniori concessum Parthenoni *beatæ Mariæ & S. Columbæ atque S. Agathæ seu aliorum Sanctorum Martyrum:* quo in loco Sanctimoniales vivebant secundùm *edicta Antonii, Pachomii, & haud procul à nostris temporibus*, (sic loquitur Pontifex) *Benedicti Abbatis istius Romæ urbis*;

Hoc

Hoc privilegium, quod in ejus tomi Appendice integrum exstat, in formulam privilegii ante annos octingentos redactum est in codice Thuaneo, ex quo illud erui. Quodnam fuerit Cœnobium istud, quove in loco situm, divinare non licuit, suppressis scilicet nominibus propriis personarum ac locorum plerisque. In Actis sancti Clari Abbatis invenio apud Viennam Cœnobium *Sanctimonialium beatæ Virginis Columbæ, quod triginta Monachos* alebat: cui nescio an Johannis Papæ privilegium aptari possit, quod Cœnobio sanctæ Mariæ & sanctæ Columbæ concessum est. Et hinc certè longè validius in rem nostram argumentum deducimus, ad probandam sæculo VII. Regularum conjunctionem. Si enim in authentico privilegio Regularum Antonii, Pachomii, & Benedicti mentio facta non fuisset; nemini venisset in mentem communi privilegii formulæ eam inserere. Ceterùm quòd Benedictus Abbas Romæ urbis à Pontifice vocatur; hoc nomine comprehenditur pro veteri more tota ditio Romanæ civitatis, ad quam Sublacus & Casinum, ubi S. Pater Abbatis gessit officium, pertinet. Ex hoc igitur privilegio manifestum est, sancti Benedicti Regulam cum *edictis Antonii & Pachomii* observatam fuisse in Gallicano Parthenone B. Mariæ, eamque Regularum conjunctionem per ea tempora obtinuisse.

His veterrimis instrumentis suffragantur aperta æqualium scriptorum testimonia omni exceptione majora. Primum desumo ex Actis sancti Filiberti Abbatis, qui in Monasterio Resbacensi sub Agilo Abbate sancti Columbani discipulo primùm institutus, dein creatus Abbas Resbacensis, *Basilij sancti Carismata, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima lectione frequentabat assidua: sicque onustus virtute aromatum, sequacibus sanctum monstrabat exemplum*. Columbani Instituta professus erat Filibertus: qui tamen eodem in loco habebat Basilii, Macarii, & Benedicti Regulas, nimirum ut eas factis exprimeret suis, ac discipulis sectandas proponeret, non solùm in Resbacensi, sed etiam in Gemeticensi, aliisque Cœnobiis, ab se vel erectis vel institutis. *Multi* quippe *de ejus Regula sua ornabant Cœnobia*. Hic Regulæ nomine intelligendum est complexum ex præmissis Regulis, quas in cœnobio suo Filibertus omnes servari curabat, quemadmodùm Atani Aredius Regulas Basilii, Cassiani, & aliorum Patrum. Non enim assentior doctissimo viro Dadino Altesferræ, existimanti Filibertum ex Regulis Macarii, Basilii, Benedicti & Columbani propriam concinnasse. Eas quippe Regulas omnes Filibertus à discipulis suis legi, & observari satagebat, conciliatis iis, quæ in speciem contraria; aut omissis, quæ loco ac personis incongrua videbantur. CXXIV

Altesser. Ascetic. lib. 6. cap. 1.

Alterum argumentum, idque invictissimum, suppeditat Regula S. Donati Archiepiscopi Vesontionensis. Is sancti Columbani discipulus, ac Monachus in cœnobio Luxoviensi, posteà adeptus Episcopatum Vesontionensem, duo condidit Monasteria, unum Virorum, Puellarum alterum. Primum in honorem B. Pauli Apostoli, ubi *fideles viros* (ut habent antiquæ membranæ Vesontionenses à Johanne Jacobo Chiffletio relatæ) *sub beati Benedicti & beati Columbani Luxoviensi Regula victuros instituit*. Alterum in eadem urbe *sanctarum Monialium in honore beatæ Mariæ, matre ejus Flavia cooperante*, quæ inibi Sanctimonialis effecta est. Idem quoque rogante Gauthstruda Jussani (hoc loco nomen) Monasterii Abbatissa, ejusque Congregatione enchiridion composuit ex tribus collectum Regulis, sanctorum videlicet Cæsarii Arelatensis Episcopi, Benedicti & Columbani Abbatum; & tria supra quadraginta capitula ex Regula S. Benedicti adduxit. Cæsarii Regulam, utpote Sanctimonia- CXXV

nia-

nialibus aptatam, servare non recusabant Monachæ Jussanenses : at Benedicti & Columbani Regulas etiam aptari sibi postulabant, *dicentes, quòd Regulæ prædictorum Patrum minimè convenirent* sexui suo, *cùm easdem viris potiùs & nequaquam feminis edidissent*. Quæ causa has Sanctimoniales ad id impulerit, nulla alia occurrit, quàm studium æmulandi Luxovienses Monachos, Donati consodales, qui ambas Benedicti & Columbani Regulas tum observarent. Earum postulata ægrè tandem admisit Donatus, idque tandem perfecit, *quod bonis* piarum Virginum *desideriis placuit*, seligendo ea, quæ ipsis expediebant, *quemadmodum regulariter rectum Christi tramitem tam vos*, inquit, *quàm ceteræ vobis succedentes, Christo opitulante tenere valeatis*. Hanc itaque Regulam ex illis tribus conflatam, Jussanensi Monasterio imposuit Donatus, eamque in succedentia tempora observari præcepit ante annum Christi DC.L. quo ferè tempore vivere desiit. Hæc eadem est, ut puto Regula, quæ in Camelariensi apud Arvernos Parthenone paullò pòst servata est. Quippe vir illustris Genesius consilio sancti Præjecti *Monasterium sacrarum Virginum suburbano præfatæ civitatis, in loco cui Camelaria nomen inditum est, omni nisu atque conamine fabricare adorsus est ex Regula dumtaxat virorum sanctorum, id est S. Benedicti & S. Cæsarii atque Columbani*, ut tradit Auctor ejus temporis in priori vita sancti Præjecti Episcopi Arvernensis, qui aliud item Virginum Cœnobium sub iisdem Institutis instruxit.

CXXVI Conjunctio ejusdem Regulæ cum Regula Columbani.

Etiamsi unum hunc locum haberemus, is certè sufficeret ad probandum Regulam sancti Benedicti unà cum sancti Columbani Norma ante medium sæculum septimum viguisse apud Luxovienses. Nimirum Donatus, ejus loci Monachus, Columbani Alumnus, Vesontione Monasterium sancti Pauli instituit sub utraque hac Regula; tum Sanctimoniales Jussanenses ab ipso itidem institutæ ambas utriusque Patris Regulas cum Cæsariana sibi aptari postulant. Rem exsequitur Donatus, ac Regulam ex illis tribus collectam Jussanensibus imponit. Quis credat Donato Luxoviensi Monacho in mentem venire potuisse, ut Monachos in urbe sua episcopali institueret ad alterius Regulæ, quàm Luxoviensis præscriptum? an rem Donato gratam facturæ fuissent Jussanenses, si aliam à Luxoviensi Regulam, quam is professus erat, sectari voluissent? Verùm non desunt nobis alia, quibus id probemus, argumenta. Id enim disertè probat libellus de vita sanctæ Salabergæ jam sæpiùs relatus : in quo VValdebertus, post Eustasium in Luxoviensi regimine Columbani successor, laudatur, quòd *ejus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum ac sacrarum puellarum examina non solùm per agros, villas, vicosque atque castella, verùm etiam per eremi vastitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperint : cùm ante illud tempus Monasteria vix pauca illis reperirent in locis*. Huic testimonio Auctoris gravis & æqualis respondet Jonæ auctoritas ex vita sancti Eustasii Abbatis in hæc verba. *Deinde Monachorum sub ejus obedientia in sæpè fato Cœnobio Luxoviensi concio maxima erat, ut ex hoc jam multa per vicina loca Monasteria construerentur, quæ ejus successor beatus VValdebertus firmavit atque ædificavit*. Ergo ex Jonæ testimonio cum Vita sanctæ Salabergæ comparato liquidò apparet, VValdebertum ea ædificasse Monasteria, quæ *per Galliarum provincias ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulasse* referuntur in Actis sanctæ Salabergæ. Et certè hunc sensum exigit hujus Vitæ scriptor. In ea quippe laudatur VValdebertus, quòd ejus tempore, id est eo Abbate atque procurante, complura *pullulare cœperint* Monasteria sub duplici hac Regula. Sic enim habent verba mox relatis superiora. *In cujus*, videlicet Eustasii,

stasii, *locum beatæ recordationis VValberbus in regimine fratrum subvectus est, vir omnium famâ laudabilis*. Quid ita ? nempe quia *hujus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum ac sacrarum puellarum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt*. Si indè *laudabilis* VValdebertus; ergo horum Monasteriorum auctor fuit, quæ sub ejus regimine *ex Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani* pullularunt. Alia porrò hujus rei argumenta posteà recurrent. Hinc apparet, Monasteria illa, quæ Jonas in Eustasii Abbatis Vita sub Institutis Columbani condita fuisse dicit post Synodum Matisconensem, sub utraque Regula militasse. De Sollemniacensi Virorum, ac de Jussanensi & Cameliarensi, itemque de alio Arvernensi Virginum id constat, quæ sub utraque hac Regula surrexisse superiùs demonstratum est certissimis argumentis. De Laudunensi Parthenone sanctæ Salabergæ, quæ ab ipso VValdeberto in rebus Monasticis instituta fuerat, *Vita S. Salaber. num. 19.* idem etiam intelligitur ex ejus Vita, in qua hæc verba lego. *Sed cùm vas ad plenè refertum ex poti liquore non esset, famulaque Christi, cui obedientiæ causa eodem anno juxta tenorem Regulæ ad cellarium custodiendum, Sororibusque ministrandum ordo evenerat &c.* In Regula S. Columbani nulla Cellerarii mentio est, cujus officium describitur à S. Benedicto in Regulæ cap. 31. Porrò officium istud (obedientiam vocabant veteres) in annum committi, antiquus mos est in Ordine nostro usitatus. Quod de Laudunensi dico, idem etiam asserere licet de aliis Cœnobiis, quæ à B. Columbani discipulis in Belgio erecta sunt. Ea quippe cùm perlustrasset Botulfus Anglus cum Adulfo, indéque *Monasterialibus imbutus Regulis*, in patriam remeasset; posteà intra Lincolniæ Comitatum Ikanhoënse Asceterium *ad instar Monasteriorum, ubi conversatus fuerat in partibus Galliæ, perfecit, sanctorum Patrum Instituta assiduâ in se observans diligentiâ*. Ad hæc, *quod in transmarinis partibus didicerat de Monachorum districtiori vita, & regulari consuetudine*, subditis suis cotidie inculcare solitus erat. Uno verbo, *præcepta salutis secundùm beati Patris Benedicti documentum, vetera novis, nova veteribus miscens, nunc antiquorum Instituta, nunc per se intellecta discipulos edocuit*. Ecce Botulfus cum Regula S. Benedicti alias Patrum Regulas, cùm veteres, tum novas, qualis erat Columbani, à Monachis suis observari curavit *ad instar Monasteriorum, ubi conversatus fuerat in partibus Galliæ*, nempe Briegensibus : in quibus nimirum istæ simul Regulæ tunc temporis receptæ erant, id est, post medium sæculum septimum. Ex his testimoniis accedit auctoritas vetustis illis instrumentis, quæ Regulas S. Benedicti & S. Columbani in eisdem simul viguisse Monasteriis tradunt. Id confirmat libellus de rebus gestis sancti Serenici Monachi, qui præter orationes peculiares, *Romanum seu Gallicanum, nec non & sanctorum Patrum Benedicti seu Columbani cursum horis singulis Domino decantabat. Congruum enim illi visum fuerat, ut horum officia Christo persolveret, quorum virtutum actus jam dudum in mentis arce locaverat : & quos ardua imitatione studuerat sequi in orationum sollemniis conaretur imitari*. Ex quibus intelligimus, Serenicum sibi in exemplum proposuisse vivendi morem, quem sancti Benedictus & Columbanus in se expresserant. Eamdem sententiam probat Chronici Fontanellensis caput 12., ubi VVando Abbas ab anno DCC.XLII. isti Cœnobio inter alios libros perhibetur tradidisse codicem unum, *in quo continebatur Regula S. Benedicti, & S. Columbani, & Martyrologium*. Istorum verò temporum, uti & posteriorum, ferebat usus apud Monachos, ut quam quique servarent Regulam, eam in Cœnobiis descriptam atque simul compactam haberent cum Martyrologio ; ac sic utrumque esset in promptu ad legendum in Capitulo post Primam, ut

alias observavi. Atqui jam longè ante VVandonis Abbatis regimen scriptus erat iste Fontanellensis codex, qui usui fuerat sæculo VII. quibusdam Monachis utramque Regulam servantibus. Hinc cum Orderico Vitali concludere licet, B. Columbani discipulos *sancti normam suscepisse Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent sui Statuta magistri, almi videlicet Columbani*.

CXXVII Qua occasione facta. Quo tempore, quave occasione duæ istæ Regulæ in unam coaluerint, an ab ipsis Luxovii primordiis, an aliquanto pòst intervallo, res non est penitus explorata apud omnes. Existimavi aliquando hanc unionem esse factam, non nisi post Synodum Matisconensem, cui occasionem dederunt Agrestii & aliorum querelæ adversùs Regulam Columbani. Querelarum capita erant ritus à Romanis diversi, cochlearis signatio frequens, orationum multiplicitas singularis, tonsuræ diversitas; in summa Scottorum ritus a Romanis alieni. Agrestii partibus adhæsit Amatus, tum Monachus, pòst Abbas Habendensis piissimus, qui cùm Agauni ritibus Latinis assuevisset, Scotticos ægrè ferebat. Quapropter *abjectis Institutis pristinis*, nimirum Scotticis, plebem, id est Monachos sibi subjectos, *rudibus doctrinis* (ut loquitur Jonas) cum Romarico *instruere conatus est*. Hinc observabam Columbanum in Luxoviensium gratiam afflante Spiritu Santo scripsisse Regulam, quæ nihil cum Benedictina commercii habere videbatur. Deinde ipsum *in Gallias venientem*, id est post suum ipsius in Gallias adventum, nihil discrepasse à Brittonibus in eorum conversatione, ut patet ex epistola Laurentii Dorobernensis Episcopi relata apud Bedam: qui Laurentius id per ipsum Columbanum, scilicet ex ejus factis, compererat. (*Beda lib. 2. cap. 4.*) Insuper hos Brittonum ritus apud Luxovium perseverasse ad annum DC. XXV., quo habita est Synodus Matisconensis in hac causa. Aliunde advertebam, Regulam sancti Benedicti nusquam coaluisse cum ritibus Scotticis, quibus maximè infensi erant Latini plerique; immo, sicubi Romani ritus Scotticis successerint in Monasteriis, ibidem etiam successisse Regulam sancti Benedicti. (*Anonym. in Vita S. Cuthberti.*) Id quippe evenisse in Lindisfarnensi anno DC. LXV. post conventum hac de re habitum, conflictumque VVilfridi cum Colmanno Scottorum antesignano; idem etiam in Magensi, ubi *conversi ad meliora Instituta* Monachi, *ad exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico vivere* cœperunt, apud Bedam; (*Beda lib. 4. cap. 4.*) quem locum de Regula sancti Benedicti interpretandum esse hîc ostendo in observationibus præviis ad librum Edelii de Vita sancti VVilfridi. Denique idem item evenisse in Landevenecensi, procurante Ludovico Augusto. Uno verbo, hac in re duo mihi certa & explorata videbantur, tertium omnino probabile. Certum quidem unum, Regulam sancti Columbani à Regula sancti Benedicti esse diversam, neque hujus commentarium esse: alterum certum, ambas in unam haud seriùs apud Luxovienses convenisse, quàm sub primis Columbani discipulis: tertium, quod omnino probabile existimo, est, hanc conjunctionem factam esse post Synodum Matisconensem, si non sub Eustasio Abbate, qui intra annum à Synodo facta decessit; certè sub VValdeberto ejus successore. Is enim, referente Adsone Abbate in ipsius Vita, *si quid in rebus vel ceteris utriusque vitæ commoditatibus tempore illorum duorum Patrum, Columbani videlicet & Eustasii, imperfectum restabat, omni industria supplevit, auxit, & ad unguem perfectiùs elimavit*. Quidquid sit tandem de hoc tertio capite, non dubito quin duobus primis assensuri fuissent Trithemius & Yepesius, si sancti Columbani Regulam atque Vitam à Jona scriptam, quas numquam viderunt, attentè legissent.

De

CXXVIII

An Bobii ab initio servata Regula nostra.

De Bobiensi Monasterio sic conjectabar in Præfatione * sæculi secundi, nimirum Columbanum in Italiam profectum, ut se Romanis moribus accommodaret, sancti Benedicti Regulam admisisse in Cœnobio Bobiensi, quod tamen extra lineas disputationis posui: quoniam ejus rei tum mihi certa non suppetebant argumenta. At verò constanter asserui, Regulam S. Benedicti apud Bobienses jam fuisse receptam tempore Bobuleni Abbatis, Pontificatu Theodori, non Lucii Papæ secundi, uti Ferdinandus Ughellus, & post eum Carolus Cointius innuebat. Id autem confirmabam literis Theodori Papæ Bobuleno Abbate concessis, in quibus utriusque Regulæ simul inibi servatæ fit mentio his verbis. In *quo Monasterio Monachi sub Regula sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti Reverendissimi Columbani fundatoris loci illius conversari videntur*. His in verbis interpolationem causatur Ughellus, Carolo Cointio suffragante, censetque superiora verba in privilegio *addita ab alio aliquo parùm cauto*. Hujus assertionis duas affert rationes. Prima est, *Quid enim illa significant, Reverendissimi Columbani Fundatoris, cùm jam cælestibus fuisset adscriptus, veluti Benedictus, quem sanctæ memoriæ vocat?* Frigida sanè ratio. Ab obitu S. Columbani ad tempus concessi privilegii, viginti sex admodum intercedunt anni. Columbanum per illud intervallum Sanctorum loco habitum fuisse non dubito; non tamen sollemni ritu Cælestibus adscriptum constat. Jonas qui paullò post concessum privilegium scribendi Columbani gestis dedit operam, eum in ipso limine *almi patris Columbani* nomine tantùm insignit. Ad hæc Gregorius Magnus Vitam S. Benedicti in lib. 2. Dial. scribens post annos ab ejus obitu quinquaginta, eum *vitæ venerabilis virum*; & B. Æquitium, qui ante S. Benedictum vivere desierat, *Reverendissimum* appellat in lib. 1. Quid mirum si Theodorus idem elogium tribuit Columbano? Neque potior est altera Ughelli ratio. *Judicet lector*, inquit, *an Theodoro Pontifici ignotum potuerit esse, quam Regulam Bobienses profiterentur Monachi; an Columbani ab ipso præscriptam filiis discipulisque nuper; vel Benedicti, Monachis omnibus traditam?* Ughelli ratio, vel potiùs erratum, fundatur in particula disjunctiva *vel* ad hæc verba, *sub Regula Benedicti vel Columbani*. At mirum est virum doctum, & in evolvendis Italiæ scriniis apprimè versatum, non advertisse, apud veteres passim particulam *vel* conjunctivè usurpari, ut sexcentis exemplis probare possem, nisi res esset vel mediocriter Literatis tritissima. Nihil ergo rationes Ughelli efficiunt adversùs Theodori privilegium, ejusque integritatem; immo illud egregiè fulciunt. Certè hæc Theodori verba redolent antiquum morem; eaque legerat in ejus privilegio Anonymus Bobiensis Monachus, qui librum de miraculis S. Columbani composuit sæculo decimo ineunte. Itaque Pontificatu Theodori Papæ sub regimine Bobuleni Abbatis, id est anno DC. XLIII., apud Bobienses vigebat S. Benedicti Regula cum Institutis Columbani, ut in Præfatione sæculi secundi, & in altera tertii sæculi fusiùs demonstravi.

* num. 14.

Quòd verò insuper dixi, Columbanum in Italiam profectum, ut se Romanis moribus accommodaret, Regulam S. Benedicti suscepisse; non me pænitet. Ejus enim rei adstipulatorem habeo Paschasium Radbertum in lib. 2. de Epitaphio VValæ Abbatis cap. 21. En Paschasii verba. *Fortè non legisti vitam & actus ejusdem beati Columbani, qui expulsus zelo cujusdam feminæ à Luxovio, hunc rursus coædificavit locum, & præfuit ibi multis Fratribus laudabiliter usque ad finem vitæ. Non enim talentum sibi creditum abscondere in terram debuit* (VVala,) *sed erogare Fratribus, quod beatum Benedictum, & alios quàm plurimos fecisse legimus. Nequaquam igitur minùs videtur eum defendisse ab hostibus,* CXXIX

& religiosissimè rexisse sub sancta Regula, & augmentasse studiosissimè; in ipsa eademque professione quàm primùm illud inchoasse. Hìc in primis observandum, interpunctionem in exemplari appositam esse post vocem *studiosissimè*, more Paschasio familiari. Deinde *primùm* sumendum esse, non adjectivè, sed adverbialiter: ita ut *illud* referatur non ad Corbeïense, sed ad Bobiense Monasterium, sicut *eum* in priori membro. Præterea hoc posterius comma, *in ipsa eademque professione quàm primùm illud inchoasse*, intelligi posse aut conditionatè de VVala, aut absolutè de Columbano. Conditionatè quidem, quasi diceret, *quàm si primùm illud inchoavit*. Sed posterior sensus Paschasii scopo & institutæ Columbanum inter & VValam comparationi magis quadrat. Nunc tota difficultas est, quid verbis *sanctæ Regulæ* intellexerit Paschasius, specialem S. Benedicti Regulam, an Columbani, an utramque simul. Regulam S. Benedicti in Conciliis & in scriptis sæculi octavi ac noni hoc nomine passim designari ex dictis constat. Etsi verò id non constaret, nemo tamen infitiari posset, eam hoc elogio designari ab auctore, qui ipsam professus erat. Atqui Paschasius cum sodalibus suis Regulam S. Benedicti servabat in cœnobio Corbeïensi, ut patet tum ex Vita S. Adalhardi eorum Institutoris, tum ex Statutis ejusdem, in quibus Regula S. Benedicti servanda proponitur. Denique quid Paschasius Regulæ sanctæ nomine intelligat, apertè significat in lib. 1. de Epitaphio VValæ cap. 21. de VVala Corbeïæ Abbate ita disserens. *Nihil enim ex omni contextu Regulæ relinquens intactum, nihil indiscussum &c. Quòd si quispiam ex omnibus sanctæ Regulæ verbis aliquid excedens non satisfaceret &c.* Hìc certè agit Paschasius de Regula tum servata apud Corbeïenses, id est de Regula S. Benedicti, cujus in tantum mores æmulabatur VVala, ut Paschasius asserat, *nullum ampliùs nostro*, inquit, *in tempore Patris Benedicti formam gessisse*. Ergo similiter in primo ejusdem Epitaphii loco, à me superiùs relato, *Regulæ sanctæ* nomen sumitur pro Regula S. Benedicti. Unde consequens est, hæc itidem verba, *sub ipsa eademque professione* de eadem S. Benedicti Regula esse interpretanda, ut certè probat ipsa verborum series, & genuina significatio. Nemo igitur jure dubitaverit, quin Radbertus in ea fuerit sententia, Bobiense Monasterium S. Benedicti Regulæ à primordiis paruisse, ac proinde etiam Columbanum. Equidem id confirmant sequentia Paschasii verba in lib. 2. cap. 23., ubi Columbani & VValæ *una religio, una conversatio* fuisse perhibetur. Unde hæc auctoritas à viro gravi, tametsi à Columbani ætate annis ampliùs ducentis summoto, profecta, magni momenti esse debet ad probandum id, quod jam dixi, Columbanum admisisse Regulam nostram cum sua in Cœnobium Bobiense, quod ipse à fundamentis erexit.

lib. 1. de VValla c. 1.

CXXX Erit forsan qui in prælaudato Paschasii loco, ubi de Bobiensi conditione agitur, *Regulam sanctam* pro complexo utriusque Regulæ sumi contendat: propterea quòd Paschasius ignorare non potuit, Columbanum propriam scripsisse Regulam, Bobiensibus perinde atque Luxoviensibus præscriptam: quandoquidem Jonæ lucubrationem, in qua Columbani Regula commendatur, legerat, ut superiora ejus verba probant; & ipse Monachus erat Corbeïæ, quæ principio sub utraque Regula militavit. Verùm etiamsi hanc duplicis Regulæ conjunctionem apud Bobienses ab initio invaluisse persuasum habuerit Radbertus; hic tamen *Regulam sanctam* pro speciali Regula S. Benedicti, ut in priori libro, usurpare videtur; aut certè hoc nomine involvit Regulam S. Columbani sollemni illo loquendi modo, quo totum à nobiliori parte significant Rhetores: eum ad modum, quo Patres Synodi Suessionensis, agentes

tes de primaria Sollemniaci Regula, quam duplicem fuisse sciebant, unius Regulæ S. Benedicti meminerunt. Et quidem hoc loco Paschasius rationem habuit solius S. Benedicti Regulæ, quæ sola quoniam apud Corbeienses vigebat sub VValæ regimine, Paschasii scopo ac institutæ comparationi sufficiebat. Sic Jonas in libro de gestis Columbani ejusque discipulorum, quem post ambarum Regularum unionem scripsit, datâ operâ unicam laudat Columbani Regulam: quoniam hæc una ad Patris sui elogium pertinebat. Sanè affectatum videtur Jonæ silentium de Regulis aliorum Patrum. Id colligitur ex Actis S. Columbani, in quibus singula Cœnobia, quæ Donatus, ejusque mater Flavia construxêre, commemorans, Regulæ S. Columbani studiose meminit. At de Jussanensi Parthenone agens, nullam mentionem facit institutæ isto in loco Regulæ, quam Donatus ex Regulis sanctorum Cæsarii, Benedicti & Columbani defloraverat. Quid ità? nimirum quia à Columbani elogio (ut jam dixi) aliena videbatur commemoratio aliarum Regularum. Quamquam cur Jonas de S. Benedicti Regula siluerit alia etiam subesse potuit causa. Cùm enim hanc Regulam in Gallicanis, Italicisque, etiam Columbani Monasteriis celebrari animadverteret, Columbani verò Regulam ab ea veluti obscurari; patris ac institutoris sui amore raptus Benedictinâ (quæ omnibus perspecta, ac probata erat) dissimulatâ, Columbani Regulam, quàm maximè commendavit & inculcavit, ne tandem aliquando in desuetudinem posterorumque oblivionem penitus abiret. Porrò etiamsi Jonas (quod gratis interim admissum sit) S. Benedicti Regulam excluderet; nequaquam ejus silentium ultra annum DC.XLIII. quo Actis Columbani supremam imposuit manum, protrahi debet: nec quidquam efficit in præjudicium eorum Monasteriorum, quæ ab eo tempore sub utraque Regula vel primitus instituta, vel post suam demum conditionem aggregata fuisse probant superiora testimonia.

Jonæ silentium de Regula nostra expenditur.

CXXXI *& S. Audoëni.*

Alia ratio est de S. Audoëno, qui in lib. 1. de Vita S. Eligii cap. 21. ubi Luxoviensis Cœnobii regularem disciplinam prædicat, nusquam Regulæ S. Columbani disertè meminit; sed tantùm usus est vocabulo *Regulæ* ac *Regulæ sacræ*: quo nomine complexum ex utraque S. Benedicti & S. Columbani Regula sinè dubio intelligit. Verba ejus expendenda sunt ita de Eligio loquentis. *Ipse quoque properabat ad cœnobia, maximè Lussedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius. Neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monasteria: & sicubi essent, non sub regulari quidem disciplina, sed erant prorsus in malitia fermenti veteris sæcularia. Præter Lussedium ergo, quod solùm (ut dictum est) districtionem Regulæ solerter tenebat, Sollemniacense Monasterium in partibus occiduis hujus religionis exstitit caput, ex quo multi demum sumserunt & initium, & exemplum: adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplina alma utriusque sexus cœnobia.* Et infrà commemorat Audoënus, in Sollemniacensi Asceterio tantam *sacræ Regulæ* observantiam se vidisse, *ut ejusdem Monachorum vita singularis videretur præ ceteris Galliæ Monasteriis*; sanctumque Eligium Virginum ædificasse Monasterium, ubi *districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum puellarum numerum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex illustribus Galliæ matronis congregavit* sub Aurea Abbatissa. De tribus his locis quædam observanda. Primus egregiè illustratur testimonio ex Actis S. Salabergæ petito, cui vicissim etiam multum lucis refundit. Sollemniacensis Monasterii conditio eo tempore contigit, quo Luxovio præerat VValdebertus Abbas: sub cujus regimine *per Galliarum Provincias agmina Monachorum, ac sacrarum puellarum*

rum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt : cùm ante illud tempus Monasteria vix pauca illis reperirentur in locis, ut scribit Salabergæ laudator. Ergo *utriusque sexus Cœnobia, quæ sub regulari disciplina per omnem Franciam & Galliam* condita fuisse tradit Audoënus, ea *sub Regula beatorum Benedicti & Columbani* pullulabant. Nec obstat, quòd Audoënus hoc complexum *Regulæ* nomine appellat, ubi ait Luffedium solùm *districtionem Regulæ* tenuisse. Nam Donatus complexum ex triplici Regula, Cæsarii videlicet, Benedicti & Columbani, eodem nomine afficit in prologo suo, ubi Jussanenses monet, ut juniores ac negligentes *juxta tenorem ipsius Regulæ* coërceant. Accedit & alia auctoritas ex Actis S. Salabergæ, ubi auctor ejus temporis, qui VValdeberto Abbate Monasteria utriusque sexus *ex Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani* pullulasse scribit, idem alibi repetit his verbis. *Cùm egregia Sanctitatis opinio B. VValdeberti penè per universos Francorum terminos eximiè pullularet, Monasteriaque virorum ac mulierum Christi ex ejus norma affatim conderentur &c.* Quid clarius ad propositum afferri potest? Quæcumque in Galliis Monasteria utriusque sexus condebantur VValdeberto Luxovii Abbate, ea *ex ejus Norma* condebantur. Quænam illa Norma? nempe Norma in Cœnobio Luxoviensi tum servata. At quæ tandem illa Luxoviensis Norma? scilicet *Regula beatorum Patrum Benedicti & Columbani*, sub qua Monasteria tunc temporis pullulare cœperunt, ut habet idem Salabergæ Encomiastes, qui quidem complexum ex utraque hac Regula Normam VValdeberti vocat, quasi à VValdeberto institutam ac promotam : quam Normam Audoënus *Regulæ* ac *sacræ Regulæ* elogio designat. Hæc itaque est illa *Norma* seu *Regula sacra*, quam sectabantur Sollemniacenses, aliique ad eorum exemplum informati, ex Audoëno : id est *Regula beatissimorum Patrum Benedicti & Columbani*, uti explicat Eligius ipse in testamento suo pro conditione Cœnobii Sollemniacensis. Hæc est, inquam Regula, cui parebant Sanctimonialium Parthenones per ea tempora instructi, qualis S. Aureæ Parthenon apud Parisios ab Eligio erectus : ubi Regulam Donati viguisse existimo, quemadmodùm in Jussanensi, & Camelariensi.

CXXXII Hinc validissimè atque invictissimè confirmatur superior assertio, nimirum Regulam S. Columbani cum Benedictina sub primis Columbani discipulis coiisse apud Luxovienses; duplicemque hanc Regulam, simul conjunctam, latè propagatam fuisse in Galliis VValdeberto Abbate, post Synodum Matisconensem : quo ex tempore Luxovienses abjecêre singulares Scottorum ritus, quos Bobienses aut nusquam admiserunt, aut citiùs repudiarunt.

CXXXIII *Columbanus cur Regulam S. Benedicti admiserit Bobium.* Hujus rei desumo argumentum ex Actis Bertulfi tertii Abbatis Bobiensis, qui primo regiminis sui anno à Dertonensi Episcopo de Cœnobii sui libertate sollicitatus, Romam confugit ad Honorium Papam. Is compertâ Bertulfi adventûs causâ, *de industria quærit, quæ sit consuetudo regularis disciplinæ* in Monasterio Bobiensi. *Cúmque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset* Bertulfus; *placuit Honorio regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia.* Tum *præbuit optatum munus, privilegia sedis Apostolicæ largitus est : quatenus nullus Episcoporum in præfato Cœnobio quolibet jure dominari conaretur*. Id contigit anno DC.XXVIII. qui Bertulfi regiminis primus erat. Quam adversi fuerint Romani Scottorum ac Brittonum ritibus, manifestum est ex iis, quæ in Britannia Insula per Augustinum, aliosque à Gregorio Magno Romà missos, patrata leguntur apud Bedam : ex quo discimus Scottos ac Brittones Schismaticorum loco fuisse habitos. Si tonsuram, aliosque Scottorum mores atque ritus tum servassent Bobienses; nequaquam sanè eorum consue- *Beda hist. lib. 2. cap. 2.*

tudines

tudines exoticamque disciplinam probasset Honorius Papa; multò minùs immunitatis privilegium Bertulfo ac Bobiensibus Monachis impertisset. Eo igitur tempore Romanis ritibus adhærebant Bobienses; an ab ipsis primordiis, nunc inquirendum est.

In Actis S. Attalæ Abbatis, qui Bertulfi decessor, Columbani successor proximus fuit, apud Jonam invenio Bobienses Monachos contra eum insurrexisse, conquerentes, *se nimii fervoris austeritatem ferre non posse & ardua disciplinæ pondera portare non valere*; nec quoquo tandem pacto per virum sanctum in officio suo retineri potuisse: sed alios *marinis finibus receptos*, alios *locum eremi ob libertatem habendam petiisse*. Haud absimile factum istud ab Agrestii discidio, quod Luxovii contigisse superiùs vidimus. Verùm illud interest discriminis, quòd Agrestius cum asseclis suis Scottorum ritus singulares carpebat: Bobienses solam *nimii fervoris austeritatem, & arduæ disciplinæ pondera* causabantur. Ex quo intelligitur, simultatem hanc non processisse de Scottorum moribus: quos sine dubio objecissent Bobienses illi seditiosi, idque notasset Jonas in Actis Attalæ, ut in Actis Eustasii. Sub ipso proinde Columbano, id est ab ipsis Bobiensis Cœnobii primordiis, Romanos ritus admisère Bobienses, simulque Regulam S. Benedicti, ut Paschasius Radbertus auctor est. CXXXIV

Moveat fortasse nonnullos, cur Columbanus potiùs in Bobiense Cœnobium Romanos ritus admiserit, quàm in Luxoviense. Ejus rei duplicem afferri posse causam existimo. Una est, quòd Columbanus Luxovium condidit sub annum DXC. ante adventum Augustini ejusque sociorum in Britanniam insulam: post quorum adventum, atroces inter eos ac Brittones simultates excitatæ sunt causâ rituum diversorum à Romanis. Hinc est, quòd Columbanus, qui ejusmodi discidia non prævidit, patrios ritus Luxoviensibus suis præscribere non dubitavit. At cùm hos ritus tantarum causam turbarum extitisse posteà animadverteret; in Italiam profectus, eos saltem magna ex parte abdicavit, Romanosque Bobiensibus suis imposuit. Sic enim (quæ altera præmissi discriminis ratio est) à Romano Pontifice, cui vicinior erat, gratiam inire se posse reputavit, veritus scilicet, ne pro contrariis moribus schismaticorum hominum loco haberetur. Itaque pro tonsura Scottica Romanam usurpavit, Paschalis festi legitimum admisit tempus, eosque solos retinuit patrios ritus, quos Romanis non ingratos fore existimavit. Ad hæc, Regulam S. Benedicti cum sua adunatam Bobiensibus proposuit, quam videlicet meliùs quàm antea noverat. Nimirum cùm Luxoviense Monasterium erexit, Gregorius Magnus nondum scripserat Dialogorum libros, in quibus S. Benedicti facta posteris commendavit: ejusque Regulam *discretione præcipuam, sermone luculentam* nondum prædicaverat. Propterea Columbanus, cui minùs perspecta erat ejus Regulæ præstantia, specialem Regulam in Luxoviensium gratiam condidit. At postquàm accessit in Italiam, ubi omnia Latinorum Monasteria sub S. Benedicti Regula militabant; postquàm ejus Regulæ elogium Gregorii Magni oraculo pronuntiatum accepit; postquàm eamdem Regulam Latinis Monachis ab eodem Pontifice propositam, & a Bonifacio Papa IV. in Synodo Romana laudatam animadvertit; tum ne ab aliorum Monachorum Institutis penitus recedere videretur, hanc Regulam cum sua conjunxit, Bobiensibus commendavit ac præscripsit. CXXXV.

Hæc sunt, quæ de utriusque Regulæ conjunctione, tum in cœnobiis per Columbanum ejusque discipulos erectis, tum in aliis Gallicanis facta observare potui, adhibitis (quantum in me fuit) certis probatisque argumentis, Conclusio pro Sæculo VII.

reje-

rejectis inanibus conjecturis, quæ veritatis cognitionem non tam promovere; quàm obſcurare ſolent. Ex his demonſtrare conatus ſum, Regulam S. Benedicti per ſæculum ſeptimum viguiſſe ubique Galliarum, receptam apud Luxovienſes ſub primis Columbani diſcipulis, ab ipſis primordiis apud Bobienſes: quod poſtremum ſi minùs exploratum nonnullis videatur, certè maximè probabile eſſe inficiabitur nemo, qui Paſchaſii Radberti auctoritatem, aliaſque rationabiles conjecturas à me huc allatas æqua lance expenderit. Si quis eamdem Regulam apud Luxovienſes etiam ab initio convaluiſſe contendat; ejus ſententiæ lubens ſubſcribam, ubi hanc partem congruis probationibus aſſertam perſpexero. Interim quanta ſæculo ſexto per beatum Maurum Regulæ noſtræ propagatio facta fuerit, quatenus ſcriptorum inopia & temporum longinquitas patientur, breviter exponam.

CXXXVI Regulæ noſtræ propagatio Sæculo VI. Initium duco à S. Odilone Cluniacenſi Abbate, qui in vita ſancti Maïoli de Regulæ noſtræ propagatione hæc habet. *Proceſſu temporis, poſt tranſitum videlicet ſupradicti piiſſimi Patris, per B. Maurum ejus diſcipulum omnis penè Gallia ejus Inſtitutionis ſuſcepit exordium. Deinde per eum & eos, quos ipſe ad juſtitiam erudivit, per plurima temporum ſpatia eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit.* Eadem eſt ſententia Leonis Marſicani, in Chronici Caſinenſis lib. 1. cap. 1. ſcribentis, *per S. Maurum* ſcilicet, *ejuſque diſcipulos omnem ordinem & regularis diſciplinæ normam, quæ per S. Patrem Benedictum fuerat conſtituta, per totam Galliam diffuſam ac diſſeminatam fuiſſe.* Utrumque hoc teſtimonium confirmat VVlfinus Boëtius Ludovici Pii compar, in libello de vita S. Juniani Abbatis Mariacenſis apud Pictones: qui Junianus Chlotario Francorum Regi de ipſius vitæ genere ſciſcitanti reſpondit, ſe *ſub monaſtico ordine vitam degere, & Monachis prælatum, & beatiſſimi Benedicti Inſtituta ſervare.*

Idem quoque conſtat de S. Martino Abbate Vertavenſi, de quo hæc lego in priori ejus Vita. *Monaſterium inſtituit, quod Vertavum dicitur, in quo turmam Chriſto militantium aggregans, ipſe quoque cum eis regulari lineæ morum ſe ſubdidit, quam Regulam priorum Patrum decretis inſtitutam à Tranſalpinis feruntur regionibus ab ipſo delatam.* Hæc cùm de S. B. Regula ex Italia per Martinum allata dubitanter dixiſſe videretur Anonymus iſte ſæculi X. ſcriptor; Martinum ſodalibus noſtris indubitanter adſcribendum eſſe non putavi. Verùm alter ejuſdem Vitæ ſcriptor omnem ejus rei dubitationem adimit his verbis: *Regulæ quoque beatiſſimam ſtatuit normam, quam ſatìs arduam, & diſcretionis cenſurâ præcipuam olim ipſe à Tranſalpinæ regionis partibus fertur detuliſſe.* Ubi ſecundus iſte auctor indubitanter affirmat, Martinum in Vertavenſi Monaſterio ſtatuiſſe *Regulæ beatiſſimam normam, diſcretionis cenſurâ præcipuam*: quod Benedictinæ elogium eſt à Gregorio Magno aptatum, tametſi idem auctor non ita incunctanter aſſerere audeat, hanc Regulam è *Tranſalpinæ regionis partibus* à Martino fuiſſe delatam. Itaque ex hujus auctoris teſtimonio intelligimus, Martinum Vertavenſibus Monachis Regulam hanc præſcripſiſſe, immo & pluribus aliis Monaſteriis ab ſe erectis, quibus non aliam utique impoſuit, quàm principi Aſceterio. De aliis porrò à Martino erectis ita ſcribit primus Vitæ ſcriptor. *Plura præterea condens Cœnobia, multaque devotorum aggregans collegia, uſque ad trecentorum & eò ampliùs diſcipulorum greges traditur cumulaſſe numerum.* Idem clariùs explicat alia ejuſdem Martini Vita hoc modo. *Ex ejus ergo loci ſancto conturbenio, velut fertili apiaſtro, cæleſtis inſtitutionis melle redolentia tanta erupꝛrant examina, ut mirum in modum tota ex eorum coadunatis floribus flagraret Neuſtria.* Nam Martinus *ab hoc loco digreſſus, plurima undique vitæ regularis conſtruxit cœnobia, in quibus Monachorum* mul-

multitudo inerat magna: adeò ut tercèntenus multitudine vinceretur numerus, quibus communis erga Deum & sanctæ vitæ propositum coalebat affectus. Non solùm ergo in Vertavensi, sed etiam in aliis a Martino per Neustriam conditis viguit Regula S. Benedicti : quam potiùs à S. Mauro apud Andegavos commorante, quàm ex Transalpinis partibus Martinus accepisse mihi videtur. Ex his Monasteriis duplex erat apud Durivum, virorum unum, alterum Sanctimonialium.

Eidem etiam auctori Ordericus Vitalis tribuit originem Cœnobii ad duos gemellos apud Bajocasses : ubi S. Ebrulfus, posteà Uticensis Abbas, monasticæ vitæ tirociniis informatus est. Orderico non obscurè suffragatur altera S. Martini Vita, in qua *Neustria hujus floribus fragrasse* perhibetur. Certè Ebrulfus in libello de ejus vita versibus Gallicis ab annis quadringentis scripto Regulam Sancti Benedicti Uticensi Monasterio præscripsisse dicitur. Idem proinde præstiterit in aliis Cœnobiis omnino *quindecim, tam virorum, quàm mulierum*, ab se institutis. Hinc apparet, quantum Martino Vertavensi Abbati debeat publica res Benedictina; nec immeritò proinde nostris adscribendum esse. Hinc si aliquando primum Actorum nostrorum Sæculum recudi contingat, ejus Vitam non minutioribus sed majoribus typis donari velim. *Orderic. hist. lib. 6.*

Ceterùm non solùm in Provincia Turonensi ac Rotomagensi nota erat sæculo VI. Regula Benedictina, sed etiam in Arelatensi, probante Regula S. Aureliani ejus urbis Episcopi, „ qui Regulam S. Benedicti præ oculis habuit procul dubio, inquit Carolus Cointius, cùm suam conderet, in qua „ meminit Completorii à S. Benedicto instituti. „ Et quidem in utraque Regula Aurelianus cavet, ne *extra mensam communem quicquam cibi potusve accipere liceat absque infirmis, & illis qui minoris sunt ætatis*, quod Statutum omnino respondet Regulæ S. Benedicti cap. 43. Aurelianus etiam infirmis carnium usum concedit, sanis negat, uti & S. Benedictus. Adde libellum de Vita S. Augendi Jurensis Abbatis, de quo auctor ejus æqualis hæc commemorat. *Iste Abbas sanctus mensulam suam, ut quosdam facere nuper audivi, nec victum umquam exceptavit à Fratribus*. Quibus verbis notare videtur S. Benedicti Regulam, quæ mensam Abbatis cum hospitibus statuit cap. 56. Verùm quantos progressus in aliis Galliarum partibus sæculo sexto fecerit Benedictinum Institutum, impossibile est explicare per partes : tametsi S. Odilo Cluniacensis sæculo XI. Abbas persuasum habuit, *omnem penè Galliam per B. Maurum ejus Institutionis suscepisse exordium*. Quod etiam adserit Leo Marsicanus. Hoc argumentum nemo meliùs concludat, quàm V. C. Dadinus Alteserra, cujus hæc verba sunt in Asceticôn lib. 1. cap. 15. *In Occidente quinto sæculo, religione quoque intepescente, ortus est sol, qui sua luce defectam religionem ac emortuam suscitaret. Hic est B. Benedictus, qui propriam religionem non modò instituit, & Regulam dedit, sed & cetera Monasteria quæ antè erant, ad se & obsequium suæ Regulæ traxit, & religionem jacentem restituit : de quo verè & sine fuco dici potuit, quod falsò & adulatoriè de Juliano Libanius Orat. 10. tom. 2.* Φυγάδα τὴν εὐσέβειαν κατήγαγε, fugitivam pietatem reduxit. *A beato Benedicto missus est in Galliam beatus Maurus, qui Regulam S. Benedicti tradidit, & per universa ferè Monasteria Galliæ propagavit*. Hactenus Alteserra. Jam satis, superque satis de Regulæ nostræ propagatione per Gallias, dum sese offerat occasio agendi de aliis regnis.

§. VI.

Prima declinatio disciplinæ regularis in Ordine S. Benedicti, ejusque lapsus causæ.

CXXXVII EX iis omnibus, quæ initio superioris capitis dicta sunt, intelligitur, quantùm Monachi ab exacta Regulæ S. Benedicti observatione deflexissent ætate Caroli Magni, & quantùm ad ejus restitutionem contulerit Benedictus Abbas Anianensis. Ad præcavenda verò mala, quibus obnoxii sumus, non minùs conducit morborum causas aperire, quàm ipsa remedia. Proinde antè quàm de restitutæ per Benedictum disciplinæ regularis modis agamus, juverit ostendere, quibus gradibus ad relaxationem ventum sit: ut ex majorum detrimento posteri documentum accipiant.

Variæ fuerunt, ut in aliis rebus, ejus rei causæ; aliæ remotæ, aliæ propiùs rem ipsam afficientes. Nam ut ne quid de communi humanæ conditionis inconstantia loquar, tria maximè ab ipsis monasteriis exorta morbi principia invenio, primum à Rectoribus ipsis, alterum à Monachis, tertium ab indigentia. Tres etiam causas externas, scilicet Abbates sæculares, exterorum cupiditatem, ac bella. De hoc posteriori causarum genere, à quo mali prima labes, supervacaneum fuerit multa dicere: cùm nec earum remedia in nostra potestate consistant, nec cautelæ. Grande malum nec paucis verbis describi potest, nec multis patitur. Sufficiant hanc in rem, quæ in superioris sæculi Præfatione exposui. Ad mali domestica principia convertatur oratio.

CXXXVIII *Causa 1. lapsûs.* Primum ex Abbatibus regularibus nonnullis repeto: à quibus ut totus regularis disciplinæ vigor, ita ejusdem languor & occasus maximè pendet. Ex his Caroli Magni ævo nonnulli nimia seu rigiditate, seu indulgentia, seu magnificentia, multas rei publicæ monasticæ clades intulerunt. In cœnobio Fuldensi eousque processit Ratgarii Abbatis ferocia, ut Monachis duro operi addictis nec concederet spatium feriatis diebus sacra faciendi: quin immo festos dies propria auctoritate rescinderet; libros, studiaque interdiceret; infirmis remedia, omnibus vestimenta necessaria denegaret, uti Fuldenses Monachi in libello supplici Carolo Magno porrecto conqueruntur. Querelis apud Imperatorem depositis, cùm nec sic defervesceret Abbatis sævities, è propriis sedibus palabundi discedere coacti sunt Monachi: donec abjecto tandem Ratgario, Eigili Abbati piissimo regimen commissum est. Ejusmodi Rectores, qui duras & serviles operas à Fratribus exigebant, *Abbates sæculares* vocat Hildemarus in Regulæ caput 48., alios qui mitiùs cum illis agebant *Abbates spirituales*.

Lege vitam S. Eigilis Abb. hoc Sæculo, & elogium Rabani tom. seq.

CXXXIX Neque verò solùm in Monasterio Fuldensi, sed etiam in aliis grassatum est hoc malum. Adeò ut Abbates quidam, quorum judicio Regula culparum remedia credit ac pœnas; errata Monachorum suorum punirent orbatione oculorum, ac membrorum mutilatione. Unde Carolus Magnus in Capitulari

ri anni DCC. LXXXIX. pro monachis edito, præcipit cap. 16., *ut disciplina monachis regularis imponatur, non sæcularis, id est non orbentur, non mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate Regulæ*. Idem Patres Concilii Francofortensis anno DCC. XCIV. statuunt cap. 18. *Abbates qualibet culpa à Monachis commissa nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, nisi regulari disciplinæ subjaceant*. Ex quibus intelligitur, malum hoc latius serpere cœpisse principatu Caroli Magni. Quapropter Fuldenses Monachi in libello supplici jam dicto contestantur, se præ omnibus optare, ut non solùm *unitatem & concordiam* habeant cum Abbate suo: sed & *misericordiam & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentiant*, denique ut *quando aliquis de Fratribus praoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannicâ vindictâ excruciet Abbas, sed misericordi disciplina corrigere festinet, conversumque clementer excipiat, nec prava suspicione denuo illum fatiget, vel odio*. Talem pro voto suo experti sunt ipsi Eigilem Abbatem, Ratgarii successorem, cujus in diebus *Fratribus pax, cor unum & anima una in Deo fuit*, referente Candido ejus discipulo: adeò *ut numquam illi congregatio, nec ille congregationi Monachorum, ullam molestiam perturbationis intulerit*. Tales etiam experti sunt Corbeienses Adalhardum (ut de aliis infinitis sileam) & VValam Abbates præstantissimos, quibus natalium splendor uberiorem modestiæ materiam suppeditavit, non superbiendi, dominandive (ut fit) aut durè agendi libidinem auxit.

Ex adverso quorumdam Abbatum nimiâ indulgentiâ & felicitate pessum abiit regularis disciplina, dum illi non quos & quales, sed quot haberent Monachos, curabant: nec eos spiritalibus, sed aliis quibuscumque inferioribus studiis imbuere satagebant. Istud erratum Carolus Magnus in Brevi Capitularium edito anno Imperii XI. universim reprehendit cap. 11. his verbis. *Quam utilitatem conferat Ecclesiæ Christi, quòd is qui pastor vel magister nec cujuscumque venerabilis loci esse debet, magìs studet in sua conversatione habere multos, quàm bonos: & non tantùm probis, quàm multitudine hominum delectatur: plùs studet, ut suus Clericus, vel Monachus bene cantet & legat, quàm justè & beatè vivat*. Tum subdit. *Quamquam non solùm minimè in Ecclesia contemnenda sit cantandi vel legendi disciplina, sed etiam omnimodis exercenda. Sed si utrumque cuilibet venerabili loco accedere non potest; tolerabiliùs tamen ferenda nobis videtur imperfectio cantandi, quàm vivendi*. Ita piissimus Imperator. Hinc statuit in Capitulari Aquisgranensi anni DCC. LXXXIX. *ut ad Monasteria venientes, secundùm regularem ordinem primò in pulsatorio*, seu in domo novitiorum, qui pulsantes dicti, *probentur & sic recipiantur*. Senserant malum illud Fuldenses Monachi, qui in libello supplici ad eundem Augustum deprecantur, *ut nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii societur: ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem se monasterio sociare voluerit; & receptus inhonesto suo more conturbet Fratres*. Huc spectat cap. 16. Francofurtensis Concilii, *præmia pro introeuntibus in Monasterium requiri* prohibentis. — CXL. Causa 2.

Alia labefactatæ disciplinæ causa ex nimia ædificiorum magnificentia orta est, quam eodem loco idem Imperator notat his verbis. *Et quamvis bonum sit, ut Ecclesiæ publica sint ædificia: præferendus tamen est ædificiis bonorum morum ornatus & culmen, quia in quantum nobis videtur, structio Basilicarum veteris legis quamdam trahit consuetudinem: morum autem emendatio propriè ad novum Testamentum & Christianam pertinet disciplinam*. Hac de re Fuldenses Monachi apud eumdem Imperatorem in libello jam dicto expostulant, suppli- — CXLI. Causa 3.

 can-

cantes, *ut ædificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus Fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris dispereunt : sed omnia juxta mensuram & discretionem fiant*. Lectu dignum est exemplum VVlstani Episcopi VVigorniensis, qui referente VVillelmo Malmesburiensi, *cùm Monasterii VVigorniensis novam Ecclesiam perfecisset, & veterem Ecclesiam, quam S. Osvvaldus construxerat, subrui videret; lacrymas fundendo dixisse fertur: Nos miseri Sanctorum opera destruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa felicium virorum ætas pompaticas ædes construere : sed sub qualicumque tecto seipsos Deo immolare, subjectosque ad exemplum attrahere. Nos econtrà nitimur, ut animarum negligentes curam, accumulemus lapides*. Hæc verò censura minimè cadit in eos, qui non modò regularem disciplinam in Cœnobiis pænè emortuam denuo excitant, sed & collapsa instaurant ædificia, veteresque parietinas farciunt : quatenus solida atque æternùm (si fieri possit) duratura pietati domicilia & congruas locorum dignitati ac celebritati ædes restituant. Neque enim decorum fuerit, Basilicis Augustissimis, quas Regum, aliorumque Fidelium pietas pro Monachis erexit, circumponere humiles ac rudes casas. Quamquam ab his etiam locis longè abesse debet vana & inanis ornamentorum ostentatio, quæ insanos sumtus in speciosa, superfluaque ædificia profligat. Lege Petri Damiani epistolam 2. lib. 8.

CXLII
Causa 4.
Monachis & Abbatibus nonnullis communis fuit morbus, habendi cupiditas, non extremum vitæ Monasticæ venenum. Id maximè discipulis suis præcavebant Adalbertus & VVala Corbeienses Abbates, testante Paschasio Radberto in lib. 1. de VValæ gestis cap. 18. *Ad hoc quippe*, inquit, *duo isti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis cùm ponerent unà cum turribus, & propugnaculis suis, tria ista omnino monebant : ne rebus multùm ditescere gauderent, neque divitias sæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent : sed omnino delicias & voluptates, acsi venena fugerent. Ad ultimum, ne ullis, acsi pro religione, honoribus & fastu delectarentur superbiæ; ne fortè ex toto fatescerent, & in vacuum deperirent, sicut in Galliis*, inquit, *multas deperisse à religione Ecclesias bene olim fundatas cernimus. Quapropter isti multis jam edocti exemplis, suos præmonebant filios, ne rebus affluerent humanis, pro quibus sæculo deservirent : sed ut essent pauperes spiritu, humiles & mansueti, mites ac misericordes, & justitiam semper in omnibus esurientes, quatinus de illis omnes bene vellent propter munditiam cordis eorum, bene optarent; ne propter invidiam rerum & felicitatem eis inviderent, & opprimerent eos sæculi servitute*. Lege sequentia apud eumdem auctorem. Cupiditati affinis est alia labes nempe retinendæ rei familiaris nimia sollicitudo, & litigandi misera conditio, quæ sanctissimas quasque Christianæ pietatis leges corrumpit. Servos Dei à sæculi rebus abstractos revocat ad forenses tumultus, immo etiam aliquando loca sacra in forum convertit. Hanc pestem, veluti monasticæ religioni penitus exitialem, meritò damnant Congregationis nostræ Præfecti; eamque, quantum in se est, funditus extinguere conantur. Sed eò evasit sæculi iniquitas, ut Monachis, aut bonis omnibus cedendum sit, aut subeunda litigandi necessitas. Hanc porrò necessitatem si in gravioribus causis admittere licet, certè pro levi detrimento non licet. Qui secùs sentiunt, quantùm ab Evangelii sensu absint, nondum satis intelligunt.

CXLIII
Causa 5.
Ex cupiditate oriri solet non copia sed inopia, aliud grande malum, quod ruinæ Monasteriorum ultimam manum imposuit. Exsulare quippe debet à Monachis rerum cupiditas; sed non possessio ipsa, quæ Deo vacantibus ne-

necessaria est. At mirâ Dei providentiâ contingit, ut quò quis plùs cupit, eò magis inops fiat; & si quidem divitiis affluit, ab aliis spolietur, dum cupiditas omnium invidentiam ad se trahit, ut superiùs ex Paschasio observabam. Et inopia quidem, si modò summa non est, virtuti materiam subministrat hominibus temperantiæ Christianæ amantibus: *& ubi caritas est, etiam exigua sufficiunt*, inquit Ardo in Vita Benedicti Anianæ Abbatis. At verò è contrario cupidos & avaros ad extremas angustias rerum tenuitas redigit, eaque ad omnia flagitia sternit viam. Quanta mala pepererit ætate Caroli Calvi indigentia Monasteriorum, in primis Patres Concilii Vernensis anno DCCC. XLIV. celebrati docent nos cap. 3. *In locis sanctis, hoc est Monasteriis, alios studio, nonnullos desidiâ, multos necessitate victûs & vestimenti à sua professione deviare comperimus*. Et miserandis vocibus id ampliùs exponunt cap. 12. *Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus, ut vos, ac Proceres, ceterique fideles, ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis & vobis imminere, cùm pro rapinis & immanibus aliis sceleribus; tum etiam maximè, quòd Ecclesiæ facultates, quas Reges & reliqui Christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei & pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum, atque templorum Dei instaurationem; nunc in usu secularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi & potiùs ac vestimentorum patiuntur; pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt; negliguntur hospites, fraudantur captivi; & fama omnium meritò laceratur. Et quidem si hæc à paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi à filiis nostris, hoc est ab his; quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus. Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus: quoniam de illorum interitu formidamus*. Hæc & alia plura Episcopi in ea Synodo congregati non magis patheticè, quàm piè, ad Carolum Calvum. Cùm verò quidam ad detrahendas Monasteriis aliisque Ecclesiis facultates egregio prætextu uterentur, quòd scilicet divitiæ venenum essent Ecclesiæ; ad hoc speciosum argumentum respondent Patres Concilii sexti Parisiensis in lib. 1. cap. 18. *Convenit Pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiæ possidere, non ab his possideri; &, ut Prosper * scribit, eas possidendo debent contemnere, & non sibi, sed aliis possidere. Constat autem Sanctissimos Pontifices, qui cum Christo remuneratore suo regnant, quorum nos indigni locum tenemus; res Ecclesiæ, non sibi sed aliis possedisse; & non ad suam gloriam & delectationem, sed potiùs ad Dei honorem & fidelium commoditatem eos his usos fuisse --- Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere ecclesias Christi: & perpendat, quia quantacumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt. Cupiditas quippe, immo negligentia quorumdam dispensatorum, non Ecclesiæ amplæ res, in vitio sunt. Mira namque res, ambitio mundialis satis non habet, & Ecclesia Christi nimiùm habet*. Certè multas opes olim possedit Ordo S. Benedicti in nonnullis Monasteriis: sed iis etiam rectè usi sunt majores nostri. In Cœnobio Cluniacensi una die septemdecim millia pauperum congrua stipe donati sunt, ut legitur apud Udalricum. Denique quot & quanta mala etiam Ordini attulerit direptio rei familiaris, testantur omnes eorum temporum auctores, Letaldus Monachus de Cœnobio Mitiacensi, Chronographus Anonymus de Fontanellensi, Ingulfus Abbas de Crulandensi, & Johannes Monachus de toto Ordine S. Benedicti initio lib. 3. de Vita S. Odonis Cluniacensis. Hinc intelligitur, quàm verum sit id quod Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio scriptum reliquit, cap. 115. *Monachis, quia nihil*

Ardo n. 43.

* *immo Julian. Pomerius lib. 2. de vita contemplat. cap. 9.*

Udalric lib. 3. Consuet. Cluniac. c. 12.

nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumtibus, quàm Canonicis, qui suis & Ecclesiæ utuntur rebus, indigere.

CXLIV Causa 5. Hæc inopia procedit quidem ex sæcularium rapacitate tanquam ab extraneo principio: at varias subinde à Monachis ipsis etiam causas habet, quales sunt incuria sui status, negligentia Regulæ ac monasticæ disciplinæ: qua semel violata, necesse est temporales quoque facultates pessum ire. Hinc rectè Hildebertus Cenomannensis Episcopus in epistola 38. ad Ecolismensem Antistitem. *Inter tot sacræ professionis injurias, hoc etiam præjudicio respublica premitur, ut quia Monachi ab infestatione Ordinis non abstinent; ab infestatione Monachorum sæculares minimè abstineant. Res sanctuarii rapinis exposita, disposita flagitiis, exteriùs violentiâ, vinolentiâ & petulantiâ interiùs atteruntur.* Ætate Caroli Magni in Ordine nostro etiam locum habuit hæc labes, dum essent Monachi complures, qui, referente Ardone, sic disciplinam regularem abjecerant, ut Regulæ præcepta penitus ignorarent; & status sui immemores, Monachos abnegarent se se, Canonicos profiterentur. Hæc ferè causæ sunt corruptæ per id tempus disciplinæ regularis. Nunc de malorum remediis agendum.

§. VII.

Remedia his malis adhibita.

CXLV Benedictus remediorum præcipuus auctor. IN omnibus remediis primum locum tenet peritus Medicus, qui morbos pro suo cujusque genere peritè tractare ac curare feliciter valeat. Regulari Ordinis S. Benedicti disciplinæ jam labenti, & ad defectum vergenti alterum Benedictum Deus opt. max. providit: ut sicut per magnum Benedictum hæc sancta Institutio acceperat exordium; ita ab æquivoco restitueretur. Hinc Benedictum Anianensem Abbatem, tanti operis administrum, Theodulfus Aurelianensis Episcopus, cum sancto Patre Benedicto conferre non dubitavit in carmine 6. libri 2.

Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis,
Hoc modò tu in nostris es, Benedicte, locis.

Quia verò tantæ molis opus per unum hominem perfici non poterat; adjutores accessêre in primis Carolus Magnus & Ludovicus Pius, qui Regia auctoritate pios optimi viri conatus juvare non destiterunt. Accepta siquidem ab eis potestate Benedictus lustravit Galliæ Monasteria, morum excussit errata, eisque remedia opportuna adhibuit. Huc varia pro Monachis condita Capitularia, indictæ variis in locis Synodi, in quibus sancita sunt salubria Reipublicæ monasticæ decreta, maximè in Synodo Aquisgranensi anni DCCC.

Synodus Aquisgranensis ob id habita. XVII., quæ magno operi supremam imposuit manum. In ea Synodo condita sunt capitula LXXII. Tot enim enumerat Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1. cap. 16. & Chronographus Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum; tametsi variat numerus in libris editis & mss. ad varias capitulorum divisiones. Omnia verò istius Synodi decreta in articulos triginta & unum redegerunt, & ad S. Galli monasterium direxerunt Grimaldus & Tatto Monachi: quos Articulos in appendice nostra legere licet. Porrò his Synodi capi-

Ardo n. 52. tulis quædam adjecit Benedictus maximè pro officio divino, ut scribit Ardo in ipsius vita. Jam totius negotii œconomiam inspiciamus.

CXLVI In primis visum est operæ pretium quoddam Congregationis corpus constitue-

ſtituere, & omnia Monaſteria conformare ad æqualem quamdam vitæ rationem : ut Monachi ejuſdem profeſſionis iiſdem ritibus addicti, mutuis ſe ſe exemplis ad regularem diſciplinam accenderent. Ejus rei cura præcipuè Benedicto demandata eſt : cujus operâ, teſte Ardone, *cuncta Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, acſi ab uno magiſtro, & in uno imbuerentur loco. Uniformis* quippe *menſura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis obſervanda eſt tradita*. Inſigne iſtius præclaræ Inſtitutionis ſpecimen nobis exhibet epiſtola quorumdam * Augienſium Monachorum, qui in Galliam, explorandæ gratiâ regularis diſciplinæ ab ſuis miſſi, eam duodecim capitulis comprehenderunt. Hæc verò capitula, quorum primam editionem cum aliis multis eruditiſſimo Baluzio acceptam referre debemus, condita videntur ante Synodum Aquiſgranenſem, quæ ritus in Anianenſi Monaſterio, aliiſque per Benedictum ordinatis inſtitutos comprobavit, & ubique obſervari præcepit.

Decretum pro uniformi vita.

* *Exſtat in Appendice noſtra.*

Hæc prima fuit ſpecies Congregationis ſub Regula S. Benedicti. Nam cùm omnia Galliæ Monaſteria ab ſe invicem antea ſeparata fuiſſent, nulli generali Præfecto ſubjecta : omnia tum primùm ad formam quamdam unionis coaluêre, & unius Benedicti regimini, correctioni, & emendationi ſubeſſe cœperunt. Verùm rudis hæc fuit Congregationis forma. Nam mortuo Benedicto de ſucceſſore, qui totius corporis pondus humeris exciperet, proviſum non eſt ; ſicque contigit, ut eo cadente unumquodque Monaſterium pedetentim ad varios pro libitu ritus moreſque denuo abierit, maximè accedente Nortmannorum tempeſtate. In Caſinenſi tamen cœnobio, quod etiam de aliis nonnullis ſentire par eſt, Aquiſgranenſis Concilii capitula eâdem fere religione, qua S. Benedicti Regula, obſervata ſunt uſque ad tempus Leonis Marſicani, cujus relatu id diſcimus.

Chron. Caſin. lib. 1. c. 16.

CXLVII

Regulæ lectio inculcata.

Conſtituto corpore, prima Patrum agitatio fuit de Regulæ frequenti lectione ac meditatione : qua de re prima condidêre capitula, rati, ut rei publicæ Monaſticæ ſalutem ex Regulæ obſervatione ; ſic ejuſdem obſervationem ex meditatione pendere.

CXLVIII

Officium divinum ut ordinatum.

Denique capite 3. actum eſt de Officio divino, ſtatutumque, *ut officium, quod in Regula S. Benedicti continetur, celebrent Monachi*. Et tamen Ardo tradit Benedictum ſanciviſſe, ut diurna officia juxta Romanum morem Pſalmo CXVIII. perſolverentur, non ſecundùm Regulæ præſcriptum, tametſi Benedictus quotidie præter *curſum*, id eſt ſollemnes ritûs Romani preces, quas horas diurnas vocant, *regulare* explebat *officium*, quod de Regulæ pſalmodia interpretor. Certè ante prædictam Synodum lectiones tres in matutinis vigiliis canebant Caſinenſes, teſtante Theodemaro Abbate in epiſtola ad Carolum, *ne à ſancta Romana Eccleſia recedere viderentur*. Et Carolus Magnus in Capitularis Aquiſgranenſis cap. 80. ſtatuerat, *ut Monachi cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragerent*, uti genitor ejus Pippinus fieri præceperat, quod tamen de ſolo cantu, non de pſalmorum numero ac ſerie intelligendum. Anno ſiquidem DCCCII. in Synodo Aquiſgranenſi ſtatutum eſt, *ut in Monaſteriis Regulam S. Benedicti ſervantibus* (nam & Canonicorum Monaſteria erant) *officium S. Benedicti facerent, ſicut Regula docet*, ex Chronico Moiſacenſi. Et tamen VValafridus Strabus in lib. de Rebus eccleſiaſticis cap. 25. conqueritur, quòd ſuo tempore Monachi à ritu pſalmodiæ S. Benedicti receſſiſſent. Quod de paucis tantùm, non de univerſis cœnobiis interpretandum eſſe conſtat ex Amalario ejus temporis auctore, qui Monachorum divina officia à clericalibus diverſa tum fuiſſe teſtatur in

Sup-

Supplemento libri 4. de Officiis Divinis, quod supplementum in tom. 2. Analectorum à me editum est.

CIL Statuta pro Abbatibus. Abbatum nimia severitas in Monachos repressa est edito decreto, ut quibusque necessaria suppeditarent, maximè infirmis: & ut ne mensam alibi, quàm in communi refectorio, lectum non nisi in dormitorio haberent; contentique essent Fratrum regulari mensura in victu ac vestitu. Ad hæc multa pro Monachis capitula edita sunt, tum ad ritè probandos Novitios; tum ad restituendum laborem, qui corpore exercetur; tum ad reformandam vestimentorum mensuram, formamque; tum ad præscribendam victus rationem sanis & infirmis.

CL pro Novitiis. Ut incautæ Novitiorum susceptioni provideretur, statutum est cap. 34. *ut Novitio non facilis in Monasterio tribuatur ingressus; & ut in cella hospitum, probationis causâ, hospitibus serviat paucis diebus. Res verò si quas habet, parentibus suis commendet. Expleto autem probationis suæ anno, secundùm quod Regula præcipit, indè faciat. Ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquàm obedientiam promittat*. Hæc paucis explicanda ex Hildemaro, Regulæ nostræ commentatore perantiquo. Primùm vitæ Monasticæ Canditatus ad portam Monasterii exteriorem, id est in cella ibidem pro ejusmodi Canditatis instructa, morabatur *per quinque dies*. Deinde probatâ ejus constantiâ, admittebatur in cellam hospitum *adhuc laicus*: ibique committebatur hospitii custodi, cujus jussis obtemperabat, discalceando hospites, focum instruendo ac lectos, aliaque id genus præstando, quibus explorarentur ejus mores. Tum post exactos in hospitio menses duos, ei Regula prælegebatur *sub duobus vel tribus diebus*: posteà verò si ad eam servandam se parem esse testabatur, tunc indutus *suis bonis vestimentis*, id est *loricâ, scuto, laneeâ, spathâ & balteo*, in Capitulum adducebatur. Post exhortatorium Abbatis sermonem, si sæculo nuntium remittere pergebat; acceptis rursus induciis, denuo in Capitulum accedebat eodem ritu: & ibi coram Fratribus, aut *balteum & armillas, aut spatham solummodò deponebat*. Jam si ad sæculum reverti pernegabat; tunc ibidem *omnibus vestimentis suis* abjectis *radebatur*, & *aliis vestibus*, id est *Clericalibus suis induebatur*. Postmodùm in cellam Novitiorum perductus reliquum ibi probationis tempus exigebat. Et siquidem in proposito perdurabat suo, sollemnem professionem emittebat post decem menses: sin verò, *liber discedebat à professione monachica*, non à clericali: propterea quòd Nicæni Concilii cap. 12. sancitum erat, ut iis qui *vocati per gratiam semel militiæ cingulum deposuissent*, ad sæculum reverti nequaquam integrum esset. Alium ritum observabant nonnulli, qui non nisi post annum probationis exactum, arma vestesque sæculares deponebant: ut scilicet hoc pacto, si ad sæculum ante professionem reverti vellent; non constringerentur pœnâ Nicæni Concilii, quod decem pœnitentiæ annos iis, qui militiæ cingulum resumsissent, imposuit. Et ad hos quidem magis accedere videtur prædictum Synodi Aquisgranensis decretum, cui illustrando superiora ex Hildemaro adducere visum est operæ pretium. Tandem hunc decreti Aquisgranensis ritum abrogavit Congregatio Cluniacensis, quæ Novitio tonsuram, aliasque monasticas vestes exceptâ cucullâ impertiit, ut tradit Udalricus in Consuetudinum Cluniacensium lib. 2. capp. 1. & 2.

CLI De ratione victûs de pinguedine. Insuper sanis & infirmis dicta Synodus eam præscribit victus rationem, ut his carnium usus concessus sit, illis negatus etiam volatilium esus, præterquàm certis Natalis Domini & Paschæ diebus, quibus volatilia permissa sunt. Pinguedinem extra Quinquagesimam ante Pascha, octo dies ante Adven-

ventum & quaslibet ferias sextas adhibere ad condienda pulmenta concessum est. Hujus indulgentiæ rationem affert fragmentum historicum de Concilio Aquisgranensi à me vulgatum in veterum Analectorum tomo I. *Et quia oleum olivarum non habent Franci, voluerunt Episcopi, ut oleo lardivo utantur*. Eamdem rationem tradunt Scriptor Vitæ S. Meinvverci Paderbornensis Episcopi, & Ordericus Vitalis. Addit idem fragmentum statuisse Episcopos, concordante Domino Papa, *ut Monachi à gravi opere & labore propter honestatem sacerdotij cessent; & loco laboris ad horas psalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis*. Quod ita intelligendum, ut aliquantùm remissi sint corporales labores, scilicet graviores; non penitus abrogati, immo præscripti variis istius Synodi decretis, quorum auctores fuêre non Episcopi sed Abbates cum Monachis. Denique in eadem Synodo panis libra *triginta solidis per duodecim denarios* definita: hemina vini concessa, & loco heminæ vini, de cerevisia mensura duplex.

Orderic. in Hist. lib. 8. pag. 712.

CLII de libra panis.

Gazaeus in Cass. lib. 5. c. 5. Dadin. Ascet. lib. 5. Haëften. lib. 10. tract. 4. disq. 2.

Multos torsit hic locus de libra panis, quam Patres sic statuunt cap. 57. *ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur*, & quidem *antequàm coquatur*, ut Capituli præfert inscriptio. Adelardus Gazæus in Notis ad Cassianum id de pretio panis interpretatur, eique suffragatur Dadinus Alteserra, Haëftenus verò de pondere quatuor librarum. Illic panis enorme pretium, hîc enormis mensura. Difficultatem declinasse videtur Menardus noster in Concordia Regularum. Primus (ni fallor) ex recentioribus propiùs ad rei nodum accessit Antonius Yepezius in notis ad Concilium Aquisgranense, quas tomo 3. Chronici Benedictini adjecit. Censuit quippe vir doctus eam legem de pondere libræ editam more Francorum, qui libram numericam viginti solidis computare solent, solidum verò duodecim denariis: quem eumdem computandi morem in ponderibus etiam olim adhibuerint. Ex qua observatione divinavit, libram crudi panis à Synodo designatam constitisse librâ sesquimediâ, ut coctus panis constaret librâ unâ Parisiensi more, quæ pro una libra viginti quinque solidos exigit, & hanc demum esse libram, quam S. Benedictus *propensam* vocat. Yepezio suffragatur Petrus Boërius in secundo Regulæ commentario, his verbis: *libra denariorum ideò libra dicitur, quia tantum ponderare solebat*. At locum hunc egregiè illustrat libellus de hemina vini & libra panis Benedictina anno MDC.LXVII. Gallicè Parisiis editus, cujus auctor, vir eruditus, postquàm de Ordine S. Benedicti bene meruit studio atque operâ suâ, nunc in eodem Ordine ipse meretur sub severa ejusdem Regulæ disciplina. Is in libello suo ex vetustis Francorum legibus observat, „ vigesimam partem unciæ denarium esse, duodecim verò solidos asſem efficere, adeò ut tres unciæ quinque asses, & duodecim unciæ libram „ viginti solidorum constituant; solidum verò denarii duodecim. „ Certè in lib. 3. Capitularium cap. 14. editionis Baluzianæ, ab homine qui habuerit trium dumtaxat librarum pretium pro heribanno *solidi* triginta exiguntur, *id est libra & dimidia*. Hanc verò interpretationem adhibuisse videtur Ansegisus; nam in secundo Capitulari anni DCCC. V. ex cujus capite 19. præmissa verba ab Ansegiso desumta sunt, non reperitur ista commentatio. Itaque cùm Patres Synodi Aquisgranensis libram panis ante coctionem triginta solidis per duodecim denarios constantem adsignant; octodecim uncias crudi panis concedunt, ferè quatuordecim aut sexdecim cocti; quatuordecim quidem, si primarius ac levior esset panis; sexdecim verò, si secundarius. Eòdem fert antiquus Regulæ commentator Hildemarus, qui in Regulæ cap. 30., ubi de puerorum cibo agit. *Libra*, inquit, *viginti duos solidos habet, quando crudus*

num. XXV.

Ll est

est panis : ut cùm coctus fuerit, habeat solùm viginti. Rectè quidem de libra communi, secùs de Benedictina, quæ *propensa* esse debet. Quamquam veteres quique Regulæ commentatores ita vocem *propensam* exponunt, ut perinde sonet, ac *præponderata*, apud Hildemarum, & Bernardum Casinensem ac Boërium : seu *antè pensata*, apud Smaragdum. At magis nativa est prior expositio. Eumdem ferè expendendæ libræ modum olim adhibebant Hispani, testante Eldefonso Episcopo in libello de forma & pondere hostiarum, condito ante annos octingentos, cujus auctoris verba huc adscribo. *Trecenti nummi antiquam perviginti & quinque solidos efficiunt libram; & duodecim tales libræ, quæ fiunt per tria millia sexcentos nummos, sextarium tritici efficiunt unum, ex quo septem panes formari possunt, de quibus per totam hebdomadam homo vivere unus potest, aut septem in una die*. Ex quibus verbis colligitur, Hispanorum libram aut tantisper graviorem tum fuisse Gallicanâ, aut solidos leviores. Porrò hic libellus ad calcem dissertationis de Azymo à me editus est ex Bibliothecæ Vaticanæ codice ms., cujus simile exemplum recèns noster Claudius Stephanotius reperit in Bibliotheca ecclesiæ Aniciensis, ab annis ferè septingentis exaratum. Alio modo panis libram expendit Petrus Damiani, apud quem *libra panis tria ova anserum pensat*.

Petr. Dam. opusc. 15. c. 7.

CLIII
Judicium de libra Theodemari.

Ad hanc libræ nostræ considerationem pertinet oratio de quibusdam libræ Benedictinæ ponderibus, quæ nonnulli tanquam enormia, sed a Regulæ Benedictinæ modo prorsus aliena suppositiciorum loco habent. Primum est pondus, quod Theodemarus Casinensis Abbas in epistola ad Carolum Magnum designat his verbis. *Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debet fieri, qui in quaternas quadras ad singularum librarum, juxta sacræ textum Regulæ, possit dividi, quod pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum*. Ad quem locum Haëftenus : *Ex hoc fortassis capite*, ait, *suspicatur eruditissimus Menardus, epistolam hanc non esse Theodemari. Si enim pondus libræ, ut in suis declarationibus ajunt Casinenses, sit unciarum triginta trium & semis, eaque mensura nonnullis enormis videatur; quid dicendum de hac Theodemari quatuor librarum sive unciarum XLVIII. ita ut triginta duæ prandio, cœna verò sexdecim deputentur? Voluit enim S. Benedictus tertiam partem reservari cœnaturis*. Attamen Angelo de Nuce in Notis ad Chronicon Casinense, enormis non videtur hæc mensura, *propter varias complexiones, agrorum labores, & opsoniorum parcitatem*. Sed has rationes nihili facit Carolus Cointius in Annalium Tom. 6. ubi hanc Theodemari epistolam vel hoc nomine suppositítiam existimat, quòd tantam panis mensuram singulis Monachis indulget. Et ego quidem uti genuinam non facilè approbarem, si esset hujus loci ista sententia. Verùm Theodemari verba non ita accipienda sunt, quasi pondus quatuor librarum Monachis per capita concedat : sed ut adsignet *pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum* totidem Monachis possit dividi. Quia enim in tanto Monachorum numero, quem unumquodque cœnobium olim capiebat, difficile fuisset singulos panes in solidum pro singulis Monachis conficere & coquere; ea demum compendiosa ratio inventa est, ut majores panes, singuli quatuor librarum, fierent, *qui in quaternas quadras singularum librarum* pro totidem Monachis dividi possent. Atque ut id expeditiùs fieret, crudi panes cruce per medium signabantur, ut cocti in quadras æquales nullo negotio scinderentur. Athenæus ex Philemone tradit, *Blomilios panes dici, incisuris divisos, quos quadratos appellant Romani*. Ejus rei præclarum suppeditat argumentum Gregorius Magnus in lib. 1. Dialogorum cap. 11.

Vide suprà num. 96.

Athenæus lib. 3. pag. 86.

de

de Martyrio Monacho ita scribens. *Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent crucis signum imprimere, sicut in hac provincia crudi panes ligno signari solent, ut per quadras quatuor partiti videantur* &c. Eòdem spectat libellus de Vita S. Severi Abbatis Agathensis, in qua Bæticus Antistes unum paximatium panem famulo Christi direxisse de more dicitur, *in quo crux Dominica videatur impressa*. Nihil his locis luculentius afferri potest ad illustrandam, probandamque Theodemari epistolam. Moris erat apud Italos, teste Gregorio, ut crudi panes signo signarentur in modum crucis, ut per quadras quatuor facilè dividi possent. Eumdem præscribit Theodemarus, adsignando *pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum possit dividi* quatuor Monachis; idque *juxta sacræ textum Regulæ*, quæ singulas libras singulis Monachis tribuit. Non ergo enormis videri debet Theodemari mensura, sed penitus ad Regulæ præscriptum concinnata. *Sæcul. I. Bened. pag. 586.*

CLIV Aliam rationem iniêre nonnulli, qui integros panes, non per quatuor libras partiebantur, sed per duas, ut panis in medio divisus duobus Monachis sufficeret. Apud Casinenses servatur pondus triginta trium unciarum, cum dimidia. Consimile olim exstabat in Cœnobio Fossatensi, teste Jacobo Brolio: aliud item in Suessionensi S. Medardi ejusdem ponderis, exceptâ unciâ dimidiâ. Ad hæc accedit *mensura panis S. Crucis Burdegalensis* ex ære Cyprio, quam Menardus noster ait esse octo & viginti unciarum. Qui his mensuris utebantur, duas totidem Monachorum portiones conferebant in unum panem, qui per medium divisus, duas libras propensas efficeret, singulas quidem sexdecim unciarum secundùm Casinenses, Fossatenses, & Sancti-Medardenses: at secundùm Burdegalenses sanctæ Crucis quatuordecim unciarum. Hac ratione superiora pondera legitima esse ostendit noster Jacobus Clericus, in rebus Mathematicis & Musicis peritissimus, in libello inedito de Hemina Benedictina. Huc probatione opus ad faciendam fidem. Eam dividendi in duos Monachos integri panis consuetudinem approbat Regula Magistri in cap. 26. *Medius panis*, inquit, *pensans libram unam, singulis Fratribus in die sufficiat*. Ergo ex Regula Magistri, quæ ferè tota ex Benedictina desumta est, duabus libris constabat solidus panis: cujus medietas *pensans libram unam*, uni Fratri competebat. Translatus verò est mos iste etiam ad Benedictinos, probante Smaragdo in Regulæ capite 39., ubi Magistri auctoritatem præmissam adducit. Nemo igitur ambigere debet, quin legitima sint pondera, de quibus hîc agimus ad conficiendos scilicet singulos binarum librarum panes: qui per medium divisi, duobus Monachis ad præscriptum Regulæ distribuerentur. Antequàm hinc discedo, expendere juvat, quod Gallicus dissertator de pondere libræ Fossatensi, aliisque similibus contra Brolium scribit. Indè quippe Fossatensis ponderis falsitatem satis arguisse sibi visus est, quòd nullus scriptor ejusmodi ponderis auctoritatem adduxerit in medium. Immo verò eam adduxit Petrus Boërius seu Boery, tum Abbas Monasterii S. Aniani * Tomerarium, dein Urbevetanus Episcopus, qui in prima ex duabus Regulæ expositionibus, Provinciali Capitulo nigrorum Monachorum nuncupata, prædictum pondus se vidisse ac tenuisse affirmat. En ejus verba in Regulæ cap. 39. *Monachi verò Monasterii S. Mauri apud Galliam habent primum pondus panis, & mensuram vini, quæ (prout habet scriptura ejusdem Monasterii & vulgaris assertio) idem Sanctus jussu beati Benedicti unà cum Regula attulit: quæ, prout notatur, vidi & tenui, & in tantum consimilia exportam * in sacrario reverenter conservant. Verumtamen pondus panis duas libras quin-* *item de Casinensi, Fossatensi &c.* *num. XL.* ** S. Chignan.* ** l. & iis tantùm consimilibus expositis.*

tales excedit, quod forsan non est multum pro die homini plura alia fercula delicata non habenti, & operibus manuum regulariter insistenti. Hoc itaque pondus, quod in S. Mauri cœnobio Petrus Boërius olim vidit, ibidem adservari potuit usque ad tempus Brolii, qui illud ipsum eo in loco vidit & contrectavit.

CLV Quærat aliquis an ponderandi panis exemplar, quod S. Benedictus Casini reliquit, fuerit quatuor, ut illud Theodemari; an duarum librarum, uti recentius exemplum Casinense? Ego quidem existimo unius fuisse libræ, uti colligo ex Bernardi Casinensis commentario in Regulæ caput 39. *Libra propensa*, inquit, *appellatur præponderata & ad pondus mensurata*. Pondus autem illud, quod instituit B. Benedictus, *usque hodie in Casinensi Monasterio reservatur* &c. Erat ergo pondus istud unius libræ, quod ampliùs declarant sequentia Bernardi verba, quibus explicans modum reservandæ tertiæ partis libræ cænaturis, hæc habet. *Hoc usque ad tempus meum fuit observatum, quòd quadam distinctio fiebat in tertia parte panis, ut non essent duo, vel tres panes, sed unus. Sed ego videns hoc non multùm esse decens, libram massæ farinæ in tres partes divisi, ut tertia pars libræ possit, non in pane fracto, sed in integro reservari*. Ex quibus intelligitur, panes integros pro singulis Monachis tum fuisse confectos, ad primarium scilicet pondus S. Benedicti: si tamen genuinum ac primarium erat S. Benedicti pondus, quod Bernardi Abbatis tempore Casini servabatur. Hæc de libra panis.

CLVI De hemina vini. De hemina vini major est difficultas. Dissertator Gallicus superiùs laudatus rectè probat, heminam seu cotylam esse semisextarium; sextarium verò congii sextam partem: ac proinde heminam sex cyathis, sextarium duabus heminis, congium sex sextariis constare. Deinde ex congii mensura rectè infert heminæ, aliarumque partium capacitatem: idque meliùs vasis mensurâ, quàm liquoris pondere, quod pro diversitate liquorum variat, æstimari censet. Hæc, inquam, rectè probat, nec quidquam solidi argumenti in contrarium afferri potest. At verò quod indè assumit, non perinde certum est: nempe heminam vini à S. Benedicto adsignatam æstimari debere ex mensura congii Romani, qualis in Farnesianis ædibus adservatur. Hoc congii Romani exemplar legitimum quidem esse concedo; at heminam Benedictinam ad ejus exemplum conformatam esse nullis constat argumentis.

CLVII Ad probandam Farnesiani congii veritatem, præter varia experimenta à peritis Viris facta, aliud etiam me præsente de mensura heminæ Romanæ factum est in Bibliotheca S. Genovefæ apud Parisios, in qua veteres unciæ Romanæ cum exemplari heminæ itidem Romanæ adservantur. Isthuc cùm invitatus fuissem à R. P. Molinetio ad comparandam heminam cum unciis Romanis, allatus est etiam vetustus sextarius Romanus, qui est penes Illustrissimum Harlæum Senatûs Parisiensis Procuratorem generalem. Primùm itaque facta est libratio decem unciarum cum hemina vini: tum heminâ in sextarium bis refusâ, deprehensa est perfecta mensurarum æqualitas, congio Farnesiano apprimè respondens.

CLVIII In probat. Historiæ Gallicæ B. Mariæ Suession. auct. nostro Michaële Germano p. 435. Et si verò id constat de hemina Romana; nego tamen id de qualibet hemina dici posse. Pro variis enim regionibus, variisque temporibus etiam variantur pondera & mensuræ. Carolus Calvus in Præcepto pro stipendiis Clericorum S. Petri, qui Sanctimonialibus Suessionici B. Mariæ Parthenonis subjecti sunt, cuilibet Sacerdoti per singulos dies *heminam, id est tres libras*, vini tribuit. In ms. Codice Bibliothecæ S. Remigii apud Remos,

mos, qui codex ante annos octingentos Ebone Pontifice à Bertigario Monacho scriptus est, post Macrobii libros exstat vetustioris auctoris tractatus de ponderibus & mensuris, in quo hæc leguntur de mensuris liquidorum. *Apud quosdam cyathi novem heminam facere videntur, quod sunt drachmæ XC. apud quosdam verò acetabula quatuor, quod sunt drachmæ XLVIII. Hemina autem juxta quosdam appendit libram unam, apud quosdam verò libram & dimidiam, similiter sextarios duplices judicaverunt. Nam alii voluerunt, ut sextarius duarum esset librarum : alii verò trium. Utrique tamen, ut duæ heminæ sextarium facerent, definierunt. Chænix autem quinque sextariis adimpletur : cui si sextum addideris, fit congius : congius quater missus modium complet. Quemadmodùm autem de sextario, sic & de modio aliis placuit XVI. sextariis modium impleri, aliis XXII. aliis verò XXIV. sed has mensuras ad votum Principum vel Judicum esse deprehendimus --- Nobis verò videtur rectissimum, ut trium librarum sextario vicies & quater multiplicato modius impleatur. Qui modius medii talenti pondere coëquatus, septuaginta & duabus efficitur libris : sive ut quinque libras habens sextarius, similiter vicies & quater ductus, maximi talenti, idest C.XX. librarum pondere mensuretur.* Hæc idcircò fusiùs refero, quòd ad illustrandam heminæ nostræ mensuram plurimùm conferat iste locus.

Primò hujus Auctoris sententia est, heminam debere constare librâ ; vel sesquilibrâ, non mensurali, (ut Isidori libram Dissertator interpretatur) sed ponderali. *Hemina*, inquit, *juxta quosdam appendit libram unam : apud quosdam libram & dimidiam*, quam sententiam Anonymus iste inferiùs præfert. CLIX

Deinde mensuræ istæ *ad votum Principum vel Judicum* olim mutabantur, ut tradit vetus iste auctor : cui suffragatur inprimis Concilium Aquisgranense anni DCCC.XVI. pro Canonicis, in cujus capite 122. hæc verba lego. *Cùm hujuscemodi mensura diversissimæ & inæquales soleant haberi; publicum tamen pondus provinciis, civitatibus, metallisque inditum, nihil diversitatis aut inæqualitatis pati debet* &c. At, inquis, hemina Benedictina ad modum congii Romani exacta erat, utpote ab homine Italo, in Italia nato ac vivente constituta. Et id certè probandum erat, nam in hoc versatur totius difficultatis cardo. Verùm an vigente S. Benedicto, regnantibus in Italia Gothis, Romæ viguerit antiquæ mensuræ norma, incertum est : ex dictis. Deinde etiamsi Romæ viguerit prisca mensura, dubium an etiam in Italia tota. Variæ enim passim pro variis locis ac civitatibus habentur mensuræ. Denique quamvis in Italia tota viguisset, peculiarem instituere potuit S. Benedictus, & re quidem vera instituit, libram panis, quid mirum si heminam vini peculiarem? Quippe libra panis Benedictina quatuordecim, aut sexdecim unciarum erat, ut ex superioribus patet : Romana tantùm duodecim. Itaque etiamsi apud Romanos hemina decem unciis appendens tum obtinuisset, S. Benedictus rationem habere potuit aliarum provinciarum, in quibus hemina sesquilibrâ constabat. Certè quemadmodùm libræ panis ab se constitutæ exemplar Casini concinnari curavit, quia libra hæc à Romana diversa erat : ita heminæ itidem pondus videtur condidisse, propterea quòd hemina ista itidem à Romana varietur. Cur enim si Romanâ mensurâ constitisset, peculiare heminæ exemplar fabricaturus erat? Quid necesse fuisset, ut per S. Maurum primùm, tum per Theodemarum Abbatem ejus exemplum in Galliam transmitteretur. Uno quippe verbo exprimi poterat hemina Romana, id est decem unciarum. Qualis

ve-

verò & quanta fuerit heminæ mensura, cùm Casinensis, tum Gallicana, per S. Maurum allata, hic investigandum est.

CLX Jacobus Brolius in Supplemento Antiquitatum Parisiensium testatur in archivo cœnobii S. Mauri Fossatensis olim adservatum fuisse facculum coriaceum, continentem pondera plumbea panis & vini a S. Benedicto præscripta. Primum erat *panis triginta trium unciarum & semis*, ut superiùs dictum est. Alterum, *quod erat heminæ vini, 25. uncias pendebat, pintam Parisinam tribus unciis excedens*. Hîc mendum irrepsit in Brolii contextum, ubi non 25. sed 35. *uncias* legendum est: quandoquidem pinta Parisiensis triginta duabus unciis constat, ut docet Dissertator. * Hæc duo pondera penes se diu retinuisse ac demum Canonicorum incuriæ deperdita fuisse Brolius commemorat. Petrus Boërius, qui post medium sæculum XIV. florebat, in primo Regulæ commentario utrumque pondus itidem in Monasterio S. Mauri se vidisse, ac tenuisse dicit. Et de Fossatensi quidem vini mensura hæc habet in cap. 39. *Ea verò ratione dico mensuram vini prædictam non excedere, quæ tres copinas Parisienses continet valde justè*. Brolius habet tantùm pintam, seu *duas copinas* cum tribus unciis: siquidem copina Parisiensis sexdecim uncias capit. Unde si non mutavit mensura Parisiensis, certè crediderim erratum potiùs irrepsisse in Boërii calculum vel contextum, quàm in præmissum locum Brolii, qui mensuram Fossatensem accuratè expendit, ejusque exemplum sibi fabricari curavit. Ex Boërii verò testimonio, si non habemus accuratam Fossatensis heminæ mensuram, saltem vindicatur Jacobi Brolii bona fides, qui Fossatense pondus se vidisse contestatur. Guido Juvenalis, Abbas Sulpicianus apud Bituriges, in Regulæ versione Gallica, quam labente sæculo XV. concinnavit, heminam interpretatur *copinam*, prout habent primæ istius versionis editiones anni 1500. & 1501. Eamdemmet mensuram Stephanus Poncherius Parisiensis Episcopus Calensibus Sanctimonialibus concedit ineunte sæculo XVI.; & Fontebraldenses in Gallica Regulæ versione Ms. At Petrus Masius Abbas Casalis Benedicti, auctor Congregationis ejusdem nominis anno MD. XVI. erectæ, *Hemina*, inquit, *sicut à quibusdam expositoribus Regulæ accepimus, est quædam mensura, continens unam libram cum quarta parte alicujus liquoris, & quasi tertia pars quartæ vini Parisiensis*, id est quartarii, quatuor copinas Parisienses continentis. Eadem partim est sententia Monachi Clarævallensis anonymi, qui Guidonis versionem interpolavit, edidítque anno MD. XIV. ac Sanctimonialibus aptavit. Is quippe libram unam cum quarta parte tribuit heminæ, eamque pintæ Parisinæ adæquat. In tanta opinionum varietate vix certi quidquam statuere licet.

* num. XLVII

CLXI Si ad Casinense exemplar recurramus, iterum ambages. Bernardus ante annos quadringentos Abbas Casinensis, ita heminæ locum interpretatur. *Hemina vini mensura est, apud nos usque hodie reservata, quam veteres certo pondere mensuraverunt: quod causa brevitatis hîc scribere prætermitto*. De hac mensura Nicolaus de Fractura, qui anno MCCXCIX. Regulam commentatus est Casini, & post eum Boërius in primo commentario suo, id memoriæ prodidit. *Est mensura competens ad bibendum in uno prandio, quæ usque hodie in Casinensi Monasterio conservatur. Et facta consideratione, sicut de facto sum expertus, parùm plùs aut minùs potest recipere, quàm Petitum, quod est mensura quædam apud Romanos. Et quòd de tali mensura Magister intellexerit, est valde verisimile, ex eo, quòd in Nursia provincia, unde ortus idem fuit, talis mensura habetur in usu: & homines illius provinciæ in emendo vendendoque communiter circa mensuram hujusmodi usum sequuntur Romanorum*. Quantum verò caperet Petittum Ro-

Romanum, non explicat Nicolaus, neque Boërius, qui eadem omnino Nicolai verba retulit. Si Lucæ Pæto, qui sub finem superioris sæculi de mensuris scripsit, fides est, Petitum seu Petittum idem est ac bocalis. At fogliettis quatuor constat bocalis, utrumque attestante Villalpando. *Fogliettis quatuor*, inquit, *constat bocalis, quem auctore Pæto non multò antè vocabant Petittum*. Porrò Foglietta seu Follietta sexdecim Romanas uncias pendet, ut scribit eo loci Villalpandus: ac proinde bocalis constat Romanis unciis quatuor & sexaginta. Hanc verò Petitti à Nicolao & Boërio memorati mensuram esse, adduci non possum ut credam. Quippe Boërius agens de Fossatensi mensura, quæ, ex ipsius sententia, *tres copinas Parisienses continet valde justè*, hæc subdit: *Debilitas vini Gallici fecit forsan excrescere communem mensuram Casinensem, de qua plena notatio infrà*. Si mensura Fossatensis excedat heminam Casinensem seu Petitum Romanum; ergo mensura Casinensis minùs capiebat, quam tres copinas, quas Fossatensi adsignat Boërius: immo minùs, quàm uncias triginta quinque, si Brolius Fossatense pondus rectiùs expendit. Hactenus, ut Fossatensis, ita & Casinensis hemina non penitus nobis explorata est: sed tamen utramque Romana veteri, sive semisextario Parisiensi longè graviorem fuisse inde compertum habemus. Porrò Casinensis mensuræ antiquitatem probant, non solùm Bernardus, ante annos quadringentos Abbas Casinensis, sed etiam Petrus Diaconus, centum annis Bernardo superior, in commentario suo, & post Bernardum Nicolaus de Fractura. Jam antiquiores Regulæ expositores consulamus.

Villalpand. tom. 3. lib. 3. de mens. cap. 20.

CLXII

In primis occurrit Hildemarus, cujus hæc verba sunt: *Sciendum est, quia unaquæque regio suam mensuram habet. Et idcirco Doctores cùm de mensura dicunt, secundùm sui loci consuetudinem dicunt --- Ita S. Benedictus cùm heminam dicit, secundùm consuetudinem sui loci dicit. Similiter de officiis facit, & ceteris. Unde Karolus Rex qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset; misit Beneventum ad ipsum Monasterium, videlicet S. Benedicti, & ibi reperit antiquam heminam: & juxta illam heminam datur Monachis vinum: similiter & juxta illam habemus & nos*. Ex quibus verbis intelligimus, Hildemaro perspectam fuisse Benedictinam vini mensuram, eamque Monachis tum fuisse communem, id est imperante Ludovico Pio. Deinde auctor iste adducit Isidori auctoritatem, heminæ libram unam assignantis, idemque præstant Smaragdus & Boërius: qua in re non tam commentatoris officium agunt, quàm collectoris, qui quodlibet argumentum habuerit præ manibus, corrasis undique communibus locis, quantumvis malè cohærentibus, illud exponere conatur. Uno verbo, auctores isti heminæ thesim utcumque ornant, Benedictinæ hypothesim non adstruunt. Et quidem Boërius probatâ ex Nicolao heminæ Casinensis mensurâ, ita Isidori locum ex Smaragdo acceptum interpretatur in commentario primo. *Licèt ut aquis libravi flateris, modica videatur* unius libræ hemina; *aquâ tamen junctâ vino forti, maximè sicut est in partibus Casinensibus, satis sufficere credo: si voluptati tamen sobrietas & necessitas præferantur. Sufficere namque debet homini pænitenti, si ista mensura tria vel quatuor contineat pocula: cùm ultra tertiam vicem in prandio minimè sit bibendum*. Ubi vides, Boërium non satis sibi consentire, qui cùm heminam Benedictinam ad Petitti capacitatem paullò antè revocasset; mox opinione quasi mutata in Isidori sententiam transmigrat. Porrò neque sibi ipse constat Isidorus, uti Menardus noster observat in Concordia Regularum. Duo igitur certa ex veteri Hildemari commentario elicere licet, nempe Casino ac Beneventanæ regioni peculiarem fuisse heminæ mensuram, qua usus est S. Benedictus; eamque in Monasteriis ineunte sæculo

lo

lo IX. receptam. At quantum caperet hæc hemina, neque ex Hildemaro, neque ex Smaragdo, aliisve colligi potest. Certè Hildemarus longè ampliorem, quàm Isidorus, heminæ mensuram admisit: siquidem in eodem Commentarii sui capite post prædicta, ubi exponit S. Benedicti sententiam crapulæ occasionem à Monachis suis amovere volentis, ait minuendam esse mensuram ei, *qui de sola hemina mensura crapulam sentit, id est qui aut in locutione, vel in ingressu vacillat*, quod certè nulli quantumvis infirmo capiti accidere posset, qui unico semisextario Parisiensi in diem uteretur. Superest, ut in investiganda heminæ mensura sequamur sententiam Richardi de S. Angelo Monachi Casinensis, qui in Regulæ commentario ante medium Sæculum XIII. scripto, dicit heminam esse *quamdam mensuram, quæ meliùs potest agnosci de facto, quàm de jure*. Ad facta igitur & exempla jam tandem consideratio nostra convertatur.

CLXIII Nullum aptius antiquiusve nobis occurrit exemplum ad probandam heminæ Monasticæ capacitatem, quàm Regulæ Magistri: quæ cùm ferè tota verbis ac sententiis constet S. Benedicti Regulæ, ejusque veluti commentarius censenda sit; eo utique tempore scripta est, quo S. Benedicti Institutum in viridi erat observatione, hoc est exeunte sæculo sexto, aut septimo ineunte. Illud argumento est, quòd hæc Magistri Regula in duobus Bibliothecæ Corbeïensis membraneis Codicibus invenitur literis uncialibus descripta ante annos mille. Et quidem in fine unius exstat index Pontificum Romanorum, paullò recentiori manu additus, desinens in Johanne Papa VI. qui anno DCCV. devixit. Æstimavit porrò Menardus noster conditam fuisse hanc Regulam circa tempora Chlodovei secundi Francorum Regis: *quia utitur vocabulo Majoris domûs, quod tunc maximè erat in usu*. Utitur autem in cap. II. non tamen ad designandam Domus Regiæ dignitatem: sed cujuslibet potentis hominis officialem, istius denique Regulæ scriptor, qui libram panis, duo fercula, & calicem vini Ministris mensarum & Lectori adsignat, omnino ad mentem S. Benedicti; paullò aliter de Monachorum potu statuit in cap. 27., singulis concedens æstivo tempore primo singulos *meros*, id est meri calices: tum *caldos omnibus quaternos extra illum merum*; & *cùm ad sextam reficitur, ternas serâ potiones*. Quantum verò caperent singulæ tres illæ potiones, ita explicat eodem in loco. *Calix verò aut galleta, per quem erit in diversis vicibus miuistrandum, talis sit, qui tertius impleat mixtam heminam*. Itaque hemina Magistri, quæ haud alia sinè dubio à Benedictina erat, capiebat tres calices. Tantumdem etiam continebat hemina seu semisextarius Fructuosi, qui ita vini potionem temperari præscribit in Regulæ primæ cap. 5., *ut inter quatuor Fratres sextarius dividatur*: & in præcipuis sollemnitatibus, singulis præbeantur *tres potiones*, id est hemina. Apud Isidorum in Regulæ cap. 10. *Ternis poculis fraterna reficienda est sitis*. Atqui Isidorus & Fructuosus in condenda Regula sua Benedictinam præ oculis habuêre, ejusque ritus expressêre, ut in Præfatione sæculi primi ostendi. Quantum verò caperent singuli tres illi calices, statim discutiendum erit.

CLXIV Eamdem sententiam confirmat S. Adalhardus Corbeïensis Abbas in Statutis suis, quæ anno DCCC.XXII. condita sunt, id est anno quinto post Synodum Aquisgranensem. Is in libro 1. cap. 4. de Eleemosynis ita præscribit. *De potu autem quotidie detur modius dimidius, id est sextaria VIII. de quibus dividuntur sextaria quatuor inter illos duodecim* Canonicos *suprascriptos, ita ut unusquisque accipiat calices duos. Ex aliis quoque quatuor sex dantur Clericis, quibus pedes lavantur à Fratribus, unicuique calix unus; & Willeranno servitori calix unus*,

unus. Quod residuum fuerit, in arbitrio Hospitalarii relinquimus, quo modo illud, sive infirmis, sive aliis pauperibus dividat. Hoc in loco Abbas pius sextarios quatuor dividit in duodecim Canonicos, ita ut unusquisque acciperet calices duos. Proinde sextarius in Monasterio Corbeïensi tum constabat calicibus sex: hemina verò calicibus tribus, quorum unus operario uni sufficiebat. At verò semisextarius Romanus seu Parisiensis vix ampliùs capit, quàm satis sit ad calicem unum, qui manuali operæ sufficiat. Neque dixeris, aquam misceri potuisse ad supplendum, quod minus erat ad congruam potionem. Nam hic agitur de potu cerevisiæ, quæ & largiùs propinari solet, & aquâ minimè diluitur.

Si hæc erat (ut certè erat) heminæ mensura apud Corbeïenses, non dubium, quin eadem esset in aliis Galliarum Monasteriis post Synodum Aquisgranensem: nec minùs certum est, hanc mensuram exactam fuisse ad pondus Casinense, cujus exemplum Theodemarus ad Carolum Magnum direxerat. Certè Benedictus Anianæ Abbas Casinenses ritus quàm proximè imitabatur, teste Ardone. Et Ludovicus Pius post Synodum Aquisgranensem direxit *pondus & mensuram, secundùm qua Clericis & Sanctimonialibus panis &. potus æqualiter tribuenda* erant, ut probat ejus epistola ad Sicharium Episcopum Burdegalensem, quod idem etiam de Monachis à Carolo provisum esse constat ex Hildemari testimonio superiùs * relato. Præterea Adalhardus, Statutorum Corbeïensium auctor, Casini diu fuerat versatus, ibidemque heminæ Benedictinæ mensuram didicerat. Itaque cùm apud Corbeïenses hemina constaret calicibus tribus; eamdem in aliis Monasteriis mensuram viguisse non immeritò concludimus. Ad hæc Patres Concilii Aquisgranensis in Regulæ Canonicorum cap. 129., cuilibet Canonico *quinque libras vini* concedunt. Quid mirum, si cuilibet Monacho in diem tres vini calices indulserit anno sequenti alia Synodus Aquisgranensis? quæ heminam vini singulis ex Regulæ præcepto concedit cap. 22.; & si defuerit, duplicem *mensuram de cervisia bona* vult suppleri. Denique Regula Magistri, quæ in nonnullis Benedictinâ severior est, & in plerisque eam imitatur, in prandio per æstatem quinque tribuit calices, unum meri, quatuor alius liquoris; tres verò in cena, præter illum vini haustum, qui post Nonam æstate sumebatur. Et quidem tres in Benedictina hemina calices vini meri (neque enim dilutum tribuit S. Benedictus, sed merum, à singulis aquâ pòst diluendum) admittere necesse est, idque ultrò admittet Dissertator. Nam cùm in ejus sententia Lector mensæ calicem vini ex præscripta mensura ante lectionem accipiat; duos superfuisse calices fatendum est, quorum unum in prandio alterum in cena, quando bis comedebatur, idem lector perciperet. Jam quantum ad unum calicem seu haustum moderatum, qui uni mensæ sufficiat, satis sit, quæstio est. Villalpandus antiquos vini abstemios singulis potationibus, & quidem sæpiùs repetitis, quatuor cyathos; quincunces & septunces exhausisse probat. Hemina autem Romana sex dumtaxat cyathos capiebat. Ego verò existimo, ad unum moderatum haustum, qui uni parcissimæ corporis refectioni sufficiat, non minus concedi posse, quàm uncias quinque aut sex. Hinc factum puto, ut vasculum illud modicum, quo Parisienses etiam nunc utuntur, proprium vocabulum retinuerit Poculum, vulgò Poçon: propterea quòd una mediocri potatione absumatur. Atqui tria hujusmodi pocula sesquiheminam Romanam pendunt, adæquantque copinam Parisiensem. Hanc excedebat mensura Petri Masii, qui heminam cum nonnullis auctoribus tertiam partem quartarii Parisiensis interpretatur. At ejusmodi mensura antiquior est ampliorque,

CLXV.

* num. 162.

Villalpand. tom. 3. pag. 439. 440. & 446.

cùm Casinensis, tum Fossatensis constabat unciis triginta quinque, ex Brolio, qui calculus accedit ad heminam Suessionicam, quam tres libras appendere superiùs observabam *. Neque porrò minus capiebat semisextarius ille, quem Fructuosus duobus Monachis in diem adsignat: quandoquidem sextarium in quatuor Monachos partitur in Regulæ primæ cap. 5. Alioquin cuilibet Monacho per diem integrum non cessissent nisi vini cyathi admodùm tres, & aquâ admistâ ferè quatuor: *qui potus vix gallinæ sufficiat in diem, nedum humano corpori jejuno*, inquit Villalpandus. Secundùm Fossatensem istam mensuram singuli terni heminæ calices unciis ferè duodecim constabant: non quòd tantum vini singulis vicibus singuli Monachi perciperent: sed ut hoc modo explicetur heminæ Benedictinæ mensura. Sic Budæus cheopinam seu chopinam Parisiensem ita dictam arbitratur, *quòd eâ tantum funditur vel hauritur vini, quantum homo sitibundus uno haustu*, non quidem re vera absumit, sed *absumere possit*. Ita ergo se habebat Fossatensis mensura, ad quam proximè Casinensis accedebat, tametsi tantisper levior ob præstantiam vini Italici. Scio homines alios aliis vini parciores, & nonnullos quidem esse, quibus hemina Romana sufficiat in diem. At in instituendo religioso cœtu S. Benedictus rationem habuit communis multorum facultatis, non paucorum. *Infirmorum*, inquit, *contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem: quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant*. Quæ hactenus de hemina Benedictina dixi, non ita accipi velim, quasi rem ipsam me attigisse putem, aut Monasticæ temperantiæ modum ampliari velim: verùm ut probem, me huic argumento, quod in manus incidebat, non omnino defuisse, sed qualemcumque illustrandæ rei obscurissimæ diligentiam adhibuisse.

* num. 158.

Villalpand. ib. pag. 446. col. 2.

Bud. lib. 4. de asse.

CLXVI **De Bibere ministrantiū ad mensam.** Superest dicendum de Bibere & Mixto, quorum aliud mensæ Ministris, aliud Lectori concedit S. Benedictus. De ministris septimanariis ita statuit cap. 35. *Septimanarii ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem*. Biber seu Biberis, de cujus notione legendus Haeftenus, est haustus vini, quem cum frusto panis sumebant septimanarii. Theodemarus Abbas Casinensis Carolo Magno direxit *mensuram unius calicis, quem obsequuturi* * *Fratres juxta sacræ textum Regulæ solent accipere*; & Boërius in primo commentario: *Biberes sunt parva vascula, quæ plena sufficiunt ad unum moderatum haustum*. An hæc vini potio, frustumque panis de indicta singulis mensura, an præter illam acciperetur, non ita perspicuum est apud veteres. Hildemarus, antiquus Regulæ commentator, rem non satis explicat his verbis, *cùm dicit ante unam horam, non dicit propter terminum horæ, sed propter intervallum, ut possint rationabiliter accipere hoc quod jussum est, quia sicuti alibi de lectore dicit, accipiat Mixtum priusquàm incipiat legere, v. g. si tempus est quando ad nonam reficiunt Fratres, cùm canitur Missa ad octavam; post Missam vadant omnes qui debent accipere Mixtum, id est hebdomadarii coquinæ, Lector, hospitalarii, & qui infirmis serviunt pariter, & inveniant singuli præparatam quartam partem libræ, id est quinque solidos pensantes, de pane in loco suo*. Si hæc Regulæ verba, *super statutam annonam*, decerpendo de Regulari mensura intellexisset Hildemarus, dicturus fuisset *quartam partem libræ suæ*, & de pane suo. Nunc autem cùm absolutè rem enuntiet; hoc subsidium ministris præter statutam annonam indultum fuisse satis innuit. Illud tamen in contrarium movet, quòd S. Benedictus in cap. 49. agens de Quadragesimæ observatione, præcipit, *ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid offerat Deo, id est de cibo, de potu* &c. ubi hæc verba, *super mensuram sibi indictam*, ita explicanda sunt, ut

* al. obsequituri.

de

de mensura sibi indicta id offerant Fratres, id est de cibo & potu in Regula præscriptis. Unde consequi videtur, ut alter locus *super statutam annonam*, eodem modo reddendus sit, de statuta annona, ut etiam explicat Menardus noster, Boërii commentario primo non obscurè suffragante. Verumtamen Congregatio Cluniacensis aliter hunc Regulæ textum intellexit, ac subsidium istud septimanariis concessit præter solitam mensuram. *At Mixtum*, inquit Udalricus, *non accipiunt, nisi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis absque libra sua, & de vino similiter*. *Udalric. lib. 2. Consuet. Clun. c. 35.*

CLXVII *De mixto Lectoris.* Quæ septimanariis S. Benedictus adsignat Biberes & panem, Udalricus communi vocabulo appellat *Mixtum*, quo nomine S. Benedictus Lectoris subsidiolum designat in Regulæ cap. 38. *Frater hebdomadarius accipiat mixtum, priusquàm incipiat legere, propter comunionem Sanctam, & ne fortè grave sit ei jejunium sustinere*. Et Synodus Aquisgranensis cap. 29., *ut Lectori nihil nisi quod Regula jubet detur*. Mixti nomine haustum vini aquâ diluti citra panem intelligi putat Gallicus Dissertator. At his verbis etiam comprehendi frustum panis docent præter Udalricum veteres quique Regulæ commentatores. *Mixtum intelligit panem & vinum*, inquit Hildemarus, *sicut superiùs dixit, singulos biberes & panem. Nam illius temporis consuetudo fuit sic dicere, unde nos dicimus mordere, Mixtum vocare*. Et Smaragdus; *quod dicit, accipiat mixtum, panis intelligitur simul & vinum. In multis enim provinciis panis tantùm & vinum, quod super altare offertur, Mixtum vocatur*. Hæc Smaragdus Abbas scripsit statim post Synodum Aquisgranensem, cujus proinde Statuto superiùs relato nequaquam adversatur mos ille antiquus Lectori concedendi frustum panis cum vini calice. Et quidem mos ita obtinebat in Monasteriis per Benedictum Anianensem ordinatis, ut constat ex epistola quorumdam Augiensium Monachorum ad calcem hujusce tomi adducta: in cujus capitulo quinto hebdomadariis ministris, quibus Regula singulos biberes & panem concedit, nihil aliud tribuitur, quàm Lectori, scilicet *Mixtum*; quod proinde utrumque comprehendit. *num. XXXIII. & seqq.*

CLXVIII Opponit Dissertator concedi Mixtum propter Communionem Sanctam; nulla panis mentione facta; post communionem verò moris esse præberi non panem, sed solum vinum aquâ dilutum. Et quamvis Belechus dicat suo tempore *buccеam* seu buccellam panis simul cum vino communicatis datam, id factum ex imitatione recentiorum Monachorum, qui hunc Regulæ locum ita perperam interpretabantur. Verùm ex primis Regulæ commentatoribus jam probatum est, Mixti nomine etiam panem comprehendi vulgari more illius ætatis. Deinde Lectori conceditur Mixtum, non tantùm *propter communionem sanctam, ne aliquid indè sumptum excreans projiciat in sputo*, ut ait Smaragdus: sed etiam ad confirmandum ejus stomachum, *ne fortè ei grave* esset *jejunium sustinere* ex Regula. Prima concessi Mixti ratio, quæ propter communionem Sanctam, ad Dominicos sollemnesque dies pertinet, quibus diebus communicabant omnes. Hinc Sanctus Benedictus singulos biberes & panem, quod utrumque ante unam horam refectionis per hebdomadam concedit septimanariis coquinæ, percipi vetat diebus sollemnibus ante Missas. *In diebus*, inquit, *sollemnibus usque ad Missas sustineant*, nimirum quia in Missa communicabant, uti & Lector, qui diebus singulis non communicabat, contraquam supponit Dissertator. Certè in diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis, *non canebatur Missa* tempore S. Benedicti, ait Hildemarus in Regulæ caput 48. Altera Mixti ratio est ob levandum jejunii pondus, quæ ratio valet ad singulos dies, nec minùs panis quàm vini subsidium exigit.

CLXIX Rursus objicit Differtator Regulam Magistri, qui in cap. 24. solum *merum* indulget Lectori *propter sputum Sacramenti*, non verò panem. At vel ex hoc loco confirmatur id, quod dixi de Mixto Benedictino, nam Magister sinè dubio hoc nomine etiam comprehendit frustum panis. Verba ejus expendenda sunt. *Et cùm primùm mensæ Abbas cum omnibus acceperit merum, & ipse* Lector *similiter suum merum propter sputum Sacramenti accipiat : & sic incipiat legere*. Itaque Lector ex Regula Magistri merum accipiebat initio comestionis cum Abbate, aliisque Fratribus. Jam quo ritu Abbas, ceterique merum illud acciperent, explicat idem Magister in cap. 27. *Mox cùm sederint ad mensas Fratres, antequàm comedant, singulos meros accipiant, quos meros accipientes, singuli porrigant Abbati sibi signandos --- in quibus omnibus mensis in suos meros quisquis frater de suo pane ternas sibi non ampliùs buccellas intinguant*. Ergo singuli Fratres sumendo meros suos, ternas panis buccellas vino intinctas sumebant : ac proinde etiam Lector, cui suum merum, quemadmodùm aliis, indulget Magister; ex imitatione scilicet Regulæ S. Benedicti, qui Mixti nomine panem & vinum simul comprehendit.

num. XXXIII.

CLXX De hac Mixti origine ac significatione litigant eruditi viri. Est qui suspicatur *Mixtum* hoc loco à librariis positum pro *Mystro*, quæ cyathi quarta pars est. At vocem *Mixtum* retinere præstat cum omnibus libris editis ac manu descriptis. Cùm enim Mystrum cyathi quarta pars sit, cyathus verò sexta pars heminæ, decem drachmas appendens; si S. Benedictus unum dumtaxat *Mystrum* Lectori concederet, vix unam potûs sorbitiunculam tribueret, id est drachmas admodùm duas cum dimidia. Porrò quod dixi de Mystri mensura, confirmatur carmine de ponderibus & mensuris, quod plures Prisciano tribuunt, alii Fannio, ut ex antiquis Hildemarus.

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
At Mystrum cyathi quarta est, ac tertia Mystri.
Quam vocitant chemen. * *: capit hac cochlearia bina.*

* al. cyanen.

Retinendum igitur Mixti nomen, quod non puto sic dictum, ut plerique censent, ob mixtionem aquæ. Hæc quidem vox formata est à verbo misceo. At *miscere* apud mediæ Latinitatis scriptores idem valet, atque haustum vini præbere. Hinc Johannes Januensis in Catholico. *Miscere id est potare, vinum præbere. Et est tractum indè, quòd antiqui miscebant calida frigidis, & frigida calidis in calice (unde calix dictus à calida potatione) sicut nos miscemus adhuc aquam vino, vel è converso*. Certè Theodemarus in epistola ad Carolum Magnum hoc verbum eodem sensu usurpat. *Aliis diebus prandentibus Fratribus, cùm vinum nobis abundat, singulas phialas miscere facimus --- In summis quoque festivitatibus ad prandium facimus miscere*. Quid sit verò *singulas phialas miscere*, explicat in consequentibus, ubi ait: *Æstatis tempore post Nonam singulas phialas nostris Fratribus præbemus*. Eodem modo etiam usurpatur apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 2. de Miraculis S. Martini cap. 22., apud Venantium Fortunatum in lib. 1. de Vita S. Radegundis, apud Alcuinum in Vita S. VVillibrordi non semel, aliosque auctores, quorum nonnullos protuli in Notis ad præmissum Alcuini librum. Nec ab re erit etiam adducere hoc loco testimonium ex Vita ipsius Alcuini : propterea quòd non solùm hujus verbi significationem exprimit, sed etiam præclarum suppeditat argumentum de ablutione ab antiquis concessa post communionem. Auctor iste anonymus commemorat, Carolum Magnum cum Pippino ac Ludovico Turonos profectum percepisse Communionem sacram, tum subdit : *Cùm post communionem Corporis Christi & Sanguinis, manu propria eis misceret* Alcuinus; *isdem*

Lu-

Ludovicus, humilitate clarissimus, præ omnibus Patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Ubi vides *miscere* idem esse ac vini potum præbere.

Aliam mixti notionem tradit Petrus Boërius in primo Commentario suo in Regulæ caput 38. his verbis. *Apud nos in quibusdam Monasteriis fiunt quidam panes, qui Mixtiones, seu Mixtoni vocantur : sic fortè dicti, quia ex mixtura frumenti & hordei vel siliginis fiunt; & sunt ita modici panes, quòd quatuor aut quinque sunt necessarii uni Fratri per diem. Et quia quarta pars annonæ debet dari Fratri prægustanti; dicitur hic, quòd Frater Lector Mixtum accipiat, id est unum panem, modicum vocatum, sive Mixtonum. Vel ab hoc Mixto sunt veriùs appellati mixtones.* Idem in secundo Commentario : *Vulgare est,* inquit, *Italicorum dicere mixtum illam levem comestionem, quæ prandium antecedit.* Itaque ex his omnibus perspicuum est, Mixti nomine comprehendi non tantùm calicem vini, sed etiam modicum panis fragmentum, id est *libræ quartam partem,* ut habet Hildemarus in Regulæ caput 35. cui suffragantur Udalricus superiùs laudatus, Boërius in loco mox relato, atque usus Ordinis Cistertiensis : qui Usus pro Mixto *quartam partem heminæ* Lectori & septimanariis indulgent. Tum subdunt : *Sumto itaque mixto, si quid residuum fuerit, referant panem in arcam, & vinum in vas.* Quod argumento est, hunc vini calicem non ita modicum fuisse. Hæc in capitula Synodi Aquisgranensis observasse sufficiat. CLXXI

num. 166. Usus Cistert. cap. 73.

Præter Statuta ejus Synodi & Benedicti Anianensis, extat etiam alius liber, *Ordo conversationis monasticæ* inscriptus apud Haeftenum, & in ms. codice Gemeticensi, *Memoriale Monachorum*. Hujus libelli conditor est vel Benedictus Anianæ Abbas, qui ordinem observandum omnibus Monachis tradidisse, præter Statuta Synodi Aquisgranensis, perhibetur ab Ardone; aut certè Euticius Abbas, qui *ex beatorum Patrum Regulis & Institutionibus diversas consuetudines sumsit, unoque volumine conligavit,* referente Johanne Monacho in lib. 1. de Vita S. Odonis Abbatis cap. 11. In excerptis quæ Ardo in Benedicti vita ex *Ordine* superiùs memorato adducit, vix ullum apparet vestigium hujus libri, de quo hîc agimus. Unde potiùs Euticio adscribendus videtur, quàm Benedicto. Huic porrò tribuitur judicium de diverso pænitentiarum modo, qui Monachis lapsis imponi debet ex Regulæ præscripto : quod opus in appendice Capitularium recèns editum est num. XI. Eidem Benedicto multùm etiam obstricta est res literaria, quam disciplinæ regularis sociam & opitulatricem vir prudens non immeritò reputavit, ob idque quanta potuit sedulitate promovere sategit, ut ex consequentibus perspicuum fiet. CLXXII

§. VIII.

De scholis Parisiensibus, Palatinis, & Monasterialibus sæculi IX.

POstquàm de literarum studiis per Monasteria nostra principio institutis disserui in superioris Sæculi Præfatione : nunc consequens est, ut de scholis nostris sæculo nono celebrioribus agam hoc loco, & primùm quidem CLXXIII

de

de Academia Parisiensi, cujus initia Majoribus nostris omnes accepta referunt. At quos habemus ejus sententiæ auctores, tot fabulis involuti sunt, ut non facile sit verum ac certum à falso & incerto secernere. Inter primos occurrit Vincentius Bellovacensis, qui in Speculo historiali scribit, idemque alii permulti post eum, Parisiensis studii Institutores exstitisse quatuor Monachos Bedæ discipulos, scilicet Rabanum, Alcuinum, Claudium, & Johannem Scotum: quos omnes Beda vivente constat necdum fuisse natos, si fortè unum Alcuinum excipias. Claudium verò confundunt plerique cum Clemente, quem ex Hibernia in Galliam docendi gratiâ cum alio socio accessisse tradit Monachus Sancti-Gallensis initio vitæ Caroli Magni. At Claudium, qui in palatio Caroli Magni aliquamdiu literas docuit, alium esse ab isto Clemente exploratum est: tum quia hic Claudius natione Hispanus fuit, Felicis Urgelitani Episcopi discipulus, posteà Taurinensis Episcopus, ut demonstravi in veterum Analectorum tomo 1. tum quia ex Hispania in Galliam arcessitus à Carolo est, aliâ proinde viâ investiganda origo Academiæ Parisiensis. Atque ut ne in verbo ludamus, præmonitum lectorem velim, hic Academiæ nomine non significari à me corpus illud (quod vocant) Universitatis, quatuor facultatibus constans, in quo certi honoris gradus Literatis sollemni ritu conferuntur: sed intelligi publica quæcumque literarum studia uno in loco instituta, & continuata.

Vincent Spec. hist. lib. 23. al. 24. c. 73.

CLXXIV Studia in Galliis antiqua.

Quantum Carolo Magno res literaria debeat, testantur illorum temporum auctores, qui ejus studium in scholis instituendis certatim commendant. Huc spectat præclara ipsius epistola ad Baugolfum Abbatem Fuldensem, ad alios itidem Abbates, immo & Episcopos missa; ejusdem Capitularia, & Decreta maximè Concilii Cabilonensis ad restituenda ubique studia, quæ plerisque in locis ad interitum vergebant. Hoc in opere usus est incentore simul & adjutore in primis Alcuino: cujus operâ factum est, *ut Athenæ novæ perficerentur in Francia*, ut scribit ipse in epistola 10.

CLXXV Jam quidem longè ante illud tempus literarum exercitia in Gallia viguerant. Tacitus in libro 3. Annalium sub Vespasiano, Et Eumenius sub Diocletiano ac Maximiano Augustis scholarum Augustodunensium meminere: qua de re Notitia Galliarum, à viro clarissimo Hadriano Valesio Historiographo regio nuper edita, legenda est. Apud Juvenalem.

Notit. Gall. pag. 61. & 62.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Extat Gratiani rescriptum in codice Theodosiano relatum, quo Antonio Prætorio Galliarum Præfecto mandat, ut in singulis metropolibus literarum studia instituat, eisque idoneos professores præficiat cum congruo supplemento. Hæc studia potissimùm floruêre in civitatibus Lugdunensi, Augustodunensi, aliisque usque ad sæculum VII., quo tempore Sigeberchtus Orientalium Anglorum Rex, in Gallia quondam profugus, *ubi regno potitus est, mox*, referente Beda, *ea quæ in Galliis bene disposita vidit, imitari cupiens, instituit scholam, in qua pueri literis erudirentur, juvante se Episcopo Felice*, quem natione Gallum, professione Monachum fuisse referunt, quod argumento est, in pluribus jam Galliarum locis, scholas viguisse. At per varias bellorum procellas, quæ sæculo VIII. Galliam universam infestarunt, cùm otia & quies amica musis prærepta fuissent, ubique literarum studia languere, brevi intermoritura, cœperunt: donec Carolus Magnus ea postliminio excitavit denuo, invitatis in Galliam litteratis viris, Alcuino aliisque Anglis, qui acceptam ex hoc regno eruditionem ac doctrinam Gallis tandem vicissim refunderent. Idem curavit Ludovicus Augustus ejus filius, ut constat tum

Beda hist. lib. 3. c. 18.

à Carolo M. &c. denuo excitata.

ex

ex ipsius vita, tum ex VVandalberto Prumiensi Monacho in præfatione ad vitam S. Goaris, ubi scribit, *apud Gallias multos annos literarum studia jacuisse, quousque sua ætate Principum liberalitate & optimorum virorum solertiâ, disciplinarum studia profecerunt.* Hericus Autisiodorensis Monachus idem elogium Carolo Calvo tribuit in prologo ad carmen de S. Germano Episcopo Autisiodorensi: tametsi Caroli Calvi principatu grave dispendium passæ sunt artium disciplinæ ob Nortmannorum infestationes; at longè gravius sub istius sæculi finem. Sed ad Carolum Magnum & ad Alcuinum reflectenda oratio est.

Ut à minimis ad majora progrederetur Alcuinus, Carolum in primis monuit, ut scribendi ratio, quæ per librariorum socordiam corruptissima erat, ad meliorem formam reduceretur; curarentque scriptores amanuenses, ut commatum distinctiones antea neglectas observarent. Hortatoria ea de re habetur Alcuini epistola 15. ad Carolum in hæc verba. *Punctorum distinctiones & subdistinctiones, licèt ornatum faciant pulcherrimum in sententiis, tamen usus illorum propter rusticitatem penè recessit à scriptoribus. Sed sicut totius sapientiæ decus, & salutaris eruditionis ornatus per vestræ nobilitatis industriam renovari incipit: ita & horum usus in manibus scribentium redintegrandus esse optimè videtur.* Deinde librum edidit de septem liberalibus Artibus; tum Dialogum de Grammatica, aliosque duos interlocutore Carolo de Rhetorica & Dialectica: quibus varios tractatus, libros & epistolas de rebus Moralibus ac Theologicis adjecit. Adeò ut duo tantùm restent studiorum genera, Legum scilicet Jurisque scientiæ, ac Medicinæ, de quibus nulla extant ejus Auctoris monumenta. CLXXVI

Neque ea sollùm libris editis docuit Alcuinus; sed etiam in publicis scholis, illis maximè quas in Turonensi S. Martini Cœnobio Abbas ipse aperuit. *Ego Flaccus vester*, inquit in epistola 1. ad Carolum Magnum, *secundùm exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per tecta S. Martini sanctarum mella scripturarum ministrare satago: alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo: alios Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam: quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domus culmine, inluminare gestio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem imperialis regni vestri erudiam.* At de isto, aliisque locis ab eo illustratis agendum in ejus elogio, quod inferiùs suo loco exhibendum est. Interim hoc loco inquirendum, an Alcuinus auctor, aut certè instaurator dicendus sit Academiæ Parisiensis, eo modo, quo Academiæ nomen superiùs exposui: hoc est, an publica literarum studia, quæ per continuas temporum vices postea præstiterunt, Luteciæ Parisiorum favente Carolo Magno instituerit. CLXXVII

Scholam in palatio Caroli Magni ab Alcuino aut institutam, aut certè excultam fuisse, in qua pueri nobiles ac ministeriales Palatini literas docebantur, nemo negare potest. Quippe Carolus eruditus ab eo est, indubiè in palatio regio, eoque præceptore Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ dedit operam, uti Eginhardus auctor est. Hinc Alcuinus in epigrammate 199. Fratres Eboracenses ad pangendos versus invitans, de se ipse ita canit. CLXXVIII Scholæ Palatinæ Alcuino quantum debeat.

Talia namque placent vestro quia munera Patri,
Qui nunc egregias regalibus insonat artes
Auribus, & patrum ducit per prata sequentem,
Præpulcro Sophiæ regnantem stemmate celsæ.

Id contigit in prima Alcuini mora apud Gallias: quo tempore Gislam & Ri-

Rictrudem regias virgines; Angilbertum, cui cognomen indidit Homero; aliosque viros illustres literis imbuit. Cùm verò computum Ecclesiasticum secundùm Romanæ Ecclesiæ ritum scholaribus palatinis tradidisset; posteà in epistola 9. ad Carolum conquestus est, quòd *calculatores Ægyptiacos*, eos scilicet qui calculum Alexandrinum sequebantur, admisisset in scholam palatinam. *Ego ignarus*, ait, *nesciens Ægyptiacam scholam in Palatio Davidicæ versari gloriæ*, (nam Carolum Davidis nomine compellare solitus erat) *ego abiens Latinos ibi dimisi: nescio quis subintroduxit Ægyptios*. Quinam fuerint Ægyptiaci illi præceptores, conjicere mihi videor ex carmine Theodulfi Aurelianensis Episcopi ad Angilbertum: quo in carmine Scottum quemdam in aula degentem ac docentem falsis amarulentisque dicteriis impetit. Nam Scotti ex Hibernia orti olim sequebantur Paschalem circulum Alexandrinorum, qui Pascha Lunæ quarta decima die, si quando in dominicam incidisset, celebrabant. Et forsan is erat Clemens Scottus, quem in Gallia ad docendum fuisse relictum à Carolo tradit Monachus Sancti-Gallensis initio libri primi.

CLXXIX *an fixa*. Erat ergo schola palatii regnante Carolo Magno: at quo in loco exstiterit, immo an constiterit uno in loco, indagandum est. Posterius hoc mihi certum videtur. Neque enim facilè de loco in locum transferri poterat totus ille præceptorum, scholarium, librorumque comitatus & apparatus, si quando Rex mutabat sedem, quod frequenter contingebat. Et erat amplissima in palatio, non illo circumforaneo, sed fixo Bibliotheca: ex qua Ludovicus Augustus *copiam librorum* Amalario Diacono suppeditavit, ut is ex diversis Doctorum sententiis Regulam Canonicorum excerperet, referente Ademaro Monacho Ecolismensi. Stata proinde erat palatii schola. Id tamen non ita adseveranter affirmem, ut palatinos scholares de loco in locum aliquando cum regio comitatu non existimem commigrasse. Nam Alcuinus, quem scholæ palatinæ moderatorem fuisse constat, ferè numquam aberat à contubernio Caroli Magni: & Carolus Calvus *liberalium artium ferulas à palatio numquam deesse* patiebatur, ut lego in historia Episcoporum Autissiodorensium. Varia per id tempus erant palatia Regum nostrorum. Aquisgranensi maximè delectabatur Carolus Magnus, & post eum Ludovicus Augustus. *Hist. Episcop. Autis. c. 41.*

CLXXX *Parisienses scholæ*. An schola Parisiensis ea tempestate inter scholas Palatinas censeretur, dubitaverint fortasse nonnulli: propterea quòd postremis primæ stirpis regiæ, & totis secundæ temporibus rariùs Luteciæ Parisiorum residebant Francorum Reges. Palatinæ tandem dici potuêre Parisienses scholæ, utpote sitæ juxta palatium Thermarum, quod erat in Australi pomœrio civitatis, ad montem scilicet S. Genovefæ, qui olim *Locuticius* dicebatur. Certè antiquitus hunc locum insedisse viros doctos qui literas profitebantur, patet tum exemplo Hucboldi, qui *dum adolescentulus è scholari disciplina confugisset Parisius, S. Genovefæ Canonicis adhæsit* tempore Rotberti Regis Francorum, *& in brevi multarum scholarum instructor fuit*. Anselmus Leodicensis Canonicus auctor. Sæculo insequente Abaëlardus *extra civitatem in monte S. Genovefæ scholarum suarum castra posuit*, ut ipse memorat in historiæ calamitatum suarum lib. 1. cap. 2. Eumdem montem occupant modò Collegia ferè omnia Universitatis Parisiensis. An Parisiensibus scholis aliquando præfuerit Alcuinus, non ita compertum est apud veteres. Huc tamen facit epistola Gislæ & Rictrudis, regiarum Virginum, præfixa ejus commentario in Johannem. In ea enim epistola se nonnihil *de mellislua sanctæ scripturæ cognitione*, Alcuino *exponente*, hausisse, confitentur, & quidem apud Parisios, ut ex sequentibus istius epistolæ verbis intelligitur. Nam adducto Hieronymi exemplo; qui rogatu qua-rum-

rumdam Romanæ urbis matronarum, plurima in facram fcripturam opufcula apud Bethleem condiderat, hæc fubdunt. *Minori vadofum Ligeris flumen, quàm Tyrrheni maris latitudo periculo navigatur : & multò faciliùs chartarum portitor tuarum de Turonis Parifiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam pervenire poterit*. Turonis tum degebat Alcuinus, Gisla & Ri&rudis apud Parifios : ubi proinde eas erudierit Alcuinus, quis poft ipfum rexerit Parifienfes fcholas, non invenio. Neque enim ferenda eft Parifienfium Præceptorum fucceffio, quam tradit five Vincentius Bellovacenfis, feu Ademarus Ecolifmenfis Monachus Smaragdum Theodulfi; Hericum Remigii præceptores perperam appellans : cùm ex adverfo Remigius Hericum auditorem habuerit; & Theodulfus literas didicerit in Italia, antequàm in Galliam invitante Carolo Magno accederet, Smaragdo natu major. Ex his unum Remigium Parifienfibus fcholis præfectum fuiffe conftat : quo præceptore Odo, poftea Cluniacenfis Abbas piiffimus, in Parifiaca civitate ufus eft.

Quia ergo in tanta rerum obfcuritate, quinam literas apud Parifios Carolinis temporibus docuerint, defignare difficile eft; faltem palatinarum fcholarum, ubicumque demum in Gallia fteterint, Rectores enumerare juvat. CLXXXI Alcuino ejufmodi fcholarum moderatori facilè principi, cum ad Turonicum S. Martini Cœnobium tandem feceffiffet; fucceffit Clemens Scottus ille, quem Theodulfus verfibus infectatur, uti modo obfervabam. *Palatini Præceptores.* Eodem tempore Claudius Hifpanus, Felicis Urgelitani Epifcopi difcipulus, *cui in explanandis fanctorum Evangeliorum lectionibus quantulacumque notitia ineffe videbatur*, ut ait Jonas in libro primo contra eum fcripto, in palatio moratus eft juffu Caroli Magni, nimirum ut fcripturas facras Palatinis exponeret. Claudio ad fedem Taurinenfem promoto per Ludovicum Auguftum, eafdem fcholas moderatus eft Amalarius Diaconus; quem iftic Præceptorem habuit Angelomus Monachus Luxovienfis. Is quippe in præfatione explanationis fuper Cantica Canticorum Lothario Augufto fcribit, fe *excubaffe in veftro*, inquit, *facro palatio fub obtentu traditionum liberalium artium, enucleationumque divinarum fcilicet fcripturarum*. Et in præfatione ad Commentarios Regum, fatetur eos ab fe conditos ex mente præceptoris fui, quem Amalarium fuiffe reor. Hinc eft, quòd Ludovicus Pius eidem Amalario copiam librorum fuppeditavit ex Bibliotheca palatii ad componendam (ut dixi) Regulam Canonicorum : eumdemque Romam mifit, ut Gallicanum cantum & officium ad ritum Romanum emendaret. Ludovico item imperante palatii præceptor fuit Thomas, ad quem hoc nomine VValafridus Strabus carmen edidit. Remigius, Cœnobii S. Germani apud Autifiodorum Monachus, *Dialecticam & Muficam* apud Parifios profeffus eft, regnante Carolo Calvo, fiquidem eo præceptore has artes S. Odo Abbas Cluniacenfis ibidem didiciffe memoratur à Johanne Monacho ipfius Vitæ Scriptore. Remigii æqualis fuit Johannes Scottus, qui etiam in palatio Caroli Calvi fcholas tenuit, difcipulumque inter alios habuit Uribaldum, poftea Epifcopum Autifiodorenfem. Quinam poft eos palatinas fcholas rexerint fæculo nono, mihi nondum compertum eft.

Hæc de Palatinis fcholis dixerim occafione Academiæ Parifienfis, quam nomine fcholæ Palatinæ, propterea quòd Palatio vicina erat, itidem affectam fuiffe veri fimillimum eft. CLXXXII In fcholas porrò palatinas Monachi non rarò admittebantur cùm ad docendum, tum ad difcendum. *Monachi Præceptores admiffi.* In his facilè princeps fuit Alcuinus, de cujus monachatu fufiùs differam in ipfius elogio hic relato. Alcuino poft aliquod tempus fucceffit Amalarius, quem Sigebertus itidem *Monachum* vocat in lib. de Scriptoribus ecclefiafticis capite 87. Unde

Nn fufpi-

ſuſpicor eumdemmet eſſe Amalarium, cui Eginhardus epiſtolam tertiam dirigit, *Reverentiſſimo Chriſti famulo Amalharo* inſcriptam. Et primùm quidem Clericus, tum Diaconus Mettenſis eccleſiæ fuit, ac demum Presbyter, & Abbas fortaſſe Gorzienſis: ſub cujus regimine vixit Gontardus Monachus, ad quem exſtat ejus epiſtola de ſputo poſt communionem, ubi Gontardum filium in diſciplina Chriſti appellat. Non longo poſt Amalarium intervallo Pariſienſibus ſcholis præfuit Remigius Monachus Autiſiodorenſis. An etiam Johannes Scottus inter Monachos cenſendus ſit, in ſecundo hujus ſæculi tomo expendam. Si à domeſticis ad externas ſcholas tranſeamus, Monachos etiam ad docendum admiſſos inveniemus. Egregium hujus rei argumentum conſtat in vita Alfredi Anglo-Saxonum Regis, qui cùm liberales diſciplinas, tum in Palatio tum in Regno ſuo reſtituere vellet; iſtuc Grimbaldum & Johannem Ordinis noſtri Monachos invitavit, idque per eos feliciter exſecutus eſt, ut in ſecundo tomo fuſiùs exponam.

CLXXXIII Iidemque auditores. Præter præceptores in ſcholas palatinas admittebantur etiam Monachi ad diſcendum. Nam in iſtis Angelomum Luxovienſem Monachum ſtudiis ſacris dediſſe operam ſuperiùs obſervabam. Neque mirum ſanè, cùm in palatiis Reges haberent etiam Cœnobia Monachorum. De Euticio Abbate explorata eſt res teſtimonio Johannis Monachi in lib. 2. de vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis, ubi Euticius *in tanto amore* apud Ludovicum Auguſtum habitus fuiſſe prædicatur, *ut intra palatium ſuum illi conſtrueret Monaſterium*. Quonam in loco ſitum fuerit Monaſterium iſtud, mihi divinare non licet, nam varia fuêre per id tempus, ut dixi, palatia Regum noſtrorum. Idem præſtitit Ludovicus in Benedictum Anianæ Abbatem: in cujus gratiam, *quia Imperatori multis pro cauſis erat neceſſarius, placuit Imperatori, ut non longè à palatio provideret locum aptum ſibi, in quo cum paucis quieſcere poſſet*. Id exſecutus eſt Ludovicus conſtructo indè Monaſterio prope palatium Aquiſgranenſe, ubi Ludovicus frequens morabatur.

CLXXXIV Supereſt, ut de Scholis monaſteriorum noſtrorum, quæ ſæculo nono celebriores fuêre, paucis agam hoc loco. Erant in ſingulis Cœnobiis ejuſmodi Scholæ, majores aliæ, aliæ minores. Carolus ſiquidem conſtituit in primo Capitulari Aquiſgranenſi anni DCC. LXXXIX., ut Canonici & Monachi, *non ſolùm ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregarent, ſibique ſociarent; fierentque* apud eos *ſchola legentium puerorum* ut hi *pſalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per ſingula monaſteria vel epiſcopia diſcerent*. Publicæ igitur, omnibuſque communes erant Monaſteriorum Scholæ, nimirum *exteriores* ſeu *canonicæ*, nam clauſtrales ſolis Monachis deſtinatæ erant, teſte Ekkehardo Monacho de caſibus S. Galli cap. 1. Hinc Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, *In omnibus*, inquit, *Ordinis noſtri Cœnobiis, in Germania & Gallia maximè; Monachorum Scholaſtici ex Monachis habebantur, qui juniores quoſque & ingenio præſtantes in primitivis literarum ſcientiis erudirent; & poſteà qui habiles inventi fuiſſent ad altiora tranſmitterent*. Erant hæ minores ſcholæ, in quibus pueri condiſcebant *Fidem catholicam & Orationem dominicam*, ex Concilii Moguntini cap. 45. item *pſalmos, notas, cantus, computum, & grammaticam*, ex Capitulari Aquiſgranenſi mox relato. De majoribus ſcholis ita ſubjungit Trithemius. *In ſolis autem famoſioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copioſior, & Monachorum numerus major, conſtituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctiſſimi, & non ſolùm in divinis, ſed etiam in ſæcularibus literis eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus diſciplinis imbuendi*. Porrò in ſingulis Cœnobiis majoribus Scholaſti-

Capitul. Aquiſgran. c. 70. Capitul. l. 1. c. 68.

Trithem. in Chron. Hirſaug. ad ann. 952.

lasticus instituebatur, id est scholarum Magister, qui non solùm in scripturarum divinarum scientia excelleret, sed etiam *in literis sæcularibus*, id est in *Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, & in ceteris omnibus. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo Cœnobio Monachum Abbas minimè habuisset; de aliquo alio Monasterio petere aptum non erat verecundum &c.* Denique præcipua Monasteria, in quibus ejusmodi studia fervebant sæculo nono, enumerat idem Trithemius, scilicet *Fuldense S. Galli, Augiense, Hirsfeldense, Hirsaugiense, S. Albani Moguntinense, Corbeïense, Prumiense, Mediolanense, S. Dionysii Parisiense, S. Maximini Trevirense, Remense, Altisiodorense, Turonense, Stabulense, & VVeissemburgense.* His adjunge Anianense, Floriacense, Parisiense S. Germani, Ferrariense, Gorziense, Insulæ Barbaræ, S. Michaëlis Virodunense, Fontanellense, Sithiense, apud Italos Casinense, Ticinense, & alia complura. Ut de singulis pro argumenti dignitate hîc edisseram, non sinit brevitatis studium: de quibusdam nonnulla delibare sufficiat.

Idem ad ann. 890.

CLXXXV Anianensis.

Benedictus, magnus ille Anianæ Abbas, simul ut de restituenda Regulari disciplina cogitavit, mox etiam studia literaria redintegrare adnisus est. *Normam utilem*, inquit Ardo, *& Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas. Tum instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos; & scientiâ scripturarum peritos, de quibus etiam pòst fuere Episcopi, aggregavit*: denique *librorum multitudinem congregavit*. Ex hujus discipulis unus fuit Ardo ipsius Vitæ scriptor, quem *Magistrum* vocant Indenses in epistola sua, alio nomine Smaragdus appellatus.

CLXXXVI S. Michaëlis.

Floruit eodem tempore alius Smaragdus Abbas Monasterii S. Michaëlis in pago Virdunensi, pietate ac scriptis clarus; à quo schola hujus loci originem habuit, ut fusiùs exposui in notis ad Chronicon ejusdem Cœnobii, quod typis vulgatum est in veterum Analectorum tomo 1.

CLXXXVII Floriacensis.

Jam ante Smaragdum vigebat schola Floriacensis, de qua hæc lego in Capitulari Theodulfi Episcopi Aurelianensis. *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia S. Crucis, aut in Monasterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Lifardi, aut in ceteris de iis Cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt; ei licentiam id faciendi concedimus*. Quidam vir doctus hîc observat, scholas Episcopales in Cathedrali S. Crucis Ecclesia; Cœnobiales in Monasteriis S. Benedicti, aliisque, sic tum fuisse institutas, *ut privatæ essent utræque, nec publicè cuilibet paterent: quandoquidem Presbyterorum nepotibus ac consanguineis, ut eas adire possent, loco privilegii concessum est ab Episcopo Diœcesano*. Id quidem Theodulfi privilegium est: sed Presbyterorum consanguineis, non scholis ipsis concessum. Presbyterorum quippe nepotes ac consanguinei, quos hîc memorat Theodulfus, erant adolescentes in Clerum cooptati, ac certis addicti ecclesiis, alii urbicanis, alii vicanis: utrisque licentiam concedit adeundi quas ex his vellent scholas. Neque enim licebat Clericis ab ecclesia, cui semel incardinati erant, recedere inconsulto Episcopo. Has ergo scholas, uti publicas, agnoscit Theodulfus, aliàs frustra concederet licentiam ad eas adeundi, nisi adventicii in illas admitterentur. Sic Episcopi, sic collegia Canonicorum subditis suis facultatem indulgent adeundi studium Parisiense. Sic Theodulfus junioribus Clericis permittebat aditum scholæ Floriacensis, uti & aliorum suæ diœceseos Cœnobiorum: in quibus idem mos obtinebat, atque in Sancti-Gallensi, ubi duplices erant scholæ, *interiores* seu claustrales, *exteriores* seu *canonicæ* pro sæcularibus, quorum consuetudo junioribus Monachis interdicta erat. Ut

Coint. ann. 786. n. 35.

verò hunc Theodulfi locum de junioribus Clericis exponam, præcipuè me movet Beati Abbatis Hispani, Theodulfi æqualis, liber adversùs Elipandum primus, in quo docet solos eos, qui *futuri sunt sacerdotes*, *Scholæ* tradi tum solitos; ceteros *doctrinæ*. *Ex ipsis baptizatis*, inquit, *alii traduntur scholæ*, *& offeruntur à parentibus Christo*, *ut possint futuri esse Sacerdotes*, *& serviant Christo*, *alii tantùm doctrinæ traduntur*, *ut legant*, *& cognoscant Christum & accipiant eum benedictione intra Ecclesiam uxores*, *ut serviant conjugio*. Ex quo intelligitur, superiorem Theodulfi locum explicandum esse de Clericis, aut de vitæ clericalis candidatis: qui soli mittebantur ad Scholas. Hinc soli ferè Clerici literis instructi erant, uti vulgatum hactenus retinet proverbium. Quamquam scholæ Palatinæ apud Francos nobilibus quibusque destinatæ erant. Atque ut laïcis ac Clericis communes fuerint etiam aliæ scholæ, id etiam sententiæ nostræ favet. Neque enim eas Scholas adeundi licentiam Theodulfus restrinxisset ad nepotes & consanguineos Presbyterorum, si laïcis itidem quibusvis non patuissent istæ Academiæ. Sæculo IX. Scholam Floriacensem illustrarunt in primis Adalbertus, Adrevaldus, Adelerius, insequenti Constantinus Scholasticus, Abo, & Aimoinus.

CLXXXVIII Fuldensis. Nulla verò per id tempus celebrior Academia fuit, quàm Fuldensis Rabano præceptore, cui adjunctus Haimo posteà Halberstadensis Episcopus, aliique. Eò Freculfus Lexoviensis Episcopus, Lupus Monachus, dein Abbas Ferrariensis; Heiricus Autissiodorensis Monachus, & alii permulti se contulêre ex Gallia, ut literas sacras addiscerent. His etiam adnumero VVssinum Eginhardi filium, ad quem ipse scripsit epistolam 30., cujus hæc verba referre operæ pretium duco. *Mi nate*, inquit, *stude probos æmulari mores*, *& quem te semper sequi hortabar*, *ne ullo pacto offensum habere velis*: *sed professionis tuæ memor*, *quantum ipse annuerit*, *cui te totum commisisti*, *ejus mandatis insiste discendis*. *His edoctus*, *& in opere eorum assuetus*, *nullo vitalis scientiæ commodo carebis*. *Sicut te præsens monui*, *in studio discendi te exerce*; *& quidquid ex ipso lucidissimo*, *& abundantissimo magni Oratoris ingenio assequi nobilis scientiæ potueris*, *nihil intactum relinque*: *maximè autem probos mores illius*, *quibus excellit*, *imitari memento*: *quoniam Grammatica & Rhetorica*, *ceteraque liberalium artium studia*, *vana sunt*, *& valdè nociva servis Dei*, *nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur*, *quia scientia inflat*, *caritas verò ædificat*. *Melius mihi quidem est*, *ut te mortuum videre contingat*, *quàm inflatum & scatentem vitiis*. Hæc piissimi parentis monita, qui Rabanum præceptorem his verbis imitandum videtur proponere VVssino, qui vel filius ejus verus, vel certè filius in Christo ac propinquus erat.

CLXXXIX Augiensis. Ex Fuldensi Academia propagata est Hirsaugiensis, de qua fusè Trithemius in historia Hirsaugiensi. Augiensis etiam Fuldensi debet VValafridum suum, qui Rabani auditor fuit, tametsi etiam Augiæ Fattonem præceptorem habuit. Ast ante VValafridum Hetto Abbas Augiensis, à Scotto quodam (quem Clementem esse puto) edoctus, Augiensem scholam illustraverat. Successorem habuit Erlebaldum, Erlebaldus Tattonem & VVetinum, de cujus viso carmen edidit VValafridus hoc tomo relatum, in quo hæc omnia memorantur. Veri item simile est, Gothescalcum in eodem loco edoctum fuisse, uti colligunt nonnulli ex VValafridi carmine ad ipsum, & ex schedis Monasterii Altivillarensis.

CXC S. Albani. Fuldensi vicinum erat Moguntiacense S. Albani Monasterium, in quo florebant studia per Probum & Altvvinum Monachos, non minùs pios, quàm doctos. Probi res gestas referam in hujus sæculi tomo 2. De Altvvino con-

condiscipulo suo agit Lupus Abbas Ferrariensis in epistolis 20., 34. & 36. ad ipsum scriptis : in quarum prioribus duabus varias Grammaticæ quæstiones ab eo propositas solvit. In his etiam de Episcopi cujusdam sanitate sollicitum se esse significat : quod de Rabano præceptore suo, qui tum Moguntiacensi ecclesiæ præerat, intelligendum est.

CXCI Prumiense. Non ita longè ab his duobus aberat Prumiense Monasterium, in quo etiam literarum cultus maximè viguit Marvvardo Abbate : cujus discipuli fuêre Ado Viennensis posteà Archiepiscopus, VVandalbertus Diaconus & alii, quibus accedit Regino celebris Abbas Prumiensis. Ado quippe Monachus quidem erat Ferrariensis : sed ob sociorum quorumdam invidiam, indè exire compulsus, Prumiam se recepit sub Marvvardi disciplina; deinde Lugdunum, ubi à Remigio Episcopo perhumaniter receptus est, ac demum ejus operâ provectus in sedem Viennensem. Horum omnium probationes adducam in præsentis Sæculi tomo 2., in quo Adonis res gestas expositurus sum. Sed mihi temperare nequeo, quin cum literatis viris communicem egregium de eodem Adone testimonium, quod hactenus in Lupi Abbatis epistolis lectum est, sed non intellectum. Locus occurrit in epistola 122. quæ Gerardo Provinciæ Duci seu Comiti, & Bertæ ejus conjugi inscripta est. In hac enim epistola Lupus ipsis contestatur, quemdam Monachum suum, qui à Monasterio suo quondam cum *regularibus literis* discesserat Prumiam, ac postmodum discendi studio Lugduni constiterat sub Remigio Pontifice, esse hominem probatæ vitæ, idoneum ad docendum, progenitorum nobilitate ornatum; uno verbo prorsus dignum sede Episcopali, ad quam electus erat, quæ omnia in Adonem convenire certis demonstrabo argumentis. Interim primam huiusce observationis meæ originem acceptam refero diligentiæ eruditissimi viri Stephani Baluzii, qui in nova editione Lupi Abbatis operum hanc mihi eruendæ veritatis viam aperuit duarum dumtaxat litterarum correctione. Nimirum in editione Massoniana sic legebatur hic versus : *Ceterùm, quod diligenter scrutamini, noveritis Monachum & discipulum meum A D. numquam* &c. cui loco vir diligentissimus hanc adnotationem adhibuit. *Ita vetus codex, pro quo editio Massonii habet,* nonnumquam : *Sanè necessaria est isthæc emendatio. Quis autem fuerit hic homo, quem duabus illis litteris A D. expressum videmus, nondum potui divinare.* Ita ille. Nec ego certè umquam divinassem, nisi istuc me perduxissent vetera hac de re monumenta, quæ præ manibus habeo. Id me in antecessum monuisse non erit (opinor) viris studiosis ingratum.

CXCII Ferrariense. Prumiensi Monasterio magna affinitate conjunctum erat Ferrariense, quod famosissimum fuit, maximè sub regimine Lupi Abbatis, ut hîc dicendum in Vita S. Aldrici ex Abbate Pontificis Senonensis. Quantùm in literas propensus fuerit Lupus, testatur ipse in epistola prima ad Einardum. *Amor literarum*, inquit, *ab ipso ferè initio pueritiæ mihi est innatus : nec earum, ut nunc à plerisque vocantur, superstitiosa otia fastidio sunt.* Hoc amore affectus, in peregrinas regiones profectus est, scilicet in Fuldense Monasterium, non ut linguam Germanicam disceret, ut alicubi dicit : sed ut sacra lectione & eruditione pasceret animum. Reversus Ferrarias, Abbasque factus, duplici pabulo pavit gregem, scilicet doctrinâ salutis, & humanioribus disciplinis. De inculcando tum bonæ vitæ, tum scientiæ studio quàm sollicitus fuerit, testatur in epistola 35. ad Ebrardum Monachum, propinquum suum. *Reviviscentem*, inquit, *in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosè colere pergratum habeo : sed hinc haud quaquam mediocriter moveor, quòd quidam nostrûm*

par-

partem illius appetentes, insolenter partem repudiant --- Etenim plerique ex ea cultum sermonis quærimus, & paucos admodùm reperias, qui ex ea morum probitatem (quod longè conducibilius est) proponant addiscere. Sic linguæ vitia reformamus, & purgare contendimus: vitæ verò delicta parvi pendimus & augemus. Eamdem occupationem aliquamdiu intermissam repetere se velle Carolo regi testatum facit per Æneam Parisiensem Episcopum in epistola 119. De auditoribus suis agit in epistola 34. ad Altvvinum, & in epistola 116. gratissimum auditorem suum Fridilonem memorat. Inter hos auditores adnumerandi sunt etiam Ado prælaudatus, & Heiricus Autisiodorensis Monasterii S. Germani Cœnobita. Id etiam ipse contestatur in carmine ad Hildeboldum Autisiodorensem Episcopum, cui collectanea sua (quæ præ manibus habeo) ex ore Lupi & Haimonis præceptorum suorum accepta dedicavit, præmissis versibus à me in veterum Analectorum tomo 1. editis, ex quibus sequentes ad propositum pertinent.

Hic præceptorum sunt ludicra pulcra duorum,
Quis ego præsulibus ingenium colui.
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cùm quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter:
Excedit titulis clarus uterque suis.

Ex quibus intelligimus Heiricum Ferrariis & Fuldæ operam literis navasse.

Dein scholas Monasterii sui, scilicet S. Germani apud Autisiodorum, rexit Heiricus, cui ad educandum commissus est Lotharius Caroli Calvi filius, uti Heiricus ipse testatur in epistola ad Carolum Calvum, Vitæ S. Germani præfixa his verbis. *Quidquid igitur litera possunt, quidquid adsequuntur ingenia, tibi debent: tibi, inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro, cùm virtute praecellis, tum etiam sapientiâ refulges. Quorsum ista protulerim, illud causa est, divæ memoriæ Lotharium, tuæ filium majestatis, annis puerum, mente philosophum, (ingenuè profiteor) animi indole & sollertiæ opibus, ut tibi uni concedam, præ ceteris sui ævi mortalibus extitisse pretiosum. Is, quòd tua dispositione & Deo devotus & beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis meritò invidisse putetur.* Fuerat Lotharius iste *Clericus*, id est Monachus, factus in Cœnobio Reomaensi *, ut patet ex annalibus Bertinianis, in quibus hæc verba ad annum DCCC. LXI. *Karlus Rex filium suum Lotharium claudum in Monasterio S. Johannis Clericum fieri jubet.* Ejus mortem anno DCCC. LXV. referunt iidem annales. Heirici apud Autisiodorum sodalis fuit Remigius Lupi Abbatis propinquus, & forsan discipulus, qui primò quidem in suo ipsius Monasterio literas docuit, tum Lutetiæ Parisiorum, atque etiam apud Remos; eò vocatus à Fulcone Archiepiscopo Remensi, testante Frodoardo in lib. 4. cap. 9.

CXCIII S. Germani apud Autisiodorum.

* *Monstier S. Jean.*

CXCIV S. Germani apud Parisios. Commune & nomen, & studiorum commercium erat in S. Germani Monasterio Parisiacensi, quod à pratis appellationem traxit: quo in loco sub Aimoino, ac deinde sub Abbone Magistris scholæ pro miserabili Galliæ statu floruerunt, perseveraruntque sæculo X., quo Olbertus Gemblacensis dein Abbas, huc eruditionis gratiâ missus est. Refloruêre studia hæc maximè sub Guillelmo Episcopi Abbate procedente sæculo XV., qui Abbas jus Canonicum in Universitate Parisiensi prælegisse fertur.

CXCV Multa dicenda essent de studiis utriusque Corbeïæ, Gallicanæ scilicet ac Sa-

Saxonicæ : quæ utraque magnum illum Anscharium præceptorem habuit : Gallicana verò Paschasium Radbertum, ex cujus disciplina permulti viri scientiâ & pietate illustres prodierunt. At de his legenda eorum Acta, quæ in præsenti sæculo exhibentur. Corbeiense utrumque.

CXCVI Elnonense. Venio ad Elnonense S. Amandi Monasterium, in quo Milo Monachus studiis præfuit : cujus disciplinæ commissi sunt filii duo Caroli Calvi, Drogo & Pippinus : qui cùm eo in loco morte correpti fuissent ab ipsis vitæ ineuntis primordiis, sepulturâ ibidem & epitaphio donati sunt à me alibi relato. Miloni successit Hucbaldus nepos in regendis scholis, qui & ipse Remos à Fulcone Archiepiscopo arcessitus est ad Canonicos erudiendos, ut tradit Frodoardus in loco mox citato.

CXCVII Casinense. Casinense Monasterium (quod honoris causâ primùm nominari debuit) pænè præterieram : ubi Paulo Diacono præceptore non minùs claruerunt artes liberales, quàm virtutis ac religionis disciplina. Huic accedit Ticinense S. Augustini Cœnobium, in quo etiam Academiam aperuit Scottus quidam, Clementis alterius Scotti socius, qui cùm ambo in Galliam accessissent ad Carolum Magnum, *unum*, scilicet Clementem, *in Gallia residere præcepit* Imperator ad pueros quosdam erudiendos : *alterum verò in Italiam direxit, cui & Monasterium S. Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit, ut qui illuc ad eam* voluissent, ad discendum congregari potuissent, ut scribit Monachus Sancti-Gallensis initio libri primi. Ticinense.

De aliis Ordinis nostri Academiis, quas superiùs commemoravi, hîc agere supersedeo; tum quia id exigit Instituti mei brevitas ; tum quia de earum origine jam præclare egit nominatissimus vir Launoïus in libro de Scholis celebrioribus per Occidentem instauratis.

§. IX.

Observationes historicæ, præsertim de Dagoberto secundo, Austrasiorum Rege.

CXCVIII TRibus maximè observationibus illustrata est nostra ætate Francica sæculi septimi historia. Prima est de anno obitûs Dagoberti senioris, atque initi à Chlodoveo ejus filio principatûs. Secunda de restitutione Dagoberti secundi in Regnum Austrasianum. Tertia de tempore atque genere mortis ejusdem Dagoberti. Prima & tertia multùm conferunt ad stabiliendam sæculi septimi chronologiam : media, uti & postrema continet insigne factum ab Historicis nostris ante annos ferè nongentos ignoratum :

CXCIX Dagoberti I. confirmatur anni principatûs. Primam observationem explicavit V. C. Hadrianus Valesius Historiographus Regius, duobusque argumentis ex Fredegarii auctoritate petitis demonstravit, annos regni sexdecim, qui Dagoberto seniori tribuuntur, non esse computandos à morte Chlotarii ejus patris, quæ anno DC. XXVIII. contigit : sed ab anno DC. XXII., quo Rex Austriæ constitutus est, vivente Chlotario patre: adeóque hujus Dagoberti supremum annum coincidere cum anno DC. XXXVIII. ; non cum anno DC. XLIV. uti ante Valesii observationem omnibus persuasum erat. Duobus Valesii argumentis tertium adjecit

eru-

eruditus vir Carolus Cointius, desumtum ex Jonæ prologo in Vitam S. Columbani cum Actis S. Eustasii collato. Quippe Jonas hunc prologum scribebat triennio vixdum elapso à morte Bertulfi Bobiensis Abbatis, qui anno DC. XL. vivere desiit: idemque auctor Eustasii vitam Columbani Actis continenter subjectam exarabat tum, cùm jam *Ecclesiæ Veromundensi præerat Elegius*, qui *anno tertio Chlodovei* junioris Episcopus ordinatus. His tribus argumentis etiam ego alia duo superaddidi in præfatione Sæculi secundi ex Fredegario, qui Sisenandi Vesigothorum Regis principatum orditur ab anno nono regni Dagoberti, cùm Sisenandum anno DC.XXXI. regnum iniisse constet: idemque tradit *Sentilam*, aliis Chintelam dictum, *qui Sisenando in regnum successerat, defunctum esse anno secundo Chlodovei Regis*, hoc est anno DC.XXXIX. uti Johannes Mariana probat.

CC His omnibus aliud item gravissimum accedit argumentum ex tempore mortis Dagoberti secundi, quem DC. XXIX. necatum fuisse in præfatione sæculi tertii ostendi tum Fridegodi, tum Eadmeri auctoritate in Actis S. VVilfridi Episcopi Eboracensis. Tanti visa est eruditissimo viro Godefrido Henschenio horum Scriptorum auctoritas, ut cùm ipse in Diatriba de tribus Dagobertis, & in Exegesi præliminari ad Martii tomum tertium, vulgatam Dagoberti senioris epocham constanter retinuisset, ac Dagoberti secundi obitum rejecisset in annum DC.LXXXVII.; mutatâ tandem sententiâ (quæ optimi viri sinceritas est) hujus Dagoberti cædem summoverit ad annum DC. LXXX.; atque adeò Dagoberti senioris itidem obitum ad calculum Valesianum revocaverit, id est ad annum DC.XXXVIII. ut legere licet in ejus Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium. Sic ab omnibus tandem approbata est Valesiana epocha de tempore obitûs Dagoberti senioris. Huic calculo coronidis loco novissimum adjicio argumentum ex privilegio Johannis IV. Romani Pontificis, quod Sanctimonialibus *beatæ Mariæ* & S. Columbæ concessit rogatu Chlodovei, haud dubiè Junioris. Porrò Johannes IV. anno DC. XXXIV. iniit Pontificatum, eumque anno pòst tertio Theodoro successori morte sua resignavit. Jam ergo summâ rerum apud Francos potiebatur Chlodoveus sedente Johanne IV., hoc est anno DC.XXXIX. vel insequente. Hoc verò Johannis privilegium in Appendice hujusce tomi vulgatum habes, erutum ex pervetusto codice Thuaneo.

CCI S. Eligii ordinationis epocha expenditur. Opponitur epocha beati Eligii ordinationis in Episcopum Noviomagensem: quæ ordinatio, referente Audoëno, facta est eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes celebrabantur*. Tunc quippe Eligius & Audoënus *convenientes* simul *in civitatem Rotomagensem quarto decimo die mensis tertii*, seu Maii, *tertio anno Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias consecrati sunt Episcopi*, Audoënus quidem *Rodomo*, Eligius autem *Noviomo*; *Audoën. lib. 2. de Vita S. Eligii c. 1.* Adversæ partis auctores id referunt ad annum DC.XLVI., quo Dominica dies Rogationes præcedens in quartum decimum Maii diem incidebat. Quì certè annus si Chlodovei tertius regni erat, Chlodoveum anno DC. XLIV. principatum iniisse fatendum est. Hunc nodum solvere tentant alii atque alii variis modis. Uni quippe interpolationem in hæc Eligii Acta irrepsisse causantur: in cujus rei argumentum proferunt locum ex initio libri 2., ubi *sancti viri* Eligius & Audoënus appellantur, quem titulum sibi, inquiunt, non tribuisset Audoënus ejus operis scriptor. Verùm elogium istud, quod communi nomine sibi atque Eligio aptat Audoënus non magis ipsi repugnat, quàm pleraque alia, quæ sibi sumserunt illorum temporum auctores. Sic VVillibaldus in Actis S. Bonifacii Episcopi & Martyris agens de sua ac Lulli electione,

ne, se ipse ac Lullum bonæ industriæ viros appellat. Sic Anastasius Bibliothecarius de se item scribens in scholiis ad Synodum VIII. se primùm inter Missos Ludovici Imperatoris nominat his verbis: *Anastasius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ*. Quin etiam ipse in vita Hadriani Papæ II. (si tamen ipse ejus scriptor est) se se *disertissimum* ac *prudentissimum* dicit. Atque ut præmissus Audoëni locus vitiosus sit, ubi sancti nomen sibi ipse assumit; certè integer est alter de tempore ordinationis Eligianæ. Non solùm enim in omnibus quotquot vidi, ejus vitæ codicibus ms. sed etiam in ejusdem compendiis & exscriptis præmissæ circumstantiæ omnes adducuntur. Alius proinde modus solvendæ difficultatis afferendus est. Ingeniosa planè & acuta mihi aliquando visa est Caroli Cointii ratio, qui Eligium quidem & Audoënum Maii die XIV. Rotomagum convenisse; at sequenti Dominica consecratos fuisse sentit: qui calculus anno DC.XL. rectè convenit. At in veterrimo Noviomagensis Ecclesiæ Kalendario, quod libro psalmorum ab annis benè nongentis exarato præmissum est, aliisque *ordinatio sancti Eligii* assignatur II. Idus Maii, quo die hactenus celebratur. Non ergo distingui potest dies XIV. Maii ab Eligii ordinationis die, nisi dixeris, Ecclesiam Noviomagensem hac in re aberrasse ab annis ampliùs nongentis: quod certè haud temerè proferre licet. Denique Henschenius in Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium, alias duas conciliandi hujus loci methodos adducit. Una est, ut Dominica ante Litanias sit Dominica quarta post Pascha, seu Dominica ante Hebdomadam Rogationum sive Litaniarum. Altera ut octiduo citiùs Pascha celebraverint Galli, quemadmodùm aliàs, anno DC. XL., quo Eligii ordinatio contigerit. Utramque hanc methodum multis refellit Carolus Cointius in Annalium tomo 6. Et primam quidem satìs confutat Audoënus ipse, cùm hanc ordinationem statuat eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes celebrabantur*. Non itaque octiduo ante Rogationes. Certè neque octiduanum Paschæ discrimen obtinuit anno DC. XL. ut ex Clavii aliorumque Paschalibus tabulis Cointius rectè probat. In tantis ambagibus unum mihi modò succurrit, nimirum annum tertium *Chlodovei Juvenculi* adhuc Regis, quo anno Eligii ordinationem reponit Audoënus, interpretandum esse habita ratione temporis, quo Chlodoveus, statim atque natus est, Neustriæ Rex designatus fuit. Id verò Fredegarius Scholasticus docet accidisse anno XII. regni Dagoberti, quo anno *Austrasiorum omnes primates, Pontifices, ceterique Leudes Sigiberti Sacramentis firmaverunt, ut Neptricum & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodovei post Dagoberti discessum adspiceret*. Chlodoveus itaque Neustriæ Rex designatus est anno XII. regni Dagoberti, qui anno DC. XXXIII. respondit, adeò ut annus designati Regis Chlodovei tertius cum anno Christi DC. XXXV. conveniat: quo quidem anno Dominica Rogationum in Maii diem XIV. incidebat. Certè hunc ipsum Eligianæ ordinationis annum statuit non modò Fridegodus Monachus in vita beati Audoëni, sed etiam vetustissimus auctor anonymus, qui Chronica Regum Francorum digerebat anno DCCC. LV. Sic enim lego apud Labbeum. *Hujus Chlodovechi anno tertio, Incarnationis Dominicæ DC.XXXV., sub Martino Papa, Audoënus & Eligius apud Rotomagum una die ordinantur Episcopi*. Fallit calculus hujus auctoris in Martini Papæ Pontificatu; at forsan Eligianæ ordinationis annum rectè assignaverit. Illud tamen in contrarium nonnullos moveat, quòd Eligius ad Episcopatum promotus videtur non nisi post mortem Dagoberti: quam Audoënus refert in lib. I. de gestis S. Eligii, ubi privatam ejus ac sæcularem vitam memorat. Sed facilè reponi potest, Audoënum in eodem libro quædam etiam anticipatò retulisse,

V. tom. Analect. pag. 111.

Coint. tom. 6. pag. 670. & seqq.

Fredeg cap. 76.

Labbe tom. 1. Bibl. novæ pag. 330.

ut mortem Martini Papæ, quæ sub extremum Eligii jam Episcopi tempus contigit. Hæc de epocha Eligianæ ordinationis dicta sint, dum certior occurrat conciliandæ & illustrandæ veritatis via.

CCII Dagoberti II. restitutio denuo item asserta. Sigebertus, alter Dagoberti Regis filius natu major, paullò ante Chlodoveum fratrem è medio sublatus, unicum filium, nomine Dagobertum, moriens Grimoaldo palatii præfecto commendavit, ut ipsius operâ in paterno regno confirmaretur. At ille pueri imbecillitate ad ejus perniciem abusus, Dagobertum tonso capite Clericum fecit, & per Didonem Pictavorum Episcopum in Scottiam majorem, seu Hiberniam Scottorum Insulam, perpetuo (si Deo ita visum esset) exsilio relegavit, ejusque loco Childebertum filium suum Austrasiorum throno imposuit. Hæc apud veteres Francorum annales legebantur de isto Dagoberto, de quo nihil ampliùs in posterum referunt. Primus inter nostrates Hadrianus Valesius Dagoberti in paternum regnum, restitutionem observavit; inter exteros Godefridus Henschenius: eamque tribus uterque argumentis probavêre, nimirum auctoritate VVillelmi Malmesburiensis Monachi, scriptoris vitæ S. Salabergæ anonymi, alteriusque item anonymi, qui beati Memmii Catalaunensis Episcopi gesta in literas retulit. Tribus his auctoribus adjunxi alios duos in Sæculi tertii parte prima; scilicet Fridegodum Poëtam, & Eadmerum Monachum, in libello utrumque suo de vita S. VVilfridi Episcopi Eboracensis. Verùm etsi tam illustre factum idoneis monumentis stabilitum videbatur; unus tamen desiderabatur auctor Eddius Stephanus, à quo tam VVillelmus Malmesburiensis, quàm Fridegodus & Eadmerus auctoritatem acceperant. Hunc verò auctorem tandem ex Anglia, post multas ultrò citróque missas epistolas, favente Deo accepi, ejusque in hocce tomo exhibeo lucubrationem, qua luculentius nihil ad illustrandam Dagoberti restitutionem umquam afferri potest. Eddius quippe æqualis & familiaris fuit VVilfridi, rerumque ab eo gestarum testis plerumque oculatus: cujus VVilfridi operâ Dagobertus ab exsilio in thronum revocatus est. Eddius verò hac de re testimonium perhibet cap. 27. in hunc modum. *Postquàm Deo amabilis Pontifex noster in Freis hiemaverat, populum multum Domino lucratus; verno tempore adveniente cœptum iter Deo adjuvante ad sedem Apostolicam cum comitibus carpebat, veniens ad Francorum Regem nomine* Daëgberht, *qui eum cum honore masuetissimè pro meritis ante actis in eum suscepit. Nam supradictus Rex in juventute sua ab inimicis regnantibus in exsilium proditionis pulsus, navigando ad Hiberniam insulam, Deo juvante, pervenit. Post annorum circulum amici & propinqui ejus viventem, & in perfecta ætate florentem à navigantibus audientes, misère nuncios suos ad beatum VVilfridum Episcopum, petentes ut eum de Scottia & Hibernia ad se invitasset, & sibi ad Regem emisisset. Et sic sanctus Pontifex noster perfecit, suscipiens eum de Hibernia venientem, per omnia ditatum, & viribus sociorum elevatum magnificè ad suam regionem emisit. Et hinc Rex beneficiorum ejus memor erat, diligenter poscens, ut in regno Episcopatum maximum ad civitatem Streitburg pertinentem susciperet: & eum nolentem accipere, cum muneribus & donis magnis, & cum Deodato Episcopo suo duce ad Apostolicam Sedem emisit*. Hactenus Eddii verba: cujus hac in re auctoritas instar omnium esse debet, & Dagoberti restitutionem mirificè illustrat.

CCIII Quo tempore facta. Unum hîc superest discutiendum, nimirum quo tempore Dagobertus ex Hibernia in Austriam reversus sit. Henschenius in Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium id factum arbitratur circa annum DC. LXI., „ quo „ tempore, inquit, VVilfridus erat carus Regi Osvvio, ejusque filio Alfri„ do, ac reliquis Regni Proceribus, ut faciliùs potuerit Dagoberto auxiliari.„

At

At Valesius, & post eum Carolus Cointius, Dagoberti reditum in patriam rejiciunt post mortem Childerici Regis : quo exstincto, à VVlfoaldo Majore domus regiæ, & à ceteris Austrasiosorum Optimatibus ex Hibernia revocatus sit, & in regnum patrium restitutus. Et ego quidem Dagoberti ex Hibernia reditum existimo contigisse post mortem vel Chlotharii Regis, vel Childerici ejus fratris. Primum quidem quia jam adultæ ætatis erat Dagobertus, cùm in Galliam revocatus est. Expendenda sunt superiora Eddii hæc verba. *Post annorum circulum* quàm scilicet exsilio deportatus in Hiberniam, fuerat Dagobertus, *amici & propinqui ejus viventem & in perfecta ætate florentem à navigantibus audientes, misêre nuntios suos ad beatum VVilfridum Episcopum, petentes, ut eum de Scottia & Hibernia ad se invitasset, & sibi ad Regem emisisset. Et sic sanctus Pontifex noster perfecit &c.* Itaque jam tum *perfectæ ætatis* erat Dagobertus, id est annos minimùm viginti natus, qui sub annum DCL. prodiit in lucem. Deinde jam Episcopus erat VVilfridus, qui nonnisi anno DC. LXIV. Episcopus consecratus est; nec ante annum DC. LXIX. in sedem Eboracensem admissus : quam postea pacificè rexit per annos ferè novem, Egfridi per id tempus amicitiâ usus : quo tempore Dagoberto in patriam revertenti auxilium ferre potuit. Ad hæc, ab amicis & propinquis revocatus est Dagobertus, ut *sibi in Regem* præficeretur : idque statim ab ipsius reditu consecutum esse satis declarat Eddius in cap. 31., ubi Episcopum quemdam, ejusdem Dagoberti cædis conscium inducit, VVilfrido insultantem in hunc modum : *Qua fiducia tam temerariè per Francorum Regionem pergis, qui dignus es morte, quia nobis Regem subsidio tuo factum exsilio emisisti?* Quod sanè improperium VVilfrido non objiceretur, si tantùm reversionis auctor, non etiam recuperandi regni adjutor Dagoberto fuisset. Ex his consequens est, Dagobertum non ante Chlotarii mortem, quæ anno DC. LXIX. accidit, in patriam revertisse, atque Austrasiæ throno fuisse admotum.

Insigne hujus restitutionis argumentum nobis suppeditat Paulus VVarnefridi in lib. 3. de gestis Langobardorum, ubi Grimoaldus Langobardorum Rex cum Dagoberto pacem iniisse memoratur eo anno, quo ipse è vivis sublatus est. Ita enim scribit Paulus in lib. 5. cap. 32. *Hac tempestate Francorum regnum apud Gallias Dagobertus regebat, cum quo Rex Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat.* Observatu maximè dignus est hic locus : cui illustrando ostendere convenit, quo tempore initum sit hoc fedus. Id verò perspicuum fit ex subsequentibus Pauli verbis, *Cujus Grimoaldi vires Bertaridus apud Francorum Patriam constitutus metuens, egressus è Gallia ad Britanniam insulam Saxonumque Regem properare disponit.* Tum idem auctor subdit capite insequenti, Bertaridum, cùm Oceani fretum, quod inter Galliam Britanniamque insulam interjacet, nave trajiceret; cælesti voce admonitum fuisse, *ut in patriam suam reverteretur :* nimirum quia *tertia jam die Grimoaldus ab hac luce subtractus* erat. Nunc quo anno id contigerit, explorandum est. Si Paulus Grimoaldo annos regni novem rectè tribuit, non anno sexcentesimo septuagesimo tertio, ut Baronius existimavit, sed DC. LXXI. interiisse dicendus est. Quippe Grimoaldus anno Christi DC. LXIII. regnare occœpit, cùm sexto regni sui anno, mense Julio, Indictione XI., id est anno Domini DC.LXVIII., Edictum Rotharis emendasse, & auxisse se dicat. Unde Hadrianus Valesius rectè infert, Grimoaldum anno DCLXXI. decessisse. Itaque jam ante hunc annum Dagobertus in Galliam reversus erat, utpote qui ante Grimoaldi obitum pacis fedus cum eo inierat; ob idque Bertaridus, qui à Grimoaldo regni fortitione spoliatus exsulabat in Gallia, fugam in Angliam cogitabat. Hic est Bertari-

CCIV

Vales. in Rer. Francic. lib. 19. pag. 158.

dus, quem VVilfridus Romam adiens, salutato Dagoberto, jam in regnum restitutum invisit, à quo perhumaniter acceptus est, ut tradit Eddius in prælaudato cap. 27. ubi eum *Cerchterum Campaniæ* Regem appellat. Hunc verò locum de Bertarido ut exponerem, viso Eddii testimonio admonuit me vir, cùm de Republica literaria, tum de me optime meritus Hadrianus Valesius, ut suo loco fusiùs ostendam *. Hinc intelligimus, Dagobertum mortuo Chlothario in patriam ab Austrasiis revocatum fuisse, cùm Childericus ad capessendum Neustriæ regnum advolavit; tumque fedus pepigisse cum Grimoaldo ut ejus amicitia adversus æmulos se tutum præberet. Constat tamen eumdem Dagobertum non statim integro Austriæ regno potitum fuisse, cùm Childericus utrumque principatum sibi retinere conatus sit: immo etiam Theodoricus ejus frater ac successor, quo regnante Ebroinus Major-domûs Trajectensem Episcopatum, qui Austriæ regno continebatur, expulso Landberto commisit Faramundo, suarum partium fautori. Henschenius in novissima Exegesi existimat, Alsatiam & Provincias dumtaxat Transrhenanas huic Dagoberto principio cessisse, eumque cum Childerico pacem tenuisse. Id secùs accidit cum Theodorico, contra quem Dagobertus de finibus regni dimicavit. Hæc de restitutione Dagoberti.

* Sæc. IV. p.I. pag. 675.

CCV Dagoberti ejusdem genus ac tempus mortis. Non minùs illustre est Eddii testimonium de nece ejusdem Regis, quam VVilfridus, cùm ex Romano itinere in patriam se reciperet, in Gallia didicit. Rem gestam Eddius ita commemorat in cap. 31. *Pergente Sancto Præsule nostro ab Apostolica Sede cum triumphali judicio per Campaniam, & montana transscendente in regionem Francorum pervenit: ibique nuper amico suo fideli Daegbertho Rege per dolum Ducum & consensu Episcoporum (quod absit) insidiosè occiso: ex quibus unus cum ingenti exercitu obviavit, cogitans impiè in corde suo insidias, nisi Deus restitisset ei, sodales suos omnes spoliatos aut in servitutem redigere, aut vendere sub corona, seu rebellantes occidere, atque Pastorem sanctum nostrum anxiatum in custodia usque ad Efruini Ducis reservare judicium. Interrogavitque eum Episcopus, „ dicens: qua fiducia tam temerariè per Francorum regionem pergis, qui dignus es morte, quia nobis Regem subsidio tuo factum exsilio * „ emisisti? Dissipator erat urbium, consilia seniorum despiciens; populos, ut Roboam filius Salomonis tributo humilians; ecclesias Dei cum Præsulibus contemnens: quorum malorum pœnas luens occisus, cadaver ejus humatum jacet. Sanctus verò Pontifex humiliter respondit Episcopo: Veritatem dico in Christo Jesu, „ & per S. Petrum Apostolum non mentior, quia talem virum exsulantem, & in peregrinatione degentem, secundùm Dei præceptum Israëlitico, qui accola fuit in „ terra aliena, auxiliatus enutrivi, & exaltavi in bonum, & non in malum vestrum.* „

* f. ex exsilio.

CCVI Hic in primis observandum est tempus, quo VVilfridi reditus iste Româ contigit, adeoque Dagoberti cædes. VVilfridus ab Egfrido Rege abalienatus, ex Anglia solvit in Frisiam anno DC. LXXVIII., ibique cum S. VVilbrodo hiemem exegit. Tum Dagobertum Austrasiorum Regem invisit; & post aliquantam apud eum moram, transscensis Alpibus à Bercthero seu Bertarido Langobardorum Rege benignè acceptus, Romam tandem pervenit sub autumnum anni DC.LXXIX. Deinde Octobri insequente cogitur Synodus Episcoporum L., in qua purgatus est Pontifex sanctus, qui Romæ hiemavit: ac demum Concilio C.XXV. Episcoporum interfuit, Monotheletarumque hæresim signo suo diris addixit. Hæc omnia tum ex VVilfridi Actis ab Eddio scriptis, tum ex observationibus à me appositis constant. Istius porrò Concilii, quod anno DC.LXXX. celebratum esse Conciliorum Acta docent, tempus signan-

gnantiùs exprimit unus Eddius Stephanus in cap. 50. nimirum *in sancto Pascha tertia die*. Postmodùm Româ revertens VVilfridus, cùm Franciam attigisset, obvium habuit Episcopum, qui sibi beneficium Dagoberto impensum exprobravit, ejusque interitum nuntiavit, uti superior Eddii locus ostendit. Recens igitur erat tum Dagoberti cædes, quæ proinde vel sub finem anni DC. LXXIX., vel sub Pascha anni insequentis accidisse dicenda est.

Deinde in præmisso Eddii testimonio advertendum est, Dagobertum *per dolum Ducum, & consensu Episcoporum* quorumdam *insidiosè occisum fuisse*, hoc est factione Optimatum aliquot Regni Austrasiani, conspirantibus Pseudoepiscopis nonnullis, iis nimirum, qui Ebroini Partibus favebant. Illud argumento est, quòd Episcopus ille, qui VVilfrido *cum ingenti exercitu*, id est cum multis armatis obviavit, eum ad *Efruini* seu Ebroini Ducis *Judicium reservare* minabatur. Istius porrò factionis origo nata videtur hoc pacto. Cùm enim mortuo Childerico Ebroinus Luxovio, ubi in Monachum attonsus fuerat, excessisset; Majoris domûs officium apud Austrasios invadere conatus est obsistente VVlfoaldo, cui Austrasiorum pars adhæsit, pars Ebroino. Qui VVlfoaldo adhærebant Dagobertum opitulante VVilfrido ex Hibernia reversum, & Austriæ parti jam imperantem, eidem regno in solidum præficere moliebantur. Ex adverso Ebroinus alium Regem, nomine Chlodoveum, quem Chlotharii quondam Regis filium fingebat, Francis omnibus imponere conatus est, quos ad partes suas pertraxerat. Hæc anno DC. LXXIII. contigêre. Tum Ebroinus ut plures per fas, nefasque sibi conciliaret; Episcopatus perversis Pastoribus tradidit, legitimis ejectis: ut Trajectensem Faramundo in locum Landeberti in exsilium pulsi; Trecensem VVaimero Campaniæ Duci, qui ambo, id est Faramundus & VVaimerus, Ebroini facinorum fautores erant. Dein anno DC. LXXIV. cæso Leudesio Majore-domûs in Neustria, Ebroinus cum Theodorico Rege in gratiam rediit & in pristinam dignitatem restitutus est. Sic Ebroino apud Neustrasios agente, summam rerum apud Austrasios paullatim sibi vindicavit Dagobertus, & de regni finibus (ut S. Salabergæ gestorum scriptor ejus temporis docet) collatis cum Theodorico Rege signis dimicavit. Sed cùm Pseudepiscopos illos, aliosque Ebroini satellites exagitaret; hi conjuratione in eum facta, necem ipsi intulerunt. CCVII

Quia verò in Austrasia contigit hæc cædes; nequaquam credibile est, Dagobertum Sigeberti filium, Austrasiorum Regem, in Rotomagensi S. Audoëni basilica fuisse sepultum. Cùm enim infensum habuerit Theodoricum Regem, maximè verò Ebroinum; tantum ei honorem delatum fuisse, ut ejus corpus Rotomagum transferretur tumulandum, nemo facilè sibi in animum induxerit. Neque moror Frodegodum Sæculi X. scriptorem oscitantem, qui non solùm Dagobertum hunc, sed etiam Childericum Theodorici fratrem, & uxorem ejus Bilhildem cum filio, Beretrudem quoque Reginam Chlothario secundo nuptam, in eadem S. Audoëni ecclesia sepultos fuisse affirmat, egregio planè commento; cùm horum tumuli hactenus extent in Basilica S. Germani à Pratis apud Parisios; nec de eorum translatione Rotomago istuc facta ulla vel mentio, vel occasio afferri possit. Nulla proinde fides homini de Dagoberti secundi sepultura rem à verisimilitudine adeò alienam referenti. Hinc asserere non dubitem, Dagobertum, qui Satanaci humatus, atque ante annos sexcentos cultus est, non alium esse à Dogoberto II. Austrasiorum Rege: qui quòd innocens ab adver- CCVIII Sepultura.

versariis nefariè cæsus sit, à posteris Martyr habitus est pro more illius ætatis. Et siquidem ejus martyrii diem X. Kal. Januarii rectè statuit anonymus auctor, qui de Dagoberto Satanacensi scripsit, eum desinente anno LXXIX. interiisse dicendum est. Certè eumdem quoque diem vetus Kalendarium, quod Psalterio Emmæ Francorum Reginæ, Lotharii uxoris, præfixum est, his omnino verbis assignat X. *Kal. Januarii Sancti Dagoberthi Regis & Martyris*. Is apud Satanacenses colitur *IV. Non. Septembris*, qui translationis ejus est dies. Ex hoc porrò Kalendario seu Psalterio, quod in Remigiana apud Remos Bibliotheca etiam nunc habetur, intelligimus, S. Dagobertum Satanacensem Regis nomine ante annos septingentos ornatum fuisse.

CCIX Antequàm VVilfridum dimittamus, quædam observare juvat de Dalfino Lugdunensi Episcopo, quem VVilfridus adolescens Romam adeundo, indéque redeundo invisisse perhibetur apud Eddium Stephanum, Bedam, aliosque eorum sequaces. Existimaveram cum viris doctis, Dalfinum hunc non alium esse ab Annemundo Lugdunensi Episcopo, cui competere videbatur non modò temporis ratio, sed etiam mortis genus, quod prælaudati auctores Dalfino tribuunt. Posteà verò cùm in manus meas incidisset Annemundi testamentum pro puellari S. Petri Monasterio Lugdunensi, non penitus sincerum, in quo Annemundus memorat *fratrem* suum, *nomine Dalfinum*; suspicio mihi injecta est, num esset is Dalfinus à Beda & Eddio commendatus, qui fratri Annemundo successerit in Sede Lugdunensi. Sed quoniam neque in recentioribus Lugdunensium Pontificum indicibus, neque in vetustioribus duobus à Petro Francisco Chiffletio in suo Paulino editis, ullus Dalfini nomine ejus Sedis Episcopus invenitur; rem in medio relinquere satius visum est, tametsi apud me plurimùm valet Eddii ac Bedæ comparium Scriptorum auctoritas, qui Dalfinum Lugdunensem Episcopum appellant. Hæc sunt, quæ de VVilfrido, deque Dagoberto Austrasiorum Rege observare operæ pretium duxi, occasione & argumento acceptis ex Eddii libello, quod præclarissimum Gallicanæ, Anglicanæque historiæ monumentum suppeditat hic tomus.

CCX *Walæ Epitaphium auctore Paschasio.* Non minùs illustris est Paschasii Radberti lucubratio de gestis venerabilis VValæ Corbeïensis Abbatis. Epithaphium Arsenii inscribit auctor. Epitaphium quidem, id est laudatorium opus, quo hominem pietate insignem recèns mortuum persecutus est, eum ad modum, quo S. Hieronymus Nepotiani, Paullæ, Marcellæ, & Fabiolæ epitaphia fusiori oratione explicavit; & ante eum Gregorius Nazianzenus Basilii Magni *epitaphium*, seu orationem funebrem scripsisse dicitur apud Ursum in præfatione ad Basilii vitam Amphilochio adscriptam. Arsenium verò appellat VValam Paschasius, uti etiam in præfatione ad librum de Corpore & Sanguine Domini, non solùm usitato Carolinis temporibus more viros insignes adjecticiis cognomentis efferendi; sed maximè ut totam VValæ Historiam fictis nominibus adumbraret, ne pleraque facta in ea relata, eorumve auctores (quæ invidiam ipsi conflare poterant) à quibusvis statim intelligerentur. Neque verò fortuita personis nomina tribuit, sed dignitati ac moribus cujusque accommoda, Imperatoribus, Regibusque Imperatoria & Regia. Arsenium porrò appellat VValam ob gratiam lachrymarum, qua is, ut Arsenius quondam ille celebris Asceta, præditus erat. Bernardum autem Septimaniæ Ducem vocat Nasonem eam forsan ob causam, (ut rectè augurari mihi videtur præstantissimus vir Carolus Fresnius) quòd ex patre Guillelmo, quem curti seu brevis nasi fuisse ferunt, pro-

processerit. Hæc historia duobus constat libris, quorum prior privatam VValæ vitam; posterior lugubrem exauctorationis Ludovici Augusti scenam repræsentat: adeò ut arcana hæc omnium ejus rei calamitatum historia, & veluti *ἀνέκδοτος* dici possit. Totam autem istius facti causam rejicit Paschasius in Bernardi Septimaniæ Ducis ac Imperatoris Cubicularii obscenos mores, feritatem, & nimiam cum Juditha Augusta consuetudinem. Qua in re Paschasio, auctori non minùs gravi quàm pio, rerum gestarum plerumque testi oculato, nemo jure fidem abrogare potest. Is enim nulli parti favebat præter æquum. Primùm, quia VValâ per hos motus apud Lemanum lacum exsulante, ut in ejus epitaphio legitur lib. 2. cap. 10., Paschasius legatione functus est pro Ludovico Augusto: cui proinde suspecta non erat ipsius fides. Deinde neque in Bernardum (quantumvis acrioribus eum verbis passim insectetur) pravè affectus erat Paschasius: siquidem VVala, cui is adhærebat, Bernardi sororem in matrimonium duxerat. Certè Nithardus, regiæ familiæ scriptor, Ludovici Pii Sororius, Carolo ejus filio addictissimus, non minùs acerbè invehitur in Bernardum in libro primo, ubi Bernardus *Republicâ abusus, quam solidare debuit, penitus evertisse* perhibetur, & sub initium libri 2. idem Caroli Calvi mandatum insuper habere solitus, in ejus offensam incurrisse propter *seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat*. Hinc *grandia moliens, summisque inhians, majestatis reus, Francorum Judicio, Caroli in Aquitania capitalem sententiam subiit anno DCCC. XLIV.* ut tradunt annales Bertiniani, in quibus etiam *tyranni* nomine afficitur. Præterea neque à partibus Lotharii stabat Paschasius. Huic rei illud argumento est, quòd cum a proceribus nonnullis Lothario monarchia deferretur, obstitit cum VVala Paschasius. Ad hæc Carolo Calvo, Judithæ Augustæ filio, acceptissimus fuit: à quo ejus electio in Abbatem Corbeïensem probata est: cui etiam librum de Sacramento Altaris, ab se olim compositum, obtulit in natali Domini cum insigni Epistola, observantiæ in Carolum plena, quam in tomo insequenti, Deo dante, proferam in lucem.

[Margin: Auctoris hujus fides. — *Nithard. lib. 1. ad ann. 829.* — *Paschas. lib. 2. de VVala c. 18.*]

CCXI

Cæterùm VValæ Sanctimoniam egregiè commendant Paschasii libri duo de ejus epitaphio, maxime primus, in quo privata ipsius vita describitur. Is quippe jam indè ab ineunte Instituti Monastici tirocinio (ut cetera ejus acta hic omittam) ita comparatus ad pia officia fuisse memoratur, ut *in die agrum corporis sui refundere sudoribus; in nocte verò fletibus*. Et nocte quidem *somno expleto parvissimi temporis non minùs ante vigilias Fratrum, quàm post vigilias coram sanctis altaribus prostratus humo jacebat, lacrymarum imbre solum rigabat*: fateturque Paschasius, *sæpè vidisse se loca suis manè madentia lacrymarum imbribus, & conspexisse oculos penè consumtos à fletibus*. Ubi observare convenit, moris fuisse olim apud majores nostros, ut sive ante, sive post matutinum officium, Fratres orando altaria circumirent: quem ritum *post matutinos ante primam* instituerat Benedictus Anianensis, ut tradunt Monachi Sancti Gallenses in epistolæ suæ capitulo 31. Quin etiam apud Laïcos id in usum transierat testante Prudentio Tricassinensi Episcopo in sermone de S. Maura, quam quondam *adspexit artiùs amplectentem, & osculantem altare, ubi corpus B. Virginis Mastidiæ requiescit; & ad pedes ejusdem Altaris lacrymarum suarum rivulum* effundentem. Ea res in memoriam revocat aliud ejusdem Mauræ insigne factum: quæ *hanc à tenera ætate consuetudinem observavit*, ut *quotidie* coram triplici Salvatoris effigie *se toto corpore prosterneret in ecclesia Apostolorum* cathedrali apud Trecas: *ubi tribus modis imago depingebatur Salvatoris, nempe tanquam pueri sedentis in gremio Matris; tanquam Magni Domini sedentis in solio Majestatis;*

[Margin: VValæ Sanctimonia. — *Id. lib. 1. cap. 10. hoc tomo pag. 477.* — *V. Append. hujus tomi pag. 757.*]

tis; & tanquam juvenis pendentis in patibulo Crucis. Ex hoc verò facto confir-
*num. 41. matur id, quod ſuperiùs coniiciebam *, Gallos ſcilicet religioſiores ſæculo nono (quo tempore B. Maura florebat) non omnem ſacris Imaginibus cultum detrectaſſe; neque à ſalutationibus, & capitis ſaltem ad eas inclinationibus abſtinuiſſe.

CCXII Alia multa ſunt, quæ hîc obſervare poſſem, niſi Præfatio mea jam excederet modum. Hoc in genere adducere liceret hiſtoriam Orgerii, regnante Carolo Magno herois olim celebratiſſimi, noſtris verò temporibus obſcuriſſimi, quem Pugnatorem ſeu Præliatorem fortem appellabant: deinde Obſervationes meas de Vetula civitate Vellavorum, ac diſſertationem de veterum notitiarum origine atque uſu, in Appendice noſtra editas: ad hæc ſingularem locum ex Ma- *hoc tomo* nuali Duodanæ, uxoris Bernardi Septimaniæ Ducis ac Ludovici Pii Camerarii: *pag. 757.* quo in loco Duodana Ludovicum *fratrem* ſuum vocat. An Ludovicum Pium? Verba ejus expendenda ſunt. *Inchoatio hujus libelli ſecundo anno obitûs Ludovici quondam mei fratris, II. Kal. Decembris, S. Andreæ Miſſa inchoante, ſancto Domini Adventu: finitus eſt autem, auxiliante Deo, IV. Non. menſis Februarii.* Inchoatus eſt autem liber paullò poſt nativitatem, certè ante luſtrationem, ſeu tinctionem Bernardi, ejuſdem Duodanæ alterius filii: quem *anno ſequente* obitum Ludovici Auguſti, & quidem *XI. Kal. Aprilis* natum eſſe dicit in præfatione Manualis ſui: additque in cap. 7. ejus nomen ſe ignorare, utpote qui necdum baptiſmatis gratiam percepiſſet. Præterea ſcriptus eſt liber iſte ante mortem Bernardi Duodanæ mariti, ut fidem facit præfatio: quem Bernardum anno DCCC.XLIV. interiiſſe conſtat. Denique VVillelmus, cui Manuale ſuum nuncupavit Duodana, tum ſextum-decimum annum agebat, ut divinare licet ex his verbis capitis 68. *Quadrans in quatuor jam habes annos uſque perductos*, id eſt, ſi quid hîc capio, quater quatuor annos. VVillelmus porrò natus eſt *anno* XIII. Imperii Ludovici Auguſti, id eſt anno DCCC.XXVI., *III. Kal. Decembris*, uti habet Manualis præfatio: ac proinde annus ejus ſextus decimus conveniebat cum anno DCCC.XLII., qui ſecundus erat à morte Ludovici Pii. Si eruditis Viris placet hæc obſervatio, Duodana ſeu Dodana inter liberos Caroli Magni (quod nemo hactenus dixit) connumeranda eſt. Et fortaſſe huc facit, quòd nuptiæ Duodanæ cum Bernardo celebratæ ſunt *in Aquiſgrani palatio*.

Alias obſervationes remitto in iſtius ſæculi tomum ſecundum, quem jam magna ex parte diſpoſitum continuò edidiſſem, ſi aliquantiſper ab opere reſpirare non cogerent afflictæ valitudinis vires. Neque verò facilè ſive ſtudiorum, ſive typographici operis labores ſuſtinere ſolus valuiſſem, niſi languentem relevaſſet noſter Michaël Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor. In fine magnam à lectoribus meis mercedem retulero, ſi Deum Opt. Max. pro me orent, ut mihi & gratiam ad patiendum augeat, & vires ad agendum: quatenus operi jam aliquantum provecto ſupremam imponere manum valeam, ſi quid conferat in Dei gloriam, & in Reipublicæ Chriſtianæ ac Monaſticæ utilitatem.

JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM SECUNDAM SÆCULI QUARTI ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti DCCC. ad DCCCC.
impreſſa Pariſiis anno 1680.





Ggredior alteram Præfationis partem, in qua de reliquis fæculi noni controversiis, quemadmodùm in me receperam, tractandum incumbit. Difficilis sanè & invidiosa res, quæ ipsa cogitatione suscepti muneris mentem fatigat: sed durandum est, quia cœpimus, & si ad ea pro dignitate tractanda viribus impares sumus, animo tamen perseverandum. Aderit fortasse dicenti, ut quidem spero, favorabilis Lectorum æquitas, ut dicta à me non in sequiorem rapiant partem; sed ita ut simpliciter exponentur, simpliciter accipiant: id scilicet benignè reputantes, me nullo partium studio adductum, sed sinè fuco & affectatione ea quæ instituti mei sunt, religiosè exsequi. Dabo certè operam, ut id quam moderatissimè fiat, Historicum acturus in factis exponendis, non Theologicorum dogmatum arbitrum & assertorem. Agendum verò favente Deo primùm de Eucharisticis fæculi IX. controversiis: tum de Gotescalci fortuna & turbis. Deinde de modo quo Christus Dominus è Virgine processit, qua de re libri ultro citroque conscripti sunt à Paschasio Radberto & Ratramno: qui Ratramnus itidem Monachum quemdam Corbeïensem de animæ in diversis hominibus singularitate pueriliter philosophantem acriter confutavit. Denique de funesto Græcorum discidio, eorumque objectis adversùs Latinos sermo instituetur. His succedet tractatio de conversione septemtrionalium populorum ad fidem facta per nostros: itemque de Martyrologiorum Scriptoribus Benedictinis. Postremo loco subsequentur observationes de rebus Ecclesiasticis, Monasticis atque Historicis, quibus tota demum claudetur Præfatio.

I Dicendorum difficultas.

Et argumentum.

CAPUT I.

De Controversiis Eucharisticis sæculi noni.

QUantis animorum studiis sæculo nono & insequentibus Eucharisticæ res agitatæ sint, lucubrationes hoc de argumento relictæ abunde testantur. Earùm contentionum origo nata videtur ex Paschasii Radberti Abbatis Corbeïensis libro, quem de corpore & sanguine Domini per id tempus composuit.

II Controversiarum origo ex libro Paschasii de Eucharistia.

Hic Paschasii liber varias subinde procellas sustinuit variosque adversarios, alios aliis non parùm dissimiles ac diversos. Quidam enim Paschasii ævo exstitêre, catholici omnes, aut ferè omnes; alii sæculo XI. auctore at-

III Quo tempore scriptus.

que incentore Berengario, hæretici : quibus novissimi post longa tempora successerunt nostri temporis itidem heterodoxi, Lutherani & Calvinistæ. Sed istius libri fortuna haud planè eadem fuit apud hos, atque illos. Ex Lutheranis quippe Hiobus Gastus Hagenoënsis Paschasii librum, de quo hîc agimus, vulgavit anno MD.XXVIII., eumque penitus pervertere demum ausus est, pudendo planè ac detestando facinore. Cùm enim Paschasium non minùs transsubstantiationis & sacrificii, quàm realis præsentiæ patronum ubique animadverteret; eò processit hominis impudentissimi temeritas, ut non solùm integra hujusce libri capita expunxerit; verùm etiam alia subinde verba, aliasque sententias subornarit intruseritque, quò Paschasium errori suo patrocinari persuaderet. Hujus autem falsarii perfidiam ac depravationes Nicolaus Mameranus Lucemburgensis detexit primus; ac Paschasii librum sanum & integrum Coloniæ excudi curavit anno MDL. Sic restituto Paschasio, aliò se convertere Calvinistæ, qui Albertino potissimùm duce id scilicet adstruere conantur, Paschasium in re Eucharistica novatorem fuisse, qui antiquam Ecclesiæ fidem ac traditionem novis commentis infecerit, ut realis præsentiæ ac transsubstantiationis doctrinam æqualibus ac posteris suis propinaret. Immo verò hæc commenta sunt recentiorum hæreticorum, quibus jam copiosè & eruditè responsum est à scriptoribus catholicis, ferè ut nihil reliqui hoc in negotio nobis superesse videatur. At quoniam libri illi plerique Gallico idiomate conscripti sunt; in gratiam exterorum huc quædam conferre juvat ad vindicandam Paschasii doctrinam. Sed priùs in antecessum præmittenda sunt nonnulla de ejus libro, quæ à viris doctis necdum observata, mihi aliquando veteres libros revolventi occurrerunt, celebri controversiæ aliquid lucis, Deo dante, additura. Argumentum autem in varias sectiones pro commodo Lectorum distribuemus.

§. I.

De Paschasii scriptis Eucharisticis.

IV PAschasius librum de Corpore & Sanguine Domini composuit tempore exsilii cujusdam Abbatis sui, quem ipse in prologo Arsenium, & alterum sui sæculi Hieremiam vocat. His nominibus sanctum Adalhardum Abbatem Corbeïensem, qui ab anno DCCC. XIV. in annos septem apud Herium insulam exsulavit, designari hactenus eruditis viris persuasum est : qui idcirco Radberti librum de corpore & sanguine Domini circiter annum DCCC.XVIII. scriptum fuisse communi consensu tradiderunt. Et mea quidem hæc persuasio fuit, dum Paschasii opus seu dialogum reperi de rebus gestis VValæ Abbatis fratris ac successoris Adalhardi : quem VValam perpetuò Arsenium & Hieremiam; Adalhardum verò Antonium vocat. Sanè idem auctor in libro de vita S. Adalhardi Abbatis testatur, Adalhardum aliquando Aurelium Augustinum, aliquando Antonium cognominatum fuisse, Arsenium aut Hieremiam nusquam. Hæc argumenta fateri nos cogunt, librum Paschasii de Corpore & Sanguine Domini scriptum esse tempore exsilii VValæ Abbatis, quod ab anno DCCC. XXX. ad DCCC. XXXII. contigisse apertè colligitur ex Dialogo Paschasii de VValæ gestis, qui in superiori tomo editus, *Epitaphium Arsenii*, id est laudatoria oratio VValæ, inscribitur. Contigit illud VVa-

VValæ exsilium per lubricas illas funestasque tempestates, cùm Ludovici Augusti filii & Francorum magnates de principatu digladiabantur. Eò sine dubio respexit Paschasius in libello suo de Eucharistia paullò post initium, ubi ait, *discordiarum anfractibus penè labi orbem, effusa super magnates contentione imperii*. Porrò istius VValæ exsilii, quod Nithardus, in historiæ libro primo, & libellus de novæ Corbeïæ constructione leviter notant, triplicem locum designat Radbertus, nempe ad lacum Lemanum, in Herio Insula, & in quodam Germaniæ Monasterio. Ex his conficio, Paschasii librum de Corpore & Sanguine Domini seriùs annis tredecim, quàm hactenus creditum est, id est anno DCCC. XXXI. compositum fuisse.

Unum tamen his, quæ de Arsenio dixi, opponi potest ex optimæ notæ Corbeïensi codice membraneo, in quo libri de Corpore & Sanguine Domini præfatio continet nonnulla de Arsenio, quæ in plerisque libris editis desunt. Exemplaria edita initio hæc habent. *Novit igitur, nec ambigo, tua experimento disciplinarum sollertia, quòd Arsenius noster, quem nostra nunc nobis secula Hieremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione. Propter quod à primævo indefessus curavi te rapere de inter undas*. Posteà subdit codex Corbeïensis. *Sed fateor tibi magìs melotam Patris supra verticem profuisse, qua denique subvectum te congratulor evasisse, me quoque jocundor non in vacuum cucurrisse. Præfatus autem Pater, scilicet Adelardus, uti justitiæ faventibus moris est, exsilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum, veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus, quòd Dei dispensatio ex eo ulteriùs velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu tamen non es secutus juvenilia*. Ex his inferas, Arsenium non alium hîc significari, quàm Adalhardum seu Adelardum, ut communis hactenus sententia tenet, traditque vetus auctor in libello de vita Paschasii hîc edito, & Antonius de Caulincurte in Corbeïensi Chronico ms. Neque dici potest hos versus posteriores non esse Radberti. Nam etsi in quibusdam libris membraneis non habeantur; sapiunt tamen ætatem ac genium auctoris, qui Terentii sententias non raró adhibet. Quia tamen constat ex ipso Radberto, tum in vita S. Adalhardi, tum in libris duobus de gestis VValæ Abbatis, Adalhardo adscititium nomen fuisse Antonium, VValæ autem Arsenium; dicendum est, superiori sententiæ verba hæc, *scilicet Adelardus*, explicationis gratiâ perperam interjecta fuisse ante annos ferè sexcentos, quo tempore jam dictus Corbeïensis codex manu exaratus est. Et quidem in Coloniensi editione anni MDL. superius additamentum reperitur, at suppressis his verbis, *scilicet Adelardus*; atque etiam in exemplari Aniciensi, quod Autographum esse puto, de quo inferiùs agendum erit. VVala itaque intelligendus est hoc loco, qui tum *exsilium ferebat pro fide*, scilicet in rem publicam, uti etiam legitur in ejus Epitaphio. V

I I.

Ludovicus Cellotius, eruditus Presbyter Societatis Jesu, in notis ad Anonymum, quem edidit in Appendice in Historiam Gotescalci, asserit Paschasium binos de Eucharistia libros scripsisse, unum breviorem *de Corpore & Sanguine Domini*, qui in omnium manibus versatur: alterum prolixiorem, quem ait excidisse, *de Sacramentis* inscriptum, uti eum citat Radbertus in Matthæum: qui liber centum fere capitulis constaret, Anonymo testante. VI An unicus.

Verùm unum & eumdem esse Paschasii librum, qui nunc *de Sacramentis*, VII

tis, nunc de *Corpore & Sanguine Domini* inscribitur; nec alium, quàm qui in libris editis vulgatus est, persuasum habeo, aliisque persuasurum me confido.

VIII Primò enim utraque hæc inscriptio isti libro præfixa legitur in nonnullis codicibus mss. Utramque siquidem præfert Corbeïense exemplar mox laudatum, in cujus initio cernitur Auctoris effigies, sancto Petro librum offerentis, his verbis adjunctis: *Incipit liber Radberti Paschasii de corpore & sanguine Domini*. Deinde post capitulationes: *Incipit liber de Sacramentis*. Nec insolens est apud veteres, Eucharistiam designari plurali sacramentorum appellatione. Sic Fulbertus Carnutensis Episcopus in epistola ad Deodatum, *duo vitæ sacramenta, id est dominici corporis & sanguinis* vocat. Quem loquendi modum explicans Algerus in lib. 2. cap. 8. *Dicuntur*, inquit, *duo sacramenta panis & vinum, quantùm ad diversas suas species, cùm tamen sint unum, quantùm ad unam & eamdem suam significationem*. Denique Paschasius se ipse explicat in epistola, qua Carolo Calvo suum de Eucharistia librum submittit, quem *de sacramentis sacræ communionis* appellat.

IX Deinde numerus capitulorum prædicti Paschasii libri variat, cùm in libris mss. tum in editis. In duobus quæ penes nos sunt exemplaribus membraneis, uno Corbeïensi, altero Sancti-Germanensi, non eadem est capitulorum distinctio, nam in Corbeïensi habentur capitula duo & viginti; totidemque in Thuaneo: in Germanensi sex supra quinquaginta.

X Quinque verò istius Opusculi vidi editiones, Rotomagensem anni 1540. Lovaniensem anni 1541. Parisiensem anni 1618., quæ viginti duobus capitulis constant: quartam Coloniensem anni 1550., quæ unde sexaginta: quintam itidem Coloniensem anni sequentis sub nomine Rabani, distinctam in capitula 57.

XI Nullum verò exemplum, sive manu exaratum, sive typis editum, reperi, in quo numerus capitulorum propiùs ad centenarium accederet, quàm Laubiensis codex, in quo nonaginta novem capitula habentur. Istum codicem sinè dubio præ oculis habuit Anonymus Cellotianus, cùm ait Radbertum scripsisse libellum de Corpore & Sanguine Domini *ad centum ferè capitula*. Quo ex loco conjiciebam aliquando, Anonymum istum non alium esse, quàm Herigerum Abbatem Laubiensem: quod verum esse posteà deprehendi.

XII Ex his manifestè intelligitur, Radbertum non duos, sed unicum librum condidisse de Eucharistia, qui varias inscriptiones & capitulationes sortitus est in libris editis & manuscriptis.

III.

XIII *Qua occasione scriptus.* Illud opusculum aggressus est Radbertus rogatu cujusdam discipuli sui, in gratiam juniorum ejus Cœnobii Monachorum. Huc spectant ipsius verba in epistola nuncupatoria seu præfatione. *Quod ideò placuit stilo temperare subulco, & ea, quæ de sacramento sanguinis & corporis tibi exigis necessaria, tui prætextatus amore ita tenus perstringere, ut ceteri, quos necdum unda liberalium attigerat literarum, vitæ pabulum & salutis haustum pleniùs caperent ad medelam*. Hinc in epistola ad Fredugardum profitetur, *se non temeritatis afflatu talia olim puero cudisse: sed auctoritate divina & Sanctorum Patrum ea petentibus proposuisse*. Ex quo intelligitur, cur Auctor etiam in ea epistola dicat, libellum hunc *cuilibet puero* fuisse dedicatum, id est cuidam filio seu discipulo suo. Sic enim pronomen *quilibet* pro *quidam* alibi usurpat Radbertus, utpute in

in lib. 1. de VValæ epitaphio cap. 14. ubi Carolus Magnus VValam humiliasse dicitur *instinctu cujuslibet*, id est cujusdam seu alicujus. Fallitur ergo Anonymus Cellotianus dicendo incertum esse, utrùm Radbertus libellum istum scripserit *provocatus*, *an rogatus*, siquidem ex ipsius Radberti verbis constat, id operis ab ipso susceptum rogatu cujusdam discipuli sui, in gratiam juniorum Monachorum. An autem adversarios quosdam præ oculis habuerit, nec ne, inferiùs discutiendum erit.

I V.

QUis fuerit iste Paschasii discipulus, cui libellum suum dedicavit, non fuit hactenus exploratum. Existimaveram aliquando esse Adalhardum juniorem, qui teste Radberto exsulantis Adalhardi senioris vices egit in regimine Monasterii Corbeïensis: propterea quòd Abbatem eum, cui libellus nuncupatus est, fuisse apparet ex præfatione, quæ *Dilectissimo filio vice Christi præsidenti Magistro* inscripta est. Ita, inquam, existimaveram ante inventum opus de gestis VValæ Abbatis. At perlecto hoc opusculo sententiam mutare necesse fuit: cùm ex eo constet, librum Paschasii de Corpore & Sanguine Domini, non Adalhardo, sed VVala Abbate exsulante conditum esse, uti superiùs demonstravi. XIV Placidio nuncupatus.

Consultis hanc in rem veteribus libris, magnam inveni discrepantiam. In tribus, nempe in Mettensi Monasterii sancti Arnulfi, in Gemblacensi & Thuaneo, prædictum opus *Placidio Abbati* inscriptum legitur. In Corbeïensi verò & Germanensi nostro nullius nomen in salutatione comparet. Mettensis & Thuanei codicis titulus ferè consimilis est. Thuaneus sic habet: *Prologus Paschasii Radberti ad Placidium discipulum suum*. Utriusque verò, atque etiam Gemblacensis salutatio præfert hæc verba: *Paschasius Radbertus Placidio suo salutem. Dilectissimo filio, & vice Christi præsidenti magistro*. Contrà verò in aliis duobus, Corbeïensi & Germanensi, absque alio titulo hæc legitur salutatio: *P. R. L. Monachorum omnium peripsema, dilectissimo filio* &c., id est *Paschasius Radbertus Levita Monachorum omnium peripsema*, qualem omnino inscriptionem Auctor in libris suis adhibere solet. At duo posteriores codices tanti non sunt, ut fidem abrogemus ceteris numero & antiquitate potioribus, qui Paschasii librum de Eucharistia Placidio nuncupatum commonstrant. Certè Sigebertus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 97., & Trithemius in lib. 2. de viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 55. id tradunt; probantque insuper duo codices Colonienses, quibus usus est Nicolaus Mameranus, aliique quos Sirmundus editioni suæ adhibuit: nisi quòd *Placidum* legunt non Placidium. XV.

Sed ne longiùs funem ducamus, nuper in manus meas pervenit copia membranei codicis Aniciensis Ecclesiæ pervetusti, prædictum Paschasii opus continentis, in quo non solùm Placidii nomen reperitur, sed etiam quis fuerit Placidius iste, (quod nemo hactenus resciverat) designatur. Et quia hæc res non levis momenti est ad Eucharisticæ controversiæ statum probè intelligendum, paullisper ejus codicis auctoritatem explicare juvat. Is in fronte libri de Sacramento Altaris exhibet primò versus Radberti ad Carolum Calvum, tum ejusdem auctoris epistolam ad eumdem, qua librum pridem ab se compositum ipsi transmisit pro munere *ad superventura diei dominici festa*, hoc est (si non fallor) ad Natale Domini, pro more illius ætatis. Exordium hujus epistolæ, quam hîc in Paschasii Elogio integram referam, ejusmodi est. *Domino* XVI Placidius idem qui Watinus.

mino præcellentissimo Regi humilis & exiguus Paschasius Radbertus vester, etsi indignus Abbas ac Levita Domini, Monachorum omnium peripsema, salutem Rex inclite vobis. Hinc indè, ut condignum est, ad superventura diei dominici festa missuri sunt auri, argentique, & vasorum diversi generis munera, necnon & variæ suppellectilis vestium ornamenta, atque falerata equorum, cæterorumque animalium quæque præcipua. Inter quos nimirum, etsi ultimus, fide devotus, quia monuistis, & mea, ut opto, vos delectant; decrevi, non ignavi ponderis metalli vestræ Majestati munus offerre; sed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen de sacramentis sacræ communionis, quem dudum Placidio meo, VVarino Abbati, devoto & fideli vestro, consecrans, ideo sic communiùs volui stilo temperare subulco, ut ea quæ de sacramento corporis & sanguinis Christi sunt necessaria rescire, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & salutis haustum planiùs caperent ad medelam. Nunc autem dirigere non timui vobis: quatenus nobis operis præstantior per vos exuberaret fructus mercedis pro sudore, cùm per vos ad plurimos pervenerit commendatus, & gratia nobis responderit oblati muneris, quia pecunia verbi, sicut pleniùs, domine mi Rex, nostis, quantos repleverit suis sumtibus auditores, tantis copiosiùs in se amplificatur meritorum opibus. Qua de causa, velim non levi animo ista perlegat vestræ sollertiæ magnitudo &c.

XVII Notanda quædam.

Ex hoc fragmento & ex superioribus intelligitur, primò Placidium, cui liber de Corpore & Sanguine Domini nuncupatus est a Paschasio, esse VVarinum, *qui ex nobilissimo Francorum atque Saxonum genere* ortus, veteris Corbeïæ primò Monachus, dein novæ Abbas fuit ab ineunte anno DCCC. XXVI., quo sancto Adalhardo successit. Secundò VVarinum jam Abbatem fuisse tum, cùm ei dedicatus est liber, qui *Placidio vice Christi præsidenti magistro* inscriptus est: ac proinde librum post annum DCCC. XXVI. conditum fuisse, & quidem anno DCCC. XXXI. ex præmissis. Tertiò scriptum fuisse in gratiam juniorum Corbeïæ novæ Monachorum, *quos necdum unda liberalium attigerat literarum*, Corbeïæ, inquam, novæ apud Saxones, qui recèns ad fidem perducti fuerant. Quartò tempus, quo Paschasius opus suum denuo recognitum auctumque, (ut inferiùs in ejus elogio dicemus) Carolo Calvo transmisit, non contigisse ante annum DCCC. XLIV., quo veteris Corbeïæ Abbas dictus est: siquidem Abbatem se in superiori epistola designat. Quintò denique nullos super Paschasiano libro motus ante id tempus excitatos, ut ex epistolæ serie colligere licet. Ex his etiam consequens est, Paschasium in epistola ad Frudegardum, ubi ait se *puero* cudisse hunc libellum: *pueri* nomine intelligere juniorem monachum ac discipulum suum, eo modo quo Alcuinus *Maurum* seu Rabanum *puerum* vocat in epistola 55., qui Rabanus tum Fuldensibus scholis præfectus erat. Sanè VVarinum Paschasii discipulum exstitisse patet ex epistola ipsi inscripta, in qua Paschasius Arsenium seu VValam laudans, subdit, *qui in fidei te mihi commisit ratione*, nempe eo tempore quo Corbeïæ veteris cura, Adalhardo Abbate relegato, penes VValam præcipua erat sub Adalhardo juniore, ex Epitaphii lib. 1. cap. 13. Ex veteri quippe Corbeïa in novæ regimen anno DCCC. XXVI. translatus est VVarinus, ut docet libellus de constructione novæ Corbeïæ. Et quidem Monachum hunc, cui libellum suum dicavit Paschasius, jam tum promotæ fuisse ætatis, patet ex cap. 21. ubi ait ipsum habere in sacramento, quo *infantiæ*, id est adolescentiæ suæ, *abluat fœditates*, immo & Sacerdotem fuisse satis innuit his verbis: *Quia Deo ordinante jam sacris adsistis altaribus, lava inter innocentes, non cum Pilato manus*. Quid multis? Placidius seu VVarinus Abbas erat

erat jam indè ab annis quinque, cùm Paschasius librum suum ipsi dedicavit.

V.

PRæter hoc opus, quod anno DCCC.XXXI. scriptum esse prædixi, egit etiam Radbertus de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, tum in lib. 12. commentariorum in Matthæum, tum in epistola ad Fredugardum, (sic libri manuscripti pingunt, editi Frudegardum) quem Corbeïæ novæ sub VVarino Monachum fuisse non dubito, eum nempe, qui *Frithudagus* appellatur apud Meibomium in Chronico Corbeïensi, nam apud veteres proclivis est in nominibus propriis mutatio literæ *d.* in *th.*, maximè apud Germanos. Sic *Chrothegandus*, ferè legitur pro *Chrodegangus*, utì pro *Fredugardus* hoc loco *Frithudagus*. Nunc quo tempore utrumque opus mox laudatum ab auctore prodierit, operæ pretium est investigare.

XVIII Alia Paschasii scripta de Eucharistia. Fredugardus quis.

V I.

XIX

COmmentarios in Matthæum aggressus est adhuc Monachus, id est ante annum DCCC.XLIV., quo Abbas renuntiatus est. Librum quintum, post interpolatum aliquamdiu opus, inchoavit Abbas, ut patet ex prologo; nonum & reliquos post abdicatum munus abbatiale resumsit, Oddone Abbate. Is Paschasio successit anno DCCC. LI., quo Radbertus obiisse hactenus creditus est, tametsi non pauco tempore supervixit, ut suo loco demonstrabo. Post illud enim tempus scripsit quatuor posteriores libros in Matthæum, explanationem in psalmum *Eructavit*, &c, (si non fallor) commentaria in Threnos Hieremiæ, cum epistola ad Fredugardum, & libro secundo de gestis VValæ Abbatis; quæ omnia mediam ferè partem ejus operum efficiunt; adeò ut ad annum ferè DCCC. LXV. pervenisse dicendus sit, ut in ejus elogio exponemus. Post abdicatum itaque Corbeïensis Monasterii regimen, id est post annum DCCCLI., Paschasius à libro nono continuavit expositionem in Matthæum: deinde opus iterum intermissum resumsit ab undecimo libro, & quidem *inter confinia ultimæ vitæ*, ut loquitur in prologo. Eodem tempore scripsit epistolam ad Fredugardum paullò ante suum ipsius obitum; qui ante annum DCCC.LXV., ut jam dixi, non videtur contigisse. Ex quo intelligitur, sub hunc annum ab ipso conditum fuisse librum in Matthæum duodecimum, in quo differit de Eucharistiæ Sacramento.

V I I.

XX

HInc etiam consequens est, Paschasium Rabano Moguntino Archiepiscopo, qui anno DCCC.LVI. decessit, superstitem fuisse, ac proinde Paschasio vivente scriptas esse Rabani epistolas duas, unam ad Egilem seu Egilonem tum Abbatem Prumiensem: alteram ad Heribaldum Autissiodorensem Episcopum, in quibus agit de Eucharistiæ mysterio. An verò etiam Ratramnus sive Johannes Scottus de Corpore & Sanguine Domini ante Radberti obitum scripserint, posteà expendemus.

§. II.

Paschasii libri auctoritas & fides.

XXI Paschasii auctoritas in re Eucharistica. IN negotio controversiæ eucharisticæ tanta est necessitudo Radbertum inter & Catholicam fidem, ut ferè perinde sit, hanc an illum impugnare, aut defendere. Cùm enim Romana Ecclesia Radbertum velut apostolicæ traditionis hac in causa eximium interpretem & defensorem agnoscat; eum ex adverso hæretici ut Novatorem habent, lacessuntque. Berengarius in primis in ipsum infensissimus fuit, *ineptum* Paschasium, *erraticum*, & *erraticorum ducem* appellans, homo linguæ petulantioris. Neque reverentiores adversùs eum Calvinistæ, qui Paschasium, ut realis Christi in Eucharistia præsentiæ auctorem, conviciis onerare solent. Hinc varios ipsi adversarios opponunt, quò probent eum contra receptam Fidem adinvenisse novam, cui libris editis restiterint Rabanus, Ratramnus, Johannes Scottus, magna nomina, quos Catholica Ecclesia tunc temporis in honore habuit: nec ullus tunc eos, inquiunt, ob impugnatum Paschasium arguit erroris. Etsi verò Paschasii sententia sensim irrepserit in animos vulgi, semper tamen usque ad Berengarii tempus inventos esse viros doctos, qui pro avita religione steterint, quales sæculo decimo Ratherium Veronensem Episcopum, Herigerum Abbatem Laubiensem, & alios fuisse affirmant.

XXII Jam quidem commentis istis (ut dixi) factum est satis, & invictissimis argumentis confirmata est catholica fides & Paschasii religio: nec mihi tantum sumo, ut operam meam hac in causa necessariam esse putem. At quoniam de Radberto, ejusque sanctitate dicere mihi incumbit; has ab eo calumnias propulsare cogit ipsa officii mei ac loci hujus necessitas.

XXIII Ut verò Paschasii libro sua constet auctoritas, inquirendum est, an & quos adversarios præ oculis habuerit, cùm eum scriberet: an receptam & communem sui temporis Ecclesiæ Fidem declaraverit: quot & quales in se adversarios excitaverit.

I.

XXIV An hæreticos impugnet. QUid causæ impulerit sive Paschasii discipulos, sive Paschasium ipsum ad petendum scribendumve hunc librum, operæ pretium est accuratè observare hoc loco. Nempe ut exponeretur de Eucharistiæ sacramento catholica doctrina in gratiam Saxonum puerorum recèns ad Fidem conversorum, qui in Corbeiæ novæ Monasterio educabantur. Hanc enim esse ejus libelli causam discimus ex superiori Paschasii epistola ad Carolum Calvum. Nec obstat, quòd quosdam hæreticos notare videtur Paschasius in cap. 21. his verbis. *Nos autem catholicè sensum ipsius Domini requirentes, non hæreticorum nænias sequamur, sed ejus, qui ait; Accipite, & comedite ex hoc omnes.* Quippe ita composita est tota ejus oratio, ut informantis ad pietatem, non decertantis ad refutationem, formam habere videatur. Procedit enim sedato, simplicique modo ad erigendum animum in tantum Sacramentum; non contento & concitato illo genere, quod in disputationibus adhiberi solet.

Præter ea in exitu sæculi octavi, aut noni initio nulla legitur exorta hære-

hæresis contra Eucharistiam, nisi quod Alcuinus in Confessione Fidei, quam Petrus Franciscus Chiffletius vulgavit, aliquam designare videtur his verbis, quæ habentur in parte 4. *Adverte jam tandem, ô perversarum mentium perversa doctrina, & noli surda aure & incircumciso corde præterire quod dicitur: Qui manducat me. Suam nimirum, & non aliam carnem demonstrat. Si enim hoc non esset, nequaquam mysterium illud tam mirabile & ineffabile, atque incomprehensibile dici posset. Qui Deum credit omnipotentem, credit utique eum facilè posse de re aliqua quod vult facere. Si hoc non esset ita, comprehendi sensu, & verbis dici certè potuisset. Verùm quia longè aliter se habet veritas tanti mysterii, quàm tu hæretico decepta spiritu arbitreris, rectè dicitur mysterium fidei.* Scio viros doctos nonnullos dubitare de hujus operis auctore. At eorum exceptiones tanti non sunt, ut iis subscribere cogamur, ut aliàs demonstravi disquisitione singulari in Analectorum tomo 1.

In his duobus locis etsi mentio fiat hæreticorum, & hæreticæ doctrinæ; non tamen nova hæresis, sed ad summum vetus aliqua designatur; aut potiùs dubia fides quorumdam falsorum catholicorum, qui etsi hæreticum dogma publicè non profiterentur, haud tamen rectam fidem haberent. Certè hos tantùm, quos postremo loco dixi, intellexisse videtur Paschasius, ut fidem faciunt epistolæ ad Fredugardum hæc verba: *Et ideò quamvis ex hoc quidam de ignorantia errent; nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicit, quod totus orbis credit & confitetur.* Aut certè hæreticorum nomine ambo, Alcuinus scilicet & Paschasius, veteres hæreticos intelligunt Nestorianos, quos errasse circa hoc sacramentum itidem existimavit Lanfrancus in Dialogo adversùs Berengarium, ubi ait, *paucis annis post obitum Beati Augustini*, immo vivente etiam tum Augustino, *tempore Cælestini Papæ & Cyrilli Alexandrini Episcopi*, ortas fuisse hæreses duas, seu potiùs unius hæreseos sectas duas, quarum asseclæ consentiebant quidem, *panem & vinum in veram filii hominis carnem verumque sanguinem converti*: sed alios hoc nomine *filii hominis* intellexisse *quemlibet hominem, sive justum sive peccatorem, in cujus carnem & sanguinem conversa terrena substantia sumeretur in remissionem peccatorum, alios non hunc esse de turba quemlibet hominem: sed virum justum, sanctificatum, à communi hominum per suam celsitudinem segregatum.* Adversùs quos Synodus Ephesina canonem scripserit & Nestorio Episcopo, tanquam hæreticorum signifero transmiserit in hæc verba: *ad benedictiones mysticas accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrûm Redemptoris effecti, non ut communem carnem suscipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundùm dignitatis unitatem, aut secundùm divinam possidentis habitationem: sed verè vivificatricem, & ipsius verbi propriam factam* &c. Et verò Nestorianos non rectè omnino sensisse de Eucharistiæ Sacramento opinatur eruditus vir Johannes Garnerius Societatis Jesu, in dissertatione prima de hæresi & libris Nestorii, ubi Nestorium impanationis errorem docuisse; Nestorianos verò sensim ad recentiorum Calvinistarum dogma defecisse colligere sibi visus est, tum ex Theodori Nestorio addicti argumento proposito in Dialogo Eranistæ, tum ex testimonio Leontii de Theodori Mopsuesteni sectiriis. Non ergo Nestoriani admisissent veram panis & vini conversionem in carnem & sanguinem hominis cujuscumque, ut putavit Lanfrancus, qui certè non bene intellexisse videtur dogma Nestorianorum, cui Ephesius hic canon opponitur. Quia enim duas in Christo personas admittebant Nestoriani, purumque hominem sola unione morali cum Verbo conjunctum confitebantur; consequens erat, ut in Eucharistia nonnisi hominis justi,

XXVI

Lanfranci sententia de Nestorianis expensa.

justi, licèt non alterius quàm Christi, corpus & sanguinem exsistere affirmarent, quod ipsorum dogma Ephesini Patres, & cum eis Cyrillus Alexandrinus Episcopus impugnat anathematismo XI. Unde Vigilius Tapsensis Episcopus in lib. 5. adversùs Eutychetem : *Cyrillus hoc catholicè præcipit ... ut carnem dominicam propriè Verbi, qui ex Deo natus est, esse credamus, & non alterius cujusdam tamquam conjuncti ei secundùm dignitatem, in quo veluti extrinsecùs divinitas habitaverit, sicut in unoquoque sanctorum : & ab hoc nos vivificatricem dominicam carnem debere asserit confiteri, quoniam propria facta est vivificantis Verbi.* Denique ut ad propositum me referam, fortasse Alcuinus, Paschasiusque in præcitatis locis non alios intellexerunt, quàm Nestorianos, jure vel injuriâ erroris in Eucharistiam à nonnullis affectos; aut falsos Catholicos, qui sensuum & pravæ rationis præstigiis seducti, hæresim mente facilè concipiunt, tametsi eam verbis non disseminent. Ego verò posteriorem hanc de Paschasii mente sententiam præferendam existimo : propterea quòd de præmisso Ephesinæ Synodi decreto ipse agens in epistola ad Fredugardum, hunc Nestorianis errorem nullatenus imputat : sed tantùm ex illo Synodi decreto convinci ait (quod quidem apertum est) realem Christi Corporis in Eucharistia præsentiam.

Paschasii scopus.

I I.

XXVII At quidquid demum his *hæreticorum næniis* intellexerit Paschasius; sive malos Catholicos, sive Nestorianos, seu novos hæreticos designaverit; non aliam tradidit suo in libro de Eucharistia doctrinam, quàm Ecclesiæ universæ.

XXVIII Tria potissimum docet hoc in opere Paschasius, quæ statim ab initio libri exponit, nimirum verum corpus & sanguinem Christi Domini exsistere in Eucharistia : panis & vini substantiam facta consecratione non superesse : ipsumque corpus non aliud esse, quàm quod de Maria Virgine natum est. Hæc paucis comprehendit in hunc modum. *Licèt figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos hæc inquit : Caro mea est pro mundi vita. Et, ut mirabiliùs loquar, non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro.* Tria alia ex his consequentia etiam docet, scilicet Christum *in mysterio quotidie veraciter immolari*, in capp. 2. 4. & 9. Eucharistiam *& veritatem esse & figuram* cap. 4. denique *secessui obnoxiam non esse* cap. 20.

Libri ejus summa & fides.

XXIX Præsentiam (quam vocamus) realem & transsubstantiationem ita asserit, ut si quis non credat, *impio deteriorem* esse pronuntiet cap. 12. & in epistola ad Fredugardum *Sanctorum fidem* appellet : secùs sentientes *contra ipsum Dominum & contra omnem Ecclesiam* agere. Denique in commentario super Matthæum neminem esse, *qui in aperto hoc ita esse contradicit, quod totus orbis credit & confitetur.* Atqui non ignorabat Paschasius, quid de Eucharistia tum sentiret Ecclesia : neque verò eò impudentiæ prolapsurus fuisset, ut fingeret ita sentire Ecclesiam omnem, si alia tum fuisset Ecclesiæ fides. Pronum quippe & familiare Novatoribus est, sui temporis Ecclesiam arguere, Fideles à recepta persuasione revocare, & se primos demum rectæ fidei jactitare auctores, aut certè avitæ religionis instauratores. Ut verò quisquam à recepta fide recedens dicere ausus sit, se cum suì temporis Ecclesia omni convenire; hactenus forsan inventus est nemo, nisi quidam recentiores Calvinistæ, qui

qui Græcos hodiernos, sed longè distantes, secum de Eucharistia consentire ausi sunt affirmare, reclamantibus undique Græcis, & testimonia publica proferentibus in execrationem malè impacti erroris. At verò Paschasius, non unum terræ angulum, singularesve Ecclesiæ populos, sed totum orbem Christianum, nemine in aperto contradicente, confiteri dicit, quod ipse sentiebat, scribebatque. Denique Paschasium omnibus sui temporis Gallicanis Episcopis venerabilem fuisse constat cùm ex aliis multis, tum ex privilegio, quod Synodi Parisiensis Patres viginti ipsius rogatu Corbeïensi Monasterio contulerunt, cum eximio elogio ejus Monachorum; qui sinè dubio Magistri ac Præceptoris sui doctrinâ imbuti erant.

I I I.

OPponit multa Claudius Carentonensis minister, quibus suspectam reddat Paschasii fidem, probetque eam cum sui temporis Ecclesia non concordare. Neque hoc significare Paschasium, cùm ait secum sentire omnem Ecclesiam. Hoc enim dictum esse de prisca Ecclesiæ fide, seu de Patribus antiquioribus, quos in partes suas Paschasius falsis commentariis detorquere conabatur. Hujus rei argumentum esse, quòd numquam in testimonium adducit sui temporis Fideles, Episcopos nullos, non Abbates, Presbyterosve, aut Monachos, quod tamen præstare debuisset, si id, quod de Ecclesiæ Fide asserit, ad præsentem retulisset. XXX Objectiones diluuntur.

Verùm si hæc argumentandi ratio valet, æquè pugnat adversùs Calvinistas, qui Ratramnum ad se trahere conantur. Ratramnus siquidem, ut Calvinistæ contendunt, nec diffitentur Catholici plerique, librum unum de corpore & sanguine Domini scripsit adversùs Paschasium, Catholicus (inquiunt) adversùs novatorem. Ut sit sanè. At ostende quos Episcopos, quos Abbates, Presbyteros aut Monachos sui temporis vocet in testimonium. Frustra quæras. Dicat saltem secum sentire Ecclesiam omnem, ut Paschasius dixit. Ne verbum quidem, nisi quod ait sequi se *majorum auctoritatem*, id est antiquorum quos laudaverat Patrum, non propriam *præsumptionem*, quod Novatoris indicium & argumentum Claudius in Paschasio se deprehendisse putabat. XXXI

At videamus, Paschasius in præcitatis locis an Ecclesiam sui temporis intelligat, an superioris. Opponit errantes *quosdam*, id est paucos, ceteris rectè sentientibus, quos utrosque eodem tempore vixisse & oppositionis ratio, & contextus ipse declarat. *Ideò*, inquit Paschasius, *quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui ita hoc esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur. Quosdam* illos, qui errabant, Paschasii tempore extitisse hinc manifestum est. Ergo id quod ex adverso de totius orbis confessione affirmat, reliquis hominibus, id est universæ ejusdem temporis Ecclesiæ, aptandum est. XXXII

Neque porrò Paschasio necessarium erat, Episcopos, Abbates, Presbyteros, aliosve sui temporis homines adsciscere in testimonium. Satis enim comprehenduntur omnes *totius orbis* nomine: & personarum studiosa illa enumeratio in re non dubia, qualis erat tum Ecclesiæ de Eucharistia Fides, omnino superflua, aut suspecta fuisset. Nam omnes & singulos recensere infinita res; & designare tantùm aliquos, partium studiis obnoxia censeretur. XXXIII

Quid? quòd Episcopi Synodi Parisiacensis satis apertè contestati sunt, se Radberti doctrinam fidemque probare: siquidem multis annis post scriptum XXXIV

librum

librum de corpore & sanguine Domini privilegium ipsi concesserunt cum eximia commendatione. Quid? quòd Lupus Abbas Ferrariensis, vir religiosissimus, eum *dilectissimum* & *bonis omnibus amplectendum* vocat in epistolis 56. & 57. Quid? inquam, quòd Engelmodus Episcopus in carmine de ejus laudibus condito, ipsummet *Ecclesiæ columen* appellat, *Religionis apicem*, *fidei fortissimum umbonem & jubar*; virum, quem *non deturpet mentita fidem simulatio, sed pia simplicitas, & virtus recti conscia* exornet, quem etsi *Imperii fasces & Regni fulgens gloria*, id est Rex & optimates, *venerarentur*, numquam tamen inflaret *ventosus favor*. Nihil sanè illustriùs dici poterat ad commendandam probandamque Radberti fidem.

XXXV Hic ostendere possem multos ejus temporis Episcopos, in his Hincmarum Archiepiscopum Remensem, cum Radberto in Fide Eucharistiæ consensisse, nisi actum agere viderer. Sed tamen duo illustrium istius temporis virorum testimonia prætermittere non possum, quæ jam in disquisitione de Alcuini confessione commemoravi. Primus est Paulus Diaconus, Casinensis Monachus, Radberto natu major, qui in libello de vita sancti Gregorii Papæ primi cognomento Magni, de Eucharistia hæc habet. *Præscius Conditor noster infirmitatis nostræ, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper Virginis Mariæ operante sancto Spiritu fabricavit; panem & vinum mixtum, manente propria specie, in carnem & sanguinem suum, ad catholicam precem, ob reparationem nostram spiritûs sancti sanctificatione convertit*. Nemo catholicam fidem clariùs significantiúsve exprimere poterat. Alter est Haimo Halberstadensis Episcopus, qui in tractatu de corpore & sanguine Domini, edito in Spicilegii tomo 12. ita effatur. *Credimus itaque & fideliter confitemur & tenemus, quòd substantia illa, panis scilicet & vini, per operationem divinæ virtutis substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem & sanguinem*. Hæc aliaque Haimonis verba manifestè demonstrant, veram corporis Christi præsentiam, veramque substantiæ panis & vini conversionem in Eucharistia ab ipso creditam: nec privatam dumtaxat, sed publicam & communem totius Ecclesiæ persuasionem fuisse. Ex quibus perspicuum est, Radberti majores & æquales hac in re cum eo penitus consensisse. Id verò confirmatur ex cap. 2. Concilii Celichitensis anno DCCC. XVI. in Anglia celebrati, ubi Eucharistia *corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi* esse asseritur. Luculentus hac de re locus est in Compendiensi Commentario Anonymi in Pauli epistolas, ab annis ampliùs octingentis manu scripto, in quo super epistolam ad Corinthios primam, in hæc verba. *Accipite & manducate, hoc est* (MS. Compend. n. 10.) *corpus meum*, ita legitur. *Sicut caro Christi, quam assumsit in utero virginali, verum corpus ejus est, & pro nostra salute occisum: ita panis, quem Christus tradidit discipulis suis, omnibusque prædestinatis ad vitam æternam, & quem quotidie consecrant sacerdotes in Ecclesia, cum virtute divinitatis quæ illum panem replet, verum corpus est Christi. Nec sunt duo corpora illa caro, quam assumsit, & iste panis: sed unum verum corpus Christi faciunt, intantùm ut dum ille frangitur & comeditur; Christus immolatur, & comeditur; & tamen vivus manet. Et sicut illud corpus, quod in cruce positum pro nostra salute & redemptione est immolatum: ita quotidie ad nostram salutem & redemptionem iste panis Deo offertur, qui licèt panis videatur, corpus est Christi*. Nihil luculentiùs afferri potest auctoritate hujus Anonymi, quem tempore Paschasii vixisse conjicio ex illa quam asserit unius corporis (ut sic loquar) identitate, de qua tunc lis erat.

XXXVI Ad hæc duplex aliud argumentum in Paschasium urget Claudius ex illis verbis epistolæ ad Fredugardum. *Tu autem velim relegas libellum nostrum de*

hoc

hoc opere, quem olim te legisse dicis : & si quid in eo reprehenderis aut dubitaveris, relegere non pigeat, quia etsi nihil in eo legentibus dignum scripsi, quem cuilibet puero dedicavi; tamen ad intelligentiam hujus mysterii plures, ut audio, commovi.

Frigidum est quod primo loco hinc deducit Claudius, Paschasium, si sui temporis doctrinam tenuisset, non postulaturum fuisse à Fredugardo, ut si quid reprehensione dignum in suo scripto deprehendisset, sibi significaret. Frigida, inquam, est objectio hæc. Neque enim Fredugardi censuram postulat Radbertus ad examinandam Fidem ac doctrinam suam, sed ad probandum modum tractandi res, qui obnoxius est erratis humanis. Sic Agobardus Lugdunensis Antistes suum ipsius librum adversùs Felicem Urgelitanum Episcopum offert Ludovico Augusto discutiendum, *ut vestro*, inquit, *acerrimo ingenio probetur, aut improbetur*, non rem ipsam Imperatoris examini subjiciens, (neque enim dubitabat Agobardus eam esse Catholicam Fidem, quam post Conciliorum definitionem propugnabat) sed orationis seriem & argumentorum formam, ut probaret, an rectæ fidei & materiæ dignitati convenirent. Infinita sunt id generis veterum exempla, qui libros suos, de Fidei mysteriis quantumvis certissimis conscriptos, aliis examinandos, corrigendosque offerebant. Si Theodoritus suum in Pauli epistolas commentarium amico suo direxit, *non ut prudenti auditori, sed ut sapienti utroque judici. Et quemadmodùm*, ait, *aurifices ad lapidem aurum admovent, cùm probare volunt, an purum sit & excoctum : sic ego ad pietatem tuam commentarium misi, scire avens, rectène se habeat, an aliqua egeat purgatione*. Sic Eulogius Cordubensis *Documentum martyrii*, in gratiam Floræ & Mariæ scriptum, fratris sui Alvari censuræ subjiciens, *Tuum est*, inquit, *frater charissime, huic volumini auctoritatem donare : quia priusquàm earumdem virginum adiret obtutus, tuo eliminari eum judicio volui, ne fortè errore nescientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati*. Et in fine Apologetici Martyrum ipsos Martyres alloquens. *Et si fortassis error contrarius fidei in qualibet parte libelli emerserit, Dominus vestro interventu mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet, præsertim cùm non nesciam, prudentes plerumque incurrere sermonis lapsum, ubi animus non gerit errandi affectum*. Egregia planè sententia, quæ Paschasio jure aptari potest. Eodem modo affectus erat Alcuini animus, qui licèt prima religionis Christianæ dogmata defenderet, humanæ tamen infirmitatis conscius libros suos Carolo Magno in primis exigendos offerre solitus erat, ut libellum contra hæresim adoptionis ex epistola 15., in qua David Regi, id est Carolo Magno, gratias agit, quòd libellum istum sibi recitari fecisset, *& quod notari jussisset errata illius, & remisisset ad corrigendum*. Quantos egisset triumphos Claudius Minister, si idem de Paschasii libro contigisset. Et tamen errata illa non ipsam Fidei de Christo Dei filio sententiam, quæ sinè dubio in Alcuino rectissima erat, attinebant; sed humanos lapsus, qui scriptoribus in quovis argumento accidere solent. Edenda est propediem à V. Cl. Stephano Baluzio alia ejusdem Alcuini epistola itidem ad Carolum Magnum, qua ejus examini eumdem libellum, id est opus librorum septem adversùs Felicem, subjicit. Sed diutiùs hæreo in facili argumento, quod uno verbo confici satius erat. Sed quando huc nos adduxit adversariorum objectio; longè validiùs hæc regeri posset in Ratramnum, quem partium suarum fautorem, tametsi perperam, jactitant Calvinistæ : cùm librum secundum de corpore & sanguine Domini ita concludit, Carolum Calvum affatus. *Quæ si probaveritis catholicè dicta, vestræ meritis Fidei deputate, quæ depositâ regalis magnificen-*

Marginal notes: XXXVII — *Theodoret. Ep. epist. 1.* — *Eulog. ep. 2.*

ficentia gloriâ non erubuit ab humili quærere responsum veritatis. Sin autem minùs placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ, quæ quod optavit, minùs efficaciter valuit explicare. Hæc inquam, cùm rem ipsam spectare videantur, validiùs in Calvinistas retorqueri poterant, si ejusmodi argutiis liceret immorari.

XXXVIII Aliud argumentum ex præmissis verbis desumit Claudius, ut probet Paschasium fuisse Novatorem: quòd scilicet, uti ipse dicit, *ad intelligentiam hujus mysterii plures commoverit.*

XXXIX At si hoc nomine Paschasius dicendus est Novator, Novatores etiam dicendi sunt, quicumque Ecclesiæ rude vulgus Fidei elementis informant, & verbis, & scriptis. Hoc enim modo commoventur, non solùm rudes & indocti, sed etiam docti ad mysteriorum intelligentiam pleniorem, majoremque venerationem. Et certè eo loci Paschasium id solum velle constat, cùm ait multos ex suo libro *ad intelligentiam hujus mysterii* fuisse commotos. Hanc enim intelligentiam in eo reponit; non solùm ut discernamus corpus Christi Domini à cibo communi, quod ad Fidem pertinet; sed ut intelligamus, *mysticum Christi Corpus quanta polleat dignitate, quantaque præemineat virtute*, quod utrumque Catholicorum auribus sæpiùs inculcatur, nec ab his umquam capitur satis. Neque verò mirum, si id suo tempore ex lectione & usu libri sui accidisse dicat Radbertus: cum idem judicium de eo tulerit, centum pòst annis sanctus Odo Abbas Cluniacensis, qui relatis aliquot locis ex libro Paschasii in collationum lib. 2. capp. 30. & 31. ita subdit. *Hæc & alia multò plura Paschasius ex dictis Patrum ad reverentiam ipsius mysterii commendandam, atque majestatem ejus demonstrandam conscripsit: quæ si quis licet sciolus, legerit; tanta, credo, discet, ut de hoc mysterio parum se eatenus cognovisse putet.* Certum est sanctum Odonem hic agere de Catholicis Eucharistiæ fide imbutis: quibus tamen adeò proficuam fore dicit Paschasiani libri lectionem, ut eo perlecto de hoc mysterio parum se eatenus cognovisse confessuri sint.

XL Urget Claudius, Paschasium loqui non solùm de perfectiori Sacramenti notitia, verùm etiam de ipsa fide mysterii, ad quam multos fuisse commotos scribit, quippe qui in suo libro non tantùm *quid ad scientiam*, quæ rei perceptio clarior est, sed & *quid ad fidem* Sacramenti pertineat, explicare intendit, ut patet ex cap. 2. ubi ait neminem Fidelium ignorare debere, *quid ad fidem, quidve ad scientiam in eo pertineat.*

XLI Ita quidem habet Paschasius in cap. 2., sed locus alter, in quo ait plures *ad intelligentiam hujus mysterii* fuisse commotos, extat in epistola ad Fredugardum. Porrò an hoc referendum sit ad ipsam fidem, an solùm ad scientiam, nusquam dicit Paschasius. Immo *intelligentia* vocabulum satis declarat, hunc locum de majori sacramenti notione intelligendum esse. Quamquam etsi concedamus dixisse Paschasium, multos ex lectione libri sui ad fidem hujus mysterii fuisse commotos; non videò indè consequi ipsum esse Novatorem. His enim verbis tantùm significaret, multos catholicos dubiæ fidei ex ea lectione adductos fuisse ad hujus Sacramenti veram, certamque persuasionem, tum ob traditionem & auctoritatem Patrum, tum ob argumenta & rationes pias ab Auctore propositas, quæ ipsis antea ignota fuissent. Nullus enim ante Paschasium tam accuratè, aut pias credendi rationes, aut Patrum testimonia in unum collegerat. Aut certè id intelligit de Saxonibus recèns ad Fidem adductis, in quorum maximè gratiam libellum suum condiderat.

XLII Aliud argumentum objicit Claudius ex epistola Paschasii ad Fredugardum, dicentis, quosdam circa hoc sacramentum *de ignorantia errare* immo

non

non quosdam tantùm, sed *multos ex hoc dubitare, quomodò Christus integer maneat, & hoc Corpus Christi & Sanguis esse possit.*

At error quorumdam aliorum erat *de ignorantia fidei* & Traditionis Ecclesiæ, quam Traditionem non satis perspectam habebant, & multorum dubitatio nascebatur ex naturali conditione ingenii humani, quod rebus difficilioribus ægrè fidem accomodat, quale est illud, quod subdit Paschasius, *quomodò Christus integer maneat, & hoc corpus Christi & sanguis esse possit.* Uno verbo ignorantia hæc erat maximè penes Neophytos & Saxones, ut mox dicebam. XLIII

Fatendum est tamen, quosdam Paschasii libro restitisse, quos ipse designat in Matthæi caput 26. dicentes, *non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis, sed in sacramento: virtutem quandam carnis, & non carnem, virtutem sanguinis & non sanguinem.* Contra quos multa congerit Paschasius, *quia*, inquit, *audivi quosdam me reprehendere, quasi ego in eo libro, quem de sacramentis Christi edideram, aliquid his dictis*, id est verbis Christi, *plus tribuere voluerim, & ejus per singulos membra dividere concisa vel dispersa.* XLIV

Ex his Paschasii verbis tria colligimus. Primum, aliquos homines non omnino probasse ejus librum de corpore & sanguine Domini. Alterum, est, eos sensisse, in Eucharistia non contineri veritatem carnis Christi & sanguinis, sed utriusque virtutem dumtaxat, figuramque. Tertium, id rumore delatum ad Paschasium, non editis libris, & quidem annis ampliùs viginti post scriptum librum. *Audivi*, inquit, *quosdam me reprehendere* &c. quibus verbis consonant ea, quæ posteà scripsit ad Fredugardum, neminem adhuc *in aperto* contradixisse. Unde inquirendum est, quos adversarios habuerit Paschasius; quo tempore libros ediderint contra ipsum, ac demum qua in re eorum controversia versaretur. Quia verò hac in controversia non levis momenti est Anonymi Cellotiani auctoritas, primùm agendum videtur de nomine & ætate hujus auctoris. XLV

§. III.

De nomine & ætate Anonymi Cellotiani.

ETsi Anonymus iste ingenio planè mediocri & vulgari eruditione præditus fuerit; fatendum est tamen, ipsius testimonium non parùm valere ad illustrandas sæculi noni ac decimi controversias: maximè si sæculo decimo, ut quibusdam visum est, eum vixisse constat. Auctor enim est iste, qui Anonymus Cellotianus vulgò appellatur, propterea quòd ab erudito Cellotio vulgatus primùm est in Appendice ad Historiam Gothescalci; quatuor potissimùm docet de his controversiis. Primum, Rabanum Moguntinum Archiepiscopum, & Ratramnum scripsisse adversùs Paschasii sententiam, asserentis, in Eucharistia idem esse corpus quod natum est de Maria Virgine, quod etiam Anonymus iste impugnat. Secundum, Stercorariorum auctores esse Heribaldum Autissiodorensem Episcopum, qui *rem turpiter proposuit* XLVI

Rabano; & Rabanum ipsum, qui *turpiùs assumsit & turpissimè conclusit*, quos etiam auctor refutare conatur. Tertium, hoc commentum revixisse tempore ipsius Anonymi. Quartum, verè Christi corpus & sanguinem nihilo minùs in Eucharistia contineri. Hæc quanti momenti sint, nemo non videt, ac proinde aliquod operæ pretium fore putavi, si antequàm agam de Paschasii Adversariis, hujus Anonymi nomen ætatemque, (quod utrumque apud studiosos controversum) significem.

I.

XLVII Duobus modis perductus sum ad notitiam istius auctoris, conjecturis scilicet, & libris manuscriptis. Herigerum Abbatem Laubiensem esse libri Cellotiani auctorem mihi suadebant conjecturæ tres. Prima ex Chronici Laubiensis continuatore & Sigeberto, apud quos Herigerus, *multa Catholicorum Patrum scripta de corpore & sanguine Domini contra Radbertum congessisse* memoratur, qualia congerit Anonymus Cellotianus, Hieronymi scilicet, Augustini & Fulgentii, ad suadendum, non omnino idem esse in Eucharistia corpus Christi, quod de Maria virgine natum est. Secunda ex prologo Gerardi Abbatis in vitam S. Adalhardi Corbeiensis Abbatis. Gerardus quippe laudato Paschasii libro de corpore & sanguine Domini, subdit hæc verba. *Hic autem qualis fuerit & quantus, in quadam epistola testatur Abbas Laubiensis Herigerus, qui eo tempore inter sapientes habebatur celeberrimus*. Et Paschasius multis laudatur in libro Cellotiano, qui justæ epistolæ modum, formamque non excedit. Vivebat porrò Gerardus, Silvæ majoris Abbas sanctus, medio sæculo undecimo, post Herigerum annis ferè quinquaginta. Tertiam conjecturam cepi ex quodam antigrapho nostro, exscripto ex Laubiensis Bibliothecæ exemplari: in quo Paschasii Radberti liber de corpore & sanguine Domini, qui in aliis libris editis & mss. paucioribus capitulis constat, in nonaginta novem capitula dividitur. Ex quo conjiciebam, esse ipsummet exemplar visum Anonymo Cellotiano, dicenti, Paschasii libellum *ad centum ferè capitula* protensum fuisse, ac proinde locum, uti & cetera Herigero Abbati Laubiensi convenire.

XLVIII Hæc in primis causa fuit, ut in itinere Belgico, quod rei literariæ causâ ante annos aliquot suscepi, diverterim ad Laubiense Monasterium ad Sabim fluvium situm, in confinio Hannoniæ, Teorasciæ, & ditionis Leodicensis: ubi ægrè tandem inveni exemplar veterrimum Ratramni libri de corpore & sanguine Domini, quod etiam avidè perquirebam. De Anonymo Cellotiano nihil occurrit, nisi quòd in indice librorum Monasterii anno MXLIX. ordinato adscriptam reperi *Erigeri Abbatis Exaggerationem Auctorum de corpore & sanguine Domini*. Dein lustrato Alnensi Monasterio Cisterciensis Ordinis, itidem ad Sabim sito, in quo insignis est Bibliotheca librorum cùm veterum, tum recentiorum, contuli me ad Gemblacense Brabantiæ Monasterium, ubi votis meis factum est satis. Acceptus enim in Bibliothecam insigna cum humanitate & comitate Reverendissimi Domini Abbatis & loci Monachorum, inveni quemdam librum ante annos quingentos manu exaratum, in quo subjecti Auctores & sequentia opuscula continentur. *Ambrosius de mysteriis & de Sacramentis. Radbertus de corpore & sanguine Domini. Cujusdam epistola* itidem *de corpore & sanguine Domini*, incipiens ab his verbis: *Intuentes sententiam Apostoli, qua dicitur: Animalis homo* &c. quæ aliaque verba ab Anonymo Cellotiano referuntur sub nomine *cujusdam sapien-*

pientis. Tum *dicta cujusdam Sapientis de corpore & sanguine Domini adversùs Radbertum*. Alterius item Anonymi fragmentum de eodem Sacramento. Postea *dicta Domni Abbatis Herigeri de corpore & sanguine Domini*, hoc exordio: *Sicut ante nos dixit quidam sapiens, cujus sententiam probamus, licèt nomen ignoremus* &c. quod initium est libri Cellotiani, cujus proinde auctorem Herigerum Abbatem Laubiensem affirmare non vereor, mecumque affirmare non cunctabuntur, ut spero, viri studiosi. Sequuntur in eodem codice excerpta quædam tum *ex libro confessionum Domni Ratherii de Corpore & Sanguine Domini*; tum ex commentariis Haimonis in epistolam ad Corinthios, cum Micrologo & Lanfranci Dialogo contra Berengarium. Hæc singillatim admonuisse juvat ad probandam fidem meam, ut imposterum constet de nomine Anonymi Cellotiani, quem Herigerum esse idoneis, ut puto, argumentis ostendi.

I I.

Superest inquirere tempus, quo vixit Herigerus, cujus ætatem discimus ex continuatore Chronici Laubiensis in hæc verba. *Obiit Fulcuinus Abbas anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XC. Post hunc Herigerus substitutus est, cujus virtutum dotes describere superfluum puto, cùm apud exteros etiam, & vitâ & scientiâ clarus extiterit. Scripsit gesta Pontificum Leodiensium --- Congessit etiam contra Radbertum multa catholicorum Patrum scripta de corpore & sanguine Domini, obiit in senectute bona anno Incarnationis Dominicæ MVII., pridie Kalendas Novembris &c.* XLIX

I I I.

Qua occasione libellum seu epistolam istam scripserit Herigerus, docet initio his verbis. *Fidei integritate monente provocamur respondere, de quo dignum est non tacere: videlicet de mysterio corporis & sanguinis Domini, dicentibus quibusdam idem esse quod sumitur de altari, quod & illud quod natum est de Virgine; aliis autem negantibus, & dicentibus aliud esse: quibusdam etiam diabolica inspiratione blasphemantibus, secessui obnoxium fore*, id est *esse*, ne quis in verbo ludat cum nonnullis; quasi id ex consequenti tantùm dixerit Herigerus. Hoc enim sensu *fore* pro *esse* sumitur passim apud infimæ Latinitatis auctores, & quidem apud Herigerum ipsum in ejusdem libelli cap. 4. ubi ait, *naturalem scilicet carnem Christi, quæ sumitur de altari, eamdem fore quæ de virgine nata est*. Hinc intelligimus, easdem controversias, quæ sæculi noni homines distraxerant, denuo recruduisse, aut certè necdum sopitas fuisse sæculo decimo, quo Herigerus vivebat. Quia verò magni momenti est scire, quo in sensu hæc controversia fuerit agitata, eam priùs rectè statuere oportet, quàm ad singulos Paschasii adversarios descendamus. L

§. IV.

In quo sita fuerit controversia Paschasii ejusque adversariorum disceptantium, an corpus Christi in Eucharistia sit illud idem, quod natum est ex Maria Virgine.

LI Vocum pugnæ generant lites. SÆpè contingit in re literaria, ut nova, & inusitata quæstione exorta commoveantur studiosorum animi & in factiones varias scindantur, non tam sententiarum varietate distracti, quàm discrimine vocum, quæ litis materiam ferventioribus subministrant. Id verò maximè advertere licet in negotio religionis, ubi suspecta sunt, & meritò quidem, ipsa etiam nova & inaudita vocabula, quæ contentiones in Ecclesia generare solent. Hoc cùm aliis prope infinitis, tum maximè ejus, quam præ manibus habemus, quæstionis exemplo probari potest.

LII Ut in hac quæstione. Quippe ante Paschasii librum de Corpore & Sanguine Domini confitebantur Catholici omnes, Christi Domini verum Corpus verumque sanguinem re vera existere in Eucharistia; itemque panem & vinum in illa converti; at nemo Paschasii tempore illud corpus esse, idem quod ex Maria Virgine natum est, tam disertè asserere auditus fuerat. Id quidem antea tradiderant ex Patribus non pauci : sed ignota erant illo ævo, aut certè non observata eorum hac de re testimonia. Quapropter cùm Paschasius in libro suo tam fidenter & asseveranter illud docuisset; hujus rei novitate (ut sibi videbatur) commoti sunt quidam viri docti haud incelebres, qui scriptis editis hanc ejus sententiam acriter impugnarunt. Eam tuebatur Paschasius Ambrosii testimonio, adversariis non ita perspicuo, ex libro de mysteriis cap. 9., ubi hæc legimus. *Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus, de Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Jesus natus ex Virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: veræ ergo illius carnis sacramentum est.* Ex hoc loco Paschasius ita sententiam suam in cap. 1. expressit, citato ad marginem Ambrosio: *Unde ipsa veritas ad discipulos ait, caro mea est pro mundi vita. Et ut mirabiliùs loquar, non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce & resurrexit de sepulcro. Hæc, inquam, ipsa est.* Ubi hæc sententia prodiit in vulgus, nonnullis displicuit, in primis Rabano, Ratramno, Anonymo cuidam, aliisque Paschasii sæculo, nec omnino probata Herigero in sæculo sequenti: qui omnes eam sententiam scriptis adorti sunt, hac præsertim ratione commoti, quasi Paschasius id commisisset contra veterum auctoritatem, Ambrosii loco non ad verbum, sed ad sensum allato, nec exposito. Quinetiam eò progressi sunt nonnulli, ut non solùm Paschasium hac de re vocarint in causam, sed Ambrosium ipsum, veluti ejus patronum, minùs

Paschasii fundamentū ex Ambrosio.

Improbatum.

nùs reverenter habuerint. In his occurrit Anonymus quidam, cujus scriptionem adversùs Paschasium reperi in ms. Codice Gemblacensi. *Illud*, inquit, *in eo libro*, scilicet Paschasii *mihi priùs fateor inauditum reperiri sub nomine S. Ambrosii, quòd non sit hæc alia caro Christi, quàm qua nata est de Maria. Istud planè fateor numquam me priùs audisse, vidisse, legisse: multúmque miratus sum, hoc sanctum Ambrosium dixisse: & insuper etiam multò magìs miror, auctorem hujus voluminis*, scilicet Paschasium, *istud ibi posuisse*. Ex quibus apparet, perculsos fuisse Paschasii adversarios ipsa vocum novitate, quas nusquam audierant, viderant, legerant, adeóque assuevisse aliorum Patrum testimoniis, qui triplex Christi Corpus distinguebant, ut Ambrosium ipsum secùs non sentientem, sed loquentem, tantùm non impetere ausi sint.

Non deerant alia Patrum loca, quibus Ambrosii testimonium fulciri & illustrari posset: Ignatii in epistola ad Smyrnæos arguentis hæreticos, *eò quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, qua pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitavit*; Chrysostomi homiliâ 24. in priorem ad Corinthios, dicentis, *id quod est in calice, esse idem quod fluxit è latere* &c. Augustini in sermone ad Neophytos, sic loquentis. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manavit de latere Christi*; quod iisdem pænè verbis repetit in libro contra Faustum cap. 10. Gregorii Nysseni in Oratione Catechetica cap. 37. asserentis, *nihil aliud esse, quàm illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium*. Proferri possent insuper auctoritates aliorum, qui unum & idem corpus esse signanter expressère. Sic Eligius Noviomagensis Episcopus in homilia 15. *Nec sunt duo corpora, caro quam assumsit, & iste Panis, sed tantùm unum corpus*. Sic Johannes Damascenus tum in lib. 4. de Fide cap. 14. tum in epistola ad Zachariam, & in cap. subsequenti. Sic Gregorius Nyssenus in prælaudata homilia, sic denique Chrysostomus in homilia 17. ad Hebræos. LIII Abaliis Patribus assertum.

Hæc cùm fortasse non legissent, aut certè non satis attenderent prædicti authores, Paschasium defecisse existimarunt à modo loquendi Patrum, Augustini & Hieronymi, quibus inhærendum censebant; aut sanè conciliandum cum ipsis Ambrosium, ne Patres diversa de hoc Sacramento sensisse viderentur. Hinc teste Herigero Cellotiano, contra Paschasium *satis argumentantur Rabanus in epistola ad Egilonem Abbatem, & Ratramnus quidam libro composito ad Karolum Regem, dicentes, aliam esse* (carnem) *vel testimonio beati Hieronymi, qui dicit dupliciter Corpus Domini; vel ex auctoritate beati Augustini, qui dicit tripliciter dici*. Hieronymi locum proferebant ex commentario in caput 1. epistolæ ad Ephesios, his verbis: *Dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur; vel spiritualis illa atque divina de qua ipse dicit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lanceâ*. De Augustini testimonio hæc habet Herigerus: *Augustinus autem scribens Corpus Christi tripliciter dici posse Ecclesiam, id est nos, qui Corpus Christi sumus, & istud mysterium, quod ex substantia panis & vini per spiritum sanctum consecratur, subintulit dicens: Ceterùm illud Corpus quod de Maria Virgine natum est, quod pependit in cruce, in quod istud transfertur* &c. Ubi ad oram libri notat Cellotius, hunc locum non reperiri in libris Augustini qui exstant, tametsi laudatur à Paschasio in cap. 4. Hæc fundamenta utriusque partis. LIV Adversariorum momenta.

Jam verò expendendum est, qua in re versaretur controversiæ nodus: nimirum LV

Cardo difficultatis. mirum an Paschasii adversarii veram Christi Corporis impugnarent præsentiam, quam ipse tum hoc loquendi modo, tum aliis verbis & argumentis asserebat. Mihi verò citra dubitationem asserendum videtur, superiores illos adversarios in re ipsa convenisse cum Paschasio, sed tantùm in modo loquendi ab eo dissensisse. Utrique pia religione ducebantur. Paschasius Corpus Christi naturale & Eucharisticum non tantùm idem esse, sed idem dici debere asserebat: ne aut hæreticis quibusdam occultis, aut rudibus infirmisve Christianis offensæ occasio præberetur, quasi alterum alterius dumtaxat umbra & vacua figura crederetur. Neque res levis momenti Paschasio videbatur; quippe qui Fredugardum in epistola monet, ut ne sequatur *ineptias de tripartito Christi Corpore*, alii ex adverso, quibus inusitatus erat is loquendi modus, Hieronymi & Augustini verba retinenda esse censebant, idque exigere tum diversum exsistendi modum, diversamque speciem, quæ Christi Corpori competit in naturali statu & sacramentali, tum rationem modumque Sacramenti, cujus causâ quædam Christi corpori conveniunt in eo statu, quæ ei præcisè non conveniunt in statu naturali.

LVI Probatur. Ut hunc istius controversiæ statum esse demonstremus, unum maximè exponendum incumbit, nempe Rabanum, Ratramnum, Anonymum, Herigerum, aliosque, si qui sunt, Paschasii adversarios in reali Christi Corporis in Sacramento præsentia cum ipso convenisse. Indè enim necessariò consequetur id, quod modò asserebam, contentionem hanc in vocum pugna sitam fuisse. Itaque Rabani catholicam de Eucharistia fidem in sequenti sectione ostendemus, Ratramni in septima. Interim hoc loco Anonymi & Herigeri sententiam adstruamus.

LVII Anonymi sententia expenditur. Anonymus iste, cujus libellum (ut superiùs dixi) in codice Gemblacensi cum Herigeri opusculo reperi sub hoc titulo, *Dicta cujusdam Sapientis de Corpore & sanguine Domini adversus Radbertum*, confutationem suam à confessione catholicæ veritatis orditur in hunc modum. *Quòd Corpus & sanguis Domini vera sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri, pariter & incunctanter fidelis. Prorsus quisquis hoc negat, esse cognoscitur, & convincitur infidelis*. Et paullò pòst. *Hoc ergo profectò fidelissimè confirmo: & addo, quòd sicut veritas est Christus, & verus agnus Dei, qui cotidie pro vita mundi mysticè immolatur: ita procul dubio ex pane vera caro, & ex vino verus sanguis ejus consecratione Spiritûs sancti potentialiter creatur. Quæ cùm certissima omnino sint, nec ullus hinc Christianus Christo credens ambigere possit, quod & ipsum esse verum pars etiam gentilium scit. Nam quondam in terra Vulgarorum quidam nobilis potensque paganus bibere me suppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino sanguinem suum fecit*. Hæc confessio sine dubio omnino catholica est, nec quisquam magìs dilucidè suam de realitate fidem exprimere possit.

LVIII Hac autem præstituta confessione Anonymus Paschasium primò impugnat, quòd rem sibi inauditam is asseruerit, nempe non aliam esse carnem in Sacramento, quàm quæ nata est ex Virgine. *Illud*, inquam, *in eo libro*, scilicet Paschasii, *mihi priùs fateor inauditum reperiri sub nomine S. Ambrosii, quòd non sit alia caro Christi, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce & resurrexit de sepulchro.* „ *Hæc*, *inquit*, *ipsa est*. *Et ideò Christi est caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. Hoc in capitulo positum est secundo. Similiter dicitur & in octavo: Verè credo & hoc quod conficitur in verbo Christi per Spiritum Sanctum Corpus ipsius esse ex Virgine. Istud planè fateor numquam me priùs audisse, vidisse, legisse* „. Dein tanquam Ambrosium ipsum

ipsum arguens subdit mirari se, quòd Ambrosius id dixerit, & post eum Paschasius. *Multumque miratus sum*, inquit, *hoc S. Ambrosium dixisse; & insuper multò magis miror, auctorem hujus voluminis istud ibi posuisse*. Tertiò ait Paschasii sententiam non concordare cum sententia Augustini. Nam & Augustini sententia à Paschasio relata in capite septimo, (uti Anonymus numerabat, nobis nunc quarto) in qua dicit Augustinus: *Quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem & vinum verè carnem suam & Sanguinem consecratione Spiritûs sancti potentialiter creari &c.* ex hac, inquam, sententia sic infert Anonymus. *Si enim verum, immo quia procul dubio verum, quod tantus auctor fassus est, quia Christum vorari fas dentibus non est; quomodò hanc carnem Christi vorari fas, si de Maria nata & in cruce passa, & in sepulcro resuscitata est? ut jam vorari nullo modo possit*. Nimirum intelligebat Anonymus, alia Christi Corpori, quatenus in Sacramento est, competere, alia ejus Corpori in statu naturali. Quippe ore sumi, manducari, & alia id genus, Sacramentalis Corporis sunt, non naturalis. Hanc porrò discrepantiam exigere, ut alterum ab altero quodam modo cum Augustino distingueretur. Quartò scribit Anonymus, se noluisse uti præmisse Ambrosii (quod Paschasius adhibuit) testimonio, nisi illud cum dictis Augustini & aliorum Patrum composuisset. *Prorsus ergo tam contraria, sicut ista videntur inter se dicta, numquam in ullo scripto me de cetero voluissem ponere, nisi consequenter ea nossem simul & possem, Deo donante, protinus evidenter exponere*. Quintò revera idem auctor adducit & aliud Augustini testimonium ex Paschasii Capitulo duodecimo, nobis septimo; illudque cum Ambrosii sententia conciliat. *Huc accedit & multò aliud molestius & omnino difficilius, illud videlicet, quod in duodecimo capitulo, ubi scilicet tribus modis dicitur Corpus Christi, id est Ecclesia, & istud mysticum, & illud quod sedet ad dexteram Dei, ita disputat B. Augustinus, quasi non ei placuerit illud, quod S. dixit Ambrosius. Ait enim illud corpus, quod natum est de Maria, in quo istud transfertur* &c. Sic, inquam, Augustinum cum Ambrosio conciliat. *Hæc post Apostolos omnium Ecclesiarum (sicut ante nos dictum est) Magistri*; id est Augustini, *dicta, si (velut nimis necesse) fideliter, ferventer, diligenter intelligenter & frequenter legeritis; manifestissimè cognoscetis, non quidem (quod absit), naturaliter, sed specialiter aliud esse Corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita cotidie per Spiritum sanctum consecratur, quod à Sacerdote postmodùm Deo Patri suppliciter offertur, & aliud specialiter Corpus Christi quod natum est de Maria Virgine, in quod istud transfertur, & aliud specialiter Corpus Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, qui Corpus Christi sumus*. Itaque censet Anonymus, Corpus Christi Eucharisticum cum naturali idem esse *naturaliter*, diversum *specialiter*: idemque de mystico dicendum, ubi vox naturaliter tantumdem sonat, atque realiter, ut loquuntur: & specialiter idem valet ac quantùm ad speciem formamque conjunctam. Quippe Corpus Eucharisticum præter naturam & substantiam Corporis Christi naturalis importat formam ac speciem panis & vini: mysticum verò seu Ecclesia præter Christum dicit etiam omnes Fideles, qui sunt ejus membra. Sic Gothescalcus in schedula sua de Trina Deitate apud Hincmarum, ait Deitatem unam esse *naturaliter, atque essentialiter, personaliter Trinam*. Longè ante eum Hilarius in lib. 8. de Trinitate asserit, Patrem in Christo esse *naturaliter*, & nos item in Christo *naturaliter*, cùm per incarnationem, tum per communionem, & in lib. 5. de vitis Patrum arguitur unus e Patribus, quòd diceret, *quia panis quem sumimus, non naturâ Corpus Christi, sed figura est ejus*. Ergo hæc vox *natura* seu *naturaliter* *Rosvveyd. pag. 63. a.*

ter,

ter opponitur figuræ; constatque eum qui asserit Corpus Christi Eucharisticum esse cum naturali idem *naturaliter*, confiteri realem Christi Corporis in Eucharistia existentiam : quod de Anonymo nostro erat demonstrandum.

LIX Anonymi ætas. Ex his omnibus colligere licet ætatem ipsius Anonymi, quem Paschasii ævo scripsisse pro comperto habeo. Scribebat quippe eo tempore, quo Paschasii de uno & eodem Christi Corpore sententia, quæ multos adversarios auctori suo viventi excitavit, ipsi Anonymo eatenus fuerat inaudita. *Istud planè fateor*, inquit, *numquam me priùs audisse, vidisse, legisse*, quæ verbarem omnino novam indicant. Deinde scribebat ante conversionem Bulgarorum, quos Nicolao primo Pontifice ad Fidem accessisse constat. Ut enim ostendat, persuasionem de vero Christi in Eucharistia Corpore receptam apud omnes Fideles, ait adeò istud esse verum, ut *pars etiam Gentilium sciat*. *Nam quondam in terra Vulgarorum*, infit, *quidam nobilis potensque Paganus bibere me suppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino sanguinem suum fecit*. Hæc ergo scribebat Anonymus, cùm Bulgari in *paganorum & infidelium* errore adhuc versarentur, necdum eis Sacramentorum cognitione invecta. Aliàs non mirum esset, si post prædicationem eis factam aliquis ex reliquis paganorum id rescisset. Denique vivebat Anonymus ante Herigerum, qui ex eo multa transtulit in libellum suum : qui libellus Anonymum subsequitur in codice Gemblacensi. Porrò Herigerus satis designat Anonymum in cap. 6. ubi habet. *Quod autem iterum objiciunt, eum* (Paschasium) *dixisse totiens Christum pati, quotiens Missas contingat quotidie ubique celebrari; ego certè in libro ejus non reperi*. Hæc, inquam, designare mihi videntur Anonymum, cujus hæc verba; *Hic si potest oculos & aures aperiat, & hæc videat, & audiat, qui quotiens toto terrarum orbe Missarum sollemnia celebrantur, totiens Dominum Christum pati prædicat*. Hæc sanè probant, Anonymum Herigero superiorem, immo Paschasii æqualem fuisse : nec ab eo dissensisse in fide Eucharistica, sed dumtaxat in modo loquendi & explicandi mysterium. Idem verò luculentissimè probat aliud fragmentum, quod ex eodem codice Gemblacensi ad calcem hujusce tomi referam cum prædicto Anonymo : quo in fragmento etsi *aliud specialiter dicatur Corpus Domini, quod glorificatum sedet ad dexteram* Dei; tamen *naturaliter unum* esse asseritur, nimirum *unius agni unum Corpus & unus etiam sanguis, qui effusus est ab infidelibus, & nunc potatur à fidelibus*.

LX An is Rabanus. Ceterùm ex superioris Anonymi ætate conjicio, eum non alium esse quàm Rabanum : & scriptum illud esse ipsammet Rabani epistolam ad Egilonem Abbatem Prumiensem, aut certè ejus fragmentum. In hanc autem conjecturam adducit me Herigeri libellus, in quo is Paschasii adversarios de unico Christi Corpore duos tantùm enumerat, Rabanum in epistola ad Egilonem & Ratramnum. At verò notum erat Herigero lectumque Anonymi hujus opusculum, ex quo scilicet non pauca totidem verbis mutuatus est : non omissurus istius Anonymi mentionem, si à Rabano diversus fuisset. Sicut alterius Anonymi non semel meminit sub nomine *cujusdam sapientis*, cujus libellus à me repertus in eodem codice Gemblacensi modò exstat in Spicilegii Acheriani tomo 12. Nec obest, quòd in codice Gemblacensi, Anonymi, de quo hìc agimus, lucubratio inscribitur, non epistola, sed *dicta cujusdam Sapientis de Corpore & Sanguine Domini contra Ratbertum* : nec ullam habet epistolæ formam. Nam fortasse sollemnes illæ epistolarum formulæ ex initio & ex fine detractæ sunt à librariis, ut in aliis etiam evenit. Hujus porrò Anonymi Opusculum habes in fine hujusce tomi, quale refertur in codice Gemblacensi : ne quis de eo subtracto causari possit. Quòd si eruditi conjecturæ meæ acce-

accedant de Rabano ejus auctore; eum cum Paschasio in realitatis doctrinæ apprimè convenire fatendum est. Verùm alia hac de re argumenta recurrent in sequenti sectione.

Interim Herigerus ab errore, quem ei perperàm imponunt novatores, nobis vindicandus est, quod quidem facili negotio licet. Illi cùm apud Sigebertum, & Chronici Laubiensis Continuatorem legerent, Herigerum *multa Catholicorum Patrum scripta de Corpore & Sanguine Domini contra Radbertum* congessisse; eum continuò pertraxère ad suas partes, quasi Paschasio in dogmate catholico adversarius fuisset. Ignorabant quippe Herigeri opus esse illud ipsum, quod Anonymi Cellotiani: quem Anonymum Paschasii doctrinæ patronum ac ferventissimum defensorem ultro agnoscunt, in primis Claudius Carentoniensis Minister. Et certè qui verborum sonum captare in controversiis solent, lecto Sigeberto & Continuatore Laubiensi facilè in animum induxerunt, Herigerum de Eucharistia non rectè sensisse cum Paschasio. Detecto Herigeri fetu, evanescit hæc accusatio: palámque fit omnibus, Herigeri scopum non tam eò spectare; ut Paschasium errati accuset, quàm ut excuset, *librumque ejus plurimorum auctoritate defensum: qui in hoc tantùm peccavit, quia de sententia B. Ambrosii, non verbum de verbo sed sensum de sensu expressit*. Denique nonnullis dicentibus, in Eucharistia aut solam figuram, aut solam veritatem sinè figura existere, opponit cap. 4. Paschasium his verbis. *Sed Paschasius Radbertus, sicut & alia multa in eodem libro ultra humanam existimationem utiliter tractat, ita & huic sophismati fortiter obviat, dicens, figuram non semper umbram esse; & jure simul hoc mysterium & figuram, & veritatem dici posse*. Sic Paschasii doctrinam omnino probat Herigerus, & *humana æstimatione* majorem librum ejus existimat: in eo unicum non planè probat loquendi modum, quem tamen excusat. Tota ergo Herigeri collectio eò reducitur, ut ex una parte testimonia Patrum de duplici aut triplici Christi Corpore conferat contra Paschasium: ex alia excuset ejus *simplicitatem*, quòd ex Ambrosio *non verbum de verbo sed sensum de sensu expressit*. Hæc est Paschasii simplicitas, quam *maximè* aggressi sunt (ut studiosè observandum) Rabanus & Ratramnus, teste ipso Herigero. Is enim in cap. 2. relatis Ambrosii & aliorum Patrum pro Paschasii sententia testimoniis, ita subdit. *Hæc ideò posita sunt, si fortè per ea simplicitas Paschasii Radberti possit excusari, unde maximè ab obloquentibus Rabano & Ratramno suggillari videtur, quia dixerat eamdem esse carnem, quæ de altari sumitur & de Virgine generatur, & quotidie adhuc pro mundi salute immolatur. Quia licèt nobis placeat gratiùs & jocundiùs, quàm de hoc mysterio valet dici sublimiùs; tamen quid oblocutores ejus econtra afferant, quòd non sit eadem, breviter ponamus*. Itaque à Rabano & Ratramno maximè arguebatur Paschasii *simplicitas*, nempe quòd *simpliciter* dixisset eamdem esse utrobique carnem; cùm alia Patrum testimonia in speciem pugnantia referre debuisset, & cum Ambrosio conciliare.

Huc ergo vertebatur totius disputationis summa, quòd Paschasius simpliciter & absolutè hanc sententiam pronuntiasset: cùm adversarii ejus cum distinctione loquendum esse censerent, nempe eamdem esse carnem *naturaliter*, diversam *specialiter*, atque ideò non de re ipsa, sed de modo loquendi, & de explicatione Patrum inter se dissidebant. Præclarè & appositè ad hunc locum Lanfrancus in Dialogo adversùs Berengarium ait, Corpus Christi Eucharisticum *verè dici posse & ipsum Corpus quod de Virgine sumtum est; & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam*

Marginal notes: LXI Herigerus vindicatus. — LXII

veræque naturæ proprietatem atque virtutem : non ipsum autem, si species panis vinique speciem. Algerus etiam eodem modo Patrum sententias in speciem pugnantes ita conciliat in lib. 1. cap. 17. *Hanc duplicitatem non substantiæ, sed formæ sancti notaverunt, quotiens de Corpore Christi ipsum & non ipsum dixerunt : ut ipsum secundùm substantiam, non ipsum sit secundùm formam*. Ante utrumque Fulbertus Carnutensis Episcopus eamdem explicationem adhibet in epistola secunda ad Einardum. Denique Rupertus Abbas Tuitiensis in epistola ad Cunonem, ait *re* idem esse corpus, sed *specie* differre. Lege Gerberonii nostri caput ultimum Apologiæ pro Ruperto.

§. V.

De Amalario, Rabano, & Floro, ubi de Stercoranistis agitur.

LXIII DUabus in rebus (si Herigero credimus) à Paschasio diffidebat Rabanus, nempe quòd diceret non esse idem in Eucharistia Corpus, quod natum est ex Maria, uti asserebat Paschasius : prætereà secessui obnoxium esse, quod ille negabat. Posterius hoc loco, alterum in consequentibus expendemus.

LXIV *Stercoranistæ quinam.* Stercoranistarum infame nomen inventum est ad designandum quoddam hominum genus, qui Eucharistiam secessui obnoxiam esse sentirent. Quidam ad Sectarios id traducunt, quo nomine Thomas VValdensis Impanatores vocat Stercoranistas : de majoribus suis per convicium dictum contendunt Calvinistæ plerique. E Catholicis nonnulli Stercoranismum de solis Eucharistiæ Symbolis, tamquam Corpori Christi propriis, quæ egestioni quidam, cetera orthodoxi, supposuerint, nonnulli de ipso Christi Corpore intelligendum putant. Non desunt tamen, qui ejusmodi hominum sectam, tam propudiosè de venerando Christi Corpore sentientium, exstitisse pernegent, rati stercoranismum hoc in sensu meri convicii, non verò sectæ vocabulum esse. Exstare quidem apud veteres loca non pauca contra ejusmodi deliramentum : sed ea potiùs infirmorum hominum insanis cogitationibus occurrere, quàm arguere sectam aliquam peculiarem. Sensisse verò nonnullos, species panis & vini communi ceterorum ciborum legi subjacere, uti hodieque sentiunt Catholici non pauci : sed longè abesse ab illa cœnosa cogitatione, quæ tam indignè sentit de ipso Christi Corpore. Denique Algerum, virum sanè, si quis alius, probum ac sincerum, tum in libro 1. de Sacramento, tum in libro 2. cap. 1., ubi de ejusmodi Hæreticis agit, falso rumore auctoreve deceptum in hanc classem involvisse Græcos sui temporis aut veteres aliquos, quibus hæc immeritò sit impacta calumnia. Ego certè litem hanc ex toto dirimendam suscipere nolim : sed quando hîc se se offert occasio, catholicos quosdam ab hac nota ipsis perperàm inusta, quoad res feret, liberare tentabo, citra cujusquam injuriam. In his duplicis generis homines hoc nomine affectos legimus, quosdam scilicet Latinos, & Græcos. E Latinis Heribaldus & Rabanus ab Herigero aliisque reprehensi sunt : Græci ab Algero & Humberto. Quo jure id factum sit, paullisper investigandum.

I. De

I.

DE Græcis audiendus Algerus in lib. 2. cap. 1. *Non sunt igitur observanda hæreticorum, qui meritò Stercoranistæ vocantur, deliramenta: qui dicunt participatione Corporis & Sanguinis Christi solvi ecclesiastica jejunia usque ad crapulam & ebrietatem, ventrisque distensionem; putantes cœlestem escam, velut terrenam, indifferenter accipi, & in sordidum ventris secessum emitti.* Algerus hæc acceperat ex Humberto Cardinale, qui acriùs quàm par esset, ac vehementiùs in eosdem invehitur in responsione ad Nicetam Pectoratum. *Sed ò perfide Stercoranista, qui putas fideli participatione Corporis & Sanguinis Domini quadragesimalia atque ecclesiastica dissolvi jejunia, omnino credens cœlestem escam, velut terrenam, per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti, planè sentis cum Arrio.* Et paullò infrà rem ita exaggerat. *Ergo ò pestifer leno antiqui serpentis, qui conaris astutiâ tuâ corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, ut eradatur à caritate tanti & talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes corrumpere integritatem jejuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?* Nemo ex hac tam vehementi oratione non existimet, Græcos in ea tum fuisse persuasione, qualem eis exprobrat Humbertus: sed tamen an ita sit, non immeritò disquiri potest. Et quia in Nicetam primùm cadit hæc criminatio, Nicetæ hanc in rem scripta & objecta consideremus. LXV an Græci.

Post reprehensum sabbati jejunium, Nicetas carpit Latinorum morem, horâ tertiâ missam *perfectam* celebrantium in solemnibus quadragesimæ jejuniis: cùm Græci eam non celebrarent, nisi Dominicâ & Sabbato, quibus haud quaquam jejunabant; ceteris diebus uterentur *præsanctificatis*. Nicetæ verba hæc sunt. *Quin etiam oblationem perfectæ missæ per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sicut sabbato, sive Dominico die, unde assuevistis & à quo Doctore accepistis? ex Apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuêre canonem sic loquentem: „ Si quis Episcopus, aut Presbyter, vèl Diaconus, aut „ Lector, aut Cantor, sanctam non jejunaverit Quadragesimam, quartamque „ & sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur „. Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ Missæ, secus tertiam horam diei, in qua & promulgatum est sanctum offerri sacrificium; quomodò jejunium usque ad horam diei nonam observatis, solventes hæc in tempore ministrationis Missæ? nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.* Tum relatis variis canonibus, præcipuè canone 48. Concilii Laodicensis perhibentis, *non decere in quadragesima panem offerre, nisi in sabbato & Dominico solo;* probat hac in re morem Græcorum, qui sabbato & dominicâ per quadragesimam convenientes ad sacram synaxim, *horâ tertiâ sanctificant munera ex quibus sufficientia in totam hebdomadam conservant*; ceteris verò diebus horâ nonâ *præsanctificatis* communicant. *Et ita agentes*, inquit, *gratias Deo, relinquimus eos, atque dimittimus ex congregatione sumentes nos communem mensam per folia & legumina, & calidam aquam qui volucrint. Sunt autem & alii, qui sola communione & benedictione per totam perseverant hebdomadam.* Tum subdit in Latinorum usum: *Vos autem referentes per unumquemque diem perfectam in quadragesima (Missam,) quæ congrua est juxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini canones: & in hoc maledictioni Patrum subjacetis, sicut dictum est.* LXVI

Hæc tota Nicetæ objectio in Latinos: in qua ne verbum quidem de Stercoranistarum errore deprehenditur; nec quidquam ex illa conficitur, quod eò referri possit. Videbat Nicetas cautum à Patribus, ne sacrificium LXVII

in Quadragesima, præterquam die Sabbati & Dominica, offerretur: tum quia horâ tertiâ illud offerri præscriptum erat, licebatque exinde solvere jejunium: tum quia sacrificium festivam habet sollemnitatem & lætitiam, quæ jejunio non conveniunt. Unde primis Ecclesiæ temporibus festivitates Martyrum in Quadragesima celebrari vetitum erat ex canone 5. Laodicensi: & si quæ processu temporis inductæ sunt, ut festum Annuntiationis; iis diebus jejunium solvebatur propter sacrificium, cujus celebritas luctum, lacrymas, habitumque incultum, quæ jejunii insignia sunt, excludebat. Unde Balsamon rationem reddens illius sanctionis, qua Patres solum Præsanctificatis locum in diebus jejunii reliquerant; „ ait id ita factum, quia sacrificium „ offerre, est festum agere, solemnem Ecclesiæ exsultationem celebrare: sic „ autem agere, non esse lugere, nec jejunare „. Hæc apud Græcos etiam sæculo undecimo religiosè servabantur. Unde Nicetas eo tempore contrarium morem in Latinis reprehendit, tamquam defectionem à prisca Patrum disciplina. Quo jure id fecerit Nicetas, non inquiro; immo falsum esse in assignando tempore, quo Latini sacra in Quadragesima agebant, (agebant verò ad vesperam ex Theodulfo, Micrologo & aliis) ultro assentior: sed ex ejus dictis id unum colligo, Græcos tum non fuisse versatos in errore Stercoranistarum, quem eis exprobrabant Latini, hac scilicet adducti ratione, quòd dicerent, Missæ perfectæ celebratione ad horam tertiam ecclesiastica solvi jejunia: cùm id non tam de jejunio ipso, quàm de jejunii tempore dicerent; & de ipsis pænitentiæ insignibus, mærore, luctu & habitu inculto, quæ omnia festivum Missæ sacrificium resolveret. Neque porrò existimabant communione sacra solvi jejunia, cùm alioqui Græci ipsi, qui à Missæ perfectæ celebratione abstinendum diebus jejunii censebant, nihilo minùs Præsanctificatis quotidie participarent absque detrimento (uti Nicetas ipse censet) sollemnis jejunii, quod nonnulli in totam hebdomadam producebant, contenti *sola communione & benedictione*. Longè proinde aberant ab illo dedecore, quod ipsis improperabat Humbertus, nempe *fideli participatione Corporis & Sanguinis Domini quadragesimalia dissolvi jejunia*, immo ut addit Algerus, *usque ad crapulam & ebrietatem ventrisque distensionem*. Unde in commentatione rerum ab Humberto Cardinale, aliisque Legatis Romanis Constantinopoli gestarum in Michaëlem Cerularium Patriarcham, ejusque fautores, inter varios, qui in ipsis damnantur errores, nulla fit mentio Stercoranismi, quod argumento est, Humbertum (quod etiam de Algero dicendum) id Græcis antea exprobrasse, non tamquam dogma, quod ipsi profiterentur, sed tantùm ut consecutionem quamdam, quam ex Nicetæ objectis aliò detortis inferebat. Hæc de Græcis undecimi sæculi, quos Humbertus in primis exagitavit.

LXVIII Si verò ad antiquiores Græcos considerationem reflectamus, inveniemus neminem, qui tantam Corpori Domini labem inflixerit. Nec est quòd quis nobis hîc opponat Origenem, qui in commentariis super Matthæum, sub finem expositionis parabolæ de thesauro in agro abscondito, de Eucharistiæ cibo ita scribit. Εἰ δὲ πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται· καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου Θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως κατ' αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται. id est: „ Quòd si verò id omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & „ in secessum emittitur: & cibus ipse per verbum Dei & orationem consecratus, secundùm illud quidem ipsum quod materiâ constat, in ventrem abit, „ & in secessum ejicitur „. Secùs verò accidere ait de Corpore Domini. Unde non ipsum Domini Corpus Sacrosanctum, (quod absit) sed quod est in Sacra-

Sacramento sensibus expositum, egestioni supponit. Audi Johannem Jerosolymitanum Episcopum in homilia de Eucharistia in Encæniis apud Chrysostomum. *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit, ne hoc cogites.* Eòdem fertur Johannes Damascenus in lib. 4. de fide cap. 14. his verbis. *Corpus ac Sanguis Christi est, ad animæ & corporis nostri incolumitatem tendens, quod nec consumitur, nec corrumpitur, nec in secessum abit; (avertat hoc Deus) verùm ad nostram substantiam & conservationem tendit.* Hæc de Græcis.

I I.

NOn levis est etiam difficultas de Latinis nonnullis, Heribaldo scilicet Autissiodorensi, & Rabano Magontiacensi Antistite: quibus Amalarium Mettensis Ecclesiæ Abbatem adjungunt. Hæc propiùs consideremus. LXIX

Procedente sæculo nono Guntardus quidam litteris Amalarium pulsavit, *quare non se cum majori cautela custodiret, ne illico post consumptum sacrificium spueret: quasi sumptum corpus simul cum sputo projiceret.* Respondit Amalarius, sibi difficile esse *diu abstinere à sputo*: confidere se, modò *si mens pura fuerit & humilis in conspectu ejus, ut quod exeundum est propter sanitatem corporis, faciat exire sinè dispendio animæ.* Et post aliquot facti sui rationes: *Hæc propterea dico*, inquit, *ut si fortè me ignorante, aut non consentiente exierit de ore meo ex Corpore Domini, non me putes alienum à Religione Christiana, quasi contemptui habeam Corpus Domini mei.* Hinc apparet mentem Amalarii fuisse, aliquid de Corpore Domini posse ejici cum sputo, si quid ejus in ore spuentis remansisset. Ex hac quæstione progreditur ad aliam, à Guntardo etiam (ut conjicio) propositam, quam exponit & solvit in hunc modum. *Ita verò sumtum Corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrùm invisibiliter assumatur in cælum; an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ: aut exhaletur in auras, aut exeat de Corpore cum Sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino: „ omne, quod intrat in os, in ventrem „ vadit, & in secessum emittitur „. Hoc solùm cavendum est, ne corde Judæ sumam illud, & ne contemptui habeatur: sed discernatur saluberrimè à ceteris cibis.* Sic Amalarius temperavit responsionem suam, ut Guntardum aliosque à curiosis illis quæstionibus revocaret: nec quidquam super hac re definiret. Sed quia tamen postremo loco subjecerat Christi vulgare effatum de communibus cibis; in eam nonnullis visus est propendere sententiam, Corpus Eucharisticum, quod sputamento obnoxium dixerat, emitti etiam in secessum more ceterorum ciborum. Et sunt qui huc trahant id, quod in eum scribit Ecclesia Lugdunensis in lib. de tribus epistolis cap. 40. ubi Amalarii libri *mendaciis & erroribus, & phantasticis atque hæreticis disputationibus pleni* dicuntur. Verùm aliò hæc criminatio spectat, ut patet ex Agobardi libro *de correctione Antiphonarii*, & ex alio *contra libros quatuor Amalarii Abbatis*. Cùm enim Amalarius in libris de divinis officiis, & in libro de ordine Antiphonarii, Lugdunensis Ecclesiæ morem aliquoties reprehendisset; Clericorum ejus Ecclesiæ, immo etiam Agobardi Antistitis, & Remigii ejus successoris, stomachum in se excitavit, & pro censura liberiori duriora convicia reportavit. At certè neque ex illis conviciis, neque ex prædicta epistola ad Guntardum, ullatenus conficitur, Amalarium secessui Corpus sanctissimum Christi Domini supposuisse: quin immo moderatè, ut par est, de hac quæstione respondisse, manifestum est. LXX an Amalarius.

Eo-

LXXI Eodem tempore quo hæc gesta sunt, regnante scilicet Carolo Calvo, Heribaldus seu Heriboldus, Autissiodorensis in Gallia Episcopus, varia dubia Rabano Moguntino Archiepiscopo proposuit. In his, an Eucharistia in secessum egesta, in naturam pristinam rediret, quam ante consecrationem habuerat. Sic enim quæstionem proposuisse videtur ex responsione Rabani, quæ in epistola ad Heribaldum cap. 33. sic habet. *Quòd autem interrogasti, utrùm Eucharistia postquàm consumitur & in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat antequàm in altari consecraretur? Superflua est hujusmodi quæstio, cùm ipse Salvator dixerit in Evangelio:* „ *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum emittitur*„ : *Sacramentum Corporis & Sanguinis id est, ex rebus visibilibus & corporalibus conficitur: sed invisibilem tam corporis, quàm animæ efficit sanctificationem & salutem. Quæ est enim ratio, ut hoc quod stomacho digeritur, & in secessum emittitur, iterum in statum pristinum redeat, cùm nullus hoc umquam fieri asseruerit?* Aliter se habet hic locus apud Stevartium, qui hanc epistolam primus edidit sub nomine *libri pænitentialis* Rabani insertis his verbis post verbum *consecraretur. Ista sententia contraria est sententiis Clementis Papæ & aliorum multorum sanctorum Patrum, qui dicunt Corpus Domini non cum ceteris communibus cibis per æqualiculos in secessum mitti.* At id glossema esse, quod è margine in textum irrepsit, scitè observarunt viri docti, in primis V. C. Stephanus Baluzius, qui expuncto glossemate textum hujus loci restituit modo præmisso.

an Heribaldus & Rabanus.

LXXII Hæc Rabani responsio sic restituta, non parùm ambigua est. Non enim ex ea satis intelligitur, an Heribaldus quæstionem duplicem proposuerit, nimirum utrùm Eucharistia secessui obnoxia sit; tum utrùm stomacho recepta & consumpta redeat in naturam pristinam, quam ante consecrationem habuerat. An verò proposuerit unicam, nempe priori parte admissa, sive ex sua, seu ex aliorum sententia, utrùm Eucharistia in secessum egesta redeat in pristinam quam habuerat naturam. Herigerus quidem, qui sinceram (ut credere par est) hujus loci sententiam legit, Heribaldum etiam primum quæstionis caput Rabano proposuisse affirmat; admisisse autem Rabanum, idem innuit auctor glossematis superioris. At unica fuisse videtur Heribaldi quæstio complexa, non duplex: quia itidem complexa est Rabani responsio. Verùm sive quæstionem de secessu proposuerit Heribaldus, sive ex sua aut aliena sententia eum admiserit; omnino ab Stercoranismi errore immunis censendus est. Nam proposuisse, hominis est dubitantis quidem, sed inscientiam suam sincerè ac modestè profitentis: & simpliciter pro confesso admisisse, lapsus forsan est, sed humanus; immo verò erroris expers: tum quia id obiter attingit; tum quia secessum tribuit Eucharistiæ secundùm symbola panis & vini, de quibus quærit, an redeant in naturam pristinam, quam habuerant ante consecrationem, qua in re nullum peccatum est contra fidem, nullum in Corpus Domini probrum.

LXXIII Rabano eadem solutio accommodari potest, cùm Heribaldo de symbolis interroganti responderit itidem de symbolis, si modò Eucharistiam communi aliorum ciborum legi subjecerit, ut Herigerus opinatus est. Id porrò in dubium meritò revocari potest; dum ejus responsio accuratè expendatur. *Superflua est*, inquit, *hujusmodi quæstio, cùm ipse Salvator dixerit in Evangelio;* „*omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* „ *Sacramentum Corporis & sanguinis id est, ex rebus visibilibus & corporalibus conficitur; sed invisibilem tam corporis quàm animæ efficit sanctificationem. Quæ est enim ratio, ut hoc quod stomacho digeritur, & in secessum emittitur, iterum in statum pristinum*

num

num redeat, cùm nullus hoc umquam fieri asseruerit? Rabani responsio (ut jam dixi) complexa est, adeóque non duplicem, sed unicam arguit, & quidem complexam Heribaldi quæstionem, ac proinde etiamsi ad quæstionem accidentem responderet Rabanus, Eucharistiæ secessum concedere non nisi obliquè censendus esset. At longè etiam ab hac concessione recedere videtur responsio. Rabanus quippe superfluam esse Heribaldi quæstionem probat duplici ratione. Altera est, quòd Christus illo suo effato nullatenus dixerit, id, quod in secessum vadit, denuo redire in pristinam suam naturam. Altera, quòd nulla sit unius ex altero consecutio, nec umquam quisquam id fieri asseruerit. Deinde ad quæstionem particularem descendens Rabanus, ait magnum esse discrimen Eucharistiæ a ceteris cibis: hos non nisi ad corporis incolumitatem, illam ad animæ maximè sanctificationem institutam. Non esse proinde humili modo de ea sentiendum. Quin etiam asserere nonnullos idem esse Corpus quod ex Maria natum est. Sic enim proximè addit post præmissa. *Nam quidam nuper de ipso Sacramento Corporis & Sanguinis Domini non rectè sentientes, dixerunt hoc ipsum Corpus & sanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum est* &c. Et quidem hanc sententiam sibi non probari; sed hinc tamen apparere, quàm longè abfuerit ejus auctor ab illa, quam proponit Heribaldus, opinione. Unde etiamsi cibi communes post egestionem resumant pristinum statum: secùs accidere de Eucharistia. Explicatio genuina est, non contorta; sed Rabani dictis consentanea. Nec obest quod idem in lib. I. de institutione Clericorum cap. 31. scribit, *Sacramentum redigi in pastum & corporis alimentum*. Paschasius enim qui in cap. 20. Stercoranismum reprobat, ibidem ait, *carnem & sanguinem Christi in nostram converti carnem & sanguinem*, & cap. 19. *non animam solam hoc mysterio pasci, verùm etiam & carnem nostram per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparari*. Sed fac Rabanum ita sensisse, aut id saltem concessisse, ut Eucharistia secessui obnoxia sit; idque consequi tum ex superiori epistola ad Heribaldum, tum ex eo quod alibi dicit, *Sacramentum redigi in pastum & corporis alimentum*, fac, inquam, ita esse: nec sic tamen quidquam detrimenti patietur Rabani illibata fides.

III.

Atque ut res accuratiùs expendatur, in antecessum præmittenda est Rabani sententia de reali Corporis Christi præsentia in Eucharistia, & de transsubstantiatione. Utramque verò agnoscit in lib. 7. de sacris Ordinibus ad Theotmarum cap. 10. *Quis umquam crederet*, inquit, *quòd panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliquid ex alio facere, quàm omnia ex nihilo creare*. Nihil manifestius ad utrumque probandum afferri poterat. Ecce conversionem habes, & panis in carnem, & vini in sanguinem, non qualemcunque, sed eam quæ nonnisi Omnipotentis Dei virtute perfici potest, qua aliud ex alio fit, quæ vera est substantiæ transmutatio. Ad hæc in fine commentarii in librum Josuæ, quod manu descriptum præ manibus habemus, ait victimis legalibus successisse *novi Testamenti sacerdotium: ubi agni immaculati caro & sanguis in sacris altaribus cotidie offertur, & Fidelium ore in pastum animarum suarum salubriter percipitur: ut umbra legis recedente veritas pateat Evangelii per ipsum Dominum Jesum Christum*. Quæ verba, si non substantiæ conversionem, certè realem præsentiam apertè significant; Rabanus enim Christi carnem & Sanguinem *fidelium ore* sumi protestatur, non solùm LXXIV
fide,

fide, ut Calviniſtæ docent. Utrumque verò, realem ſcilicet præſentiam & tranſſubſtantiationem, non obſcurè iterum adſtruit in libro 1. de Inſtitutione Clericorum cap. 31. de pane & vino ita ſcribens: *Hæc autem dum ſunt viſibilia, ſanctificata tamen per ſpiritum ſanctum, in Sacramentum Divini Corporis tranſeunt*. Atque ne id referant Calviniſtæ ad converſionem moralem figuræ ac virtutis; occurrit reſponſio ad Heribaldum jam adducta: ubi negat, *Euchariſtiam*, id eſt ſymbola panis & vini, *redire in naturam priſtinam, quam habuerat, antequàm in altari conſecraretur*. Hic enim reditus quem negat, non moralis, ſed realis eſt. Non quidem moralis. Quis enim dubitaret ſymbola, ſiquidem verâ Corporis Chriſti præſentiâ deſtituta eſſent, poſt conſumptionem non fore ampliùs figuram Corporis Chriſti, nec ipſius virtute perfuſa? Nulli, ut puto, Calviniſtarum aliud umquam venit in mentem. Rabanus ergo intelligendus eſt de reditu vero ac reali: cui proinde veram ac realem ſubſtantiæ converſionem reſpondere neceſſe eſt. Neque enim reditus ad id, quod amiſſum non eſt, fieri poteſt.

I V.

LXXV. HIs conſtitutis, ulteriùs inquirendum, an Rabanus; ſiquidem ſeceſſum admiſerit, eum tribuerit ſymbolis ſolis, an ſymbolis cum Corpore Chriſti conjunctis. Sanè Herigerus Rabani mentem videtur explicaſſe etiam de ipſo Corpore Domini, cùm notat *quoſdam diabolica inſpiratione blaſphemantes* myſterium Corporis Chriſti *ſeceſſui obnoxium fore*. Qui fuerint illi, aperit paullò pòſt his verbis: *Et his quidem qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, (quod numquam antea eſt auditum), id eſt Heribaldo Autiſſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit; & Rabano Maguntino, qui turpiùs aſſumſit, turpiſſimè verò concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur*. Patet verò in his, quæ ex conſequentibus adversùs Rabanum ſcribit, eum non aliam ob cauſam ab ſe impugnatum, quàm, quòd ipſum Corpus Domini ſeceſſui obnoxium eſſe ſentiret. Id, inquam, patet ex hac Herigeri concluſione. *Quapropter cujus potenti virtute panis iſte communis, quem quotidie ſumimus; cùm ſit candidus mutatur intra nos in colorem ſanguineum, vel alium humorem fluidum; ipſius potentiâ caro & ſanguis ejus ſumpta non in noxium vel ſuperfluum humorem, ſed in carnem verò reſuſcitandam debet reſervari conformata*. Deinde ſententiam ſuam confirmat teſtimonio cujuſdam ſapientis, cujus integram hac de re lucubrationem habes in Spicilegii tomo 12. Sapientem hunc eodem quo Rabanum tempore, aut certè paullò pòſt vixiſſe puto, & ex occaſione Rabanicæ epiſtolæ ad Heribaldum conſultum adversùs Rabanum ſententiam protuliſſe, ſed longè modeſtiùs quàm Herigerum. En ejus quædam verba ab Herigero etiam relata. *Scimus hoc Sacramentum myſterio & reverentiâ à communibus cibis ſecernendum, qui naturali & neceſſario uſu ſumuntur --- Non enim ejus excellentiam reveretur, qui ſeceſſui dicit obnoxium, ſicut ceteras eſcas. Sed tamen eodem modo quantum ad comeſtionem & hauſtum pertinet, percipitur, videlicet trajiciendo per os, & in ventrem mittendo, ubi quid Dominus de myſterio ſuo agere voluerit, ſuæ ſcimus tantùm cognitum voluntati. Scimus enim conſumi poſſe ſpirituali virtute: Scimus & conſervari poſſe inconſumtibili perennitate: Quia quæque ex his Chriſtus elegerit, de ſuo Sacramento perficit --- Abſit tamen ut tantum myſterium ſeceſſui fiat obnoxium: in quo ſi fortè ordo naturæ ſervatur, myſterium, quod ſola fide conſpicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem ſervat; non violatur myſterium, quod Divinitatis firmavit Sacramentum: nec ſpiritus amittit, quod fide integra in* re-

re corporali spiritaliter sumsit. His verbis distinguit auctor in mysterio Corporis Christi rem corpoream seu sensibilem; & spiritalem, id est invisibilem. Ejus verò sententia est, si ordo naturæ servari dicatur in re corporea, ita ut secessui obnoxia sit; inde consequi, *ut mysterium, quod fide conspicitur*, id est res spiritalis & invisibilis, seu Corpus Christi, pariter *humilietur*. Etsi tamen res sensibilis communem ordinem servaret, non violatum iri mysterium, quod spiritaliter sumitur. Hunc auctoris sensum, quantum ex ejus verbis paullò obscurioribus intelligere licet, esse existimo. Quod si probatur, probari etiam necesse est, eum quem hoc loco impugnat, non sensisse ipsum Corpus Domini egestioni subjacere: sed id tantùm inferri ex eo, quòd diceret, symbola, cum quibus Christi Corpus conjunctum est, aliorum more ciborum abire in secessum: quo admisso consequi putabant adversarii, ut ipsum Corpus Domini etiam simili modo humiliaretur.

Et certè Rabanus neutiquam ipsum Christi Domini Corpus, sed ad summum symbola sola communi aliorum ciborum legi subjecisse dici potest. Id manifestè colligitur ex ejus verbis in epistola ad Heribaldum, ubi negat Eucharistiam secundùm id, quod secessui obnoxium esse præmiserat, *redire in naturam pristinam quam habuerat, antequàm in aliam consecraretur*. Atqui nemo dixerit id de Corpore Domini intelligi posse, quod ante consecrationem in Sacramento non existit: sed tantùm de re illa, cujus *natura* consecratione mutatur, hoc est de pane & vino, quorum symbola *in pristinam*, quam ante consecrationem habuerant, *naturam* redire negat. LXXVI

Atque ut id clariùs elucescat, observandum est, Rabanum distinguere in Eucharistia Sacramentum à re Sacramenti, ut patet ex libro I. de Institutione Clericorum cap. 31. *Aliud est*, inquit, *Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur: virtute Sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur: virtute Sacramenti æterna vita adipiscitur*. Hîc *virtutis* nomine intelligit non effectum Sacramenti, sed rem ipsam sub symbolis contentam, id est Corpus & Sanguinem Christi Domini, uti apparet ex his aliis ejus verbis, quæ mox subsequuntur. *In Sacramento Fideles quique communicantes pactum societatis & pacis ineunt: in virtute autem Sacramenti omnia membra capiti suo conjuncta & coadunata, in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id convertitur, cùm id manducamus & bibimus: sic & nos in Corpus Christi convertimur, dum obedienter & piè vivimus*. Sic *virtutis* vocabulum pro ipsa re usurpavit cum aliis Græcis Chrysostomus hom. 17. in epistola ad Hebr. dicens, exemplaria habere *typum, non virtutem*: *quomodò in imaginibus figuram hominis habet imago, non virtutem*. Quin etiam hoc sensu eadem voce usus est Lanfrancus in Dialogo, ubi ait, Corpus Christi Eucharisticum ipsum esse, quod de Virgine sumtum est *quantùm ad essentiam, veræque naturæ proprietatem atque virtutem*. Rabanus ergo censet, Sacramentum converti in substantiam sumentium: rem verò Sacramenti non ita, sed nos in eam transformari, ac proinde ejus sententia est, Sacramenti rem sensilem digeri, & in secessum abire: non verò rem latentem Sacramenti, id est Corpus & Sanguinem Christi Domini.

Quæ hactenus retuli, apertè, ni fallor, demonstrant, Rabanum rectè cum Ecclesia Catholica sensisse de vera Corporis Christi præsentia in Eucharistia, ac de transsubstantiatione: nec ipsum Christi Corpus, neque (ut vero proximum est) symbola ipsa egestioni supposuisse. Etiamsi porrò id de symbolis censuerit, nequaquam hac in re errasse. Scio quidem apud Algerum in lib. 2. cap. 1. *heresim fœdissimam Stercoranistarum* traduci etiam ad eo- LXXVII

Tt rum

rum sententiam, qui docebant, species Sacramentales secessui esse obnoxias. At si verba ejus attentè expendantur, quivis facilè intelliget, id ab eo dictum, non tam propter sententiæ perniciem, quàm propter asserentium (ut putabant) temeritatem, qui quod in quæstionem vocandum non erat, liberiùs ventilare, & audaciùs definire non dubitarunt. Eam verò esse Algeri mentem vel ex hoc patet, quòd relatis quæ contra istos assertores valere poterant argumentis ita concludit. *Quid deinceps de ipso (Sacramento) fiat, si supradictæ rationes non videntur sufficere, Deo, cujus est, fideliter & honestè committatur. Melius est enim Deo humiliter committere, quod scire non possumus, quàm perversè contra eum fingere & sentire, quod tamen nescimus.* Et quidem satius fuisset, si in ejusmodi quæstiones non prosiliissent homines. Sed difficile est rationi frenum imponere, cujus vaga curiositas modum nescit, nisi auctoritate divina penitus reprimatur.

Ex dictis consequitur, Rabano perperàm affingi non modò Stercoranismum, sed etiam aliud erratum, quasi omnem figuram & obvelationem removerit à Sacramento, senseritque formas illas in Eucharistia sensibus conspicuas, Corpori Christi Domini proprias & inhærentes fuisse. Cùm enim ex superioribus constet, eum distinxisse Sacramentum à re Sacramenti; &, si quid Heribaldi quæstioni concessit, ad summum symbola sola, non ipsum corpus Dominicum (ô absit) egestioni addixisse; eumdem Sacramenti formas & species sensiles à Corpore Christi separasse fateri etiam necesse est.

V.

LXXVIII Unum superest, in quo Rabani fides impetitur, ex illis, quæ jam attigimus, verbis epistolæ ejus ad Heribaldum. *Quidam nuper de ipso Sacramento Corporis & Sanguinis non rectè sentientes, dixerunt hoc ipsum Corpus & Sanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce, & resurrexit de sepulcro, "idem esse quod sumitur de altari". Cui errori, quantùm potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de corpore ipso quid verè credendum sit aperuimus.* Ubi notandum est verba illa, *idem esse quod sumitur de altari*, ansulis inclusa, deesse in editione Stevartiana; eaque eruditissimum Baluzium supplevisse ex libello Herigeri Abbatis, qui Rabani sententiam exponens ita habet. *Dicentibus quibusdam idem esse quod sumitur de altari, quod & illud quod natum est ex Virgine: aliis autem negantibus & dicentibus aliud esse* &c. Verùm hæc Rabani sententia non eò spectat, ut veram Corporis Christi in Eucharistia præsentiam neget, cùm eam disertè adstruat, ut superiùs vidimus: sed eo modo explicanda est, quo Herigeri & alterius Anonymi sententia de duplici triplicive Christi Corpore, quod *naturaliter*, id est re ipsa, unum; *specialiter*, seu secundùm speciem apparentem, diversum illi asserebant. Et verò eam esse Rabani mentem, facilè quivis concedet, si prædicti Anonymi opusculum sit ipsa Rabani ad Egilem (ut suprà * conjiciebam) epistola, ex qua maximè pendet Rabani sententiæ cognitio.

* num. 60.

V I.

LXXIX Ceterùm epistola illa ad Heribaldum scripta est post epistolam ad Egilonem seu Egilem Abbatem: qui suam accepit non ante annum DCCC. LIII., quo Abbas renuntiatus est, adeò ut altera ad Heribaldum, in qua prioris fit mentio, scripta sit anno DCCC. LIV., certè ante Februarium anni

ni DCCC. LVI., quo ejus anni mense ineunte Rabanus è vivis excessit, superstite Paschasio Radberto.

V I I.

PRæter Rabanum aliosque ejus sequaces, Auctor Homiliarii mſ. Ecclesiæ Lugdunensis, qui mihi videtur esse Florus Diaconus, duplex etiam Christi Domini Corpus distinguit in expositione epistolæ in Cæna Domini recitari solitæ. Nam relatis Christi Eucharistiam instituentis hisce verbis, *Hoc est Corpus meum*, inter alia ita commentatur. *Aliud erat corpus quod loquebatur, atque aliud quod tradebatur. Corpus quod loquebatur, erat substantiale: quod verò tradebatur mysticum. Corpus siquidem Domini mortuum est, sepultum, cœlosque ascendit: Corpus verò quod Apostolis in mysterio committebatur, cotidie per manus consecratur Sacerdotum.* Ne quis autem veram ac realem Corporis Christi præsentiam his verbis negari putet, quid hac de re sentiret auctor, in præmissis ita posuerat. *Fregit non sinè utili mysterio. Nam & hodie Sacerdotes Corpus Domini consecrantes, non antea illud percipiunt, nec Fidelibus tradunt, donec fregerint, ut ostendatur, quia quicumque Corpus Domini ad salutem vult percipere, primùm debet illud frangere, id est investigare & discutere, quid in illo mysterio intelligatur. Quodammodo enim frangimus panem, quando sub figura ejusdem panis veritatem Corporis Dominici intelligimus.* Mysterium ergo illud agitur *sub figura* & specie panis: at sub illa *figura panis* continetur *veritas Corporis Dominici*. Sic Florus intelligebat, sic credebat: sic intelligebant & credebant, quotquot de duplici seu triplice Christi Corpore cum Paschasio disceptabant. Ex quo iterum apparet, (quod jam sæpius dixi) controversiam illam hæsisse maximè in modo loquendi. Porrò vetustissimi illius Homiliarii copia mihi facta est ab humanissimo viro Stephano Baluzio, penes quem tum erat. LXXX Flori sententia.

§. VI.

De Ratramno Corbeiensi Monacho: an auctor sit libri vulgati sub nomine Bertrami.

RAtramnus seu Rattrannus, Lupo Rotrannus, ab undecimo sæculo (quo Francica vocabula corrumpi cœpta) Bertramus, Bertrannusve, Monachus fuit Corbeïæ Gallicæ, ut temporibus illis doctus, & in Patrum lectione non mediocriter versatus. Is non pauca scripsit, in quibus libellus de nativitate Christi; Responsionum ad objecta Græcorum libri tres; de prædestinatione duo; unus de Trina Deitate; Hincmaro testante, & liber de anima. Et tres quidem primos typis editos habemus, non quartum, nec quintum; quem præ manibus habemus. An etiam condiderit librum de Corpore & Sanguine Domini, qui sub nomine Bertrami vulgatus extat, nunc celebris quæstio est inter eruditos. LXXXI Rattamni opera.

Ante annum Christi concepti M.DC.LVII. recepta erat sententia, etiam LXXXII

 inter

Johanni Scotto tributus liber Bertrami. inter catholicos omnes, librum hunc Ratramni verum esse fetum. Persuasionem auxit Anonymus Cellotianus, (is est Herigerus Abbas Laubiensis) qui librum istum Ratramno tribuere videtur. Anno jam dicto prodiit in publicum Spicilegii tomus secundus, in quo propter opus Ratramni adversùs Græcos ibi editum inserta est epistola Illustrissimi Petri de Marca, tum Archiepiscopi Tolosani, ad Acherium nostrum Spicilegii editorem : qui cùm intellexisset Ratramnum ob vulgatum de Eucharistia librum malè traduci à nonnullis; quid de hoc Ratramni libro sentiret eruditissimus Antistes, interrogaverat. Verbis respondit probè se sentire ; at sententiam scripto proferre rogatus, in aliam partem abiit. In ea siquidem epistola contendit, non Ratramnum, ut recepta ferebat sententia, esse prædicti libri auctorem, sed Johannem Scottum : qui quoniam videbat se novitate sua incessere vetustatem, dissimulato Johannis proprio nomine, sub larva Bertrami seu Ratramni latere curaverit, assumto nomine isto, quod operi suo præfixerit. Eruditis notaloquor, ut clarissimi viri argumenta huc referre non sit necesse. Nova hæc sententia, ut fit, placuit non paucis; displicuit pluribus, receptæ persuasioni adhærentibus. Accesserunt in causam Calvinistæ, quibus faventior visa est Ratramni, quàm Johannis Scotti auctoritas; nam libri scriptorem, quisquis ille tandem sit, suis partibus vindicare conantur. Ventum est ad literarium conflictum : repetitis hinc indè libris agitata est lis, quam Catholici quique ut meri facti disceptationem spectabant. Distracta sunt hac in causa Catholicorum suffragia, aliis pro Johanne, aliis pro Ratramno sentientibus. Præceps fuit ante litis contestatæ definitionem occupatio Calvinistarum, qui librum sub Ratramni nomine Latinè & Gallicè recudi curaverunt, absque nova veterum librorum aut testimoniorum auctoritate. Quid inter hæc senserim, leve fuerit dicere; quid verò hoc de argumento invenerim, dissimulare non sinit veri ac sinceri amor, ne qua lis in posterum hac de re excitetur.

LXXXIII Ratramno adscribendus. In Belgii partes profectus, ut jam dixi, Laubiense adii Monasterium, ubi inter codices manuscriptos bene paucos qui restant, binos reperi, unum vetustissimum, ab annis sanè octingentis exaratum, in quo continentur opuscula duo, primum de Corpore & Sanguine Domini, subsequens de Prædestinatione; illud unico, hoc duobus libris constans. Utriusque inscriptio & exordia ita se habent in codice ms. *Incipit liber RATRĀNI * de Corpore & Sanguine Domini. Jussistis gloriose Princeps &c.* Post hunc librum. *Incipit liber Ratramni de prædestinatione Dei. Domino glorioso atque præcellentissimo Regi Karolo Ratramnus &c.* ut in editis. In alio codice legitur indiculus librorum *Armarii*, id est Bibliothecæ Laubiensis, cum hoc titulo : *Anno Dominicæ Incarnationis M.XLIX. Fratres Lobienses secum recensentes Armarium, hanc sibi repererunt haberi summam librorum.* Et infrà, *Ratramni de Corpore & Sanguine Domini lib. I. Ejusdem de prædestinatione Dei ad eumdem lib. 2.* Ex quo intelligitur, superiorem codicem, in quo Ratramni opuscula hæc continentur, esse ipsummet qui in hoc indiculo descriptus est anno M.XLIX. ac proinde prædictum codicem ante illud tempus exaratum esse. Et certè scriptum esse sub finem sæculi noni facilè suadet ipsa scripturæ forma, quæ omnino Ratramni ætatem sapit: nec dubito, quin is ipse sit codex, quo usus est Herigerus ejus loci Abbas in fine sæculi decimi.

* *sic.*

LXXXIV Ex his magna nobis præjudicia suppetunt, Ratramnum esse auctorem libri, qui sub nomine Bertrami circumfertur, nimirum quòd in codice Laubiensi pervetusto Ratramni præferat nomen : quòd continentes in eodem codice habeat genuinos libros duos de Prædestinatione, qui omnium consensu Ra-

Ratramno adſcribuntur auctori; quòd denique Herigerus utrumque opus ipſi tribuat. His addo ſtili ſimilitudinem & ſcribendi modum cum aliis Ratramni operibus genuinis convenientem: quo vel unico primùm argumento librum Ratramno adjudicandum eſſe exiſtimaveram. Sed quilibet hac de re judicat pro ſuo ſenſu. Hæc tamen omnia non penitus evertunt conjecturam illuſtriſſimi antiſtitis, ſentientis, librum hunc ab initio ſub Ratramni nomine vulgatum fuiſſe: poſteà verò tempore Berengarii, id eſt medio Sæculo XI. detractâ larvâ Johanni legitimo auctori ſuo reſtitutum.

Verùm ſi demonſtrari poteſt, utroque illo tempore duplicis hac de re libri, geminique auctoris, Ratramni & Johannis factam eſſe mentionem; huic conjecturæ factum iri ſatis nemo non concedet. Atqui utrumque facile. Librum unum de Corpore & Sanguine Domini ſub nomine Ratramni ſæculo nono ac decimo comparuiſſe in confeſſo eſſe debet; & probant in primis codex Laubienſis & Herigerus. Eodem porrò tempore viſus eſt & alius liber de eodem argumento ſub nomine Johannis Scotti. Teſtis Adrevaldus Floriacenſis Monachus, qui de miraculis S. Benedicti librum ſcripſit regnante Carolo Calvo. Is enim collegit ſententias Patrum *contra ineptias Johannis Scotti de Corpore & Sanguine Chriſti*: quod collectaneum in Spicilegii tomo 12. vulgatum eſt. Hunc Johannis librum notare videtur Hincmarus in libro de Prædeſtinatione: ubi Johannis Scottigenæ errata commemorans, ſatis innuit, Johannem circa hoc Sacramentum erraſſe, ut poſteà referam. LXXXV.

Deinde ſæculo undecimo utriuſque lucubratio, Ratramni ſcilicet & Johannis, de Euchariſtia nota fuit. Johannis quidem, ut conſtat teſtimonio auctorum, qui contra Berengarium ſcripſerunt. Ratramni verò teſte in primis Sigeberto Monacho Gemblacenſi in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 95. ubi Ratramnus, ſeu, ut nonnulli codices habent, Bertramus, librum de Corpore & Sanguine Domini ſcripſiſſe dicitur. Porrò ſub initium ſæculi duodecimi florebat Sigebertus, qui Berengario ſene juvenis erat. Hunc Ratramni librum legiſſe videtur Guitmundus, qui ſub finem libri 1. adversùs Berengarium, quatuor diſtinguit mutationum genera, iiſdem ferè verbis, quibus Ratramnus initio libri ſui tria commemorat. At ſi liber iſte Johanni Scotto tum adſcriptus fuiſſet, non facilè crediderim Guitmundum uſurum fuiſſe hoc libro, quo Berengarius in patrocinium ſui erroris abutebatur, quique flammis tum adjudicatus eſt. Hæc conjectura: cui longè præſtat Sigeberti auctoritas, qui licèt de Johanne Scotto agens, (agit autem duobus in locis) ejus libri de Euchariſtia non meminerit; numquam tamen commiſſurus fuiſſet, ut Ratramno tribueret librum, ſi is idem fuiſſet liber, quem Johannis Scotti eſſe, & flammis dignum ſuo tempore cenſuerant Patres Vercellenſes. Et hæc ſanè ratio apud me plurimùm valet. LXXXVI

Si quis reponat, librum unum & eumdem ùtroque illo tempore, modò ab his ſub Ratramni; modò ab illis, qui rem meliùs noſſent, ſub Johannis nomine memoratum fuiſſe; repono & ego, etſi unus idemque liber eſſet, judicandum ex indiciis certioribus, quis germanus libri ſcriptor; alienum eſſe ab ingenio Johannis Scotti, hominis audacis, ne dicam temerarii, librum ſuum, quantumvis à catholico ſenſu diſcrepantem, ſub alieno nomine publicare, & Carolo Regi offerre; cum hac fraude non uſum fuiſſe in vulgandis libris de naturis, qui graviſſimis alioqui erroribus ſcatent; denique hominem vix eò proceſſurum ſtoliditatis & impudentiæ, ut fetum ſuum alteri genii penitus diverſi ſupponat, & quidem adhuc viventi, qui falſarii fraudem ſola negatione refutare poſſit. Porrò vixiſſe etiam tum Ratramnum, qui ſinè dubio LXXXVII

dubio detexisset Johannis imposturam, quæ hominibus sæculi insequentis (ut veri simillimum est) ac proinde Herigero ignota non fuisset: itaque librum potiùs Ratramno, quàm Johanni tribuendum esse. Sive ergo unicus fuerit auctor, sive geminus; Ratramnus Johanni Scotto præferendus est: id est, potiùs Ratramno quàm Johanni liber, de quo agimus, adscribendus.

LXXXVIII At verò duplicem fuisse, cùm argumenta superiora probent, nihil sanè in contrarium opponi potest sufficiens ad elevandam ipsorum argumentorum fidem. Non inscriptio, quæ utraque Carolo Regi facta dicitur. Quidni enim uterque Caroli Calvi hortatu de eodem argumento interrogatus respondere potuit? Certè uterque de Prædestinatione scripsit: & tam Lupus Abbas Ferrariensis, quàm Ratramnus de eadem re Caroli jussu sententiam suam exposuêre. Non oratio Gregoriana ab Johanne citata, testante Ascelini epistola ad Berengarium; itidem in Ratramni libro laudata; tum quia familiare est illius ævi scriptoribus in eadem materia eadem argumenta easdemque Patrum sententias adhibere: tum quia hæc oratio aliter à Ratramno, aliter à Johanne exposita fuit. Oratio hæc est: *Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua Sacramenta quod continent; ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Johannis commentarium ita refert Ascelinus: *Quam exponendo prædictus Johannes, inter cetera Fidei nostræ contraria;* „ *Specie, inquit, geruntur ista non veritate.* „ *Quod non Catholicè dictum*, subdit Ascelinus, *si bene tuam vigilantiam novi, non ignoras.* Ratramnus verò hæc verba, *dicit*, videlicet Ecclesia in hac oratione, *quòd in specie geruntur ista, non in veritate;* sic exponit, *id est, per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem*. In hoc ergo differt Johannis expositio à Ratramni, quòd quæ verba Johanni commentarii locum habent, ea Ratramnus adhibet ut verba Ecclesiæ, quæ omnino catholicè explicat. *Dicit quòd in specie geruntur ista non in veritate*, nempe Ecclesia hoc dicit. Explicat Ratramnus & subdit, *id est per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem*. Scilicet usurpavit vocem hanc, *veritas* pro manifestatione, quo simili modo Lanfrancus exponit hanc orationem in Dialogo contra Berengarium: *Postulat quippe Sacerdos, ut Corpus Christi, quod sub specie panis vinique nunc geritur, manifesta visione, sicut re vera est, quandoque capiatur. Veritas enim pro manifestatione in sacris sæpè literis reperitur*. Denique silentium de libro Ratramni apud Berengarianos, non obstat quò minùs Ratramno tribuendus sit. Forsan enim aut librum hunc non legerant, qui in paucis admodùm bibliothecis reperitur; aut si legerant, eum sibi non favere existimabant. Quippe neque Herigero Catholicæ veritatis assertori hic liber venit in suspicionem erroris contra præsentiam realem.

LXXXIX Erit forsan, qui dicat, vulgatum Bertrami librum non videri eum, quem memorat Herigerus. Siquidem Herigerus tradit, Rabanum & Ratramnum falsò reprehendisse Paschasium, quasi diceret, *totiens Christum pati quotiens Missas contingit celebrari:* quæ objectio in vulgato Bertrami libro (si bene memini) non reperitur. Verùm fortassis hæc objectio non Ratramni erat, sed quorumdam aliorum, quos verbo impersonali designat Herigerus hoc modo: *Quod autem iterum objiciunt eum dixisse* &c. aut potiùs solius Rabani in epistola ad Egilem erat hæc objectio, uti superiùs * exponebam.

* *num.* 60.

XC Hîc ex abundanti juverit observare, in Bibliotheca Thuanea exstare quoddam exemplar mſ. de Corpore & Sanguine Domini, quod Ratramno falsò tribuitur. Nam farrago est malè consarcinata ex libro Paschasii & aliorum. Viros nihilominùs doctos aliquot fefellit farraginis conclusio ad Carolum Regem: quæ ipsissima est Hincmari peroratio libri de Prædestinatione,

ne, quem Carolo Regi dedicavit. Hoc monuisse alicujus forsan momenti erit.

§. VII.

Examinatur doctrina Ratramni in libro de Corpore & Sanguine Domini.

TRia potissimùm hîc discutienda sunt: primum, quos adversarios hoc libro aggressus sit Auctor; alterum, quæ libri doctrina & fides; tertium, quo tempore scriptus liber. XCI

I.

QUales adversarios hoc in libro impugnandos sibi proposuerit Ratramnus, intelligimus ex statu quæstionis, quam initio præfigit, dividitque in partes duas. Prima, *An quod in Ecclesia ore Fidelium sumitur, Corpus & Sanguis Christi, in mysterio fiat, an in veritate, id est utrùm aliquid secreti contineat, quod oculis fidei solummodo pateat, an sinè cujusque velatione mysterii hoc adspectus intueatur corporis exteriùs, quod mentis visus inspiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat*. Altera pars est, *Utrùm ipsum Corpus sit quod de Maria natum est*. Utrumque negat Ratramnus, & quidem contra Paschasium Radbertum, ut multi volunt. Ratramni duæ quæstiones.

Certè posterior pars contra Paschasium pugnat: at nequaquam prior, quam adeò disertis verbis rejicit Paschasius, ut mirum sit illustrissimum virum scripsisse, hac in parte Ratramnum expressisse sententiam Paschasii, qui videretur Rabano & aliis, Orientalium more, mutationem substantiæ & quantitatis in Corpus Christi Latinis incognitam profiteri. Ego verò constanter assero, Paschasium in contraria sententia fuisse. Deditâ quidem operâ probat in libri sui cap. 4., Corpus Christi in Eucharistia & veritatem simul esse & figuram, & in epistola ad Fredugardum: *Si quis dicit*, inquit, *hanc carnem & hunc sanguinem sic ipsa esse absque mysterio & Sacramento, nec in figura ex parte sumendam, totum dissipat*. Tantum ergo abest ut Paschasius docuerit, Corpus Christi absque ulla figura & obvelatione in Eucharistia contineri, ut censuerit eos qui ita sentirent, totum Sacramentum dissipare. XCII Prior non contra Paschasium.

Non igitur Paschasium, sed alios adversarios aggressus est in priori parte Ratramnus, quos plures fuisse intelligimus ex his ipsius verbis: *Dicunt, quòd nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, sed ipsius veritatis manifestatione peragatur*. At qui demum illi fuerunt adversarii? Forsan Haimo Halberstadensis Episcopus, aliique cum eo consentientes: qui, quemadmodùm apud Græcos Johannes Damascenus; sic isti apud Latinos figuræ vocabulum ab Eucharistia ratione Corporis Christi penitus removeri volebant. Plana est hac de re Johannis Damasceni sententia in lib. 4. de Fide cap. 14. Haimonis verò itidem in tractatu de Corpore & Sanguine Domini. En ejus verba. *Et notandum, quòd panis ille sacratus & calix signa dicuntur: non autem hoc quantùm ad carnem Christi & Sanguinem accipiendum est, quod tamen quidam erronei sensibus carnis omnino dediti, mente cæcati, stolidissimè putant. Jam enim Corpus & Sanguis* XCIII Sed contra Haimonem.

guis Christi non essent, nullum (enim) signum est illud cujus est signum: nec rei aliqua sui ipsius dicitur signum, sed alterius. Et omnino omne signum, in quantum signum esse deprehenditur, diversum est ab eo quod significat. Corpus ergo Christi & Sanguis Sacramenta dicuntur, id est sacrum signum, non sui ipsius, ut præmissum est, & probatum, sed ad similitudinem sumentium re vera signa dicuntur. Hic duo sensus latere possunt sub his verbis: *Panis ille sacratus & calix signa dicuntur, non autem hoc quantùm ad carnem Christi & Sanguinem.* Prior est, ut panis sacratus & calix sumti, secundùm species accidentarias sint signa, non Caro & Sanguis Christi: posterior, ut non sint signa Carnis & Sanguinis. Hunc posteriorem sensum esse genuinum existimo, & quidem Johannis Damasceni sententiæ consentaneum, ut probant hæc ejus verba ex libro 4. de Fide cap. 14. *Nec verò panis & vinum Corporis Christi figura sunt, (absit enim hoc) verum ipsummet Domini Corpus divinitate affectum* &c. quæ ferè verba sunt Haimonis: adeò autem id probat Johannes Damascenus, ut Basilium aliosque secùs loquentes ita explicet. *Quòd si nonnulli panem ac vinum Corporis ac Sanguinis Domini figuram esse dixerunt, quemadmodùm ille divinitùs afflatus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequàm ea oblatio consecraretur hoc vocabulum usurparunt.* Ex his intelligimus, tempore Haimonis, qui Rabani & Ratramni æqualis fuit, controversiam fuisse in Ecclesia, aliis dicentibus panem & vinum consecratione facta esse signa carnis & sanguinis, tametsi hæc continerent; quos *erroneos* Haimo appellat: aliis negantibus esse figuram ac signum respectu Corporis Christi, quos impugnat hoc loco Ratramnus. Istorum fundamentum hoc erat, quòd *nullum signum est illud cujus est signum.* Ratramni verò momentum præcipuum hac ratione nitebatur. *Si nulla sub figura mysterium illud peragitur, jam mysterium non rectè vocitatur, quoniam mysterium dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo velamine contectum.* Hunc esse statum prioris quæstionis à Ratramno propositæ constat ex ejus libro: in quo si non Haimonem ipsum, at certè ejus sequaces hac in parte aggressus est, fervore contentionis aliquoties abreptus (ut fit) extra metas justæ disputationis, quod etiam ipsi accidit in libro de Nativitate Christi. Neque enim negabant Haimo eique adhærentes, Corpus Christi Domini in Eucharistia, ejusque Sanguinem speciebus alienis velatum esse; id enim in illo tractatu disertè confitetur his verbis: *In quo quidem Christi Corpore & Sanguine, propter sumentium horrorem, sapor panis & vini remanet & figura, substantiarum naturâ in Corpus Christi & Sanguinem omnino conversâ: sed aliud renuntiant sensus carnis, aliud renuntiat fides mentis.* At nihilo tamen minùs nolebat Eucharistiam dici figuram, & signum Corporis Christi, ratus *nullum signum esse illud cujus est signum.* Qua re impugnanda Ratramnus eò progressus est, ut diceret indè consequi, nullum esse in Eucharistia mysterium, nihil velatum: quam tamen consecutionem adversarii negabant.

I I.

XCIV JAm Ratramni hoc in libro doctrina & fides examinanda est. Id ut clariùs & faciliùs assequamur, maximè attendendum, quibus verbis controversiæ statum definiat & exponat; qua in re consentiat cum adversariis; qua in re diffideat; quæ locutiones in argumentis ipsi familiares; quis earum sensus; denique quæ ejus argumenta, & conclusiones.

Verba quibus quæstionem primam definit, hæc sunt: *An quod in Ecclesia*

fit ore fidelium sumitur, Corpus & Sanguis Christi in mysterio fiat, an in veritate? id est utrùm aliquid secreti contineat, quod oculis fidei solummodò pateat, an sine cujusque velatione mysterii hoc adspectus intueatur corporis exteriùs, quod mentis visus inspiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat? Et hoc quidem ea occasione quærit, quia dicebant aliqui, *quòd nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat: sed ipsius veritatis manifestatione peragatur*. Nemo non videt interesse quàm maximè, ut sciamus, quid *veritatis*, quid *manifestationis* vocabulis, in quibus controversia sita est, auctor intelligat. Quæstionis primæ status

Qui Ratramni librum recèns edidit, & gallicè vertit Calvinista, *veritatis* nomine *realitatem* ac præsentiam realem exprimi fatetur: errat verò, cùm *veritatis* hoc modo sumtæ & manifestationis vocabula hoc in libro synonima esse dicit. Primò enim hæc *manifestationis* interpretatio apertè pugnat, non solùm cum communi vocis notione, quæ ipsam rei nudam exhibitionem significat; sed etiam cum mente auctoris inquirentis, an Corpus Christi in Eucharistia contineatur *ipsius veritatis nuda manifestatione*. Nam si *veritas* & *manifestatio* synonima sunt, & *veritas* realitatem significat; perinde est acsi quæreretur, an Corpus Christi in Eucharistia contineatur *ipsius realitatis realitate*, (nam vocem *nuda* pro nihilo ducit interpres, cui sat fuit quatuor hæc nomina reddere unicâ voculâ *réellement*,) quo ferè nihil absurdius cogitari potest. Deinde etsi ambigua esset vox illa *manifestatio*; tamen addito *nuda*, reducitur ad propriam significationem. At (quod omnem tergiversandi locum præcludit) manifestationem usurpat auctor, quatenus Fidei obscuritati opponitur. Sic enim argumentum proponit adversùs eos, qui Corpus Christi *nulla sub figura, sed nuda veritatis manifestatione* exhiberi dicebant. *Si secundùm quosdam*, inquit, *figuratè nihil hic accipiatur, sed totum in veritate*, id est verè, realiter, ac manifestè, *conspiciatur: nihil Fides hic operatur*. Cur ita? *Quia cùm fides, secundùm Apostolum, sit rerum argumentum non apparentium, id est non earum, quæ videntur, sed quæ non videntur substantiarum; nihil hic secundùm Fidem accipiemus: quoniam quidquid exsistit, secundùm corporis sensus dijudicamus*. Quis, rogo, erit sensus hujus argumenti, si manifestationem pro realitate accipias? Certè ridiculus omnino erit, aut impius. Eò enim redigeretur argumentum: Si Corpus Christi in Eucharistia in realitate exhibeatur, locum non habebit Fides, quæ est rerum tantummodò non realium, quod sanè impium est. Si autem vertas hoc modo: Si Corpus Christi in Eucharistia in realitate exhibeatur, cessabit Fides, quæ circa res tantùm non apparentes versatur. Perinde erit ac si dicas: Si dies est, sol non lucet. Utrumque enim æquè pugnat contra rectam rationem. Procedit ergo argumentum de nuda visione. Neque enim fides repugnat eorum quæ creduntur realitati, immo quæ creduntur pleraque realia sunt: sed nudæ exhibitioni opponitur, quoniam est argumentum rerum non apparentium. Itaque istud argumentum hunc habet sensum. Si Corpus Christi in Eucharistia nulla sub figura, nulla sub obvelatione exhibeatur, sed in ea forma & specie sensili, quæ ipsius propria sit; locum non habet Fides, quia corpus ipsum exhibetur, non alia specie, sed propriâ formâ affectum. Hinc manifestè conficitur, Ratramnum pugnare, non adversùs assertores præsentiæ realis, sed adversùs eos, qui nullam figuram, nullam obvelationem in Sacramento admittebant. XCVI

Errandi occasio Calvinistæ fuit, quòd Ratramnus veritatem seu realitatem aliquando pro manifestatione usurpat: at non vice versa manifestationem pro realitate, ut Calvinista putavit. Quo circa observare convenit, *reale* rem existentem significare, non designando, an illa sit evidens & oculis ex- XCVII

posita, nec ne : manifestum verò definitè utrumque designare, nempe rem, & præsentem & evidentem. Uno verbo, *reale* genus esse complectens res omnes exsistentes, sive evidentes sint, sive non sint : *manifestum* esse speciem, quæ ad res evidentes contrahitur. Quemadmodùm verò genus Logicorum rectè pro qualibet specie sua usurpari potest, at non species pro genere: sic reale pro manifesto, non manifestum pro reali sumere licet.

XCVIII Tres locos adducit Interpres, quibus in errorem ductus fuit. Primus est in illa oratione Ecclesiæ à Ratramno relata : *Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, ut quod in imagine contingimus Sacramenti, manifesta participatione sumamus.* Ubi clarum est, inquit Calvinista, manifestam participationem sumi pro vera & reali perceptione. Neque enim postularet Ecclesia Christi Corpus palàm & in aperto intueri. Et hoc quidem aliud erratum est interpretis. Ut enim dissimulem, quòd hæc verba non sunt ipsius Ratramni, sed Ecclesiæ; quòd extra statum quæstionis referuntur; ut, inquam, hæc aliaque dissimulem, sensus Ecclesiæ in hac oratione is est, ut *quod in imagine contingimus Sacramenti*, hoc est sub specie panis & vini; *hoc*, id est Corpus Christi, *manifesta participatione sumamus*, id est manifesta visione in cœlo possideamus. Nec vacat quòd in ms. codice Laubiensi legitur *in imagine*, pro eo quod in editis habetur *imagine*, sublata præpositione.

XCIX Hunc verò esse Ecclesiæ sensum patet ex alia oratione, quam etiam Tralator ex Ratramno adducit in hunc modum : *Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua Sacramenta quod continent : ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Nam eò spectat hæc oratio, ut *quæ nunc*, hoc est in hac vita, *specie*, & sub mysterio *gerimus*, in alia vita *rerum veritate capiamus*, id est *manifesta visione*, utì explicat Lanfrancus. Audi Ratramnum eodem modo explicantem. *Dicit quòd in specie gerantur ista, non in veritate : id est per similitudinem non per ipsius rei manifestationem.* Ecce inquis, veritas pro manifestatione usurpatur. Rectè sed ita ut veritatis significatio transferatur ad significandam manifestationem; non manifestatio ad strictim significandam veritatem seu realitatem. Et tamen vice versa explicavit Calvinista, & contra Ecclesiæ sensum, & contra Ratramni propositum.

C Secundus locus ab interprete prolatus est, quòd ex Ratramno pignus & imago *significant rem cujus sunt, non manifestè ostendunt*, id est *non realiter*, inquit. Certè realitatem importat manifestatio, sed realitati addit visionem. Utrumque porrò hoc nomine intellexit Ratramnus, ut patet exemplo allato Corporis Christi, *quod nunc per similitudinem*, id est per externam Sacramenti speciem, *ostenditur, in futuro per manifestationem revelabitur.*

CI Tertius locus desumitur ex secunda oratione Ecclesiæ, quam superiùs retuli & exposui. Quartus est sub finem libri, ubi Ratramnus probare volens, aliud esse Corpus Christi in Eucharistia, aliud quod natum est de beata Virgine, ait, *quòd non parva differentia sit inter corpus, quod per mysterium existit, & corpus quod passum est & sepultum & resurrexit, quoniam hoc proprium Salvatoris existit, nec in eo vel aliqua figura, vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio cognoscitur.* Quo in loco, inquit Calvinista, ut in aliis, *manifestatio* pro *realitate* accipitur. Miror sanè eò usque progredi hominem, ut tam apertæ sententiæ fucum faciat. Quis bona fide auctoris verba legens statim non concedat, hìc manifestationem in proprio significatu sumi oportere? Neque enim umquam vox aliqua detorqueri debet ad metaphoricum sensum, nisi manifesta ratio persuadeat, proprium loco non convenire. Jam verò dic, quæso, quid obstat, immo quid non cogit, manifestationis vocabulum in pro-

proprio sensu hic usurpari? Id exigit auctoris scopus generalis, ut superiùs demonstratum est; id etiam postulat consequentia hujus loci. Auctor enim hic totus est in assignando discrimine, quod intercedit inter Corpus Christi in Eucharistia, & corpus quod passum est. Unum verò in eo reponit, quòd Corpus Eucharisticum figurarum velamentis obtegitur, corpus quod passum est, manifestè conspiceretur. Atqui quod conspiciebatur, reale quidem erat, sed realitati manifestam exhibitionem superaddebat. Quòd reale erat, convenit cum Eucharistico: quòd manifestum & oculis subjectum, differt ab eodem.

Hæc fusiùs tractanda fuêre, quoniam semel constituto & intellecto quæstionis statu, qui ex notione *manifestationis* & *veritatis* pendet, ut fatetur Calvinista, planior est Ratramni hoc in libro doctrina & fides. Atqui certis ac necessariis, ut puto, argumentis demonstravi, manifestationem à Ratramno in propria notione sumi, id est pro nuda rei exhibitione, ac proinde constat eum agere, non contra realis præsentiæ assertores, sed contra eos, qui omnem figuram à Sacramento removebant. CII

Id etiam perspicuum est ex iis rebus, in quibus auctor cum adversariis consentit. Nemo Calvinistarum negaverit, Ratramni Adversarios realitatem admisisse. At Ratramnus hac in re non modò non contradicit, sed etiam declarat eos *fideliter* hoc credere: exprobrat verò quòd excludendo figuram à Sacramento, fidem suam evertant. En ipsius verba: *Cernit sublimitas vestra, Princeps gloriose, quò taliter sentientium intellectus evadat. Negant quod affirmare creduntur; & quod credunt, destruere comprobantur. Corpus etenim Sanguinemque Christi fideliter confitentur* &c. Qua ratione *fideliter confitentur*? nimirum in sententia ipsius Ratramni, aliàs non diceret eos id fideliter credere. Atqui jam dicebamus eos realitatem admisisse. Ratramnus ergo etiam admisit. Id ampliùs declarat in posteriori parte his verbis: *Corpus Christi quidem Sanguinemque fideliter credis: sed si perspiceres, quia quod credis, nondum vides*. In tantum ergo Corpus Cristi *fideliter* credere Ratramno censebantur adversarii, si perspicerent, hoc est crederent & intelligerent, quia quod in Eucharistia credebant, necdum videbant. Itaque sentiebat Ratramnus eos rectè sentire credendo realem præsentiam; sed errare in eo quòd putarent, illud ipsum quod videbant, esse veram Corporis Christi formam. CIII Consensus cum Adversariis.

At enim inquis, utrique Corpus Christi credebant, Ratramnus scilicet & ipsius Adversarii: sed suò quisque modo. Verùm ut quis aliquod mysterium *fideliter credere & confiteri* dicatur, non sufficit, ut id quovis modo credat; sed ut eo modo, quo credendum est, aut certè eo modo quo credi oportere putat is, qui loquitur. Corpus Christi in Eucharistia credunt Catholici, credunt & Calvinistæ; suo utrique modo. Et tamen quis Calvinistarum dixerit umquam, Catholicos id *fideliter*, id est rectè credere? Porrò si Ratramnus Calvinistarum errore tenebatur, longè aberat ab eorum persuasione quos impugnat, quos realis præsentiæ cultores fuisse concedunt Calvinistæ: longè itidem ab ea confessione, ut adversarios suos de Eucharistia rectè sentire fateretur. Fatetur tamen: ac proinde in realis præsentiæ fide cum illis conveniebat. CIV

Et quidem eam fuisse Ratramni fidem probant variæ locutiones orthodoxæ, quibus uti consuevit. Quis enim catholicè sensisse neget eum qui dicit, in Eucharistia *exteriùs* panem & vinum *in specie prætendi*; *interiùs* carnem Christi & Sanguinem *contineri*; *panem & vinum in Christi Corporis carnem & proprii cruoris undam omnipotenti virtute spiritaliter converti, transponi*; CV Locutiones Orthodoxæ.

 tum

tum *verè per Mysterium in Corporis & Sanguinis converti substantiam ; Christi Corpus effici, non quidem visibiliter, sed invisibiliter, operante invisibiliter Spiritu sancto, figuram esse secundùm speciem visibilem, at secundùm invisibilem substantiam Corpus & Sanguinem Christi verè existere*; denique panem & vinum post consecrationem *non hoc jam esse quod priùs fuêre*. Quis, inquam, hæc legens non consentiat, eum qui sic loquitur, rectè de præsentia reali & de transsubstantiatione sentire? Atqui hæc apud Ratramnum in prædicto libro leguntur.

CVI In prima enim parte ita scribit. *Exteriùs quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur : ast interiùs longè aliud multóque pretiosius multóque excellentius intimatur, quia cæleste, quia divinum, id est Christi Corpus, ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel adspicitur, vel accipitur vel comeditur. Vinum quoque, quod sacerdotali consecratione Christi Sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in superficie, quàm substantia vini conspicitur? At interius si consideres, jam non liquor vini, sed liquor Sanguinis Christi credentium mentibus & sapiù dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur.*

CVII Item : *Panis qui offertur, ex frugibus terræ cùm sit assumtus, in Christi Corpus, dum sanctificatur, transponitur : sicut & vinum, cùm ex vite defluxerit, divini tamen significatione mysterii efficitur Sanguis, non quidem visibiliter; sed sicut ait præsens doctor (Ambrosius,) operante invisibiliter Spiritu Sancto. Unde & Sanguis & Corpus Christi dicuntur : quia non quod exteriùs videntur, sed quod interiùs divino Spiritu operante facta sunt, accipiuntur : & quia longè aliud per potentiam invisibilem exsistant, quàm visibiliter appareant.*

CVIII Ad hæc : *Tunc verè intelligetis ; non, sicut infideles arbitrantur, carnem meam à credentibus comedendam; sed verè per mysterium panem & vinum in Corporis & Sanguinis conversa substantiam, à credentibus sumendam*. Præterea; *Ex his omnibus* inquit, *quæ sunt hactenus dicta, monstratum est, quòd Corpus & Sanguis Christi, quæ fidelium ore, in Ecclesia percipiuntur, figura sunt secundùm speciem visibilem : at verò secundùm invisibilem substantiam Corpus & Sanguis verè Christi exstant*. Denique, ut alia id genus omittam, sic de adversariis loquitur : *Corpus etenim Sanguinemque Christi fideliter confitentur : & cùm hoc faciunt, non hoc jam esse quod priùs fuêre, procul dubio protestantur &c.* Hæ sanè locutiones omnino sapiunt catholicam fidem: satisque demonstrant auctorem non aliter sensisse, quàm Catholicos omnes, qui sic eo tempore mentem suam de Eucharistia exprimere solebant.

CIX Ratramni argumẽta & probationes. Age nunc videamus quò ferant auctoris argumenta. Ea triplicis sunt generis. Alia enim à ratione; alia à comparatione cum aliis Sacramentis & figuris; alia ab auctoritate Patrum desumuntur.

CX Argumenta duo sunt à ratione petita. Primum : *si nulla sub figura mysterium illud peragitur, jam mysterium non ritè vocitatur*. Quid ita? *Quoniam mysterium dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo velamine contectum*. Hæc verba manifestè declarant, Ratramni intentum & argumentum non procedere nisi contra eos, qui nihil abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil velamine contectum; sed totum manifestum & propalatum in Eucharistia esse contendebant, ut jam dixi.

CXI Alterum argumentum profertur hoc ferè modo : Secundùm id Corpus Christi dici non potest, secundùm quod in pane & vino *nulla permutatio fa-*

sta cognoscitur. Atqui secundùm externam panis & vini speciem nulla percipitur facta permutatio : *Nihil enim hic vel tactu vel colore, vel sapore permutatum esse deprehenditur. Si ergo nihil est hic permutatum, non aliud, quàm antè fuit. Est autem aliud : quoniam panis Corpus, & vinum Sanguis facta sunt*. Ergo permutatio *facta non est secundùm speciem formamque rerum visibilium*, id est secundùm speciem externam. Hic duas permutationes distinguit Ratramnus, unam visibilem, aliam invisibilem; utramque veram atque realem, quippe qua *aliud fit quàm ante fuit*. Priorem negat in Eucharistia, posteriorem admittit : quæ non est aliud quàm permutatio substantiæ panis & vini, remanente specie externa. Nam in pane & vino præter formam visibilem nihil, in quo permutatio vera facta sit, nisi substantia cogitari potest. Ad perspiciendam vim hujus argumenti observandum est, triplicem à Ratramno distingui mutationem nempe generationem, corruptionem, & transmutationem. Duas priores in Eucharistia negat. Tertiam verò, nempe transmutationem, dividit in duas: unam accidentium, prout fit *in rebus qualitatis varietatem patientibus, verbi gratiâ, quando quod nigrum fuerat, in album transmutatur* : aliam ipsius rei, adeóque substantiæ. Primam in Eucharistia non admittit, sed secundam, quæ est ipsamet panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi transmutatio substantialis.

Nec aliò spectant auctoris argumenta ex comparatione petita, quæ tria sunt. Unum est : Sicut aqua baptismatis *superficie tenus elementum est, interiùs virtus vitalis est : ita Christi Corpus & Sanguis superficie tenus considerata, creatura est mutabilitati corruptelæque subjecta : si mysterii verò perpendis virtutem, vita est participantibus se tribuens immortalitatem*. In hoc sita est comparatio, quòd sicut virtus in aqua baptismali residens, quam multi Theologorum veram ac realem esse dicunt, sensibus non percipitur, ita nec Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia. Eadem ratio est de sequenti comparatione sumta ex nube, in qua dicit Apostolus Patres antiquos fuisse baptizatos, quem baptismum verum fuisse auctor existimasse videtur.

Tertia comparatio, mannæ scilicet cum Eucharistia, plus difficultatis habet. Sic enim eam instituit Auctor, ut sicut Christiani in Eucharistia, ita quondam antiqui Patres in manna Corpus & Sanguinem Christi perceperint. Atqui, inquient Adversarii, Patres antiqui figuram dumtaxat & virtutem Corporis Christi perceperunt in manna. Ergo etiam hoc solum Christiani in Eucharistia percipiunt. CXII

Verùm si hoc argumentum aliquo modo pugnat contra Ecclesiæ catholicæ fidem, ad sensum rectum ex aliis auctoris argumentis, & ex destinato ipsius scopo reducendum est. Deinde id æquè pugnat contra Calvinistas, qui negant parem fuisse virtutem in veteris testamenti figuris, atque in Eucharistia : cùm in illis nonnisi vacuam significationem; in hac virtutis abundantiam agnoscant. Ad hæc forsan alludit Ratramnus ad illud Tertulliani in lib. de Carne Christi cap. 6. ubi ait, Filium Dei in veteri Testamento jam tunc alloqui, & liberare & judicare humanum genus edidicisse *in carnis habitu, non nata adhuc, quia nondum moritura*. Denique in eo comparatio instituta est, quòd Corpus Christi utrobique, id est in manna & in Eucharistia, sit *spiritaliter*, sed non eodem modo. Nam in manna erat *spiritaliter* secundùm nudam figuram : in Eucharistia itidem *spiritaliter*, sed per ipsam substantiam, quæ spirituali, id est invisibili modo ibi exsistit. CXIII

Postremò argumenta, quæ ex Patribus, scilicet Augustino & Ambrosio, depromit Auctor, id unum probant, mysteria Corporis Christi *sub figura* celebra- CXIV

lebrari : & aliud esse Sacramentum, aliud rem Sacramenti : quod ultrò fatemur Catholici omnes.

CXV Conclusio prioris partis. Jam tandem prioris hujus partis conclusionem consideremus. *Ex his omnibus*, ait, *quæ sunt hactenus dicta, monstratum est, quòd Corpus & Sanguis Christi, quæ Fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figura sunt secundùm speciem visibilem : at verò secundùm invisibilem substantiam, id est divini potentiam verbi, Corpus & Sanguis verè Christi exsistunt*. Conclusio hæc omnino Catholica est, ut ex superioribus satis intelligitur. Ex quibus omnibus infero, Ratramni sententiam in hac priori parte à Fide catholica nequaquam recedere, sive statum quæstionis, sive loquendi modos, sive consensum cum adversariis, sive argumenta & conclusiones spectes.

CXVI Tralator arguitur. In præmissa conclusione duo animadvertenda sunt, nempe mentem fuisse auctoris, Christi Corpus & Sanguinem in Eucharistia *Fidelium ore percipi*, & *secundùm invisibilem substantiam* in ea exsistere. Ex primo convincitur mala fides aut temeritas Calvinistæ interpretis, qui Gallicè vertit Auctoris hunc locum ad verba S. Augustini : *Cernimus quod Doctor iste mysteria Corporis & Sanguinis Christi sub figura dicit à Fidelibus celebrari, nam carnem illius sanguinemque ejus sumere carnaliter, non religionis dicit esse, sed facinoris*. Hunc, inquam, locum ita Gallicè reddidit malè fidus interpres:
pag.24.& 25 *Chacun voit, que ce Docteur veut que ce soit figurément, que les mysteres du Corps & du Sang de Jesus-Christ sont celebrez par les fidelles. Car il dit que prendre sa Chair & son Sang de la bouche du Corps, c'est un crime, & non pas un acte de religion*. Uno in versu duo sunt facinora. Primum quòd *sub figura* vertit *figurement*, uti etiam pag. 2. Non enim ait Auctor hæc mysteria *in figura* celebrari, sed *sub figura*, quæ Corpus Christi velet, non excludat. Alterum, quòd hæc verba, *carnem illius sanguinemque ejus sumere carnaliter*, ita reddidit, *prendre sa Chair & son Sang de la bouche du Corps*, quasi Auctor sentiat facinus esse credere, Corpus Christi *ore corporis sumi*, cùm è contrario in præmissa conclusione disertè profiteatur, Corpus & Sanguinem Christi Domini in Eucharistia *fidelium ore percipi*; & initio libri sui *ore fidelium sumi*, quod longè abest ab errore Calvinistarum, qui cùm veram Christi Corporis in Eucharistia præsentiam negent, negant etiam illud *fidelium ore sumi*, sed tantùm *fide ac mente* percipi affirmant. Non dubito quin ea in versione alia plura peccata sint, quæ aliis examinanda relinquo.

XVII In eadem conclusione alterum observandum est, Christi Corpus in Eucharistia exsistere secundùm invisibilem substantiam, id est divini potentiam Verbi. Quid *substantiæ*, quid *potentiæ* nomine hoc loco intelligat auctor, explicandum. Substantiæ vocabulum aliquando sumit pro rei forma & specie sensibili, ut, *Quid enim aliud*, inquit, *in superficie, quàm substantia vini conspicitur ? Gusta, vinum sapit : odora, vinum redolet : inspice, vini color intuetur. At interius si consideres jam non liquor vini* &c. Et in parte secunda relato S. Ambrosii testimonio : *secundùm creaturarum substantiam quod fuerunt ante consecrationem* panis & vinum, *hoc & posteà consistunt*. Ubi Auctor substantiæ nomen sumit pro specie externa & corporea (ut ita dicam) substantiæ. Unde & alibi dicit : *Corporaliter nihil in eis cernitur esse permutatum*. Aliquando verò idem vocabulum usurpat tam pro re ipsa visibili substantiæ, quàm pro ipsa invisibili & occulta. Ut cùm initio libri ait *fidem esse non earum quæ videntur, sed quæ non videntur substantiarum*, id est rerum. Aliquando denique pro sola rei substantia invisibili. Sic in me-

medio primæ partis, de Christo agens : *Sicut ergo*, inquit, *paullò antequàm pateretur, panis substantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus, quod passurum erat &c.* Et infrà ad locum Augustini ait, *verè per mysterium panem & vinum in Corporis & Sanguinis Christi conversa substantiam à credentibus sumi*. Quibus in locis substantiæ nomine, cùm non significet externam panis & vini formam, quam Christi esse negat, dicendum est designari utriusque rei substantiam, quæ illa forma & specie obvelatur.

Denique *potentiæ* nomine ipsam invisibilem rei substantiam itidem intelligit in superiori conclusione, atque etiam in his primæ partis verbis : *Secundùm namque quod utrumque corporaliter contingitur, species sunt creaturæ corporeæ*, scilicet panis & vinum : *secundùm potentiam verò, quod spiritaliter factæ sunt, mysteria sunt Corporis & Sanguinis Christi*. Hic *potentiæ* nomine significat ipsam rei naturam & substantiam, eum ad modum quo vox δύναμις apud Græcos non rarò usurpatur, & virtutis nomen apud Latinos, sicuti apud Lanfrancum in Dialogo contra Berengarium : aut certè intelligit potentiam Verbi residentem & præsentem cum natura humana, id est ipsam Christi substantiam & essentiam, ipsam vitam, *quæ non oculis apparet corporeis, sed fidei contuetur adspectu*, denique ipsum *Corpus Christi, non corporale, sed spiritale*, ut passim in secunda parte loquitur, id est non visibile, sed invisibile. Sic enim interpretanda esse hæc verba, docet Auctor in aliis : *Quòd si spiritale, jam non visibile, neque palpabile*. Et infrà : *Quomodò ergo divini spiritûs corpus esse dicitur? secundùm hoc utique quòd spiritale est, secundùm quod invisibile consistit & inpalpabile, ac per hoc incorruptibile*, hæc de priori parte hujus libri. CXVIII

I I I.

IN posteriori parte id unum molitur Auctor ut probet, & ratione, & auctoritate, Corpus Christi in Eucharistia non idem esse, quod natum est ex Maria Virgine, quod passum, mortuum ac sepultum est, quia in Corpore Christi naturali naturæ veritas erat manifesta : in Eucharistia sub mysterio velata, hìc corpus invisibile & spiritale : illic visibile & palpabile. Illud *ossibus & nervis compactum, & humanorum membrorum lineamentis distinctum* : hoc *nullis nervis ossibusque compactum, nulla membrorum varietate distinctum, nulla rationali substantia vegetatum, nullos proprios petens motus exercere*. Quæ omnia de Christi Corpore Eucharistico tradunt catholici Doctores. Etsi enim corpus istud cum tota membrorum integritate in Eucharistia contineatur, insitque anima corpori cum divinitate; tamen neque membra in statu naturali consistunt, neque anima vitales actus exercet. *Quidquid enim*, ut subdit Ratramnus, *in ea carne vitæ præbet substantiam*, seu alimentum; *spiritalis est potentia & invisibilis efficientia divinaque virtutis*, non animæ vegetantis per actus vitales. CXIX Posterior pars libri examinatur.

Unum hìc opponi potest, scilicet, Auctorem eodem modo comparare panem cum Christi Corpore vero & naturali; atque cum mystico, quæ est Ecclesia, hæc enim ipsius verba sunt. *Et sicut non corporaliter, sed spiritaliter panis ille credentium corpus dicitur : sic quoque Christi Corpus non corporaliter, sed spiritaliter necesse est intelligatur*. Idem etiam ait de vino, *qui Sanguis Christi dicitur*; & de aqua, *quæ populi gestat imaginem*. *Igitur si vinum illud sanctificatum per ministrorum officium in Christi Sanguinem corporaliter convertitur: aqua quoque, quæ pariter admista est, in Sanguinem populi credentis necesse est cor-* CXX

corporaliter convertatur. Ubi namque una sanctificatio est, una consequenter operatio: & ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium. At videmus in aqua secundùm corpus nihil esse conversum. Consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum. Accipitur spiritaliter, quidquid in aqua de populi corpore significatur. Accipiatur ergo necesse est spiritaliter, quidquid in vino de Christi Sanguine intimatur.

CXXI Hæc verba, fateor, duriuscula sunt, si crudè ac rigidè accipiantur. Sed si pugnant contra Catholicos, certè Calvinistis non favent magis. Nullus enim Calvinistarum dixerit, eodem prorsus modo mysticum Christi Corpus, id est Ecclesiam, in Eucharistia significari & exsistere, ac verum Christi Corpus. At videndum est, in quo sita sit comparatio. Huc totus incumbit Ratramnus, ut probet Corpus Christi Eucharisticum non esse omnino idem atque illud, quod natum est ex Maria Virgine, nempe quia illud nudum, & oculis subjectum erat in statu naturali: hoc verò non ita, sed modo spiritali in Sacramento exsistit sub specie panis & vini. Ex quo infert, hîc corpus esse non *corporaliter*, scilicet quantùm ad speciem corpoream; sed *spiritaliter*, secundùm exsistendi modum; adeóque conversionem esse non *corpoream*, sed *spiritalem*: qualis reperitur in pane & in aqua ratione Ecclesiæ seu populi credentis, cujus figuræ sunt. Ratramnus ergo utrumque, id est Corpus Christi verum ac mysticum, ait esse in Eucharistia *spiritaliter*, sed non in eodem gradu. Corpus quippe Christi mysticum est in Sacramento per symbolorum significationem: Corpus Christi verum etiam per ipsam substantiam, sed spiritali modo exsistentem. Siquidem ex ipso Ratramno in priori libri parte, panis & vinum *verè in mysterio in Corporis & Sanguinis convertuntur substantiam*. Unde sic loquitur in posteriori: *Exterius igitur, quod apparet, non est ipsa res, sed imago rei: mente verò quod sentitur & intelligitur, veritas rei*, quod nusquam de Ecclesia dicit.

CXXII At inquis, Corpus Christi & Sanguinem, quod Ecclesia celebrat dicit esse *tamquam pignus & imaginem*. Respondet Johannes Damascenus in lib. 4. de Fide cap. 8. figuras rerum futurarum idcircò illa dici, *non quòd non verè Corpus ac Sanguis Christi sint, sed quòd nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur: tunc autem intellectuali modo, ac per solum adspectum*. Hæc dicta sint de illa comparatione, in qua si Ratramnus tantisper justæ comparationis modum excessit, eam ad rectum sensum & ad rectam rationem explicari par est: uti explicari debent verba Jacobi à Vitriaco in Historiæ Occidentalis cap. 38. ubi ait, *formas panis & vini utrumque Christi Corpus, verum scilicet & mysticum designare*. Neque enim auctoris cujusquam sententia expendenda est ex uno aliquo argumento, multò minùs ex comparatione, quæ sæpiùs iniqua est: sed ex ipsius disputationis scopo, principiis, argumentis, & conclusione, quæ omnia in Ratramni libro collimant ad catholicam Fidem, id est ad doctrinam veræ ac realis præsentiæ & transsubstantiationis.

CXXIII Hoc ipsi adverterunt & confessi sunt Centuriatores Magdeburgenses, in cent. 9. cap. de doctrina his verbis: *Transsubstantiationis habet semina Bertramus, utitur enim vocabulis commutationis & conversionis*. Sic illi ingenuè. Quò magis mirari subit, Calvinistas realis præsentiæ & conversionis hostes, tam iniquè nunc sibi vindicare Ratramnum.

CXXIV Dicent forsan, Ratramnum sibi concedi à nonnullis Ecclesiæ catholicæ Doctoribus, qui Bertrami librum ut catholicæ Fidei oppositum habent. Verùm alii ex adverso, non minùs religiosi & catholici, repugnant: utrique verò consentiunt, non pauciora in eo argumenta pro reali præsentia & con-

ver-

versione reperiri, quàm pro dogmate Calvinistarum. Quapropter non debebat ab iis afferri pro defensione sui erroris, tanquam palmarius auctor, ex quo totius controversiæ causa decernenda sit ac dirimenda : at summùm ut medius ac dubius, qui Catholicam sententiam verbis identidem subobscuris implicârit.

Ad nostros, id est Catholicos, quod attinet, liberaliores quidam fuêre in hæreticos, eis permittendo Auctorem, quem majores nostri catholicum semper habuêre. Dura sint aliqua & ad explicandum difficilia in Ratramno. Sed tota controversiæ moles & vis in catholicam veritatem incumbit. Porrò non *ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam persona defuncta est, ex communione religiosiùs æstimatur*, ut rectè docet Facundus Hermianensis in lib. 10. cap. 5. Quippe, ut idem in lib. 9. cap. 15. habet, *solitum est prudentiæ ac pietatis catholicæ ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare*: non verò, *quemadmodùm calumniantium hæreticorum mos est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari*. CXXV.

Hanc Regulam secuti sunt Doctores Duacenses, in Indice librorum expurgatorio ita scribentes de Ratramni libro, de quo agimus. *Nihil reprehensibile in eo est præter obscuritatem elocutionis hominis, & vocum quarumdam sententiarumve ineptam vel usurpationem, vel interpretationem : quæ si scholio marginali, aut præfixo, aut subjuncto exponerentur; & sensus & scopus Auctoris judicarentur. Denique quædam videntur ab hæreticis assuta sub libri finem. Ex scripturis & Patrum monumentis probat in Eucharistia figuratum quiddam agnoscendum, distinctum à Christo. Docet catholicam transsubstantiationem. Quapropter quæcumque alia de differente corpore, figura, imagine, potentia, virtute loquitur, non sunt calvinisticè accipienda de energia & vi Eucharistiæ : sed de eo, quod per omnipotentiam Dei effectum sit intrinsecùs; deque Deo ipso omnipotente, ut se se declarat in fine prioris quæstionis. Porrò duo illa difficillima, partim quòd videtur sensisse, non magìs Christi Corpus in Eucharistia esse quàm populi, & quod in mysterio geritur in Ecclesia, non posse Deum dici; de externa specie sunt item accipienda, cùm toties verum Christum post consecrationem asseveret, & transubstantiationem doceat : vel sunt ab Hæreticis inserta atque assuta.* Hæc genuina Doctorum Duacensium censura, quam vellem ut sequerentur alii Catholici Doctores : ut certè secuti sunt hoc sæculo Scriptores non pauci, ex quibus est Miræus in notis ad Sigeberti librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Mauguinus in Apologia Gothescalci. Scio Bertrami librum in Indice jussu Clementis octavi edito repudiatum, & in secundam classem relatum. At cùm hæc classis contineat libros, *qui propter doctrinam quam continent non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantùm fidelibus afferre potest, rejiciuntur, etiamsi auctores à quibus prodiêre, ab Ecclesia numquam descierint*; nihil indè in Ratramni fidem inferri potest, nisi quòd ob duriores quasdam & obscuriores sententias, suspectam doctrinam visus est continere. CXXVI Duacensium judicium de Ratramni libro.

Ceterùm ut ad id unde digressus sum, me referam, quod in hac posteriori parte contendit Ratramnus, Corpus Christi Eucharisticum non esse idem quod ex Maria Virgine natum est; nequaquam officit catholicæ veritati : cùm hæc quæstio maximè sita sit in modo loquendi, non in re ipsa, ut superiùs demonstravi. Neque enim Ratramnus eam alio modo intellexisse videtur, quàm Herigerus & alii realis præsentiæ & conversionis defensores; siquidem utrorumque eadem ferè sunt argumenta, & Herigerus ipse numquam alio modo Ratramnum intellexit. Certè Ratramnus ipse qui in poste- CXXVII

riori parte negat, Corpus Eucharisticum esse idem quod passum est, id non obscurè admittit in priori parte circa medium his verbis: *Sicut ergo paullò antè quàm pateretur, panis substantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus, quod passurum erat, & in suum sanguinem, qui post fundendus exstabat, sic etiam &c.* Cùm ergo hunc loquendi modum aliquando admittat Ratramnus, aliquando rejiciat; manifestum est eam controversiam in modo loquendi hæsisse. Neque verò mirum videri debet, veteres illos ante invectas damnatasque in Eucharistiam hæreses, cùm primùm philosophari hac de re Theologi cœperunt; non ita accuratè aliquando fuisse locutos de quæstionibus accidentariis, tametsi in veri corporis, veræ præsentiæ & conversionis confessione omnes convenirent. *Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina*, inquit Augustinus in lib. 7. Confessionum cap. 19. Optandum quidem fuisset, ut de modo quo Christi Corpus est in Eucharistia, non fuissent agitatæ quæstiones, cùm *modus ejusmodi* sit, ut loquitur Johannes Damascenus, *ut nulla ratione indagari queat*. Sed quando huc se semel intrusit humana Philosophia, simul exortæ sunt lites infinitæ, quibus reprimendis utilius fuisset vacasse Theologos, quàm iis dirimendis & explicandis. Ceterùm nemini incredibile videbitur, quòd tantopere disceptârit Ratramnus cum aliis de hoc modo loquendi, si animo recogitet, eum hæreseos insimulasse Monachum quemdam, qui animam in universis hominibus eamdem esse asserebat, ut inferiùs videbimus, quod modò sub distinctione Philosophi docent.

I V.

CXXVIII Ratramni liber quo tempore scriptus. SUperest investigandum, quo anno librum suum scripserit Ratramnus: quod difficile est accuratè definire. Crediderim id factum eodem tempore, quo Johannes Scottus suum edidit. Quippe verisimile est, Carolum Calvum, cùm de Eucharistiæ Sacramento exortæ essent disputationes, istud argumentum eodem tempore ambobus illis auctoribus tractandum proposuisse. Atqui Johannes suum vulgaverat ante annum DCCC. LIX., ut patebit ex iis quæ mox dicturus sum.

CXXIX Antequàm Ratramnum dimittamus, paucis agendum est de inscriptione vulgata & de integritate editionum libri ejus, quæ hactenus factæ sunt. In editis libris habetur hic titulus: *Præfatio ad Carolum Magnum Imperatorem*. Ratramnus non videtur hujus inscriptionis auctor, tum quia Carolus, quando hic liber scriptus est, nondum erat Imperator: tum quia in pervetusto codice Laubiensi alia legitur in hunc modum: *Incipit liber Ratramni de Corpore & Sanguine Domini*. Deinde incipit contextus: *Jussistis Gloriose Princeps* &c. Quidam priorem titulum rejiciunt ob eam rationem, quòd Carolus Calvus appellatur *Magnus*. At alia exempla non desunt, in quibus hoc elogium huic Regi tribuitur, uti alibi demonstro.

CXXX Ad integritatem editionum hujus libri quod attinet, exemplum Codicis Laubiensis contuli cum vulgatis, in quibus sana est lectio præterquàm in aliquot locis mendosis, quæ ope exemplaris Laubiensis optimæ notæ restitui. Attamen sub libri finem habetur unius voculæ discrimen, quod alicujus momenti esse videtur; Nam ubi in editis legitur, *Addamus etiam quòd iste panis & calix, qui Corpus & Sanguis Christi nominatur*, in codice Laubiensi, qui integerrimus est, additur *& existit*. Neque tamen id mala fide omissum dicere velim.

velim à primis editoribus hæreticis: cùm ferè in aliis, ut dixi, non appareat mala fides. Alias emendationes hîc omitto.

§. VIII.

De Johanne Scotto, ejusque libro de Corpore & Sanguine Domini.

Ratramno Johannem Scottum seu Erigenam proximè jungit causa & tempus. Hunc scripsisse librum de Corpore & Sanguine Domini superiùs ostensum est. Scripsisse verò *precario* seu rogatu *Caroli Magni*, id est Caroli Calvi, tradit Berengarius in epistola ad Richardum Abbatem. Nunc de ejus fide & doctrina, de adversariis, de tempore scripti libri, & de aliis ejus opusculis agendum est. CXXXI

Qualem doctrinam Johannes in libro de Eucharistia tradiderit, non ex propria operis lectione, quod excidit, sed ex aliorum testimoniis colligere licet. Plures in Johannem & Prudentium accusationes refert Hincmarus in lib. de Prædestinatione cap. 31. quibus commemoratis hæc subdit: *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes, unde sibi inanes comparent rumusculos, contra Fidei Catholicæ veritatem dicunt: videlicet quòd trina sit Deitas: quòd Sacramenta altaris non verum Corpus & verus Sanguis sint Domini, sed tantùm memoria veri Corporis & Sanguinis ejus: quòd Angeli sint corporales: quòd anima hominis non sit in corpore: quòd non aliæ pœnæ sint infernales, nisi tormentalis memoria conscientiæ peccatorum.* Si unum aut alterum excipias, alii ferè errores habentur in Johannis libris de Prædestinatione, & de naturis: nec dubito quin eidem etiam Hincmarus tribuat errorem prædictum de Sanctissimo Sacramento, neque enim ulla causa est, cur in Prudentium, Tricassinum Episcopum, rejiciatur: cùm nihil ejus hac de re scriptum habeamus præter id quod legitur in sermone de sancta Maura, ex quo eum rectè de Eucharistia sensisse non obscurè colligitur. Is cùm à Maura indumentum lineum, quo *inter sacra Missarum sollemnia* indueretur, accepisset; *Dominici Corporis Sacramentum*, inquit, *cum raro devotionis butyro tractabam, quando vestem contulit memoratam; sinè lactucis agrestibus agnum edebam, sinè pane lacrymarum ad panem accedebam Angelorum --- Non abscondam ampliùs, Domine, misericordiam tuam à consilio multo: narrabo altissima quæ fecisti magnalia per famulam tuam Mauram. Nam receptum indumentum statim illius antiquæ virgæ virtutem habuit, & aquam copiosam de me duriore quàm petra produxit: quantæque posteà efficaciæ fuerit, quotiens eo plures nostrûm inter sacra Missarum sollemnia sunt induti; quod tam notum est & expertum, commemorare & displicet pro titillatione inanis gloriæ more fragilitatis humanæ, & placet pro Deo & Dei laude.* Tanta lacrymarum & devotionis ubertas non facilè caderet (ut puto) in eum, qui nihil nisi panem in Missa tractari crederet. Ergo veri simillimum est (ut dixi) hunc errorem ab Hincmaro Johanni adscribi. Huc spectare videntur etiam Annales Bertiniani ad annum DCCC.LV. quo anno *multa catholicæ Fidei contraria in regno Karli, ipso quoque non nescio (* nam Johannes ab eo provocatus scripserat *) concitata* dicuntur. Accedit quòd Johannis liber de Eucharistia flammis addictus est à Patribus Synodi Vercellensis, scilicet ob errores, quos CXXXII Johannis doctrina de Eucharistia.

Berengarius indè hauserat, & eo auctore propugnabat. Ascelinus in epistola ad Berengarium tradit, Johannem ipsum *toto nisu, totaque intentione eò tendere, ut persuadeat, hoc quod in altari consecratur, neque verè Corpus, neque verè Christi Sanguinem esse*. Ascelinus in eadem epistola (ut id obiter dicam) VVillelmum quemdam à Berengarii censura vindicat circa necessitatem communionis Paschalis: quem VVillelmum esse puto illum, cui Anastasius Monachus litteras suas inscribit in notis Acherii nostri ad Vitam Lanfranci. Nam in codice ms. qui nunc est venerabilis viri Claudii Jolii Cantoris Ecclesiæ Parisiensis, ubi in editis legitur in titulo, *Domino Giraldo Abbati*, in Joliano exemplari scriptum est, *Domino VV.* & in contextu, *Pater VVillelme*, non *Gerarde*, ut in vulgatis. Quis verò fuerit Anastasius istius epistolæ auctor, quisve VVillelmus Abbas, an Cormeliensis, de quo in vita & epistolis Lanfranci, aliàs expendemus.

CXXXIII Johannes Scottus suum de Eucharistia errorem non tulit impunè: Id ipsum siquidem nonnulli Catholicorum, præter Hincmarum & Radbertum, scriptis editis reprehenderunt. Hos inter invenio Adrevaldum Floriacensem Monachum, qui veterum Patrum sententias collegit *de Corpore & Sanguine Christi contra ineptias Johannis Scotti*, hic enim est titulus ipsius libri. Nec quemquam moveat, quòd gravissimum errorem Adrevaldus *ineptias* molliori vocabulo appellet. Eadem enim voce usa est Ecclesia Lugdunensis in libro edito *adversùs ineptias & errores* ejusdem Johannis de Prædestinatione: & quam Stercoranistarum *blasphemiam* Herigerus, posteà *ineptiam* vocat cap. 6. Berengarius item Paschasii *ineptiam* eodem sensu suggillat in epistola ad Richardum Abbatem. Guitmundus verò ipsius Berengarii errores *nugas* dicit initio libri primi. Quid in Eucharistiam peccaverit Johannes, ex Adrevaldi collectaneo libello non satis intelligitur: tum quia iste libellus, quem in Spicilegii tomo 12. habes, integer esse non videtur: tum quia meras ferè Patrum sententias refert nulla addita expositione. Sed tamen ex illis sententiis innotescit eò spectare hominem, ut probet Christi Corpus & Sanguinem in Eucharistia verè contineri. Hunc Johannis errorem forsan arguit Nicolaus Papa I., qui cùm rescivisset Dionysii libros ab eo in Latinum eloquium translatos, eos ad se mitti rogat epistolâ scriptâ ad Carolum Calvum, ut scilicet versio illa examinaretur, *præsertim cùm Johannes*, inquit Pontifex, *licèt multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur*.

CXXXIV *Tempus conditi libri.* Tempus libri ab Johanne scripti colligimus ex prælaudato Hincmari testimonio in libro de Prædestinatione: qui liber Carolo Regi directus est anno DCCC. LIX., ut disertè habet Hincmarus; adeóque verisimile est, Johannis librum paullò ante istud tempus conditum fuisse.

CXXXV *Alia ejus opera.* Præter hunc librum Johannes duos edidit de Prædestinatione; quinque περὶ φυσέων seu de naturis; item alium de visione Dei, præter versionem librorum Dionysii de Græco in Latinum; itidemque Scholiorum S. Maximi in quædam loca Gregorii Nysseni. Duo libri de Prædestinatione typis vulgati sunt: reliqui adhuc in Bibliothecis latent. Et quidem libros de naturis continent duo codices Monasterii Corbeïensis, Auctoris ætate scripti, absque Auctoris nomine: qui libri in Provinciali Synodo ab Archiepiscopo Senonensi ejusque Suffraganeis sub initium Sæculi XIII. damnati sunt, confirmante Honorio Papa tertio anno MCC.XXV., ut ex Alberici Chronico ms. observavit eruditus vir Parisius in responsionis suæ de Johannis Scotti libro capite ultimo. Librum de visione Dei ego deprehendi in ms. codi-

codice Claromariscensi prope Audomaropolim, cum hoc titulo & initio: *Tractatus Johannis Scotti de visione Dei. Omnes sensus corporei ex conjunctione nascuntur anima & corporis* &c. In eo tractatu Auctor idem argumentum tractat (si bene recolo) quod Lupus Abbas Ferrariensis in epistola 30. ad Gothescalcum Monachum Orbacensem. Scholia in Maximum ex codice Cluniacensi accepi à Reverendissimo Patre Petro Simone Superiore Generali Congregationis Cluniacensis.

Nunc locus postulat ut inquiramus, an Johannes Scottus idem sit atque Johannes Abbas Æthelingiæ, & qui Martyr colebatur in Cœnobio Malmesburiensi apud Anglos. Hoc argumentum, quod copiosè & eruditè jam tractavit mox laudatus Parisius, doctissimus Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini Congregationis Gallicanæ; hoc in tomo persequimur, nempe in elogio Johannis Æthelingiæ Abbatis, quem à Johanne Scotto distinguimus tribus argumentis. Primum est, quòd hic (ut cognomen ipsum indicat,) *Scottigena* fuit, teste Hincmaro, id est *genere Scottus*, uti explicat Nicolaus Papa I. at Johannes Æthelingiæ Abbas Ealdsaxo ex Assero in Vita Ælfredi Regis, non *Eastsaxo*, ut quidam interpretantur. Ealdsaxones porrò *antiquos* Germaniæ *Saxones* esse probat idem Asserus præter alios: cùm *Eastsaxones* sint Anglo-Saxones Orientales. Alterum argumentum est, quòd Johannes Æthelingiæ Abbas, Presbyter ac Monachus exstitit, non Johannes Scottus. Tertium, quòd ille ab Ælfredo in Angliam accitus sit doctrinæ causâ, non Johannes Scottus, qui in Francia perseverâsse videtur. Hæc fusiùs differemus in Elogio Johannis Æthelingiensis Abbatis, ubi Johannem Scottum à Malmesburiensi illo vulgato Martyre secernendum esse demonstrabimus. Jam tandem ad Ratherium (quod ultimum caput est de rebus Eucharisticis) progrediamur. CXXXVI Johannes an Abbas Æthelingiæ, & Martyr.

§. IX.

De Ratherio Episcopo Veronensi.

RAtherium Veronensem Episcopum Calvinistæ suis partibus vindicare conantur, sed obtorto collo, ut solent. Quæ ad id probandum affert Auctor Eucharisticæ Historiæ, Calvinianus Minister, adeò infirma sunt, ut refutatione non indigeant. Revincendæ calumniæ sufficiet una Ratherii epistola Patricio Sacerdoti inscripta: cui interroganti, cur in quadam hebdomada Missam non celebrasset Ratherius; cúrve *in vigilia Circumcisionis* Domini, balneo corpus abluisset: respondet id se fecisse, quò purior ad sacra mysteria accederet. Dein occupata objectione subdit: *Sed fortè transitoriè accipis, aut etiam figuratè te dicere putas, dum accipienti loqueris? „ Corpus Domini nostri Jesu Christi propitietur tibi in vitam æternam „: Quod si ita est, cæcitas tui intellectûs magis est dolenda & instruenda, quàm miranda & irridenda: qui scilicet præsumtionis foveam declinare nesciens, frequentare quod ignoras cujus virtutis sit, minimè cessas. Sed credo frater, quia sicut in Cana Galilææ vinum Dei imperio verum & non figurativum fuit ex aqua factum: ita istud Dei benedictione vinum verus & non figurativus efficitur Sanguis, & caro panis. Quòd si sapor idem manet, & color ita se haberi dissuadet; propono tibi aliud.* Posteà facta comparatione hominis formati ex limo, addit; *Ita ergo & hic manente colore* CXXXVII

atque

atque sapore eadem sapientia operante veram carnem & Sanguinem, quod percipis esse credes. Integram epistolam vulgavit noster Acherius in tomo 12. quæ una sufficit ad asserendam Ratherii fidem; qui licèt ad sæculum decimum pertineat, hìc tamen vindicandus fuit ut in loco, uti etiam Herigerus Abbas Laubiensis, de quo superiùs actum est.

CXXXVIII Hæc sunt quæ de Eucharisticis controversiis sæculo nono exortis observasse mihi contigit, utinam non vacuo labore. In his omnibus tametsi cum summa religione versari conatus sum, vereor tamen, ne qua non satis ad veritatis regulam accurata mihi etiam nolenti exciderint: quæ quidem de indictis esse volo, & catholicæ Ecclesiæ censuræ lubens subjicio.

CAPUT II.

De Gothescalci fortuna & turbis ab eo excitatis.

CXXXIX *Gothescalcus Monachus Orbacensis.* NOn minùs procellosa fuit causa Gothescalci Monachi Orbacensis, quæ sæculo nostro magna animorum contentione recruduit. Fuit is, ut nomen ipsum indicat, origine Germanus aut Alamannus, altero nomine Fulgentius dictus, teste VValafrido Strabo in carmine laudatorio ad ipsum. Sunt qui puerum in Augiensi apud Alamannos Monasterio educatum tradunt, & indè jam adolescentem ad Orbacense translatum, qui locus est Provinciæ Remensis in diœcesi Suessionensi. Istic sub Bavone Abbate multam dedit operam legendis sanctorum Patrum libris, maximè Augustini, cujus sententias teste Hincmaro, totas dies memoriâ proferre solitus erat.

CXL *In Italia fecit lites.* Romam peregrinationis causâ profectus sub annum DCCC.XLVI., Sergio Pontifice; in reditu adiit Eberardum Comitem, unum è primis Lotharii Augusti Optimatibus in Italia, apud quem Eberardum aliquantisper hospitatus est. Ut erat multa lectione præditus, factum est, ut sive in publicis concionibus, seu in privatis colloquiis, quædam misceret de Prædestinatione, quam docebat geminam esse, scilicet Bonorum ad vitam, & Malorum ad interitum, id est ad damnationem, ad æternæ mortis supplicium, ad mortem sempiternam, ut ejus verbis explicat Hincmarus in libro de Prædestinatione cap. 5. *à Rabano correptus.* Id ubi rumore vulgante comperit Rabanus, jam Archiepiscopus Moguntinus, literas dedit ad Eberardum, in quibus hæc verba legimus. *De cetero quoque, quia divulgatum in istis partibus constat, quemdam sciolum, nomine Gothescalcum, apud vos manere, qui dogmatizat, quòd prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiam si quis velit salvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat; frustra & incassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam, quasi Deus Prædestinatione sua cogat hominem interire qui auctor est salutis nostræ, non perditionis. Et jam hinc multos in desperationem suimet hac secta perduxit, ita ut dicant: Quid mihi necesse est pro salute mea & vita æterna laborare? quia si bonum fecero, & prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest: si autem malum egero, nihil mihi obest; quia prædestinatio Dei me faciet ad vitam æternam pervenire.* Tum oppositis Augustini quibusdam testimoniis, in fine Comitem monet, prohibeat Gothescalcum ab hac secta, ne hac licentia in prædicando

do scandalum fiat infirmis. Litteræ datæ sunt X. *Kal. Maii* apud Ughellum, anno (ut puto) DCCC. XLVIII., cum nondum anno solido sedem suam Rabanus occupasset, qui eodem tempore alias etiam ejusdem argumenti dedit ad Notingum Veronensem electum. *Ital. Sacr. tom. 5. col. 696. & seqq.*

CXLI Moguntiæ ab eo damnatus.

His literis pulsatus Gothescalcus Eberardi ædibus excessit: tum peragratis Norico, Suevia, & aliis quibusdam Germaniæ partibus, (Noreïam, Pannoniam & Dalmatiam suggerunt Annales Bertiniani) Moguntiam tandem accessit. Id ubi comperit Rabanus, qui hominem ex fama noverat, statim Moguntiæ Synodum indixit, celebravitque anno DCCC. XLVIII. circiter Kalendas Octobris, Ludovico Rege præsente. Tum Rabano atque Synodo Gothescalcus *libellum sui erroris porrigens*, ut habet Hincmarus de Prædestinatione cap. 2., *damnatus eum literis Synodalibus ad Remorum Metropolim est remissus*. Id signantiùs explicat Hincmarus in cap. 5. ubi ait. Gothescalcum *librum suæ virosæ conscriptionis* Archiepiscopo Rabano porrexisse, ejusque librum reprehendisse, *in quo positum reperit, quòd impii sive reprobi non sint divinitus ad damnationem prædestinati:* itemque *chartulam suæ professionis* eidem Rabano obtulisse. Quas synodicas dicit literas Hincmarus in cap. 2. easdem ibidem, sed nomine tantùm Rabani post Synodum scriptas refert, quarum hæc summa est: „ nempe quemdam gyrovagum Monachum, nomine *Gothescalc*, qui se asserebat Sacerdotem in Remensi Parochia ordinatum, de Italia venisse Moguntiam; novas superstitiones, & noxiam doctrinam de Prædestinatione Dei introducere & populos in errorem mittere, dicentem, quòd prædestinatio Dei sicut in bono sit, ita & in malo. Qua de opinione hominem in Synodo Moguntina correptum, at incorrigibilem repertum, annuente atque jubente Ludovico Rege damnatum ad Hincmarum mitti, quatenus eum recluderet in Parochia sua, & non fineret eum ampliùs errorem docere, & seducere populum Christianum „. Literis acceptis Hincmarus Gothescalcum sisti jussit in Synodo apud Carisiacum habita anno DCCC. XLIX. in qua iterum accusatus, cùm à sententia sua revocari non posset, iterum damnatus est judicio (ut legitur) tredecim Episcoporum, duorum Chorepiscoporum, & Abbatum quorumdam, quos Hincmarus commemorat in lib. de Prædestinatione cap. 2., in quibus Paschasius Radbertus Abbas unus erat. Hinc est quòd hic in lib. 8. in Matthæum, Gothescalcum vellicat his verbis. *Quapropter scire certò debemus, quotiens aliquis perit, non ex Prædestinatione Dei, ut quidam malè sentiunt, neque ex voluntate Patris perit, sed proprio suo peccato justoque Dei judicio*. Quæ apud Sirmundum prædictæ Synodo subjiciuntur capitula quatuor, de unica Prædestinatione, de libero arbitrio, de voluntate Dei salvandi omnes homines, & de redemtione omnium hominum per Christum; in Carisiacensi altera Synodo edita sunt anno DCCC. LIII. & quidem post Suessionensem, ut constat ex Annalibus Bertinianis. *Carisiaci iterum damnatus.*

CXLII Altumvillare retruditur.

In priori Synodo Carisiacensi Sacerdotii gradus Gothescalco abrogatus, decreta in eum verberum pœna, statutumque, ut in Monasterium Altumvillarense sub Alduini Abbatis custodia retruderetur. Neque enim Hincmarus satis fidebat Rothado Suessionensi Episcopo, eam ut ipsi curam committeret. Reclusus in carcere Gothescalcus, non sic tamen principio artatus est, seu indulgentiâ Hincmari, seu commiseratione Alduini Abbatis, ut libris & calamo esset ipsi penitus interdictum. Edita est tum ab eo Confessio duplex, brevior una; altera prolixior. Hinc factum est, ut quidam sua sponte, alii Caroli Calvi aliorumque hortatu, de capitulis in posteriori Synodo Carisiacensi ab Hincmaro conditis scripserint. Ratramnus in primis Gothe- *Confessionẽ duplicem edit.*

scal-

scalcum duobus libris Carolo Regi oblatis defendendum suscepit: cui rogatu VVenilonis Senonum Archiepiscopi accessit Prudentius Tricassinus Episcopus, (tametsi priùs Hincmari partibus favisset) duobus libris (quos Recapitulationem & Correctionem vocat) editis adversùs Johannem Scottum, qui jussu Hincmari Remensis & Parduli Laudunensis Episcoporum quæstiones agitatas tractaverat, uti & Amalarius. Libellis ultrò citróque ventilatis Hincmarus epistolam scripsit ad Reclusos seu Monachos diœcesis suæ, ut eos à sententia Gothescalci avocaret.

Prudentius ei favet.

CXLIII His acceptis Rabanus jam senio & morbo confectus, epistolam direxit ad Hincmarum, in qua Prudentium arguit, quòd in epistola ad ipsum Hincmarum, & Pardulum scripta, geminam Prædestinationem tueretur, tametsi Deum peccati auctorem negaret, qua in re à Gothescalco recedere ipsum credit. Hinc est, quòd annales Bertiniani ad annum DCCC. LXI., quo Prudentii, alio nomine Galindonis dicti, obitum reponunt, eum sugillant, „ quòd cùm ante aliquot annos Gothescalco Prædestinatiano restitisset, pòst „ felle commotus contra quosdam Episcopos secum hæretico resistentes, non „ modica inter se diversa, & Fidei adversa scriptitarit „. Ex quo intelligas, quàm malè audierit geminæ prædestinationis vocabulum, cùm apud alios, tum maximè apud Rabanum: qui iteratis literis Hincmarum hortatur, ut Gothescalcum à scribendo compescat; mirari se, *quòd istum noxium virum*, hoc est Gothescalcum, qui nec Monachi votum, nec sacri Ordinis ritum, neque *prædicandi officium* legitimè observavit, scribere aliquid permisisset: denique se nolle esse auctorem, *ut Communio ei tribuatur*: ad hæc obstupescere, quòd homo erroneus petat examen ignis, paratus subire coram omnibus quatuor dolia aqua ferventi & oleo plena *ad probandam suam sectam*. In Gothescalcum Amolo Lugdunensis Pontifex scripsit, eodemque tempore Florus ejusdem Ecclesiæ Diaconus: qui tamen postea, auctore Pontifice Remigio Amolonis successore, humaniùs de Gothescalco sensisse fertur, cùm aliquid minùs sinistrum accepisset de ejus doctrina.

Rabano improbante.

& Communionem Gothescalco negante.

Libri ultrò citróque editi.

CXLIV Remigius siquidem jam dictus, mox ut sedem Lugdunensem iniit post Amolonem, adjuncto Ebbone Gratianopolitano edidit libellos duos, unum de tribus capitulis, Hincmari scilicet & Parduli: alterum de tenenda veritate Scripturæ contra capitula posterioris conventus Carisiacensis: quos Synodi Valentina anno DCCC.LV., & Lingonensis anno DCCC.LIX. confirmarunt, approbante Nicolao Papa. Accessit etiam Lupus Abbas Ferrariensis, unus omnium modestissimus, qui ferventè controversia librum de tribus quæstionibus edidit, cùm comperisset *primùm in Italia, deinde in Gallia, si non concuti Fidem, turbari certè quorumdam intentionem, quòd de libero Arbitrio, & Prædestinatione bonorum & malorum, ac de Sanguinis Domini taxatione hactenus inaudita jactarentur*. Dein Caroli mandato mentem suam iterum aperire jussus, Collectaneum de tribus quæstionibus composuit: quo in utroque opere rectè catholicam sententiam explicat, sicuti etiam in epistola ad Hincmarum.

CXLV Gothescalcus interim dum omnes aut pro eo, aut contra eum decertant, in artissima custodia detinetur, venitque in notitiam Nicolai Papæ primi ipsum duriùs tractari. Indignatum ob id Pontificem lenire studuit Hincmarus, scriptis literis, quibus significabat, se curasse ut necessaria omnia benignè homini suppeditarentur; at eum his præfractè uti nolle. Cùm jam Gothescalcum deficere cernerent Altivillarenses Monachi, consulunt Hincmarum, quid facto opus esset, si ipsum morti proximum fore contingeret.

Nicolaus scribit ad Hincmarum de Gothescalco.

geret. Rescripsit, non nisi resipiscenti Viaticum concedendum. Sic Gotheſcalcus ſlere, ac ſententiam refutare juſſus, ſed nolens, abſque ſubſidiis Chriſtianæ religionis in ergaſtulo diem obiit circiter annum DCCC. LXVIII. Eo mortuo exſtincta fuiſſe videtur hæc procella, quæ ab Hiſpania ſub finem ſæculi VIII. initium duxit, ut Hadriani Pontificis epiſtolæ teſtantur.

Qui ſine Viatico moritur. *Hadriani epiſt. 95. 96. 97. Cod. Carol. in tom. 3. Cheſnii.*

CXLVI

Hic finis miſerabilis iſtius Monachi, cui Fulgentii cognomen ideò arriſiſſe, aut certè ab aliis tributum eſſe puto, quòd ſuam de gemina prædeſtinatione ſententiam maximè tueretur auctoritate S. Fulgentii ex libris de duplici Prædeſtinatione ad Monimum, teſte Hincmaro in lib. de Prædeſtinatione cap. 3. ubi hoc Fulgentii dictum non probat, obſervatque ejus elogium ab antiquis inter ſcriptores Eccleſiaſticos fuiſſe prætermiſſum; nec tamen eum ſibi videri *per omnia improbabilem*, quoniam *in reprobandorum deſcriptione* illum non reperiebat. Forſan non legerat Hadriani Papæ primi epiſtolam ad Hiſpaniæ Epiſcopos, qua in epiſtola Pontifex beati Fulgentii de hac quæſtione ſententiam & explicationem ex alio loco laudat. Idem Hincmarus in cap. 14. Gotheſcalci *Scholam dyſcolam* hortatur, ut cum ipſo Fulgentio agnoſcant *prædeſtinationem ſemper in bono*; & cap. 15. ſubdit non ſufficere quod dicunt, *Deum prædeſtinaſſe reprobos ad interitum, non ad peccatum: cùm nonniſi per peccatum*, inquit, *perveniri valeat ad interitum:* His quidem verbis eorum ſententiam *colore* mutari, non *odoris atque ſaporis intelligentiâ*. Et id quidem ita diſtinxit Gotheſcalcus in duplici confeſſione. Nam in priori ait, dæmones reproboſque *propter præſcita futura mala merita prædeſtinatos ad mortem ſempiternam*, & in prolixiori profitetur, Deum *prædeſtinaſſe tantummodo bona, non mala; & quos præſcivit per ipſorum propriam miſeriam in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis, illos prædeſtinaſſe ad interitum*. Verùm hæc ſubdolè dici cauſabatur Hincmarus, ideóque prædeſtinatos ad interitum dici non probabat, *quia hoc poſito conſequens arbitrabatur, ut etiam ad peccatum prædeſtinati crederentur, qui error fuit veterum prædeſtinatianorum*, inquit eruditiſſimus Sirmundus in Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ capite ultimo.

Ibid. epiſt. 97.

CXLVII Quæſtio de Trina Deitate.

Eodem ſæculo orta eſt non abſimilis, ſed non ita fervens de Trina Deitate contentio. Delenda ex hymno Martyrum hæc verba, *Te Trina Deitas*, cenſebat Hincmarus, ne tres Dii induci viderentur. Repugnabat Gotheſcalcus cum Ratramno. Hinc arrepta occaſione Hincmarus Gotheſcalcum traducit, quaſi triplicis divinitatis aſſertorem: quo etiam nomine Hæreticus audit apud nonnullos, tametſi hanc conſecutionem totis lacertis à ſe amoliri conatus eſt Gotheſcalcus, ut ex ejus verbis ab Hincmaro relatis colligitur. Sic ferè in verbis homines plerumque inchoant ludos, qui paullatim in exitiales pugnas deſinunt.

CXLVIII Gotheſcalcus meritò improbatus.

Scio non defuiſſe hoc ſæculo, qui Gotheſcalcum in omnibus perpurgatum velint: ſed hæc extra meas metas. Gotheſcalci doctrina de gemina Prædeſtinatione, an fuerit ſana, nec ne, hîc non diſputo, at quid hæc in aures vulgi effundere competebat Monacho, prohibentibus Epiſcopis? Immo ſi nihil ſubdoli in ejus mente latebat, tantumne intererat rei Chriſtianæ incumbere in vocabulum Prædeſtinationis malorum ad interitum, ſi modò aliis verbis Catholica ſententia teneretur? aut demum quid hac de re tempeſtates ciere neceſſum erat cum vulgi ſcandalo & offenſione? *Facile eſt enim, immo & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces*, inquit Auguſtinus in libro de dono perſeverantiæ cap. 16. *maximè ſi timendum indè ſit, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec pejores*

fiunt. Scio Augustinum in cap. 14. probare, ut Prædestinationis doctrina etiam rudi populo nonnumquam prædicetur. At Prædestinationem bonorum intelligit, non malorum ad mortem, quam verbis minùs crudis explicari fas erat. Meritò proinde à Rabano reprehensus est Gothescalcus, quòd *nec sacri Ordinis ritum, neque prædicandi officium legitimè observavit*. Certè Gothescalcus paullò jactantior & audacior fuisse videtur, atque inutilium quæstionum sectator, ut patet ex Lupi Abbatis epistola 30. ubi ejus nimiam impetiginem reprimit. Quæsierat ab eo Gothescalcus, num Beati post resurrectionem oculis corporeis Deum visuri essent. Quid ad hæc Lupus? *Ni veritus fuissem*, inquit, *ut me ab observatione caritatis aversum, nullius flecti precibus putando, eamdem caritatem offenderes; etiam nunc silentii latebras fovens, nihil ad ea quæ consuluisti, respondissem, duabus videlicet ex causis: alterâ: ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem, vel detraherem: alterâ, ut habita consideratione illorum, quos super eadem quæstione te sollicitâsse olim cognovi, mediocritatem meam non præjudicare quorumdam excellentiæ æstimatione propria comprobarem*. Et sub finem eum hortatur, *ut nequaquam ultrà in talibus suum ingenium conterat; ne his ultrà quàm opportet occupatus ad ulteriora vestiganda sive docenda minùs sufficiat*. Et tamen quæstio hæc à Gothescalco semel proposita, nonnullos per ea tempora detinuit, in primis Joannem Scottum, qui tractatum de visione Dei, cujus superiùs * mentio facta est, composuit. De hac quæstione non de controversis capitulis intelligendus mihi videtur Gothescalcus in carmine suo ad Ratramnum, in quo ait se datis epistolis ad Marcaudum, Jonam atque Lupum inquisisse quid sentirent de proposita quæstione; ac solum Lupum sic responsa tria sui libelli temperasse, ut neutri parti accessisse videretur. Nam & in Lupina illa epistola tres quæstiones propositæ fuerant. Hæc satis dicta de Gothescalco, qui si animum tantisper continuisset, meliùs famæ, meliùs saluti suæ consuluisset.

* *num.* 135.

CAPUT III.

De modo quo Christus è Virgine natus est: ubi de animarum distinctione in hominibus.

CXLIX Controversiæ hujus origo ex Germania.

ALia istius sæculi controversia fuit de Nativitate Christi Domini, quo modo scilicet ex utero Beatæ Mariæ Virginis prodierit, via communi an singulari. Hæc controversia, uti & superiores duæ, originem cepit ex Germania, in Galliam deinde per Ratramnum Corbeïensem Monachum invecta, cui Ratramno adversus fuit Paschasius Radbertus ejusdem loci Cænobita. Contentionis principium Ratramnus in libello de Nativitate Christi, quem ignoto cuidam Monacho, & quidem (ut credere pronum est) Germano, nuncupavit, obsecrans ut sibi hoc de argumento respondere non gravaretur; sic breviter exponit. *Fama est, & quorumdam non contemnenda cognovimus relatione, quòd per Germaniæ partes serpens antiquus perfidiæ novæ venena diffundat, & Catholicam super nativitatem Salvatoris fidem, nescio qua fraudis subti-*

Ratramnus de ea scribit.

subtilitate subvertere molitur, dogmatizans Christi infantiam per virginalis januam vulvæ, humanitatis verum non habuisse ortum, sed monstruosè de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exiisse, quod non est nasci, sed erumpi. Hoc in libello, quem Ratramnus *de more studentium lusit*, ut in fine testatur, liberiùs aliquando invehitur in adversarios suos, quos novæ hæreseos insimulare audet.

Mox in Ratramnum insurrexit Paschasius Radbertus, ratus ex eo libro Deiparæ virginitatem ex obliquo seu ex consequenti impugnari. Et primò quidem hominem adortus est scripto libello *de partu Virginis*, quem *Matronæ Christi*, id est Theodradæ Abbatissæ, & *Sacris Virginibus Vesona*, hoc est Suessione, *monasticè degentibus* dedicavit hoc exordio. *Quæstionem, carissimæ, de partu Beatæ Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi, quoniam vos eam plurimùm amare non ambigo: ut ex hoc sciatis, quantùm vos diligam, longè diu à puero vester alumnus, multo jam senio confectus.* Ex his posterioribus verbis intelligitur, eam controversiam natam esse Paschasio Radberto jam sene, sed tamen ante annum DCCC. XLVI. quo Imma Abbatissa Theodradæ Matri suæ successit. Nam *Matronæ Christi* nomine significare Abbatissam, quæ olim in sæculo conjugata fuerat, (qualem fuisse Theodradam constat ex Vita S. Adalhardi Abbatis) pro comperto habeo. Certè Paschasius in libelli sui scriptione se, non Abbatem, (quod munus iniit anno DCCC.XLVI.) sed *Monachorum omnium peripsema* dicit: & nulla (quæ sciam) opuscula composuit Abbas, præter aliquot libros in Matthæum. CL Radbertus ei adversatur.

Primum scripsisse Ratramnum, non adversùs Paschasium, sed adversùs Germanos quosdam ex initio jam relato, aliisque locis constat. Paschasii verò librum in Ratramnum conditum fuisse hinc apparet, quòd cùm dixisset Ratramnus initio capitis primi adversarios sentire Christum *monstruosè* natum esse; id refellit Paschasius sub finem libri I. his verbis: *Non dicimus, ut ajunt, quòd mostruosè sit natus &c.* Deinde cum Ratramnus cap. 3. paullò fusiùs scripsisset de natura & sexu mulierum, eum hoc nomine reprehendit Paschasius. Accedit quod ad Ambrosii & Hieronymi auctoritates, quas pro sua sententia Ratramnus adduxerat, datâ operâ respondet Radbertus. Jam verò vulgato Paschasii libro non statim adquievêre adversarii, sed novis eum rescriptis denuo exagitarunt. Hinc data ipsi occasio scribendi alium *tomum* seu librum, in quo conqueritur, quòd suis non adquiescant dictis, sed ea audire dedignentur, hortaturque eos ad auscultandum B. Augustino, cujus ex Enchiridio testimonium profert in sententiæ suæ patrocinium. *Si*, inquit Augustinus, *vel per nascentem corrumperetur ejus* (Virginis) *integritas, non jam illo de Virgine nasceretur, eumque falsò (quod absit) natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia.* Quid ex eo posteriori libro, quem dumtaxat imperfectum habemus, consecutum sit, ex relictis ejus sæculi monumentis divinare non possumus, nam & Ratramni ejusve sequacium posteriora (si qua fuerint) adversùs Paschasium opera interciderunt. CLI

Erit fortasse cui mirum videatur, Ratramnum & Paschasium ejusdem (ut de Ratramno constat ex Hincmaro) Cœnobii monachos mutuis inter se se scriptis tam sæpè decertasse. Verùm præterquàm quòd diversas inter ejusdem societatis ac familiæ homines oriri ac fervere sententias insolens non est; certè præsentis argumenti controversia nata est ex Germanis, quæ deinde scriptis ventilata, varios pro hominum studiis motus etiam in Cœnobio Corbeïensi excitavit. Alia ratio est de rebus Eucharisticis & Prædestinatianis, de quibus ut sententiam suam ferret Ratramnus, à Carolo Calvo solli- CLII Monachi ambo Corbeiæ.

citatus est. Deinde non constat, an tum in Corbeïensi Cœnobio resideret Ratramnus, qui posteà eodem loco scribens ad Odonem Corbeïæ Abbatem & Episcopum Bellovacensem, Monasterium *vestrum*, non nostrum appellat. Unde quis subdubitet, an Ratramnus de quo agimus, sit à Ratramno Orbacensi Præposito diversus. Quamquam eo tempore Ratramnum non longè à Corbeïensi Monasterio deguisse intelligitur ex Lupi Abbatis Ferrariensis epistola 79. ad Ratramnum Monachum, quem rogat ut literas suas ad Hincmarum Remorum antistitem directas ostendat Hilmerado Ambianensi electo, in cujus gratiam eas scripserat. Ex quo apparet, Ratramnum initio Hilmeradi Pontificatûs, quem sub annum DCCC.XLIX. iniit, vixisse propè Ambianos, si tamen tum ibi jam residebat Hilmeradus.

CLIII *Controversiæ caput.* Verùm ut ad præsentem controversiam revertar, unum erat in quo conveniebant adversæ partes, nimirum Deiparam perstitisse virginem ante partum, in partu, & post partum. Sed tamen Radbertus id ita ab adversariis adstrui dicit, ut id ipsum, quod confitentur, evertant. Totam igitur quæstionem tribus in rebus reponit Ratramnus; nimirum Christum *per naturæ januam, per sollennem parturitionis viam* ex utero Sacratissimæ Virginis processisse cap. 1. & sequenti *vulvam aperuisse;* ac demum ita aperuisse, *non ut clausam corrumperet sed ut eam sua nativitatis ostium aperiret, non quò violaret integritatem uteri, sed quò ventris palatium vacuaret* ex cap. 5. Ex his omnibus in fine concludit, Christum naturaliter natum esse. Huc tota incumbit Ratramni oratio, tametsi adducto Gregorii Magni testimonio, in quo dicitur Corpus Domini introisse ad discipulos januis clausis, quod ad humanos oculos *per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis*; ita reponit cap. 8. *Dicitur quòd quemadmodùm Dominus Jesus Christus post resurrectionis gloriam cum Corporis veritate diversorium discipulorum, non per parietem, nec per postica, sed per januam, non tamen reseratam ingressus est: ita de matris alvo procedens, non aliunde, sed per vulvam, clausam tamen exivit* &c. Verùm hac in re sibi contrarius est Ratramnus. Nam si aperuit, ut in superioribus probat, quomodò per clausam exivit? Et hoc sanè videtur hominis non satis sibi constantis aut sincerè agentis effugium.

Ratramnus sibi non constat.

CLIV Hinc est quòd Paschasius Radbertus nulla habita ratione hujus solutionis, Ratramnum impugnavit, quasi omnino sentiret Christum communi omnium lege natum esse: *neque aliter beatam Virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse, quàm communi lege naturæ, & sicut mos est omnium feminarum;* quod posterius satis intelligitur ex Hieronymi loco, ita ut à Ratramno exponitur in cap. 9. Paschasii sententiam præter veteres plerosque tuebatur in multis Hincmarus, afferens beatam Virginem *clauso utero* peperisse.

Hinc. tom. 1. pag. 631.

CLV Est & aliud in quo Ratramnus aut non verè adversariorum mentem expressit, aut non plenè assecutus est, ubi innuit cap. 5. adversarios sensisse, Christum non per viam communem, sed per aliam corporis partem penetrando prodiisse. Neque enim aliam fuisse puto Germanorum sententiam, quàm Paschasii, qui omnes id unum volebant, Christum via quidem communi, sed clausa virginali sigillo, non communi modo processisse.

CLVI *Ratramnus de anima scribit contra Macariū.* Tolerabilior quidem, sed non moderatior fuit Ratramni censura in commentum cujusdam Monachi Corbeïensis, qui unam in omnibus hominibus animam esse contendebat. Hujus quæstionis originem & statum mihi indicavit membraneus codex Bibliothecæ Monasterii S. Eligii apud Noviomum: quo in codice exstat Ratramni tractatus adversùs prædictum Monachum, inscri-

scriptus Odoni Episcopo Bellovacensi. In eo libro Ratramnus significat, primò se ab Odone sollicitatum, ut ejusdem Monachi Anonymi insanam opinionem refelleret. Deinde se jam id præstitisse dicit scriptâ ad eumdem epistolâ, cui Monachus ille aliâ redditâ responderit. Tertiò Monachum illum hanc opinionem hausisse à Macario Scotto, quem idcircò ejus *Magistrum* vocat. Quartò Præceptorem ac discipulum erroris sui occasionem sumsisse ex loco malè intellecto S. Augustini in libro de quantitate animæ, in quo sanctus Doctor de unitate in diversis hominibus animæ dubitanter scripsisse videtur. Hæc omnia accuratè ac fusè discutit Ratramnus, professus initio libri sui, Monachum hunc *magis dignum esse auctoritate Pastorali reprimi, quàm disputatione convinci*. Porrò sæpè dictum Monachum Corbeïensis Cœnobii alumnum fuisse intelligimus ex initio tractatùs Ratramni, quod sic habet. *Domino sancto, summæque venerationis bonore prosequendo Patri Odoni Reverentissimo Præsuli, Ratramnus servus servorum Christi novissimus. Suscepi vestræ sanctitatis debita cum veneratione literas, quibus præcipitis postulantes, ut respondeam cujusdam Monachi de Cœnobio vestro scriptis, quibus de anima contra catholicam Fidem perversa sentiendo disputare non timuit.* Fuit Odo Monachus, & post Paschasium Abbas Corbeïensis, ac demum Bellovacensis Episcopus; idemque mortuo Trasulfo Abbate, qui ei in Cœnobii regimine suffectus fuerat, rursus in Abbatiæ dignitatem restitutus. Cùm ergo Monachus ille de Odonis Cœnobio fuisse dicatur à Ratramno, id sinè dubio de Corbeïensi intelligendum est.

Quæstionis controversæ statum exponit in consequentibus Ratramnus his verbis. *Dicit namque, quòd omnis homo unus homo sit per substantiam, & omnis anima rationalis una sit anima per substantiam. Quod si ita est, sequitur, ut non sit nisi unus homo, & una anima: quod absurdissimum fore conspicit prudentia vestra.* Et de eadem quæstione, simulque de ejus auctore post multa ita subdit. *Videte quid Macarius ille Scottus, vel ille qui librum quem nostis, scripsit, ex hoc loco dixisse beatum Augustinum excogitaverint. Et Macarius quidem hoc loco,* nimirum Augustini de quantitate animæ, *sic ait scribens ad illum, qui sibi quæstionem hanc proposuerat. Hæc autem non ideò proposui, Frater ut sapias, quod voluit Augustinus: „ unam animam noluit, multas animas noluit, quod in „ medio posuit, hoc voluit, hoc est ut sit una anima & multa, quamvis ille di„ xit: Ridebis, nec mihi facilè unde risum tuum comprimam suppetit. „ Non est mirum, quia istam quæstionem difficillimam suadere vix potuit, quantò magis neque nos possumus.* Ad quod Ratramnus ita reponit. *Cernitis itaque, quòd hoc quod dicit Macarius, nequaquam dixerit Augustinus, Macarius namque dicit, hoc quod in primo & ultimo loco posuerit Augustinus, noluerit affirmare: sed illud quod in medio, hoc est ut sit una anima & multa, cùm dicat Augustinus: „ Si unam simul, & multas dicam esse, ridebis, „ quo dicto manifestè insinuat, nullo modo se confirmare voluisse, quòd una simul sit anima & multa: quia sic dicere vel sentire, non prudenter est intelligere, sed ridenda potiùs talis intelligentia. Ille verò, qui scripsit libellum, in eadem est sententia, qua & Magister ejus Macarius, quod totus libelli textus evidentissimè declarat. Potuisset etiam Macarius, si considerare prudenter valuisset, aut certè voluisset, ex his, quæ subsequenter posuit, non ita sensisse Augustinum, cùm dicat: quamvis ille dixit nimirum Augustinus, „ ridebis, nec mihi facilè unde tuum risum comprimam suppetit „. Si enim voluisset hoc affirmare, quod Macarius falsò suspicatur; nequaquam dixisset, Ridebis, quoniam sententia prudenter dicta non ridenda est, sed suspicienda.* CLVII Quæstionis status.

Ceterùm de Macario Scotto, si conjecturis indulgere licet, eum non alium CLVIII

Macarius quis. alium esse puto, quàm aut Johannem Scottum, qui similibus dialecticæ argumentis maximè lasciviebat, incautosque prensabat: aut certè Macarium Monachum, cui Rabanus librum suum de computo nuncupavit. Hunc Macarium per deridiculum *Baccharium* vocat Ratramnus, *quoniam non beatus*, inquit, *sed stultus & ebrius talia somniavit*. Siccine philosophari licet? scilicet tunc temporis, hæc quæstio ad religionem pertinere videbatur, timendumque censebant, ne ex hac animarum confusione, aliquid detrimenti Fides recta caperet. Eadem mens fuit Concilii Lateranensis sub Leone X. quod quorumdam de unica in hominibus anima sententiam damnavit. Nunc totis id pulpitis decantant Philosophi sub sollemni sua distinctione *unitatis specificæ & numericæ*.

Conc. Later. ult. sess. 8.

CLIX

Usserii erratum.

Dum hoc argumentum persequor, memini legere apud Usserium, (qui Ratramni libros præmissos, alterum de Nativitate Christi ante editionem Acherianam, alterum de Anima in Manuscriptis Anglicanis legerat) Ratramnum in illo de Christi Nativitate libro eamdem, quam in alio de Corpore & Sanguine Domini tradidit, doctrinam propugnasse. Unde præclarum continuò momentum colligebant heterodoxi ad vindicandum Ratramno librum de Corpore & Sanguine Domini, sub Bertrami nomine vulgatum. Ubi verò libellus ille de Christi Nativitate prodiit in lucem, statim evanuit tota illa argumentatio propterea quòd in eo libro ne hilum quidem de Eucharistia habeatur. Nec Calvinistarum quisquam, quorum maximè intererat, inventus est, qui Acherium nostrum hac in parte omissi insimularet, cùm & ipsi præ manibus haberent ejus opusculi exempla ex Anglicanis codicibus descripta; malueruntque confugere ad nescio quas illationes, aut potiùs cavillationes, ne Usserii fidem quasi profligatam deserere viderentur. Quippe fatetur Alixius in Dissertatione Gallica de libro Bertrami, nullam de Eucharistia mentionem fieri in opusculo de Christi Nativitate; sed tamen rectè dici ab Usserio propugnari eamdem quam in Bertramo vulgato doctrinam: quoniam utrobique asseritur, unum & idem corpus non posse existere in duobus locis. Ita minimè suspectam habet Alixius Acherii editionem, & fartam tectam Usserii Fidem præstare conatur. Ego verò existimem subreptum fuisse Usserio, homini ceteroquin erudito, nec indiligenti, sive id ex præjudicio quodam ipsi contigerit, sive ex festinata lectione codicis antiqui, seu ex qualibet alia causa. Neque enim malam hominis fidem suspicari velim. Unus omnium Hermannus Conringius, à Sacramentis nostris alienus, sed (ut ingenuè profitear) inter Germanos haud incelebris, Acherio nostro id obstrepere ausus est, vero similius esse id ab eo prætermissum in edendo hocce Ratramni libro, quod Usserius in illo de Eucharistia deprehenderat. Sic enim ille librum, qui sub Bertrami titulo dudum prodiit, Ratramno vindicare conatur in supplemento 39. ad Dissertationes de Antiquitatibus Academicis, cujus Supplementi folium ex Germania per amicum accepi, cùm hæc prelo subjicerentur. *Frustra sanè sunt*, inquit, *qui suspicantur, librum qui hodieque superest Ratramni nomine, esse Johannis Scotti: cùm jam Sigeberti Gemblacensis ævo Ratramnus illius auctor citra controversiam fuerit habitus; & doctissimo Usserio cap. XI. Historiæ Gothescalcianæ teste, tum in Sariburiensi, tum in Benedictini Collegii apud Cantabrigenses Bibliotheca supersit Ratramni, præter alterum de Anima,* „ *unus* „ *de Nativitate Christi liber, in quo eamdem quam in libro de Corpore & Sangui-* „ *ne Domini tradidit, doctrinam propugnat* „. *Non enim à vero id alienum esse dixerim, etsi liber ille, qualis est editus Spicilegii tomo primo à Luca Dacherio Benedictino Monacho, nihil tale habet: sed illaudabili, haut insolito tamen studio,*

Alix. pag. 22. & 23.

Conringii censura refellitur.

dio, id esse omissum vero est similius. Dura certè in virum de re publica litteraria benè meritum censura, sed homine liberali prorsus indigna. Nam quandoquidem ejusce opusculi exemplaria supersunt in Sarisburiensi & Cantabrigiensi Bibliotheca, quid attinebat præcipitare censuram? An non satius erat priùs consulere forulos illarum Bibliothecarum; & si qua fraus editori obrepsisset, jam demum illum vocare in causam? Sed facilè retundi potest inofficiosa hominis animadversio, neque necesse est ut in Angliam ejus rei gratiâ pergamus. Quippe Albertinus famosus ille Eucharistiæ adversarius, exemplum libelli ex Anglicano codice acceptum habuit, quale ab Acherio nostro editum est: & si Albertino jam mortuo non credatur, habet etiam ejusdem apographum Dallæus Minister Carentoniensis, quod nescio qua occasione mihi aliquando videre contigit, statimque contuli cum editis: in quibus nulla est ab exemplo discrepantia, si quasdam minutiores typothetarum mendas exceperis. Insignior est præ ceteris illa, quam adverti ad pag. 333. lin. 9., ubi post *genitale secretum*, ita addit apographum. *Quo mystico dicto testatur, Matris Virginis quòd immaculatæ fecunditatis aperuit genitale secretum*. Ubi vides, librarios fallente oculorum jactu, ob repetitas *genitale secretum* voces, versum unum transsiliisse. In aliis perfecta est editorum cum apographo convenientia; præter quædam minutissima (ut mox dicebam) typographorum errata. Hæc à me dicta nemo non intelliget, non ut argumentum, quo Ratramno liber de Eucharistia afferatur, adversariis præripiam: sed ut explodatur indigna Conringii censura, quam in se ipse præcipitando retorsit. Nunc ad ordinem revertor.

CAPUT IV.

De Græcorum discidio, & objectis eorum adversùs Latinos.

POstrema denique contentio fuit Græcorum adversùs Latinos, quibus illi varia capitula suggerente Photio Pseudo-Patriarcha objecerunt. Photius quippe cùm deturbato Ignatio sanctissimo viro, in sedem Constantinopolitanam à Michaële & Basilio intrusus fuisset, nec intrusionem suam Romano Pontifici potuisset approbare; in tantum contra Latinos excanduit, ut quidquid finistrum corradere potuit, ipsis objiceret ad faciendam invidiam Ecclesiæ Romanæ. Capitula illa numero erant omnino decem, nempe de processione Spiritùs Sancti ex Patre Filioque, de jejunio Sabbati, de cœlibatu Presbyterorum, de Chrismatione frontis Baptizatorum Presbyteris vetita, de abstinentia octo hebdomadarum ante Pascha non inchoata, de barbæ rasione Clericorum, de Episcoporum ordinatione per saltum, de primatu Romani Pontificis, de confectione Chrismatis ex aqua fluminis, & de oblatione agni in festo Paschæ. Hæc capitula Nicolaus Papa Hincmaro & ceteris Archiepiscopis & Episcopis in regno Caroli constitutis transmisit, dato mandato, ut de his singuli in suis diæcesibus propriis una *cum suffraganeis convenienter tractarent*, & sibi quæ reperissent ad respondendum, *suggerere curarent*. In Provincia Remensi hæc cura demandata est Odoni Bellovacensi Episcopo, testante Frodoardo in lib. 3. cap. 23. ubi Hincmarus Odoni scripsisse memoratur *de*

CLX Photii capitulis respondere jussus Odo.

qui-

quibusdam scriptis & Græcorum quæstionibus, item de responsionibus ad objecta Græcorum, quas idem Odo colligens descripserat, & Domno Hincmaro miserat. Et aliâ epistolâ agit *de libello ipsius* Odonis contra objectiones Græcorum, quædam se in eo commemorans adnotasse, *quæ retractanda & corrigenda forent.* Erit forsan qui suspicetur hoc Odonis opusculum non aliud esse, quàm Ratramni: tum quia cùm Odo Monachus fuisset & Abbas Corbeïensis, facilè rejicere potuit hanc operam in Ratramnum virum doctum: tum quia verisimile non videtur, Episcopos ejusdem Provinciæ, id est Metropolis Remorum, idem argumentum duobus simul tractandum commisisse. Verùm diversa forsan aliis videbuntur Odonis & Ratramni opuscula. Nam Odonis libellus vocatur ab Hincmaro in epistola mox laudata: Ratramni verò opus quatuor libris constat, tametsi nonnumquam liber libellusque appellatur apud veteres illud opus, quod pluribus libris constat. Ad hæc, non mirum videri debet, si idem argumentum, quò accuratiùs & diligentiùs expendatur, diversis scriptoribus tractandum committatur. Certè simili compendio potuissent Gallicani Episcopi id officii demandare uni cuidam auctori. Et tamen in Æneam Parisiensem Episcopum consenserunt Senonensis Provinciæ antistites, Remensis in Odonem, prout Nicolaus Papa dederat in mandatis. Denique Ratramnus in fine libri 4. innuit se hortatu Episcoporum id suscepisse. *Egimus*, inquit, *prout potuimus, respondentes ad ea, quæ nobis scripta misistis. Quæ si placuerint, Deo gratias agimus: si verò displicuerint, vestræ correctionis censuram postulamus.* Quæ tamen si quis dicta velit nomine Odonis ad Hincmarum, vel Episcoporum ad Nicolaum Papam, nolim hac in re, contentiosus esse.

Ratramno an coram hanc commiserit.

CLXI Ceterùm si quis Ratramni opus cum Æneæ Parisiensis Episcopi libro conferat, quantùm ille doctrina, eruditione & eloquentia præstet, facilè animadvertet. Æneas quippe nuda ferè ac jejuna Auctorum testimonia absque propriis commentis adducit: Ratramnus verò longè plura & potiora, prolatis ex proprio genio validis ratiociniis, quæ argumentis & auctoritatibus adductis lucem ac robur concilient. Antè verò, quàm hoc argumentum dimittamus, juverit nonnulla, quæ sanè animadversione digniora videntur, ex Ratramno decerpere, & cum Æneæ dictis aliquando comparare.

Ratramnus Æneæ præstat.

CLXII In primis Ratramnus Michaëlem & Basilium Græcorum Imperatores, ejusmodi oppositorum architectos, arguit in hunc modum in lib. 1. cap. 2. *De sacris dogmatibus, & ecclesiastico ritu, non Imperatorum, sed Episcoporum fuerat disputare. Discendi illis, non docendi in Ecclesia ministerium commissum est. Nam quamvis imperiali dignitate præcellant, res illi publica commissa est, non Episcopale ministerium: Imperatores de sæculi legibus tractare debent, Episcopi verò de divinis dogmatibus disputare.* Tum in libro 4. cap. 3. observat, morem tum fuisse apud plerasque occidentales Ecclesias, ut in Quadragesima Sabbato non jejunarent: & in insula Britannica, ut omni sexta Sabbati, id est hebdomadæ, jejunarent. Et in cap. 4. Romanos caput jejunii à Dominica Quadragesimæ (ut tempore Gregorii Magni actitatum docet Menardus noster in notis ad librum Sacramentalem) inchoasse, non à feria quarta Cinerum, ut posteà usus obtinuit. Ad hæc in cap. 8. illam Græcorum objectionem, quasi Latini agnum simul cum Christi Corpore & Sanguine super altare ponerent, & more Judæorum offerrent, cum Ænea rejicit ut falsam, & tamen VValafridus Strabus, qui ante has turbas decesserat, fatetur morem offerendi & consecrandi agni de Judaïcarum superstitionum seminario natum, quorumdam simplicium errore ad sua usque tempora perseverasse, & in

Notatu digniora in utroque.

Menard. in not. ad Sacram. pag. 52

VValafr. in lib. de reb. Eccles. c. 18.

& in libro de vita S. Udalrici Auguftani Epifcopi cap. 4. Auctore Anonymo, eumdem ufum fæculo X. apud Auguftenfes in Pafchate obtinuiffe legitur. Denique in Ordine notatur agni benedictio pro die Refurrectionis, iſque mos hodie uſque in nonnullis locis viget. Si hanc benedictionem improbabant Græci, rem quidem veram, fed gratis impugnabant: at fi huc fpectat eorum objectio, quòd fuper altare agnus offerretur, mera calumnia eft. Non ergo agnos Ecclefia Latina aut fuper altare collocabat, aut fimul cum Chrifti Corpore offerebat feu benedicebat, fed feorfum, tametfi hunc etiam ritum VValafridus Strabus reprehendit, ratus fortaffe non decere, ut fimul cum vera Chrifti Corporis & Sanguinis hoftia agnus umbraticus benediceretur. Denique Ratramnus in eodem capite negat Diaconos per faltum (quod etiam improperabat Photius) effe ordinatos Epifcopos: quod tamen Æneas aliquando factum admittit in objectione feptima.

Hæc funt quæ de fæculi noni controverfiis mihi dicenda occurrunt, quæ fanè prolixiùs ac folidiùs tractari potuiffent, fi mihi vel in rebus communioribus hærere licuiffet, vel tanta dicendi fuppeteret facultas, quantam argumentorum dignitas poftulabat. At quantumvis mediocria fint quæ attuli, ea tamen ad propofitum meum fufficiunt, nimirum ut omnibus conftet, quantùm in Ecclefiafticis negotiis collaboraverint Majores noftri, quorum citra operam nullæ cujufcumque momenti controverfiæ dirimi folerent. Nunc quantum etiam ad Fidelium converfionem per id tempus contulerint, breviter confiderandum eft. CLXIII

CAPUT V.

De Septemtrionalium Populorum Converfione, maximè per Anfcharium ejufque Socios.

Germanorum converfio auctore S. Bonifacio ejufque Sociis, ut in Sæculi tertii Præfatione diximus, procurata, aditum patefecit Aquilonarium Gentium converfioni, cui exequendæ Majores noftri mirum dictu quantum laboris ac fudoris impenderint. Harum gentium nomine hîc complector maximè Saxones, Danos, Suecones, & Sclavinos, pro innata feritate à chriftianis moribus non minùs abhorrentes, quàm pro fua levitate faciles ad relapfum. CLXIV

Saxones armis primùm adortus eft Carolus Magnus, quibus per annos triginta fæpiffimè devictis, fed toties rebellantibus, tandem jugum Chrifti feliciter impofuit. Hoc in opere præcipuos è noftris miniftros VVillehadum & Sturmium, Viros fanctiffimos adhibuit. Cùm enim alios atque alios prædicatores huic expeditioni fruftra dediffe operam intelligeret; compertâ Villehadi famâ, eum ad fe accivit, *probatumque fanctis moribus, ac Fidei non fictâ conftantiâ, mifit in partes Saxoniæ, quò inibi auctoritate regali & ecclefias inftrueret, & populis doctrinam fanctæ prædicationis impenderet*. Res ferè pro voto profperè fucceffit, *ita ut in fecundo anno tam Saxones, quàm* CLXV Saxones per VVillehadū converſi.

& Fresones in circuitu commorantes, omnes se pariter promitterent fieri Christianos, & quidem *anno Incarnationis Domini* DCC. LXXXI.

CLXVI Effectum remorata est VVitikindi infestatio, qui atrocem in Villehadum ejusque socios tyrannidem exercuit, eosque solum vertere compulit. At VVillehadus Româ denuo reversus in Saxoniam, intermissum opus strenuè prosecutus est, tandemque effecit, ut gens Saxonum Fidem Christianam, quam abjecisse videbatur, denuo reciperet, sed & totius mali auctor VVitikindus Baptismi gratiam consequeretur Attiniaci anno DCC. LXXXV. Hinc Carolo jubente VVillehadus Bremæ ordinatus Episcopus, religionem verbis & factis in iis partibus constanter asseruit. Villehado Sturmium Fuldensem Abbatem adjungere licet, quem Carolus Magnus semel & iterum in Saxoniam deduxit, *eique partem maximam populi & terræ illius ad procurandum commisit*. Post multiplicem huic operi impensum laborem Sturmius in secunda ad Saxones profectione incidit in extremum morbum: ut certè in salutem ejus populi vitam profudisse dici possit. Huic etiam negotio adjutor datus est à Carolo Luidgerus Episcopus, qui non tantùm Frisiis verbum Dei prædicavit, sed & Occidentalibus Saxonibus præfectus est apud Mimigarnefordum.

CLXVII Dani & Saxones per Anscharium. Sed nulla alia est Nostrorum missio tam illustris, quàm Anscharii ejusque Sociorum ad Danos & Sueones, quorum indomitam pertinaciam neque Ebo Remensis Archiepiscopus, neque alii qualescumque penitus superare potuerant. Quippe mortuo Carolo Magno cùm Ludovicus Augustus ejus Filius patris in rem Christianam studium hæreditario quasi jure sibi vindicare satageret, cœptum ab ipso opus latiùs persequi animo destinavit. Quapropter Danorum Conversionem à S. VVillebrordo olim tentatam Eboni Remorum Archiepiscopo, natione Germano, demandari curavit, accedente Paschalis Papæ auctoritate. Et quidem multos ex eis ad Fidem venientes baptizavit Ebo anno DCCC. XXIII., ut referunt annales Eginhardi & Bertiniani. Adjutore Halitgario, posteà Cameracensi Episcopo usus est, simulque Gautberto, quem mutato in Simonem nomine creatum Episcopum, unà cum Nithardo nepote suo vice sua Legatum ad Sueones direxit. Horum exemplis Anscharius Corbeïæ veteris in Gallia Monachus, cùm eam Provinciam Ludovico Pio proponente, omnes rei difficultate deterriti detrectarent; assumto secum Autberto socio, anno DCCC. XXVI. cum Herioldo Danorum Rege recèns baptizato *ad confinia profectus Danorum*, Fidei Christianæ apud illos populos seu instituendæ, seu propagandæ indefessum laborem impendit. Hinc multi ad veram Religionem adducti; pueri quos Christianis institutis informaret, comparati; scholæ publicæ apertæ, quæ novæ missionis seminarium exstitêre. Interim Autberti socii morbo supremo interveniente Corbeïam novam anno DCCC. XXIX. revertitur. Neque verò hîc diu moratus, iterum à Ludovico Pio mittitur ad Sueones cum VVitmaro Monacho, eosque per dimidium annum primis Fidei Christianæ rudimentis imbuit, ut fusè in ejus Actis legitur. Dein Hammaburgensis ab Imperatore designatus Episcopus, anno DCCC. XXXI. ætatis suæ XXX. consecratus est: tum Romam profectus, pallium à Gregorio Papa IV. accepit, atque Legati Apostolici ad Danos, Sueones, Sclavos, aliasque Aquilonares gentes auctoritatem accepit anno DCCC. XXXIV., literis Pontificiis & Imperialibus munitam. Demum cùm Hammaburgensem Ecclesiam, quæ sanè modica erat, Anscharii Apostolico studio non sufficere intelligerent Pontifices, interveniente etiam ejusdem loci clade à piratis illata in publico conventu statuerunt Bremensem Episcopatum cum Hammaburgensi conjungere in gratiam Anscharii quantumlibet

bet repugnantis. Restitit etiam plurimùm Guntharius Colonienis Archiepiscopus, cui Bremensis Ecclesia subjecta erat : sed tamen evicit Episcoporum ac Ludovici Regis auctoritas, Nicolai Papæ dein literis confirmata.

His ita gestis Anscharius, Horico Danorum Regi perquàm familiaris, cum ejus favore & gratia Slesvvici Ecclesiam construit, multos Christo in ea gente lucratur, & cum baptismo etiam sanitates divinitus impertit. Inter hæc de Sueonum, à quibus Gautbertus pulsus fuerat, salute maximè sollicitus, eumdem ad illud opus iterum inducere conatur. Sed eo recusante, legationem hanc à Ludovico Rege impositam ipse subit, comitante Horici Danorum Regis Legato, acceptis etiam regiis litteris ad Olefum Sueonum Regem : quem diabolico vaticinio efferatum sibi conciliat, & Ecclesiæ construendæ facultatem ab eo accipit, Rebus apud Sueones dispositis, novellæ Ecclesiæ curam committit Erimberto Presbytero, Gautberti antistitis nepoti, quem Regi Olefo commendat ad suam sedem reversurus. Sed ecce iterum in Dania ambages. Mortuo quippe Horico, ejus successor Horicus alter bellum Ecclesiæ Slesvvici instigantibus nonnullis Principibus indicit. Verùm ab Anschario & ipse flexus, non solùm persecutionis rescindit consilium, sed etiam Ripæ alteram Ecclesiam concedit. Aliunde Gautbertus, qui quondam Sueonum curam in Anscharium rejecerat, cùm ejus studiis eam gentem in Christiana Religione adolescere cerneret, non tantùm hanc gloriam non invidit Anschario, quinimmo adjutoribus Clericis eò missis præclara hæc initia promovere sategit. Insigne profectò Clericos inter ac Monachos Christianæ concordiæ exemplum! quod utinam, ubi de Dei rebus agitur, apud omnes etiam nunc obtineret, & non magis privata atque affectata inter utriusque Ordinis sectatores æmulatio, Christiano certè nomine prorsus indigna. Hæc de Anscharii nostrorumque Apostolatu breviter exponere visum est, prolixiorem ejus narrationem remittendo ad ejus Acta, quæ non magis rebus piè gestis, quàm historicis factis illustria sunt. CLXVIII Clerici adjutores.

CAPUT VI.

De veterum martyrologiorum Scriptoribus Benedictinis.

PRoximo post sacros Heroas loco censendi sunt, qui eorum præclara facta, vel sanè memoriam transmisêre ad posteros. Hoc in genere veniunt Scriptores, qui concinnandis fastis sacris, in quibus Virorum sanctitate illustrium nomina & gesta paucis perstringuntur, operam navarunt. CLXIX

Atqui post Eusebium & Hieronymum, à quibus quid hoc in argumento re vera effectum sit, haud satis constat, primus martyrologium privato studio contexuit Venerabilis Beda, cujus martyrologium Usuardus in suo laudat. Sed & ipsemet Beda in operum suorum catalogo illud censet. Etsi enim in editione Basileensi anni 1563. nulla de ejus martyrologio mentio fiat; in aliis tamen editionibus disertè habetur, immo & in Alfredi Regis versione Saxonica, quam Abrahamus VVhelocus protulit in lucem. Sic verò habet Bedæ Epitome. *Martyrologium de natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos invenire potui, non solùm qua die, verùm etiam quo genere certa-* CLXX Bedæ Martyrologium prosa.

 minis,

minis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare studui. Attamen Beda plures dies intactos reliquit teste Usuardo, ejusque genuinum opus diu eruditi viri desiderarunt: sed tandem ab se repertum, & à variis interpolationibus, quoad ejus fieri potuit, repurgatum, Socii Bollandiani cum Flori Diaconi Lugdunensis aliorumque Auctariis ediderunt in Martii tomo. 2. Aliud metricum sub Bedæ nomine vulgatum est in Spicilegii tomo 10., quod aliquando erui ex pervetusto codice Remigiano. An verò metricum hoc Martyrologium verè Bedæ sit, an alicujus studiosi, qui prosaicum versibus reddiderit, non facilè definierim. Certè Remigianus Codex qui annos minimùm octingentos præfert, hunc habet titulum. *Incipit Martyrologium, quod Beda heroico carmine composuit*. Quamquam Beda in sua Epitome non metricum, sed prosaïcum designare videtur; nec penitus convenit metricum cum prosaïco illo, quod à Bollandianis Patribus impressum est. Verùm metricum illud fortasse ipsemet Beda post absolutam epitomem condiderit. Sanè Remigianum exemplar annis non ampliùs centum ab ejus obitu exaratum est studio Bertigarii Monachi, Pontificatu Ebonis Remorum Episcopi.

Aliud metro.

CLXXI Wandalberti.

Bedæ adjungo VVandalbertum, Prumiensem Monachum, qui metricum Martyrologium, Bedæ olim perperàm adscriptum concinnavit, subsidio præcipuè usus *sancti & nominatissimi Flori, Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi.*, id est ejus ad Bedam Auctario, illudque *illustri viro Otrico Clerico* nuncupavit, & Lothario Augusto Ludovici Pii filio commendavit: qua in commendatione tempus conditi Martyrologii designat his verbis.

Lustra per orbem
Quinque recurrunt,
Nomine postquàm
Clarus & armis,
Cæsariana
Jura retentas.

Si quinque hæc lustra, id est annos viginti quinque, numeres ab anno DCCC. XVII., quo Lotharius à patre designatus est Imperii socius; incidit VVandalberti epocha in annum DCCC. XLII.; sin verò ab anno DCCC. XXIII., quo Romæ Imperator renuntiatus est, (ut quidem statuenda videtur) ad annum DCCC. XLVIII. est referenda. Hoc Martyrologium extat in Spicilegii tomo 5. Nec plura hîc commemoro de Auctore, quem in sæculo 2. ad Vitam S. Goaris ampliùs laudavi.

CLXXII Rabani.

Eodem quo VVandalbertus tempore Rabanus ex Fuldensi Monacho & Abbate Moguntinus Episcopus, itidem sacros fastos ordinavit, ab Henrico Canisio vulgatos in Antiquarum Lectionum tomo 6. Hi fasti, tametsi aliis præcedentibus prolixiores, dubito an aliquam obtinuerint in publicis officiis auctoritatem.

CLXXIII Usuardi.

Eam verò passim non modò per omnes Gallicanas, verùm etiam aliarum provinciarum Ecclesias obtinuit Usuardi Monachi Martyrologium: immo ipsomet aucto Romana usa est Ecclesia ante recentius Romanum, testante Johanne Molano in præfatione ad Martyrologium Usuardi cap. 4. Hoc autem Martyrologium Carolo Francorum Regi nuncupatum est, quod alii ad Carolum Magnum, alii ad Calvum referunt. Nec minùs litigant de auctore, quem nonnulli Abbatem Monasterii S. Salvatoris in Neustria, quidam Fuldensem Monachum, alii Parisiensem S. Germani Cœnobitam fuisse contendunt. Neutrum satis apertè definit Usuardi prologus, qui sic habet. *Domino Regum piissimo Carolo, Usuardus indignus Sacerdos ac Monachus &c.* Primum

mum explicat mſ. codex S. Germani in quo poſt prologum hæc clauſula legitur. *Explicit prologus Uſuardi Monachi S. Germani Pariſienſis*. Alterum verò jam dudum collegit ex Uſuardi ipſius ætate vir magni nominis Hadrianus Valeſius in Diſceptatione de Baſilicis: quem Uſuardum principatu Caroli Calvi floruiſſe conſtat ex Aimoino in libello de Tranſlatione Sanctorum Martyrum Georgii, & Aurelii, cujus tranſlationis *Uſuardus Pater* auctor anno DCCC.LVIII. fuiſſe memoratur. Et ſanè antiquiſſimum ejus Martyrologii exemplar habemus, eo tempore exaratum cum ſubjecto necrologio, in quo primaria manu mors Irmintrudis Reginæ, uxoris Caroli Calvi, ſignata eſt Nonis Octobris; Obitus verò Caroli II. Imperatoris pridie nonas Octobris, manu recentiori. Itaque hic codex ſcriptus eſt eo temporis intervallo, quod effluxit inter annum DCCC.LXIX. Irmintrudis ſupremum, & annum DCCC.LXXVII., quo Carolus Calvus defunctus eſt. Idem etiam confirmatur ex Ebroini Epiſcopi & Abbatis S. Germani obitu, qui anno DCCC.LVIII. contigit, prima manu XIV. Kal. Maii conſignato: cùm ſucceſſorum ejus Hilduini & Gozlini XVI. Kal. Maii, atque Eboli VI. Non. Octobris obitus ſecunda manu conſcripti ſint. In illo Uſuardi (ſic enim appellare licet) autographo nonnulla paſſim additamenta reperiuntur, quædam etiam lituræ & ſcripturæ eodem (ut videtur) tempore ſuperinductæ, fortaſſe ipſius Auctoris manu, qui opus ſuum identidem recognoverit. Porrò in eo autographo deſiderabatur Auctoris prologus à corpore avulſus, quem nobis ex alio veterrimo codice ſupplevit vir longè doctiſſimus Petrus Pitheus, in quo habetur ſuperior clauſula à nobis relata, quæ Uſuardum S. Germani Pariſienſis fuiſſe Monachum adſtruit. Ejuſdem Uſuardi Sacerdotis memoria majuſculis rubeiſque literis Idibus Januarii in prælaudato necrologio adnotatur. Apage ergo eorum opinionem, qui Uſuardum Monaſterii S. Salvatoris in Neuſtria, aut Fuldenſis Abbatem dicunt, decepti videlicet auctoritate Alcuini, cujus epiſtola 79. extat inſcripta *Pio Patri Uſualdo & ſanctæ Congregationi ſancti Salvatoris*, quod de Monaſterio S. Naboris, alio nomine Monaſterio novo ſeu Cellâ novâ ſancti Salvatoris dicto, intelligendum eſſe aliàs probavi, ſumto indè argumento, quòd in ea epiſtola teſtetur Alcuinus, ſe ſe jam illis commendaſſe *per Angelramnum Archiepiſcopum, & ſanctæ Capellæ Primicerium*, qui tunc præerat Mettenſi Eccleſiæ, ad cujus diœceſim pertinet iſte locus. Certè nullus eo tempore Uſuardus præfuit Fuldenſi Monaſterio S. Salvatoris, neque aliud ejus tituli in Neuſtria tum extabat. Ceterùm qui Uſuardum ad Caroli Magni tempus revocarunt, eò inducti ſunt auctoritate Sigeberti, qui Uſuardum *juſſu Magni Caroli Imperatoris* Martyrologium ſuum condidiſſe ſcribit in cap. 85. At vel Magni Caroli nomine Calvum intellexit ut aliàs in cap. 99., ubi ait Hincmarum reſcripſiſſe ad Eccleſiam Ravennatem *ſub perſona Magni Caroli Imperatoris*; aut certè cùm Carolum Regem in prologo Uſuardi legiſſet, id perperàm retulit ad Carolum Magnum, quod Calvo tribuendum erat.

Ad Uſuardi auctoritatem propè accedit Adonis Martyrologium, quod in nonnullis Gallicanis Eccleſiis olim receptum fuiſſe conſtat, ſed paſſim nonnihil abbreviatum. In eo condendo uſus eſt alio vetuſtiori Ado, quod Romà Aquileïam tranſmiſſum, & Ravennæ à quodam Monacho ſibi præſtitum mutuo adſcribendum acceperat. Iſtud unà cum Adonis Martyrologio publici juris fecit Roſvveydus, & ipſum Romanum vetus eſſe, de quo Gregorius Magnus in epiſtola ad Eulogium Alexandrinum agit, opinatus eſt. „ In „ contrariam abeunt ſententiam quidam viri docti, cenſentque in uſu qui- CLXXIV. Adonis.

„ dam

„ dam viri docti, censentque in usu quidem, ut in aliis, ita & in Romana „ Ecclesia fuisse Kalendaria, in quibus & Episcoporum nomina, & Marty- „ rum qui apud ipsos passi fuerant, natales dies perscripti habebantur: nul- „ lum verò umquam fuisse proprium ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ „ Romanæ ante illud, quod jussu Xisti quinti Pontificis Maximi editum est „ hoc titulo, & Baronii notationibus illustratum; neque id confici aut ex „ Gregorii epistola ad Eulogium, aut ex præfatione Adonis ad Martyrolo- „ gium suum. Gregorii hæc verba sunt in lib. 7. epist. 29. Indict. 1. *Nos penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum sollemnia agimus: non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus, indicatur, sed tantummodò nomen, locus & dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis Terris, atque Provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati*. Quibus verbis concedunt significari Martyrologium quoddam: „ sed illud Romanæ Ecclesiæ proprium ac peculiare fuisse negant. Idem „ sentiunt de illo, quo usus est Ado, quod *venerabile & perantiquum Martyro-* „ *logium* appellat, idque ab urbe Romana Aquileiam cuidam sancto Episco- „ po à Pontifice Romano directum, & sibi postmodùm à quodam Religio- „ so Fratre aliquot diebus præstitum ait, *quod ego*; inquit, *diligenti cura transscriptum positus apud Ravennam in capite hujus operis*, id est Martyrologii, *ponendum putavi*. Ubi non dicit Ado, inquiunt, hoc Martyrologium fuisse „ Romanum, sed tantùm missum à Pontifice Romano Aquileïam. Verùm „ Monachum illum, qui hoc Adoni affirmabat, ei procul dubio imposuisse, „ ut majorem suo codici auctoritatem compararet, & munus suum ac descri- „ bendi copiam, quam Adoni fecerat, venditaret. Non enim Romæ, sed „ Aquileïæ compositum esse illud Martyrologium, quod Ado præfixit suo, „ ac Rosvveydus pro vetere Romano edidit: idque argumento esse, quòd „ totum ferè illud Martyrologium descriptum sit ex Ecclesiastica Historia „ Rufini Presbyteri Aquileïensis, cum ipsis etiam mendis, quæ in Rufino ha- „ bentur „. Hanc viri eruditissimi, & mihi maximè suspiciendi sententiam penitus refutare nolim: sed tamen dissimulare non possum auctoritatem Concilii Cloveshoviensis anno DCC. XLVII. celebrati, in quo diserta de Martyrologio Romano mentio habetur in canone 13. definiente, *ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno eodemque die juxta Martyrologium ejusdem Romanæ Ecclesiæ cum sua sibi convenienti psalmodia seu cantilena venerentur*. Nihil hoc testimonio apertius. En *Martyrologium Romanæ Ecclesiæ* nominant Patres, & ad ejus normam natalia Sanctorum celebrari decernunt. Et fortasse illud ipsum erat, quod Augustinus & primi Prædicatores à Gregorio Magno eam in insulam missi secum attulerant. At, inquies, non erat illud Martyrologium Ecclesiæ Romanæ ab origine proprium, sed illud, quod Hieronymo à multis retro sæculis suppositum, posteà sibi Romana Ecclesia usurpaverit. Verùm sive ita, sive aliter res habeat, concedant necesse est illud Martyrologium Romanæ Ecclesiæ tum fuisse peculiare, non toti Latinæ Ecclesiæ commune. Aliàs sanè frustra *Martyrologium Romanæ Ecclesiæ* ab Anglicanis illis Patribus appellaretur. Jam verò an Martyrologium illud, quod suo præfixit Ado, fuerit ipsum Romanum, in promtu non est ut affirmem, tametsi quod Romà Aquileïam à Pontifice Romano directum sit, non levem affert conjecturam, istud non aliud esse quàm Romanum. „ Etenim quod opponit Bollan- „ dus in Præfatione Generali ad vitas Sanctorum in Rosvveydiano illo inter- „ dum non nisi unicum Sanctum, semper paucissimos referri; contrà verò in

„ eo,

„ eo, quod Gregorius memorat, multos ex diversis terris atque provinciis San-
„ ctos per dies singulos commemorari; non puto satis validum esse ad id
„ evincendum „. Nam passim in illo Rosvveydiano plures Sancti singulis diebus occurrunt, quod sufficit conciliando Gregorii testimonio. Hæc dicta sint occasione Adoniani Martyrologii, de quo plura hic observo in ejus Sancti Elogio, quem Ordinis nostri, & quidem Ferrariensis Cœnobii Monachum ante initum Pontificatum fuisse, perspicuis demonstro argumentis.

CLXXV. Notkeri. Ultimo loco commemorandum Notkeri Monachi Sancti Gallensis Martyrologium, quod apud Canisium in tomo 6. publicatum est, sed imperfectum à die 27. Octobris. Hic de Notkero ipsiusque Martyrologio plura dicere supersedeo, ejus gesta & scripta, Deo dante, illustraturus in sæculo insequenti.

CLXXVI & Nevelonis. His omnibus adjungere possum (ut Maurolycum aliósque recentiores Martyrologiorum scriptores è nostris omittam) Nevelonem Corbeiensem Monachum, qui sub finem sæculi XI. Adonis Martyrologium sive ab se, seu ab alio contractum, aliquot Sanctorum nominibus auxit, quale habetur manu descriptum in Bibliotheca Corbeiensi. Verùm hæc sufficiunt ad demonstrandam nostrorum piam sollicitudinem in rem Christianam, cujus haud multò minùs interest Sanctorum memoriam & facta scriptis perennare, quàm Sanctos habuisse.

CAPUT VII.

Observationes Ecclesiasticæ, Monasticæ, & Historicæ.

CLXXVII Approbatio librorum per Papam. HAs Observationes ordior à Summo Pontifice, à quo librorum suorum approbationem primùm se postulâsse testatur Ambrosius Autpertus in superiori sæculo laudatus; ut probat ejus Præfatio seu epistola ad Stephanum Papam III., Commentariis in Apocalypsim præfixa, in qua *defendit totius Ecclesiæ libertatem, ut scilicet unusquisque prout desuper accepit, sinè alterius controversia volumina condat*: eumque affirmat damnandum censeri, *quisquis hanc libertatem spiritûs adolere conatur*. Deinde quod huic observationi materiam dedit, ita subinfert. *Et quamquam sufficeret mihi, quia sanctarum scripturarum testimoniis veræ Fidei congruentibus roborata erant, quia præcedentium Tractatorum sensu vigebant; humilitati tamen meæ prospiciens peto, ut vestro etiam decreto profuturi firmi maneant, quod videlicet nullum præter me Tractatorem fecisse reperio. Sed non ideò libertas succubuit, quia humilitas semetipsum liberè prostravit.* Semper quidem Romano Pontifici in Ecclesia, nedum Episcopis in sua cuique diœcesi, competere visa est librorum cognitio ac censura, ut probat index ille Gelasianus: at qui libris suis approbatorii decreti auctoritatem à Papa flagitaverit, nullum ante se extitisse *Tractatorem* Autpertus existimavit. Quo nomine sinè dubio sacrorum librorum commentatorem intelligit. Hanc verò in omnes scriptores auctoritatem Papæ cælitus concessam fuisse tradit Johannes Diaconus in Præfatione ad Gregorii Magni Vitam, ubi Romano Pontifici *Deus Omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dedisse potestatem* perhibetur. Hinc est, quòd Nicolaus Pa-

pa

pa I. in epistola ad *Carolum Majorem*, id est Calvum, versionem librorum beati *Dionysii Areopagitæ* ab Johanne Scotto factam sibi de more mitti petit. *Quod juxta morem*, inquit, *nobis mitti, & nostro debuit judicio approbari: præsertim cùm id Johannes, licèt multa scientia esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur*. Et infrà. *Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, & nobis præfatum opus sinè ulla cunctatione mittat: quatenus dum à nostri apostolatûs judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur*. Itaque ante istud tempus id in more jam positum erat, ut ad Romanum Pontificem librorum censura & approbatio deferretur. Autpertus ante se factum negat ab ipsis Tractatoribus. Sed aliud est à Scriptoribus ipsis suos Papæ judicio submitti libros: aliud illorum libros ejus censuræ esse subjectos, quod jus Romano Pontifici semper competiit.

CLXXVIII Episcoporum ex Monachis vita. Jam venio ad Episcopos ex Monachis, quibus in Pontificatu priorem vitæ formam priorem que habitum retinere mos erat; idque non arbitrarii, sed necessarii officii esse ducebant. Multa hujus rei exempla in his Actis occurrunt disertè observata, ab auctoribus, qui de gestis sanctorum Cæsarii Arelatensis, Leobini Carnutensis, Germani Parisiensis, Fructuosi Bracarensis, Cuthberti Lindisfarnensis aliorumque Episcoporum libellos ediderunt. Idem elogium tribuitur Ælberto Eboracensi Episcopo in Poëmate superiùs edito de Episcopis Eboracensibus.

Nec Pater adveniens in tantum culmen honoris
Vestibus atque cibis veterem mutaverat usum.
Deliciosa nimis fugiens, nec vilia valde
Sectatus fuerat, medio moderamine gaudens.

Et quidem Episcopi ex Ordine nostro assumti à carnium usu more solito abstinebant. Hinc est quòd Pardulus Laudunensis Episcopus Hincmarum Remensem ex morbo recèns convalescentem monet, *ne à lardo sive quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur*; *& sic ad siccos & miseros tardioresque monasticos cibos redeatur*, quod argumento est hanc ei consuetudinem aliàs fuisse. Eadem familiaris fuit Elfego VVintoniensi Episcopo. Is enim, teste VVillelmo Malmesburiensi, *carnibus numquam nisi ager indulsit*, quod etiam de Baldrico Dolensi Archiepiscopo affirmare licet, qui in Episcopatu *Monachatum servasse* apud Ordericum Vitalem memoratur.

CLXXIX & habitus. Ad monasticum habitum quod attinet, eum etiam Episcopis Monasticen priùs professis penitus abjicere religio erat jam indè à sæculo V. Eorum exemplo cùm Gallicani Episcopi nonnulli, monasticæ Professionis expertes, eumdem habitum suscepissent, eos ab hac novitate revocare tentavit Cælestinus Papa I. scriptâ epistolâ ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis, in qua hæc verba. *Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrinâ, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipimus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus*. Istius autem novitatis originem ad Episcopos ex Monasteriis assumtos refundit, eosque ex obliquo reprehendere videtur his verbis. *Sed non mirum, si contra Ecclesiasticum morem faciunt, qui in Ecclesia non creverunt, sed alio venientes itinere, secum hæc in Ecclesiam, quæ in alia conversatione habuerant, intulerunt*. Neque tamen hic usus adeò novus insolensve erat, ut non aliquando usitatus; aut verò ita Cælestinis literis castigatus, ut in desuetudinem subinde mox abierit.

Nam

Nam (ut hîc Orientalium ex Monachis Episcoporum vetustissima exempla præteream) S. Martinus Turonum Episcopus, Cælestino superior, in Episcopatu *idem constantissimè perseverabat, qui priùs fuerat; eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat*, quod etiam de ejus discipulis ad Episcopatum promotis credere par est. Et post Cælestinum S. Germano Autissiodorensi, tametsi nusquam Monachus exstitisset, *indumentum cuculla & tunica indiscretis fuêre temporibus*. Procedente porrò tempore adeò hic usus invaluit penes Episcopos ex Monachis, ut Ravennates litteras hac de re scripserint ad *Carolum juniorem*, id est Calvum, conquesti, quòd Monachi ad Cathedram Ravennensem provecti, *scapulare* Monasticum retinerent: illi verò censebant melius esse, *ut* Episcopi omnes *uniformi Sacerdotalis vestis æqualitate commune ministrandi Ecclesiæ ministerium sortirentur, quàm amicto sub honore Pontificatûs pallio singulari, ab utriusque ordinis, singularitatis siquidem & Episcopalis, professione, vitâ & moribus discreparetur*. His literis Hincmarus Remensis jussu Caroli responsum dedit testante Frodoardo. Et licèt ejus rescriptum exciderit, eum tamen in gratiam Monachorum sententiam tulisse credere licet. Fortasse similis occasio fecit, ut in octava Synodo Generali, quæ anno DCCC.LXIX. Constantinopoli celebrata est, statutum sit ultimo loco, *ne Monachi ad Episcopatum assumti, Monasticum habitum deponant*. Id quod ratum habuit Concilium Lateranense sub Innocentio III., ubi Episcopis præcipitur, ut in Ecclesia superpelliceis induti sint, *nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem*. At singulare est hanc in rem S. Remberti Bremensis Episcopi exemplum, qui cùm amplexandi Monastici Instituti voto aliquando se obstrinxisset, statim atque ordinatus fuit Episcopus, *communicato cum Pontificibus, qui ipsum consecrarant, consilio, ad novæ Corbeiæ Monasterium properans, illius professionis habitum ex integro suscepit. Conversationis autem illius professionem ita fecit, ut conversationem suam, & stabilitatem morum suorum, & obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti exhiberet, quatenus labores & occupationes suscepti Episcopatûs permitterent*, ut fusiùs hic in ejus Actis legitur.

Neque verò solùm Episcopi, sed etiam Pontifices Romani eadem Religione tenebantur. CLXXX Sanè de Gregorio Magno id intelligimus ex Johanne Diacono in lib. 4. cap. 8., ubi agens de Sanctissimi Pontificis elevatione corporis, innuit cum ipso inventum non solùm pallium & phylacteria, sed etiam baltheum, qui *speciem propositi regularis olim à S. Benedicto statuti manifestat*. Consimili more Fulgentius Ruspensis Episcopus ex Monacho, *orario sicut Episcopi numquam utebatur, sed pelliceo cingulo tamquam Monachus*. Et de Eugenio Papa III. ita legimus in lib. 2. de vita S. Bernardi cap. 8. *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus ac noctibus cucullâ vestitus sic ibat, & sic cubabat: intus Monachi habitum retinens, extrà se Pontificem & moribus & vestibus exhibebat: rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum*. Nimius sim, si cuncta ejus argumenti exempla persequi velim: sed tamen hoc loco præterire non possum decretum Institutorum Cisterciensium, in quorum cap. 59. hæc leguntur. *Episcopi de Ordine nostro assumti consuetudinem nostram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observatione jejuniorum, in officio horarum regularium: excepto quòd mantellum de vili panno & pelle ovina, & pileum similem aut simplicem habere poterunt qui voluerint, cum quibus tamen rebus claustra nostra minimè intrabunt, nec conventibus nostris intererunt propter dissimilitudinem*. Cæsarius Heisterbacensis ejusdem Ordinis Monachus idem asserit, nempe *ad quodcumque officium, ad quantamcum-*

Cæsar. homil. Dom. 3. post Pent.

que dignitatem, sive sit Episcopatus, vel Patriarchatus, vel Papatus, Ordinis sui personæ eligantur, *non licere eis habitum deponere; sed regulariter vivere, regulariter psallere & manducare* ipsas teneri. Unde in variis Capitulis Generalibus sæculi XIII. arguuntur nonnulli Cistertiensium Episcopi, quòd à regulari habitu & victu desciscerent, & si facta in posterum non emendent, Ordinis societate privati denuntiantur.

CLXXXI Ad eumdem morem, ut id obiter observem, Canonici qui ad Monastica vota convolabant, si quando in Ecclesias suas reverterentur, cucullam deinceps ad memoriam gestabant ex Urbani II. decreto. Unde Goffridus Vindocinensis lib. 2. epist. 7. ad Ivonem, Ernaldum Carnutensem Decanum Monastico Ordini vindicabat *teste floccello*. *Dominus Ernaldus*, inquit, *quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundùm justitiam placuisset, teste floccello de capite suo, potiùs in nostra, quàm in vestra forte manere debuisset*. *Memorialem cucullam* appellabant Canonici Regulares, ex quibus si aliquis absque Abbatis permissu ad Monachos recepisset se se, & posteà revertisset, is ultimus in choro stare, & *memorialem cucullam* deferre tenebatur, ut eruditissimus Cangius in Glossario observavit. Hanc observationem finiet epistola Nicolai Papæ I. ad Egilem Senonensem Electum, cujus elogium hîc relatum huic maximè observationi occasionem præbuit. *Tuum, Frater carissime, propositum observa: & qui diu in Monasterio moratus es, à pristino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu custodisti; profectò indecens est, si in potiori positus dimiseris ordine, hoc ipsum sanctâ quoque scripturâ, venerandisque decretis pleniter edocentibus*:

Urban. II. 19. q. 3. Mandamus.

CLXXXII Et quandoquidem huc devenimus, quædam advertere juvat de mitra Episcoporum, quam alii *cidarim*, alii *laminam* vocant. Ejus usum omnibus ac singulis Episcopis non fuisse communem intelligitur ex privilegio Leonis Papæ IV. Anschario Hamburgensi Episcopo concesso, in quo ipsi ejusque successoribus præter usum pallii, tribuit *ornari caput ejus mitrâ, portari ante ipsum crucem*, quod argumento est id non cuivis Episcopo citra privilegium licuisse. Certè Trajectenses ad Rhenum Episcopi, saltem à sæculo VIII. ad duodecimum, non usi sunt mitrâ, ut testatur Johannes à Leidis, & post eum Johannes à Beka. Nam relata Danorum strage, hæc ille subdit in Chronici Belgici lib. 4. cap. 2. *Quapropter Ecclesia Trajectensis cum sua diœcesi spoliata, tam egestuosa facta est, ut contra Archiepiscopum Coloniensem visitare Curiam Romanam ac prosequi non valebat pro Archiepiscopali benedictione: & ipsi Trajectenses paupertate compulsi sunt accipere simplicem benedictionem ab Archiepiscopo suo proximiori; & quemadmodùm Abbates, longo tempore Missam celebraverunt sinè infula, id est mitra Episcopali, usque videlicet ad tempora Eodualdi * Episcopi, de quo dicitur inferiùs in libro sextodecimo*. Quod auctor iste rejicit in Trajectensis Ecclesiæ inopiam, id ego referendum puto in antiquum morem, quod non omnibus citra privilegium Episcopis mitræ usus olim competeret. Et quidem Alexander Papa III. Godevvaldo Trajectensi Episcopo hunc usum impertit quasi gratuitò, ut apparet ex ejus literis ab eodem auctore relatis in lib. 16. cap. 10. *Episcopalem*, inquit, *mitram tibi tuisque successoribus deferendam concedimus*. Deinde neque in Ordine Romano disertè, nec apud Amalarium aut Rabanum, nec in vulgato Alcuino de divinis officiis, ubi de ordinandis Episcopis, ulla mitræ mentio habetur. Præterea *omnes Orientales Prælati anulis & mitris Pontificalibus non utuntur, sed baculos pastorales portant in manibus*, ut legitur in epitome bellorum sacrorum apud Canisium tomo 6., & apud Jacobum à Vitriaco in Historiæ Orientalis cap. 78. *tametsi Abbates & Prio-*

Mitra Episcopalis.

* *l* Godevaldi.

& Priores Patriarchæ Jerosolymitano subjecti, mitras, anulos & sandalia in usu habent. Postea tamen Alexander Papa IV. Patriarchæ Jerosolymitano, Apostolicæ Sedis Legato, *propter honorem locorum dominicorum* indulsit uti insignibus Papæ convenientibus *in Cypri & Armeniæ Regnis, Principatu Antiochiæ, partibus Syriæ, & insulis seu Provinciis adjacentibus, & in omni parte Orientali,* ubi legationis officium exercebat, quod nullus alius Legatus sibi tribuet, nisi fuerit S. R. E. Cardinalis, ut legitur in registro Epistolarum papalium, cujus copia à V. Cl. Antonio VVione Herovallio mihi facta est. Res tamen longè aliter habuit apud Latinos, apud quos Episcopi non pauci ante omnem hominum memoriam mitrâ usi sunt, ut testantur veteres non solùm icones, sed etiam auctores. Nam S. Liudgerus mitrâ perpetuò usus memoratur: & in Ordine Romano præscribitur, ut dum canitur Evangelium, neque *coronam*, neque aliud operimentum super capita habeant Episcopi: ubi coronæ nomine mitram intelligi veri simillimum est. Certè Gillebertus Lunicensis Episcopus in epistola ad Episcopos Hiberniæ apud Usserium, & Bruno Signiensis in libello de consecratione Ecclesiæ mitram inter Episcopalia ornamenta referunt desinente sæculo XI., quo ferè tempore Leo Papa IX. Eberhardo Trevirensium Archiepiscopo *Romana mitra* usum concedit *pro investitura ipsius Primatus*.

Sed alia fuit Pontificum Romanorum, alia ceterorum Episcoporum mitra. Quippe Romanis ante Bonifacium Papam VIII. in usu erat mitra oblonga in acumen desinens ad instar saccarei panis, qualis hactenus visitur in lapidea S. Petri effigie ad portam Basilicæ S. Petri Corbeiensis, ab ipsius Monasterii (ut videtur) origine, id est ab annis ampliùs mille erecta. Eamdem Pontificiæ mitræ formam exhibet effigies Johannis Papæ XV. apud Ughellum. At verò Episcopi mitra bicorni seu bifida, haud paullò quàm nunc humiliori ab antiquo usi sunt, qualem præfert S. Germani Parisiensis Episcopi effigies ad majorem portam ejus Basilicæ in Monasterio S. Germani à Pratis cum aliis posita. Unde fortassis quis hæreat in explicando Theodulfi carmine, ubi de Episcopali capitis ornamento ita canit. CLXXXIII Romanorum Pontificum. *Ital. Sac. tom. 5. col. 1542.* Episcoporum bifidæ.

Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,
Quæ bis binus apex nomen herile dabat. *Theodulf. lib. 5. carm. 3. vers. 610.*

& infrà,

Illius ergo caput resplendens mitra tegebat.

Ex quibus versibus quadrifidam olim fuisse mitram Episcoporum nonnemo forsan colligeret. At numericum adverbium *bis* non cadit in adjectivum *binus* sed in verbum *dabat*, ità ut sit sensus, *binus apex bis dabat herile nomen*, nempe jus (ut puto) quod vocant spiritale & temporale.

Cardinalibus, etiam non Episcopis, mitræ usum jam dudum concessum fuisse patet tam ex charta Compendiensi anni MCC. XIV., cui appendent tria sigilla Cardinalium, in his Guidonis tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis cum mitra; tum ex literis Gerardi Episcopi Sabinensis, & Benedicti S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, anno MCC. XC. datis, quibus ob sententiam inter Archiepiscopum & Capitulum Remensis Ecclesiæ ab se pronuntiatam decernunt, ut suæ amborum imagines argenteæ *pretii quingentarum librarum Turonensium ad minus* fiant, supra majus altare singulis sollemnibus festivitatibus exponendæ; *& ambæ ipsæ imagines sint mitratæ*. Quin etiam Archidiaconus Pictavensis in Gallia, referente Matthæo Parisio, cùm lis inter Episcopum Lincolniensem & Robertum Abbatem S. Albani de ornamentis Abbatum Pontificalibus aliisque rebus verteretur, di- CLXXXIV Cardinalium & aliorum. *Matth. Parif. in Roberto Abbate 18 p. 52.*

 xisse

xisse fertur in gratiam Abbatis : *Meus Vicarius in Ecclesia beati Hilarii incedit mitratus in omnibus præcipuis anni sollemnitatibus ; nec derogat mitra Episcopali dignitati*.

CLXXXV
Episcopi ordinandi delatio per Episcopos.

Porrò apud Gallos olim mos erat, ut Episcopum statim ab ordinatione sua *soli Episcopi in sella aurea sursum elevarent & manibus portarent intra oratorium*, quod Compendii factum in ordinatione VVilfridi Archiepiscopi Eboracensis Stephanus Eddius commemorat in cap. 12. Hunc morem indicat Ordo Romanus ms. quem habemus ex Monasterio Vindocinensi : in quo legitur, electum Episcopum post editam fidei professionem reduci in sacrarium; indéque cambagis, sandaliis & dalmaticâ ab Archidiacono indutum, ab Episcopis duobus casulis indutis juxta altare deportari. Ad alia progredior.

CLXXXVI
Baptismus per superfusionem.

De Baptismo notandus est locus in Vita S. Liudgeri Auctore Altfrido, ubi infantuli baptizandi benedictâ aquâ intincti vel superfusi dicuntur. Ex quo intelligitur, Baptismum per superfusionem aliquibus in locis jam tum obtinuisse, quod tamen prohibet Concilium Celichitense sub initium sæculi IX. his verbis cap. 11. *sciant Presbyteri quando sacrum baptisma ministrant, ut non effundant aquam sanctam super capita infantium; sed semper mergantur in lavacro*. Et tamen Stephanus Papa II. in responsione 12. ad interrogata Gallorum Brittaniaci edita, pronuntiaverat licere *per necessitatem cum concha aut cum manibus infanti in infirmitate posito aquam super caput fundere, & sic baptizare*. Trinam autem mersionem etiam erga ejusmodi infantes in Galliis observatam fuisse discimus ex Stephani Tornacensis epistola, ubi *undarandi* vocabulo utitur. Et Cyprianus in similibus factis baptismum ex superfusione non improbat in epistola ad Magnum. Id verò etiam ad sanos traductum Carolo Magno imperante testatur Auctor de separatione veteris Romæ à Græcis apud Allatium : qui Auctor hunc morem per Arrianos & Apollinaristas Romæ vulgatum fuisse refert, haud scio an satis probabili fide. Trinam porrò mersionem contra unicam Hispanorum propugnavit Alcuinus epistola 39. eaque adhuc in usu erat sæculo XIII., ut auctor est Jacobus à Vitriaco in Historiæ Occidentalis cap. 36. immo etiam sæculo XV. ex Erasmi Ἰχθυοφαγία. Hic ex occasione memorandum venit factum cujusdam Nortmanni, qui baptismum se suscepturum ficte professus est, *dum tamen manibus nobilis Ramnulfi Comitis sacro levaretur à fonte, quod sanè illum expetisse pro munificis (ut ea gens assolet) arbitrari non est dubium albis*, ut legitur in libro ms. de miraculis S. Hilarii Episcopi Pictavensis. *Ergo sic baptizatus, albisque admodum cupidè desideratis indutus, dum limen Ecclesiæ, ubi Hilarius requiescit, pedibus attigisset, licèt magna cœlo inesset serenitas, subitò surgente turbine venti chrismalis vestis ab ejus capite divellitur*. Ex quo intelligitur, albas illas vestes, quæ chrismales itidem dicebantur, admodùm pretiosas fuisse, tametsi passim lineæ aut ex cannabe erant. Hic ex occasione juverit observare locum de Baptismo Sabbati Sancti ex ms. Pontificali Benigniano, ubi baptizandi à reddita Symboli confessione *Reddentes* mihi videntur appellari in hæc verba : *Oratio in Sabbato Sancto Paschæ ad Reddentes, dicit Domnus Papa post Pistengis*. Ubi legendum videtur πιςεύω εἰς, quæ sunt prima Symboli Græci verba.

Allat. de consens. utriusque Ecclesi. l. 2. c. 6. n. 3.

CLXXXVII
Balneum ante Communionem.

Non præfunctoriè legendus videtur locus ex Vita S. VVillelmi Monachi Gellonensis, qui *sacris altaribus hanc servabat reverentiam, priusquàm sumturus iret Christi Eucharistiam, etiamsi esset hiems aquas glacie perstringens, ut aquis perfunderetur*. Eadem consuetudo plerosque alios tenuit, ut in diebus sollemnioribus balneorum usu corpora sua purgarent, haud dubiè ob reverentiam sacræ communionis, qua de re legenda Menardi observatio in cap. 55.

Con-

Concordiæ Regularum. Quam ob rem Amatus Abbas Habendensis *balnearum fomentis bis tantùm utebatur in anno, ante sanctum videlicet Domini Natalis diem, ejusque sacræ Resurrectionis Pascha*, tametsi nonnulli alii à balneis prorsus temperantiæ causâ abstinebant. A postremis illis longè dissidebat S. VVilfridus, qui referente Eddio Stephano in ejus Vitæ cap. 20, *Corpus in aqua benedicta & sanctificata nocturnis horis indesinenter æstate & hieme consuetudinariè lavabat* castitatis ergò, *usquedum Papa Apostolicæ Sedis beatæ memoriæ Johannes pro ætate sua hujus laboris resolutionem habere præcepit*. Affine huic exemplum est, quod tradit VVillelmus Malmesburiensis de sancto Aldhelmo Episcopo Schireburnensi, itemque de Daniele Occidentalium Saxonum Pontifice, quorum prior, *ut vim rebelli corpori consciseeret, fonti, qui proximus erat Monasterio, se humerotenus immergebat. Ibi nec glacialem in hieme rigorem, nec æstate nebulas ex locis palustribus halantes curans, noctes durabat inoffensus - - - Fons ille de nomine Sancti dictus*. Alter verò *in alia parte urbis* in *fonte* qui idcircò *Danielis dicitur, cælestes noctibus ducebat excubias*.

Aliud item de VVillelmo Duce superiùs memorato venit observandum, nempe eum statim ab ingressu Monasterii Religiosis vestibus insignitum fuisse, contrà quam Regula S. Benedicti & Synodus Aquisgranensis præscribunt. Idem de Benedicto Anianensi non obscurè innuit Ardo, tametsi passim Monasticus habitus nonnisi post decursum probationis annum tribueretur. Qui priori modo Religiosis vestibus mox induebantur, non statim Monasticis Institutis addicti erant, nisi expressa Regulæ professio accessisset. Id perspicuum fit ex Actis S. Liudgeri Episcopi, qui licèt in Casinensi Monasterio duos annos & dimidium, ut Monachus sub Monasticis vestibus deguisset, *cucullam tamen posteà portare desiit, eò quòd promissionem observationis Regulæ Monachorum non fecerat*. Et Gundramnus Diaconus Rabani nepos, etsi à puero inter Fuldenses Monachos educatus, tamen quia *ligatus* non erat Monasticis votis, ad sæculum rediit, ut in Sancti Soli Vita legitur. Longè recentius exemplum habemus in VVladislao Casimiri Evinacensis Ducis Filio, qui in Monasterio S. Benigni *per aliquot annos ut conversùs mansit, nulla tamen inibi regulari professione emissa*. Testes hac de re sunt in Spicilegii tomo 7. Clementis Papæ V. literæ, VVladislao mandantes, ut Monastico habitu abdicato ad suscipiendum Poloniæ regnum concedat, quòd *numquam firmum propositum habuerit in aliquo regulari Ordine remanendi*. CLXXXIIX Monasticæ vestes statim ab ingressu Monasterii sinè professione.

Contrà verò alii nulla facta probatione, ubi admissi erant in Monasterium, statim cum monastica veste Regulam profitebantur, neque repetendi sæculi facultatem habebant, quod maximè locum habuit in iis, qui ut Abbates fierent, Monachum induebant. Eorum in numero venit Probus apud Gregorium Magnum, ex sæculo raptus ad regimen Monasterii Andreani: & Anselmus Nonantulæ Abbas, simulque Monachus a Stephano Papa III. institutus est, ut testantur Pontificiæ literæ, in quibus Anselmus à Stephano postulasse dicitur, ut ipsum *per benedictionem protinus suis manibus consecraret Abbatem, & cucullâ indueret secundùm Regulam S. Benedicti*. Ante eos idem contigit de S. Germano Parisiorum Episcopo, qui cùm Presbyter esset Ecclesiæ Æduensis, factus est Abbas S. Symphoriani, simulque Monachus, siquidem *adeptus gradum curæ pastoralis*, teste Fortunato, *de reliquo Monachus persistebat*. Idem etiam de S. Leodegario Abbate Cœnobii S. Maxentii, dein Episcopo Æduensi. Quin etiam Abbates sæcu- CLXXXIX Alii cum professione.

lares

lares nonnulli, cùm Monasterium suum Monachis orbatum, in pristinum statum restituere vellent; & ipsi vitam monasticam capessebant. Ejus rei exempla habemus in S. Othmaro Sancti-Gallensi Abbate, itemque in Sigulfo Abbate Ferrariensi, tum etiam in Aureliano Abbate primùm Athanacensi, dein Lugdunensi Archiepiscopo, aliisque non paucis. Sed præ ceteris insigne est factum Mettensium Clericorum, qui in Gorziense Asceterium Monachis pænè vacuum jussu Adalberonis translati, cùm *in vestibus Clericorum* aliquamdiu incessissent; more monastico electionis de sibi præficiendo Patre facultate petita & accepta, *cum institutione vitæ regularis habitum quoque Monachi commutarunt: unoque voto & pari sententia domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipse primus omnium Episcopo regularem conversationem ex Instituto beati Benedicti scripto professus, cucullo induitur: sequentes Abbati ex ordine profitentes, in militia cælestis & obedientia Sacramenta sub ipso omnes similiter pari modo conjurant.* His adjungendus est S. Rembertus Bremensis Antistes, qui cùm Monasticæ Religioni nomen dare aliquando statuisset, mox ut fuit Episcopus ordinatus, ad Saxonicum Corbeiæ novæ Cœnobium accessit, ibique Monasticis indutus vestibus, servandæ Regulæ votum emisit, ut superiùs observatum est.

In vita S. Johan. Gorziæ Abb.

CXC
Discriminis ratio.

Duplicis ejus generis hominum, qui vestes monasticas suscipiebant, discrimen repeti debet ex eorum animo seu voluntate: propterea quòd alii cum firmo perseverandi proposito, alii solo probationis animo in Monasteria secedebant. Primis illis, siquidem tanta inerat morum, ætatis ac judicii gravitas, ut de eorum perseverandi proposito nulla posset superesse suspicio, statim profitendi copia concedebatur; aliis annua probatio erat subeunda.

CXCI
Habitus & professio Monastica in extremis.

Priorem ob causam, hi qui in extremis positi pœnitentiæ causâ Religiosis vestibus induebantur, in Professorum censebantur numero, si postmodùm ex morbo convaluissent. Nam publica illa pœnitentiæ protestatio coram Deo irrita fuisset, nisi sæculo nuntium remittendi firmus accessisset animus: ideóque his citra apostasiæ culpam ad sæculi vota denuo redire nefas erat. Id patet maximè ex Orderico Vitali, qui de Adelardi Presbyteri post susceptum in morbo habitum recuperatamque sanitatem reditu in sæculum agens, eumdem, cùm mortem sibi imminere cerneret, æterna *propter apostasiæ reatum* supplicia metuisse, ob idque Mainerio Uticensi Abbati supplicasse, *ut habitum S. Benedicti, quem peccatis suis facientibus reliquerat, sibi redderet.* Nihil verò luculentius huc afferri potest, quàm Petri Damiani testimonium, qui hoc argumentum fusè ac solidè pertractavit in opusculo 16. ad Gisserium Episcopum Auximanum. Is inaudierat, quemdam Episcopum hanc opinionem spargere in vulgus, nimirum licere iis qui Monasticum habitum in morbo extremo appetissent, ad sæcularem vitam, si revaluissent, denuo reverti. Ea res Petro tanti visa est, ut eam detulerit ad Pontificem Romanum, & Guindonem Numanatem Episcopum, qui ejus inventi auctor ferebatur, durè increpuerit. Sed eo pernegante, opusculum condidit in Episcopum Anonymum, siquidem auctor ignotus erat, validisque argumentis probavit ejusmodi hominibus non licere remeare in sæculum. Quippe *tanta veneratione, tantâ custodiæ censurâ monachicum habitum sancti Patres dignum esse censuerunt, ut penè quocumque modo illum quis indueret, relinquendi postmodùm licentiam non haberet*, neque ad hoc necessariam esse annuam probationem. *Non enim jam probatio expedit, ubi qui probandus est, perspicaciter innotescit; sed is, de cujus mente quo spiritu ducatur ambigitur, valdè necessarium est ut probetur.* Et sicut ba-

baptismus nonnisi post longa sæpiusque iterata scrutinia olim collatus, validus tamen censebatur, si cui *postpositâ morosæ intercapedinis observantiâ* repentè concessus fuisset: ita de secundo (quem vocat) baptismo, scilicet de monastica professione, statuendum esse; ut *sicut prior semel receptus nullatenus valet repeti, ita etiam secundus nulla possit juris ratione contemni*. Consule Allatium in lib. 3. de utriusque Ecclesiæ consensione cap. 16. à num. 10.

Præter ejus facti exempla à me relata in Sæculi I. Præfatione, alia id genus sexcenta apud veteres occurrunt. At nullum illustrius, quàm Lotharii Imperatoris, qui morbo correptus, *vitamque desperans, Monasterium Prumiæ in Arduenna constitutum adiit, sæculoque & Regno penitus abrenuntians tonsus est, vitam habitumque Monachi humiliter sumens: & disposito inter Filios Regno, intra sex dies vitâ decessit*. Sunt qui id ab illo factum memorant, ut paternæ vexationis, cujus ipse conscius fuerat, pænitudinem testaretur. Lege sis versus elegiacos de ejus obitu apud Baronium, qui versus Henrico tertio à nonnullis perperàm tribuuntur. Lotharii exemplum secuti sunt quoque Orientis Imperatores non pauci: „ quos inter Isaac Comnenus, cùm quibusdam Mo„ nasteriis multas possessiones ademisset; fulmine percussus, ad placandum „ sibi Deum amplexus pœnitentiam, monasticæ vitæ se dedicavit in Studii „ asceterio: ubi aliquamdiu superstes, omnem præstitit Monasterii Præfe„ cto obedientiam, ita ut janitor esset, & alia ministeria obiret, „ testante Johanne Curopalata. Manuelis Comneni par facinus, nec pœnitentiad spar. Is enim in Ecclesiarum opes injecta manu, etiam Nicephori Phocæ de non augendis Monasteriorum latifundiis sanctionem, olim abolitam, edicto suo revocavit: sed posteà quasi resipiscens edidit auream Bullam, quæ & Medicatrix dicta est, utpote quæ medeatur titulis & juribus omnium Ecclesiarum, jussitque insuper, ut Ecclesiarum & Monasteriorum immobilia intacta essent à manu Fisci, eorumque titulis, etiam suspectis, robur & auctoritatem diplomate suo conciliavit; ac tandem cùm se ad exitum urgeri intelligeret, cum alto suspirio femur percussit, & Monasticum habitum postulavit; & confestim nigro, qui ex tempore occurrit, panno indutus exspiravit. Denique (ut ceteros interim prætercam) Johannes Briennius Rex Jerusalem extremos spiritus Deo consecravit in habitu Minorum. Neque verò Laici tantùm, sed etiam Episcopi id genus pœnitentiæ subire non indignum ducebant. Inter primos occurrit Paulus Constantinopolitanus Patriarcha Sanctissimus, *qui valde infirmatus thronum reliquit; & descendens ad Monasterium Flori*, Monasticum suscepit habitum, id quod anno DCC. LXXXIV. contigisse docet Theophanes. In Occidente hic etiam usus abiit in morem. Nam Hugo & Rotbertus Autissiodorenses Episcopi, ad morbi extrema redacti, Monasticum habitum induerunt, uti & Bernardus Hildesheimensis. Item Rotbertus Lingonensis Pontifex gravissimo correptus morbo, *humiliter se in conspectu Dei accusans, & veniam peccatorum exposcens, à Domino VVidone Molismensi Abbate monachilem habitum suscepit*, acceptoque Viatico vitam finivit, ut ex Chronico Besuensi discimus. Alia id genus complura prætereo. Vigebat adhuc iste usus sæculo XIV., ut varia passim Monasteriorum Tabularia, & Necrologia testantur, à quibus referendis abstineo, Thomam dumtaxat Cantipratensem sæculi XIII. testem luculentum adducturus. Hic igitur in lib. 2. cap. 51. *Quoniam*, inquit, *multi sunt qui ad Religionem in morte confugiunt, quid eis habitus Ordinis valeat in ultima necessitate susceptus, dubitare plurimi voluerunt*, quam dubitationem ille subjecto exemplo refellit. Qui hoc modo Monachum induebant, dicebantur *Monachi ad succurrendum*, qua de re in Sæ-

CXCII Exempla Imperatorum.

Præf. Sæc. I. n. 105.

Leunclav. de Jure Græco-Rom. p. 149. & 156.

Nicet. Chon. lib. 7.

Raynald. ad ann. 1239.

& Episcoporum.

Præfat. sæc. 3 num. 21.

Tom. 1. vet. analect. pag. 358.

Seculi tertii Præfatione actum est. Ad eumdem modum qui in extremis alicui conferebatur, *Baptismus ad succurrendum* appellatur in mſ. Rituali Monasterii S. Johannis Laudunensis. Huc pertinet Odonis Cantuariæ Monachi sermo de S. Benedicto, in quo hæc legimus. *Hinc est quòd ad eum omnes gentes, nationes, tribus & linguæ benedictionum ejus accipiendarum gratiâ currunt: adeò ut ipsi derisores, qui huic Religioni in vita sua detrahunt, in morte tamen absque hujus Religionis habitu, scilicet cucullâ, saltem ad succurrendum, securi esse non audeant.* Jam nobis, quibus non tam seria est, quam sera pœnitentia, bellè Religiosi videntur, qui corpus suum post mortem religioso habitu involvi postulant, quæ sanè forma mortuis aptè convenit, alia viventibus. Quamquam id etiam demortuis prodesse quidam sæculo IX. apud Græcos persuadere conati sunt: quos refellit Theodorus Studita in epistola ad Theoctistum Eremitam.

V. Allat. de utriusque Ecclesiæ consensu lib. 3. c. 16. num. 13.

CXCIII Hujusce ritus origo.

Hujus pænitentiæ originem refero ad antiquum morem, secundùm quem Fideles nonnulli peculiari instinctu, in extremis perpetuæ (si sanitas integraretur) pœnitentiæ devovebant se se. Ex his nescio an unus fuerit Marcus Referendarius, qui teste Gregorio Turonensi Episcopo, *post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalavit.* Hujusmodi pœnitentiæ explicatior habetur notitia in Conciliis Toletanis tertio, & quarto. Et in quarto quidem ita statuitur cap. 12. *Quicumque ab Episcopo vel Presbytero sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus observet vel Presbyter, ut si vir est, sive sanus sive infirmus, priùs eum tondeat*: aut (quod alia lectio addit) *in cinere & cilicio habitum mutare faciat & sic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi priùs mutaverit habitum. Sæpiùs enim Laicis tribuendo desidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.* Qui sic acceptâ tonsurâ & veste pœnitentiam profitebantur, ei perpetuò addicti erant, ut docet Concilii quarti Toletani caput 5. *Quicumque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes Laici effecti sunt; comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam ex qua recesserant, revocentur. Quòd si aliqui per potentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertentur, verè ut apostatæ coram Ecclesia anathematis sententiâ condemnentur &c.*

Greg. Tur. lib. 6. c. 28.

CXCIV Wambæ Regis exemplis illustratum.

Erat ergo is pœnitentiæ perpetuæ status seu ordo, qualem subiit VVamba Vesigothorum Rex veneno potatus: *quem cùm Episcopus & Optimates vidissent absque memoria jacentem, statim ei confessionis & pœnitentiæ ordinem dederunt. Cùmque Rex à potione convaluisset, intelligens ordinem sibi impositum, Monasterium petiit ibique quamdiu vixit, in Religione permansit.* Ita factum memorat Alfonsus Salamanticensis Episcopus, quem non bene explicant alii Hispanici Scriptores Rudericus Toletanus, & Lucas Tudensis. Namque pœnitentiæ & confessionis nomine unctionem sacri olei, & communionem Christi Corporis intellexit Lucas: Rudericus verò ait, Quiricum Episcopum & optimates, cùm viderent Regem memoriâ destitutum, statim ei confessionis & pœnitentiæ antidotum obtulisse, Regemque devotè suscepisse, & Religionis habitum postulasse, & ad Monasterium convolasse in villa, quæ Pannisplica dicebatur. Monasterium S. Vincentii de Pampliega appellant. Sanè Regi nescienti pœnitentiæ ordinem fuisse impositum, nec tum satis mentis suæ compotem extitisse, ut monasticum habitum postularet, palàm fit ex Alfonso. Sed ut ad rem me referam, cùm ejusmodi pœnitentes sanitati restituti intelligerent, non nisi ægrè in sæculo istud genus pœnitentiæ peragi posse; id de-

demum VVambæ exemplo induxerunt animum, ut in Monasteria perpetuò se retruderent: ac subinde ita mos obtinuit, ut non alius perpetuæ istiusmodi pœnitentiæ habitus traderetur, quàm Monasticus, qui sanè pœnitentiæ causâ institutus est. Apud Hispanos porrò Confessores passim appellabantur, qui sic pœnitentiam in extremis monastica veste suscepta profitebantur, ut scitè advertit in suo Glossario Cangius vir eximiæ eruditionis.

Non finiam has de Monastico habitu Observationes, priusquàm exposuerim quemdam locum ex vita S. VValafridi Palatiolensis Abbatis, qui Fratrem quemdam nocturnis vel meridianis temporibus *extra cucullam* jacentem, per visum increpuit ceciditque. Ubi cucullæ nomine scapulare significari non dubito: quo sensu usurpatur apud Smaragdum in Regulæ caput 55. *Cucullam*, inquit, *dixit ille, quod nos modò cappam --- quod verò dicit scapulare propter opera, nos modò dicimus cucullam*. Confer Theodemari epistolam ad Carolum Magnum. Hîc opportunè ad propositum nostrum duplicem distinguit cucullam Scriptor apologiæ Henrici IV. Imperatoris, ita enim habet. *Cuculla dicitur vestis cucullata propter cucullum, qui est capitis operimentum --- Igitur cuculla est tunica talaris & cucullata atque manicata, habens speciem crucis per quatuor partes extensæ, ut eum qui crucifixus est mundo, hæc quadriga ex omni parte concludat*. Et post multa. *Sed quia otiositas inimica est animæ, ideò propter opera tantùm constituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur scapulare, & quòd ejusmodi vestis apta sit caput tantùm & scapulas tegere --- Vidimus nos aliquando vestem cucullatam, parvam quidem, sed ita moderatam, ut desuper usque ad renes tantùm deflueret, & utrimque usque ad humerorum confinia pertingeret, qualis certè forma atque mensura propriè dicitur scapulare, quod Monachis propter opera tantùm assignatur ex mandato Regulæ*. Hujusmodi scapularis figura cernitur in Historia Fuldensi apud Brovverum, depicta ante annos octingentos. Cùm majorem cucullam gestabant Monachi, breviorem seu scapulare deponebant, & vice versâ. Hanc ergo cucullam brevem seu scapulare semper in usu habebat Eugenius Papa III. ex dictis de more Cistertiensium, quibus cum cuculla & tunica jacere mos est, utì de suo tempore testis est Jacobus à Vitriaco in Historiæ Occidentalis cap. 14. & quidem ad Regulæ nostræ præscriptum; nec cucullam etiam in morbo urgente impunè abjicere licuit Monacho cuidam Cistertiensi, apud Thomam Cantipratensem in lib. 1. cap. 7. CXCV Cuculla & scapulare quid.

In Abbatibus nostris quamdam Episcopalis auctoritatis portionem resedisse agnoscunt eruditi, idque probant ex potestate conferendi Ecclesiasticam tonsuram, adeóque Ordines inferiores, in Tridentina Synodo concessa. Nonnumquam etiam excommunicare Laicos visi sunt, tametsi id quo jure fecerint, non satis liquet. De excommunicatione testis est Albericus unus ex primoribus Castellionis super Lupam, qui cùm Floriacensis Cœnobii prædium quoddam invasisset, nec admonitus resipuisset; ab Abbate Rainerio excommunicatus est, miseréque mortuo excommunicatio rogante ejus fratre soluta. Rem fusè refert in hoc tomo Rodulfi Tortarii liber de miraculis S. Benedicti. Longè antiquius est factum Columbani Abbatis Luxoviensis. Is quippe cùm Theodoricum Regem ab insanis actis revocare non potuisset, literas ad eum acribus verbis plenas direxit, *comminatus excommunicationem, si emendare dilatando non vellet*. Idem eamdemque ferè ob causam accidit Constantino Imperatori, quem ob repudiatam Mariam uxorem & Theodoten superductam, Theodorus Studita anathemate perculit anno DCC. XCV. Ubi observat Baronius, Theodorum non ita excommunicasse Imperatorem, ut quæ sunt Episcoporum sibi usurparet jura: sed ut eum ob flagitium à Deo sepa- CXCVI Abbatum potestas in rebus sacris. *Thomasin. Discipl. Eccl. part. 4. p. 180.* Excommunicatio. *Tortar. infrà pag. 398.* *Jonas in Vita S. Columb. num. 32.* *Baron. ann. 795. sub finem.*

 ratum

ratum exclamaret, indignumque quorum quis suorum communicaret. Certè Imperatoris ab se sic excommunicati memoriam in sacra liturgia faciebat ipse Theodorus. Sed neque id irritam excommunicationem fuisse probat, quandoquidem Hadrianus Papa pro discipulis Felicis & Elipandi excommunicatis Missas celebrari non tantùm permittit, sed etiam postulat apud Baronium. His præiverat Monachus ille in Tripertita Historia, Theodosio Imperatori excommunicationem inferre ausus: quam licèt temerariè inflictam adeò non contemsit piissimus Imperator, ut suadentibus licèt Episcopis cogi non potuerit, ut aliquid gustaret, donec Monachus ille diu quæsitus ipsi permisisset. Hujus Monachi facinus reprobat non solùm Tripertita Historia, sed etiam S. Odo Abbas in Collationum lib. 1. At neminem qui excommunicationem per Abbates factam, tamquam inanem refellerit, apud veteres invenio. Lege quæ de Gervvino Abbate Centulensi habentur in Spicilegii tom. 4. Ut autem ab aliis etiam rata haberetur excommunicatio per Abbates facta, eam ab aliis tum Clericis, tum Abbatibus proferri curabant. Id docet nos in primis Chartarium S. Bertini de villa Calvo-monte, quo in Chartario leguntur literæ tum Hugonis Decani & Capituli Noviomensis, rogatu Johannis Abbatis Bertiniani excommunicantium Castellanum Codiciacensem, si de advocatione ejus villæ Monachos deinceps infestaturus esset; tum Abbatum Goberti de Valchellis, Simonis de Laude & Adami Aquicincti idem præstantium ann. Domini M.CCI. apud Ursicampum. Adi Marloti tomum 2. de Metropoli Remensi. Aliquando tamen excommunicationes illæ esse poterant ex eo genere, de quo loquitur pseudo Synodus Constantinopolitana, quam secundam & primam dicunt, decernens capite 14. ut *si quis Episcopus Metropolitani crimen prætexens, ante Synodalem cognitionem se ipsum ab ejus communione subduxerit, & nomen ejus non prout divini mysterii celebrationi est consuetum, referat, depositus à Synodo sit.* Idemque statuitur de Presbyteris, Episcopis, & Metropolitanis adversùm Patriarcham. Longè probabilior excommunicandi modus designatus est à Benedicto Papa VII., Guillelmo Abbati S. Benigni præscribente, ut Benignus Episcopus inibi Monachus factus invasores bonorum Monasterii excommunicaret. Apprimè huic loco Valesius venerandi vir nominis apud eruditos, in Notis ad Eusebium pag. 136. duplicem distinguit excommunicationem, publicam & privatam: qualis est ea, qua Macarius Presbyter alios Presbyteros excommunicasse dicitur.

Baron. ann. 794.

Spicil. tom. 4. pag. 580. & 581.

Marlot Metropol. Rem. lib. 2. cap. 6.

CXCVII *Tonsura per Abbates num. 22.* De tonsura Ecclesiastica per Abbates collata cùm egerim in sæculi 3. præfatione 9., plura hìc dicere supersedeo: sed tantùm adduco decretum Concilii Pictavensis anno MC. celebrati, in quo statuitur cap. 1. *ut nullus præter Episcopum coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantùm benedicant coronas, quos sub Regula S. Benedicti militaturos susceperunt*, seu *quos ad conversionem susceperint*, ut legit Concilium Belvacense in Spicilegii tomo 2. Hinc est quòd Petrus Cellensis Crispinum Clericum ad Petrum Cardinalem accipiendæ tonsuræ gratiâ remittit. Attamen Sanctus Convvoion Abbas Rotonensis Ratvvilum tyrannum tonsurâ collatâ Clericum fecisse memoratur in lib. 1. de ipsius gestis infrà, cap. 4. Postremò Abbas Presbyter consecratus, poterat ordinare Lectorem & Subdiaconum in suo Monasterio, ex Canone Nicephori Confessoris, ut notavit eruditissimus vir Johannes Baptista Cotelerius in notis ad Constitutiones Apostolorum. De Lectore idem habet canon 14. Concilii Nicæni secundi. Adi Tridentinum.

in lib. 3. Constit. cap. 20. col. 217.

CXCVIII *Ecclesiæ dedicatio.* Singularis, sed difficilis est locus in libro de vita S. Galli Abbatis, ubi S. Columbanus Luxoviensis Abbas Ecclesiam dedicasse memoratur his verbis. *Bea-*

Beatus autèm Columbanus jussit aquam afferri, & benedicens illam, adspersit eâ templum (sanctæ Aureliæ;) & dum circuirent psallentes, dedicavit Ecclesiam: deinde invocato nomine Domini, unxit altare, & beatæ Aureliæ reliquias in eo collocavit, vestitoque altari, Missas legitimè compleverunt. Id tantùm habemus ex testimonio VValfridi, in rebus certè Ecclesiasticis peritissimi, sed qui ducentis annis Columbano posterior erat. Longè pluris esset Jonæ Monachi auctoritas, si de ea re locutus fuisset.

De puerorum oblatione, à parentibus facta ex præscripto Regulæ S. Benedicti, nata est sæculo IX. Controversia, an in posterum irrevocabilis censeri debuisset. Quibusdam contra superiorum sæculorum sententiam, immo etiam contra Conciliorum & Pontificum decreta negantibus obstitit Rabanus scripto libro ad Ludovicum Imperatorem, *contra eos, qui oblationem contra Regulam sancti Benedicti destruere volebant*, testante Rodulfo in Vita Rabani. Hunc librum in forulis Mellicensis Bibliothecæ hactenus detineri, nec à me obtineri potuisse jam aliàs dixi. Hujus porrò contentionis occasio nata videtur ex canone 23. Concilii Moguntini, anno DCCC. XIII. ita definientis, *ut hi qui hactenus inventi sunt sive in canonico, sive in monastico ordine tonsurati sinè eorum voluntate, si liberi sunt, ita permaneant; & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sinè legitima ætate & spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui*. Hoc tamen decreto non attingi impuberum oblationem à parentibus fieri solitam hac ratione existimo, quòd illa non secùs atque ante in Ordine nostro post hoc Concilium viguit, ut testatur in primis Paschasius Radbertus in expositione Psalmi 44. ad Suessionenses B. Virginis Sanctimoniales, ubi vocat eas *parentum vota*, quòd devotæ antequàm in lucem ederentur, & in tenella ætate Deo à parentibus consecratæ, Monasticisque Institutis addictæ fuissent; nec Rabanus contra Concilii decretum, siquidem eam intellexisset ipsius esse mentem, haud dubiè scripturus fuisset. Itaque huc tantùm spectare videtur Concilii Statutum, ut pueris qui jam usu rationis gaudebant, citra eorum voluntatem tonsura non conferretur; non verò ut cessaret filiorum à parentibus fieri solita oblatio. Sic Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum petunt, *ut nullus vi Monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, sive liber sit, sive servus*. Hunc autem Concilii esse sensum indè inferas, quòd de Canonicis ex æquo & Monachis interpretandus sit canon: cùm constet apud Canonicos sæculares ejusmodi oblationem non fuisse receptam, nec tonsuram apud eos collatam ante usum rationis. Posteà tamen paullatim usus obtinuit, ut perseverante etiam puerorum per parentes oblatione relaxata sit pueris necessitas in Monasterio permanendi, donec adulta jam ætate oblationem suam ratam habuissent. Udalricus auctor in Consuetudinum Cluniacensium lib. 3. cap. 8. ubi relata puerorum oblatione ejusque ritu, ita subdit. *Posteà induitur cucullâ, & de cetero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non ampliùs, vel usque ad quindecim annos ætatis*. Cur enim illa puerorum benedictio dilata fuisset ad annum quintum decimum, nisi ut propria eorum voluntas jam explorata haberetur? propagatus est iste usus à Cluniacensibus ad alios, tandemque jure novo sancitus Clementis Papæ III. Cælestini item tertii auctoritate; cui tandem accessit Concilium Tridentinum. CXCIX Oblatio puerorum.

Ad idem sæculum revocanda est divisio bonorum monasterialium inter Abbatem & Conventum, qualis in Monasteriis S. Dionysii & S. Germani apud Parisios ab Hilduino Abbate regulari facta est. In causa fuit rapacitas quorumdam sæcularium Abbatum, qui omnia Monasterii sibi commendati CC Partitio bonorum.

bona in usus suos demum convertebant. Id, ut ne in Monasteriis sibi subjectis aliquando fieret, Hilduinus Abbas hac partitione consuluit, ut testantur literæ hac de re ab eo confectæ. Ejusmodi argumenti est epistola 3. Frotharii Tullensis Episcopi ad Ludovicum Imperatorem pro Monasterio Mediolacensi, diœcesis Trevirensis, ubi tempore Fortunati Abbatis, jussu Imperatoris, *Smaracdus ipsius Monasterii Monachis portionem de Abbatia dederat, ut regulariter viverent*. Sed Hismundo Abbate hanc portionem sibi vindicante, querelis ad Imperatorem delatis, Frothario promisit Abbas se *per omnia emendare velle, quidquid hactenus negligenter ex sua parte fuerat actum*. Monachis eo pacto, nec aliter assentientibus, *nisi illis portio sua redderetur*; eoque pernegante, à Frothario Monachi postularunt, *ut illis licentiam daret ad Imperatoris præsentiam recurrendi, ejusque misericordiam implorandi: dicentes se magis velle de eodem Monasterio expelli, & in peregrinatione & mendicitate vivere, quàm falsis promissionibus ulteriùs credere, & sub falso Monachorum nomine militare*. Eorum postulatis annuit Frotharius, præmissis ad Imperatorem literis, ex quibus hæc relata sunt. Huc etiam spectat ipsius Frotharii embolum epistolæ primæ. Eodem sæculo definente Franco Leodicensis Episcopus, idemque Laubiensis Abbas, ita cum suis Monachis bona partitus est, *ut medietas Abbatiæ Fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret; aliam Episcopus sibi & militantibus manciparet*.

CCI Decimæ Monachis datæ. In censu bonorum Monasterialium ante sæculum IX. computabantur decimæ, quæ nonnisi sæculo XI. Monachis à nobilibus viris earum invasoribus fuisse collatas nonnulli perperàm existimant. Et quidem in Chronico Laubiensi, in quo superiora de Francone relata sunt, fit mentio decimarum indominicatarum, de quibus statutum est, *ut decimæ omnes indominicatæ ad portam Monasterii in usus pauperum sint & peregrinorum*, quas sanè decimas longè ante Franconis tempus Laubienses jam possidebant. Antiquius ejus rei testimonium habemus in Actis S. Anselmi Abbatis Nonantulensis, cujus rogatu Stephanus Papa III. Nonantulensium Monachorum bona *cum decimationibus* confirmat, prohibetque decimas umquam concedi, *nisi Ecclesiis supradicti venerabilis Monasterii*. At multò illustrior est Ludovici Germaniæ Regis traditio, consignata in ejus diplomate pro Parthenone Herifordensi, ubi Ludovicus Pius *Cellam juris sui, quæ vocatur Meppia, cum decimis & possessionibus undique ad eam pertinentibus, & Ecclesiam Eresburg novæ Corbeiæ* Monachis tradidisse memoratur; Herifordensi verò Parthenoni alias Ecclesias, *ita sanè ut decimarum aliorumque redituum proventiones præfatis cederent Monasteriis, & ab ipsis vicissim procurarentur subjectæ plebes in Baptismate, in Eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda; & Presbyteri, qui principales ex his Ecclesias tenerent, Archipresbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ solent fieri ab archipresbyteris Episcoporum*. Ubi vides non solùm jus decimarum istis Monasteriis conferri, sed etiam plebium curam in administrandis Sacramentis. Sed ut ad nostros me referam, S. Dionysii apud Parisios Monachi itidem decimarum usu fruebantur sæculo IX., ut patet cùm ex variis diplomatibus, tum maximè ex Hincmari Remensis epistola ad VViligisum aliosque ejus loci Monachos, quos arguit *quia* quamdam *decimam vendere quærerent, ut de pretio infernum compararent*, apud Frodoardum in lib. 3. cap. 25. Ludovicus Augustus in Capitulari tertio prohibet decimarum redemptionem, quæ tum à Laïcis fieri cœpta erat.

Parte 1. sæc. 4. Bened. pag. 525.

CCII Porrò ejusmodi decimas Cœnobiis aliquando conferebant sæculares, aliquando Episcopi. In his Haimo Halberstadensis Episcopus quasdam suæ diœcesis

cesis decimas Hersfeldensibus Monachis concessit, repugnantibus Clericis suis, quibus duriusculum videbatur, decimas in alterius diœcesis Monachos transferri. Verùm ne id in successorum præjudicium fieri nonnulli conquererentur, tantumdem de propriis bonis in Ecclesiæ suæ usum Episcopi illi aliquando refundebant. Hinc Meinvvercus Paderbornensis Episcopus, cùm suburbanæ Abbatiæ suarum decimarum partem tribuisset, *ne alicui successorum suorum mensa sua stipendia diminuisse videretur, has decimas & de hereditariis & de aquisitis bonis centies restituit*. Neque tamen decimæ illæ omnes ex liberalitate Episcoporum; sed etiam aliquando ex commutatione Monasteriis proveniebant. Exemplo est commutatio inter Salomonem juniorem Constantiensem Episcopum, & Harmotum Cœnobii S. Galli Abbatem facta sæculo IX. Siquidem, pro prædiis Salomoni per Sancti-Gallenses concessis, Salomon Abbati & Fratribus prædicti Monasterii in quibusdam locis, quæ indicantur in charta 28. apud Goldastum, decimam cedit, *sicut illius temporis in illorum erat vestitura*; aliam verò attribuit quæ *in* sua ipsius *vestitura erat*. Ceterùm non solas agrorum, sed etiam aliarum rerum decimas Monasteriis attributas fuisse manifestum est ex Caroli Calvi diplomate Parthenoni B. Mariæ apud Suessionas concesso, in quo, *Delegavimus*, inquit, *decimas omnium rerum de tota Abbatia, & earum scilicet rerum quæ in terra coluntur, vel quæ hominum studio ad humanitatis usum habenda nutriuntur, & per curam Præpositi aptis vehiculis ad Monasterium deducantur*. Nobilis quoque matrona nomine Garsendis, Gellonensibus nostris anno M.XXIX. concessit *omnem decimam panis & vini carnisve domûs* suæ &c. *Enimverò*, inquit Petrus Damiani, *ut copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasteriis & eremis decimæ quorumdam proventuum, & non modò pecorum, sed & ornicum pariter & ovorum*. Lege quæ hac de re habentur in Chronico Corbeïæ novæ & apud Othlonum in prologo ad Vitam S. Bonifacii Episcopi & Martyris, qui Fuldensibus decimas concessisse perhibetur.

Hist. Monast. S. Mariæ Suess. p. 430.

Parte 1. sec. 4. Bened. p. 83

Pet. Damian. Opusc. 33. cap. 7.

CCIII *Capitula Generalia.*

Pænè hîc exciderat quod observare licet de Capitulorum Generalium origine, quorum ideam & specimen exhibuit Synodus Aquisgranensis anni DCCC. XVII., ex universis pænè Ordinis nostri Abbatibus conflata: in qua utilia Statuta de rebus Monasticis condita sunt. Apud Casinates *his item temporibus mos erat, ut pridie Kal. Septembris conventus ad hunc locum fieret, unà cum præpositis suis universorum hujus Cœnobii in circuitu Monachorum, docendi ab Abbate, quid facere, quid cavere, quidve corrigere, seu qualiter sub Dei præsentia & timore cum regulari observatione vivere deberent*, ut scribit Leo Ostiensis in Chronici lib. 1. cap. 32. *Sequenti verò die ordinabantur & describebantur atque destinabantur in Obedientias, per singulas (prout opportunum erat) Provincias*. Tandem sæculo XII. Capitulorum Generalium usus vulgaris fuit, ut suo loco dicemus.

CCIV *Laudis perennis ritus.*

His igitur aliisque quæ prolixiorem tractationem exigunt prætermissis, ad aliud argumentum reflectenda oratio est, id est ad jugem Psalmodiam, de qua egregia extat Angilberti Centulensis Abbatis constitutio in superiori tomo relata. Is ad hoc opus trecentos Monachos instituit, cum centenis pueris, qui Fratribus in tres turmas divisis, sibique alternatim succedentibus *in auxilium canendi & psallendi interessent*. Idem ritus in nonnullis Galliæ Monasteriis ante istud tempus obtinuerat, nempe (ut alia nunc prætermittam) in Agavensi, Cabillonensi S. Marcelli, Dionysiano prope Parisios, Luxoviensi, Habendensi, & Laudunensi sanctæ Salabergæ. De tribus posterioribus id admittit eruditissimus vir Carolus Cointius: de tribus prioribus negat. Controver-

Coint. tom. 1. annal. ann. 516. n. 224. & seqq.

Apud Agaunenses.

versia præcipuè versatur in Agavensi ad cujus normam psalmorum modus in aliis duobus institutus memoratur. Perpetuam apud Agaunenses laudem negat vir doctus duplici fundamento: altero, quòd affirmantis partis auctores nullam offerant validam rationem, qua suam opinionem tueri possint: altero, quòd in regula Tarnatensi, quam Agaunenses servabant, Horæ canonicæ diurnæ opere manuum distinguerentur. Verùm nihil conficit hoc posterius, quia nimis efficit. Sic enim hæc ratio retorqueri potest. In cœnobio Luxoviensi, itemque in Habendensi & Laudunensi S. Salabergæ, servabatur Columbani Regula, quæ statas officiis divinis & corporeo labori horas haud minùs assignat. Ergo in illis locis non vigebat laus perennis. Consequens non admittet Cointius: & tamen par ratio de Agaunensi. Item apud Centulenses Angilberto Abbate jugis psalmodia instituta est: istic vigebat S. Benedicti Regula, quæ Monachorum pensa in officia divina & laborem dividit. Ex quo inferas non obesse perennem laudem, quò minùs sua divinis officiis, sua item operibus externis spatia, & intervalla tribuantur. Certè si quid officeret corporis labori, è medio quoque tollenda esset corporum refectio & somnus, quæ quidem cum jugi officio consistere non possint, si Monachi omnes in eo semper ita fuissent occupati, ut nullum exercendi laboris spatium esset reliquum. Itaque in his locis Monachi dividebantur in plures turmas; primæ recedenti à matutinis officiis succedebat secunda, & huic tertia: dein absolutâ primâ, priores faciebant locum secuturis, & ad assignatum laborem pergebant. Sic fiebat apud Centulenses & alios: quidni etiam apud Agaunenses? At nihil, inquis, de laude perenni in Regula Tarnatensi? Sed nihil etiam in Regula S. Columbani, nihil in Regula S. Benedicti, nihil ergo ex hoc priori fundamento consequitur adversùs de Agaunensium laude perenni sententiam.

CCV

Argumenta hac de re expenduntur.

Jam expendenda sunt argumenta omnino novem à diversis auctoribus, maximè ab Antonio Yepezio & Benedicto Haefteno relata ad eam sententiam probandam. Primum petitur ex primaria charta Monasterii Agaunensis. 2. ex Actis Martyrum Thebæorum auctore Eucherio Episcopo Lugdunensi. 3. ex veteri Historia Agaunensi per Achivum tertium loci Abbatem. 4. ex Gregorio Turonensi. 5. & 6. ex Actis S. Amati & S. Salabergæ. 7. ex gestis Dagoberti. 8. ex chronico S. Benigni. 9. denique ex trecenteno numero Agaunensium Monachorum. Hæc autem argumenta rei demonstrandæ insufficientia esse eruditus vir contendit. Et quidem interpolationem in primarias Agaunensium literas & in Acta Martyrum Thebæorum irrepsisse causatur; in Achivi Historia nihil disertè de laude perenni contineri. Nam quòd Agaunenses *die noctuque* angelico more divinis laudibus instituisse ab Achivo dicuntur, non significari perpetuam laudem. Nimius sim, si his omnibus singillatim explanandis refellendisque immorer: ad ea quæ magìs explorata sunt pergo. In iis occurrit, quod quarto loco positum est, argumentum ex Gregorio Turonensi, qui de Agaunensium psalmodia agens, illam *psallentium assiduum* vocat in historiæ lib. 3. cap. 5. At *assiduum* dici psallentium, non quòd juge fuerit, sed quòd statutis temporibus celebratum sit, ita ut intermediis spatiis operari liceret, existimat Cointius: eum ad modum, quo Cassianus *orationum assiduitatem* vocat quotidianam celebrationem Tertiæ, Sextæ, & Nonæ. Huic rei argumento esse alterum ejusdem Gregorii locum, in lib. de Gloria Martyrum cap. 75. ubi Sigismundus apud Agaunenses psallentium *quotidianum* instituisse dicitur. Illud igitur psallentium, inquit vir doctus, vocatur à Gregorio *quotidianum*, quia fit quotidie; & *assiduum*, quia fit ad omnes horas canoni-

nonicas, nec tamen indesinenter. Verùm ut assiduum in sensu Cassiani aliquando sumi possit pro discreto psallentio; non tamen ita apud Gregorium usurpari colligitur ex constanti omnium authorum sententia, qui istum locum de perenni laude explicandum esse probant. Itaque quod *assiduum* vocat Gregorius, non per *quotidianum*; sed vice versa *quotidianum* per *assiduum* interpretandum est. Ex his porrò auctoribus occurrunt sæculo VII. Fredegarius, & Scriptor Vitæ S. Salabergæ, octavo Scriptor de gestis Dagoberti, decimo Aimoinus, undecimo Chronographus S. Benigni, & (ut plures alios prætermittam) ex recentioribus V. C. Hadrianus Valesius in parte posteriore Defensionis Disceptationis de Basilicis cap. 7. & Dadinus Alteserra in Ascetico.

Salaberga Lugdunum Clavatum consilio VValberti Abbatis profecta, Monasterium brevi tempore inibi construi curavit: quo ædificato, *in eo trecentas adunavit famulas Christi, chorisque dispositis per turmas, ad instar Agaunensium Monachorum canendi normam disposuit*, ut in codice Compendiensi legit Menardus. Hîc *Agaunensium* loco, *Luxoviensium* reponendum decernit Cointius, propterea quòd Salaberga *voluerat ingredi Monasterium, quod Romaricus in monte Vosago construxerat*; idque præstitisset, *ni regia obstitissent impedimenta*. In illo autem Romarici puellari Cœnobio perennem psalmodiam celebratam fuisse ritu Luxoviensi, non verò Agaunensi. Deinde Salabergam usam esse Consilio VValberti Abbatis Luxoviensis: ac proinde Regulam S. Columbani perennemque psalmodiam instituisse instar Luxoviensium, non Agaunensium Monachorum. Verùm qua facilitate hancce correctionem adhibet Cointius, eâdem nego, sed longè dispari fundamento. Nam veteres quique codices præferunt *Agaunensium*; nec ullam pro *Luxoviensium* vocabulo adducit Cointius. Et ut hoc perspicuum fiat, consulenda sunt sincera S. Salabergæ Acta à nobis edita ex pluribus codicibus mss. quorum Actorum compendium in codice Compendiensi legit Menardus. Sic itaque habent Acta nostra. *Infra exigui temporis spatium coacervatæ in eodem loco sunt, vel Monasterio adunatæ plus minusve trecentæ famulæ Christi: illisque dispositis per turmas, ad instar Agaunensium Monachorum, Habendique normam disposuit; die ac nocte præcepit psallendo canonem omnipotenti Deo personare, & juxta egregium Prædicatorem Paulum sine intermissione orare: quæ institutio hactenus in eodem cœnobio Christo auspice celebratur*. Hîc nulla mentio Luxoviensium, sed Agaunensium Monachorum, Habendique Parthenonis à S. Romarico constructi. Frustra ergo locò *Agaunensium* reponendum putes *Luxoviensium*, contra omnium codicum fidem & Auctorum sententiam. Præterea non constat, an tempore S. Columbani aut VValberti Abbatis viguerit apud Luxovium juge psallentium. Nihil quippe apud Jonam, neque in Actis S. VValberti simile legitur. Scio huc afferri locum S. Bernardi Abbatis ex vita S. Malachiæ, ubi Columbanum apud Luxovium ait *factum esse in gentem magnam, & quidem tam magnam, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur sollemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem diei aut noctis vacaret à laudibus*. At non repentè Columbanus factus est in gentem tam magnam: paullatim crevit Monachorum numerus, qui sub eo Abbate ultra sexagenarium non extendebatur, ut intelligimus ex ejus Actis num. 28., ubi Fratres *sexaginta*, hoc est tota quanta erat Luxoviensis Congregatio, sarculo terram excoluisse, & annonâ divinitus multiplicatâ per Columbanum refecti fuisse dicuntur. Hinc collige perpetuam tum non viguisse laudem apud Luxovium, siquidem omnes Luxovienses Monachi labore manuum occupati erant, nullis, qui divina officia persequerentur, in Cœ-

CCVI Laus perennis viguit etiam in cœnobio Salabergæ.

Exemplo Agaunensium.

Non Luxoviensium.

Cœnobio relictis. Sanè Monachi illi non in turmas divisi, sed omnes simul divinas laudes persolvebant, ut patet ex numero 36. ubi regii satellites ad comprehendendum Columbanum missi, *eum in Ecclesia cum psallentium choro orationi deditum cum omni Congregatione Fratrum reperiunt*. Non erant distincta eorum agmina. Id porrò contigit paucis ante supremum Columbani exitum è Cœnobio Luxoviensi diebus.

CCVII Nihil etiam circa perennem psalmodiam statuit Eustasius Columbani successor; & ea quæ apud Surium de sexcentis eo Abbate Luxovii Monachis leguntur, per interpolationem sunt adjecta. Quid? quòd in fragmento catalogi Luxoviensium Abbatum, nonnisi *post* VValbertum Abbates quàm plurimi, VVandalogus, aliique tredecim, *statum laudis perpetuæ servasse*, referuntur usque ad Mellini necem, quo cum Fratribus interfecto, *cessavit laus perpetua*. Itaque non mirum, si S. Salaberga perpetuam laudem instituisse dicitur ad instar Agaunensium, & Habendensium, non verò Luxoviensium, quos huic ritui nondum addictos fuisse ex superioribus perspicuum est. Aliàs certè Scriptor Vitæ Sanctæ Salabergæ eorum exemplum non prætermisisset.

CCVIII Sed unde, inquis, inductus est hic ritus in Habendense Monasterium? Haud dubiè ex Agaunensi, & quidem auctore S. Amato, qui apud Agaunenses educatus, Romarico auctor fuit condendi Parthenonis Habendensis, atque instituendæ laudis perpetuæ. Rem disertè tradunt ejus Acta his verbis. *Porrò Sanctus Amatus semper eremi secretum diligens, infra profunda vastaque Vosagi castrum reperiens, sicut in præsentiarum cernitur Monasterium, transmigravit; ibique opitulante Domino multis Virginibus psallentium per septem turmas, in unaquaque turma duodenis psallentibus die noctuque jugiter instituit*. Hîc notare convenit, cùm in illis, tum in S. Salabergæ Actis non aliter designari perpetuam laudem, quàm his verbis *die noctuque*: ac proinde eodem penitus sensu accipiendum esse Achivi testimonium in Historia Agaunensi. Deinde si apud Luxovienses in usu tum fuisset juge psallentium, haud dubiè in Actis S. Amati apud Habendenses id institutum fuisse diceretur Luxoviensium exemplo. Nunc verò cùm uni dumtaxat Amato auctori tribuatur hoc opus, id hausisse dicendus est ex pristino Monasterio suo, id est ex Agaunensi. Et hanc fortasse ob causam culpatus est à Jona Amatus, quòd *abjectis Institutis pristinis*, quæ Luxovii tenuerat, *conatus sit rudibus plebem instruere doctrinis*.

Habendenses item huic ritui addictæ.

CCIX Sed nullum in hac causa validius argumentum afferri potest, quàm ex Fredegario & ex gestis Dagoberti cum domesticis instrumentis comparatis; itemque ex Aimoino, ubi de psallentio Dionysiani Monasterii agunt. Nam Fredegarius in Chronici cap. 79. id *ad instar Monasterii sanctorum Agaunensium* institutum dicit. Quæ verba explicans Monachus Anonymus in lib. de gestis Dagoberti cap. 35. scribit Dagobertum in Cœnobio S. Dionysii *Monachos, qui turmatim ad instar Monasterii Agaunensium sive S. Martini Turonis psallerent*, instituisse. Eamdem interpretationem adhibet Aimoinus in Historia sua. Psalmodiam, qualis apud Agaunum in Monasterio S. Mauricii celebrabatur, in Cœnobio S. Dionysii prope Parisios agi præceptam non negat Cointius: at perennem psalmodiam in utroque celebratam inficiatur. Qualis igitur Psalmodia Agaunensis? Respondet num. 240. vir doctus, „ plerosque Monachos „ nec singulis diebus, nec ad singulas horas omnes convenisse. Agaunenses „ quotidie omnes Horas canonicas publicè celebrasse, ut ex cap. 9. Regulæ „ Tarnatensis constat „. Itaque psallentium Agaunense ex ejus sententia vocatur illud, quod *fit ad omnes Horas canonicas, nec tamen indesinenter*. Verùm ad refellendam hanc responsionem duo demonstranda sunt: alterum, ante Agau-

Monachi item Dionysiani.

Agaunenses statas divinis officiis horas apud omnes Monachos in usu fuisse: alterum, perennem in Dionysiano Monasterio laudem viguisse, certis aliunde constare argumentis.

Lirinense Monasterium Agaunensi longè antiquius esse constat, nec minùs certum est quotidiana divinæ laudis officia ab origine inibi fuisse instituta. Quippe S. Honoratus institutionem suam accepit ab Orientalibus Monachis, quos nocturnis diurnisque officiis in dies incubuisse, ex Pachomio, Basilio, Cassiano, aliisque manifestum est. Hinc Faustus ex Abbate Lirinensi Regiensis Episcopus à Sidonio Arvernensi laudatur, quòd *precum peritus insulanarum, eas de palæstra congregationis eremitidis, & de Senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoque suam transtulerit, nihil ab Abbate mutatus in Sacerdotem*. Sanctus item Agricolus ex eodem Cœnobio raptus ad Avenionensis Ecclesiæ cathedram, *voluit etiam horas canonicas & divina officia deinceps in eadem Ecclesia, eodem modo quo solerent in Monasteriis, alternis videlicet cantibus, recitari. Nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damasus Pontifex Maximus invexerat*, ut legitur apud vetustum Auctorem in Chronologia Lirinensi. Vigebat ergo apud Lirinenses quotidianæ laudis officium. Lirinensi æquale erat Condatescense Cœnobium, ibique eadem florebat institutio. Testis Monachus Anonymus de gestis S. Augendi seu Eugendi Abbatis, qui *nocturnis matutinisque conventiculis ligneis Gallicanisque caligis utebatur; neque eum quisquam aut in diurna aut nocturna Synaxi ante completionem conspexit egredi foras*. Deinde in Massiliensi Cassiani Cœnobio indubiè receptus erat psallendi ritus, qualis à Cassiano ipso in Institutionibus præscribitur, quotidianis certè & statutis horis designatus. Idem institutum propagatum est ad pleraque Galliæ Monasteria, quæ orientalium Ascetarum ritus ac mores imitari gestiebant. Denique ne longa enumeratione Lectori tædium facessam, testis est Paulinus in epistola ad Victricium Rotomagensem Episcopum, eam psallendi normam in Gallicanis Cœnobiis viguisse, uti & in aliis multis ejusdem regionis Ecclesiis, *ubi*, inquit, *quotidiano sapienter psallentium per frequentes Ecclesias & Monasteria secreta concentu castissimis ovium tuarum & cordibus delectantur & vocibus*. Hæc cùm ita sint, nemo non videt frigidam, nedum ridiculam veterum auctorum Fredegarii, scriptoris vitæ Salabergæ & Gestorum Dagoberti fuisse rationem, si cùm psallentium institutum dicunt ad instar Monachorum Agaunensium, id de quotidiano, sed discreto psallendi ritu interpretari liceret: cùm ritus iste non Agaunensium proprius ac peculiaris, sed cum ceteris Galliæ Monasteriis fuerit communis, saltem jam indè à sæculo V. Neque verò id Cointius negare potest de tempore conditi Monasterii Dionysiani, quo tempore sinè dubio Monachi statis omnes horis quotidie divinis officiis insistebant, sive Regulam Cassiani, sive Benedicti, aut Columbani, aliorumve sectarentur. Erat ergo Agaunensium peculiaris psallendi norma, cujus instar Dionysiana instituta est. CCX

Sidon. l. 9. epist. 3.

Hanc de Agaunensi perpetua laude interpretationem facilè admittet, quisquis Fredegarium, ubi de Cœnobio S. Dionysii agit, attentè consideraverit. En Fredegarii verba. *Dagobertus psallentium ibidem ad instar Monasterii sanctorum Agaunensium instituere jusserat: sed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse*, id est abrogasse. Si de quotidiana & interrupta, non de perpetua psalmodia intelligendus est hic Fredegarii locus; quotidianum apud Dionysianos officium per Aigulfum sublatum fuisse dicendum est. Quis verò ita ferat? Vigebat in Monasteriis ubique Galliarum divinæ CCXI

Laudis ſtatis horis celebritas. Dionyſianum Cœnobium huic rei impensè dotaverat Dagobertus. Hanc inſtitutionem Aigulfus penitus reſcidit. An id paſſuri erant Francorum Reges? aut verò impunè tuliſſet Aigulfus? certè non puto. Sed quoniam gravis ac ferè ſingularis erat laudis perpetuæ ritus facilè hunc abrogare potuit citra aliorum invidiam. Verùm quis de illo Dionyſiano pſallentio, ſententiam rectiùs ferre potuit apud veteres, quàm Monachus ille Dionyſianus, libri de geſtis Dagoberti ſcriptor, qui vix ampliùs quàm centum annis ab Aigulfi ætate aberat? Atqui pſallentium Dionyſianum fuiſſe juge exiſtimavit, idque facilè ab hominibus æqualibus diſcere potuit. At (quod omnem dubitationem evincit) Chlodoveus Dagoberti filius, Theodericus Kalenſis dictus, & Pippinus Francorum Reges, perennem apud Dionyſianos ab initio, immo etiam ſuo tempore fuiſſe laudem diſertis verbis affirmarunt in diplomatibus ſuis. Chlodoveus quidem in charta apud Dubletum relata, decernit, *ut ſicut tempore domni & genitoris ſui, ibidem chorus pſallentium per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut ad Monaſterium S. Mauricii Agaunis die noctuque tenetur, ita in ipſo loco celebretur*. Quid clarius ad inſtitutum afferri poteſt? Idem Theodericus Kalenſis in diplomate ſuo inedito, quod noſter Michaël Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor, ex primario ſcripto cum pluribus aliis eruit, apertè ſtatuit, *ut die noctuque perenniter* eo in loco divina laus perſolvatur. Idem denique Pippinus apud Dubletum, *ut ſicut tempore anteriorum Regum ibidem in ipſa ſancta baſilica pſallentius per turmas fuit inſtitutus, ſicut ordo ſanctus edocet, nocte diuque perenniter in ipſo ſancto loco celebretur*. Viguit ergo ante Aigulfum apud Dionyſianos juge pſallentium ex inſtitutione Dagoberti; viguit & poſt illum, quamvis exiguo tempore abrogatum ſit ab iſto Abbate. Viguit, inquam, ad inſtar Agaunenſium Monachorum, quos proinde laudi perpetuæ incubuiſſe ſatis ſuperque compertum eſſe debet.

Dublet pag. 68.

Id. pag. 703.

CCXII Poſſem multa hìc attexere de eodem ritu, quem etiam ſervatum perhibent in Cabillonenſi ſancti Marcelli Cœnobio, in Divionenſi ſancti Benigni, in Martiniano apud Turones, in Pariſienſi ſancti Germani, in ſancti Medardi & beatæ Mariæ puellarum apud Sueſſionas, atque in Corbeienſi ſancti Petri. Sed miſſa hæc facio, quæ aliàs forſan longiùs perſequenda erunt.

CCXIII *Obſervationes variæ.* Interim quædam hìc deſignandæ ſunt obſervationes, quas in hocce libro fuſiùs exponimus. Prima eſt de Synodo Germiniacenſi, anno DCCC. XLII. in agro Aurelianenſi celebrata, quæ in vulgatis Conciliorum Actis prætermiſſa, à nobis illuſtratur duobus egregiis monumentis pro Cœnobio Curbionenſi. Altera eſt de duplici Monaſterio Lindisfarnenſi apud Anglos, quod utrumque ſancto Petro ſacratum erat, tametſi unicum hactenus agnoverunt Scriptores Anglicani. Poſterioris ignoti originem ac primos Abbates hìc exhibemus ex Ethelvvolfo Monacho, qui ſæculo octavo carmen ea de re compoſuit. Tertia obſervatio eſt de loco, ubi martyrium paſſi ſunt Hilarius & Florentinus: quem locum recentiores omnes *Seduni* * ad Alpes ſtatuunt. At *Pſeudunum* præferunt ſcripti codices, idque in pago Duſmenſi locant, & quidem in diœceſi Æduenſi. Adi quæ hoc de argumento fusè diſſerimus in Elogio ſancti Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis. Alias prætereo non minimi momenti obſervationes, quas in hocce tomo legere licet.

In Act. hujus tomi p. 249. & ſeqq. p. 303. & ſeqq.

* *Sion.*

pag. 492. & ſeqq.

CCXIV His quartam addo in præſenti de anno, quo Ludovicus ſecundus à Lotha-

thario patre designatus est Imperii consors & collega. Baronius ex Anastasio & Adone colligit id factum anno DCCC.XLIV., quo Lotharius Augustus, comperta Sergii secundi Pontificis consecratione, *Drogonem Mettensis Ecclesiæ Archiepiscopum cum excellentissimo filio suo Ludovico, magno cum Francorum exercitu Romam misisse* perhibetur apud Anastasium. Ado verò ad annum DCCC. XLI. ampliùs dicit, scribens Lotharium *filium suum Ludovicum, quem in Italia Regem fecerat; ut Imperatoris nomen sortiretur, per Drogonem patruum Romam misisse: cui Sergius tunc Pontifex coronam imposuerit*, id est anno DCCC. XLIV. tametsi Ado anticipando id refert ad annum DCCC. XLI. Hinc Baronius occasionem captat suggillandi Sigebertum, tamquam impudentem ac schismaticum, ut qui asserat Ludovicum à Lothario Romam missum ad confirmandam electionem Sergii Papæ. Verùm mitiorem (ut credere licet) de Sigeberto sententiam tulisset magnus Cardinalis, si Annales Bertinianos legisset idem attestantes ad annum DCCC. XLIV. quorum verba huc subscribo. *Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex decessit: cui Sergius succedens in eadem sede substituitur, quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum HLudovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos, ut deinceps decedente Apostolico quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes*. Subdunt Annales eodem anno Ludovicum, non Imperatorem, ut scribit Ado, sed Regem fuisse consecratum. Quippe is atque Drogo *Romam venientes honorificè suscepti sunt: peractoque negotio, HLudovicum Pontifex Romanus unctione in Regem consecratum cingulo decoravit*, id est *in Regem Longobardorum*, ut scribit Anastasius, quod Baronius dissimulasse videtur. Hinc manifestum est, Ludovicum non eo anno renuntiatum fuisse Romæ Imperatorem. Quo igitur anno? Annales ipsi Bertiniani id ad annum DCCC. L. revocant his verbis. *Lotharius filium suum Ludovicum Romam mittit, qui à Leone Papa honorificè susceptus & in Imperatorem unctus est*. Non ergo à Sergio, sed ab ejus successore Leone IV. Verùm Benedictus Papa, Leonis successor, in privilegio Corbeïæ veteri ab se concesso, annum Imperii Ludoviciani primum illigat anno DCCC. XLIX., uno anno priùs, quàm Annales Bertiniani. Pontificium hoc Benedicti diploma ab Acherio nostro editum est in Spicilegii tomo 6. ex apographo Corbeïensi, in quo nævi aliquot deprehenduntur. Hos nævos correximus facta collatione cum autographo, quo nescio an aliud illustrius exstet ejus ævi monumentum. Scriptum est in cortice seu papyro Ægyptiaca, longum pedes unum & viginti, latum duos. Quatuor priores versus seu lineæ penitus obliteratæ sunt: in reliquis fugere incipiunt alicubi characteres, sanè perquàm difficiles, sub finem saniores. Mendas editorum hoc loco singulas commemorare non vacat: unam aut alteram huc referre suffecerit. In editis pag. 398. ubi legitur *Amrelmum Abbatem*, in autographo habetur *Anselmum*, & in consequentibus *Anselmo* pro *Amrelmo*. Item in editis legitur pag. 399. lin. 7. *Imperatoriis Lotharii & Ludovici ac Caroli mandatum*, in autographo, *Imperatoris HLotharii & HLudovici filii ejus mandatum*, nulla Caroli mentione facta. Eadem correctio adhibenda est pag. 403., ubi pro eo quod editi præferunt, *filios nostros gloriosos Lotharium, Ludovicum, Carolum Augustum*, sic in autographo scriptum est, *gloriosos filios nostros, HLotharium & HLudovicum ejus filium August.*, id est *Augustos*. In fine loco *Theodorici* Notharii, legendum erat *Theodori Notarii*. Denique (quod ad rem præsentem facit) in autographo post *bene valete* additur hæc clausula, in

Lotharii & Ludovici Imperatorum anni.

in chartariis atque editis prætermissa *Datum V. Nonas Octubrias per manum Theophilacti Secundicerii sanctæ Sedis Apostolicæ, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis HLothario à Deo coronato Magno Imperatore anno tricesimo nono, & P. C. ejus anno tricesimo nono : sed & HLudovico novo Imperatore ejus filio anno septimo, indictione quarta.* Hæc coincidunt in annum DCCC. LV., qui Benedicti Pontificatûs primus erat à mense Augusto, septimus Ludovici novi Imperatoris, qui proinde anno DCCC. XLIX. Imperii socius à patre dictus est : sed anno tantùm sequenti Romæ inunctus à Leone Pontifice, ut tradunt Annales Bertiniani. Ab illa patris designatione numerari cœpit novi Imperatoris Ludovici epocha, eum ad modum, quo Lotharii patris annus primus passim censetur ab anno DCCC. XVII. quo Ludovicus Pius ejus pater ipsum Imperii consortem declaravit, non ab anno DCCC. XXIII., quo à Paschali Papa consecratus, atque à Romanis salutatus est Imperator. Unde in prælaudato Benedicti tertii privilegio, quod anno DCCC. LV. mense Octobri concessum est, Lotharii annus *tricesimus nonus* computatur. Unum huic privilegio opponi potest, quòd datum sit anno DCCC. LV. & quidem quinto aut sexto (neque enim facilè autographum hoc loco legi potest) Nonas Octobris, quo die Lotharius Imperator jam è vivis excesserat, mortuus III. Kal. Octobris ejus anni. Verùm cùm inter hunc diem Lotharii supremum, & tempus dati privilegii tres aut quatuor admodùm dies intercesserint; ejus mortis nuntium Romam tam citò perferri non potuit, ut Benedictus id rescierit eo die, quo privilegium istud concessit. Jam priùs quidem Lotharius Prumiæ abdicarat Imperium : sed sex dumtaxat ante obitum diebus.

CCXV Lotharii Consulatus. Ceterùm in præmissa ejusdem privilegii clausula cum anno tricesimo nono Lothariani Imperii componitur annus tricesimus nonus ejus consulatûs : quæ computandi ratio anno post consulatum Basilii vigesimo quinto obtinuit in calculo quorumdam Imperatorum, ut aliàs fusiùs exponemus. Sic promiscua fuit imperii ac consulatûs acceptio, viguitque usque ad Carolum Magnum, cujus diploma refert Sigonius, datum *anno ab Incarnatione Domini DCCC. I., Indictione IX. anno regni ejus in Francia XXXIII., in Italia XXVIII. consulatûs autem anno primo*, ubi Incarnationis Dominicæ annus à posteris intrusus videtur. Immo verò hæc *consulatûs* conjunctio cum annis imperii longè post Carolum Magnum usurpata est à Benedicto III. in diplomate Corbeiensi de quo hîc agimus. Omnino consimilis ei legitur tum in fronte, tum in fine Decretorum Gregorii Papæ secundi, quæ ab his verbis incipiunt. *In nomine Domini Dei Salvatoris N. J. C. imperante domino nostro piissimo Augusto Leone à Deo coronato magno Imperatore anno sexto, P. C. ejus anno VI. Sed & Constantino novo Imperatore ejus filio anno secundo, mense Aprile, Indictione quarta.* Ita enim legitur in veteri nostro exemplari, quod regnantis Caroli Magni anno XXVII. exaratum est. Eædem prorsus notæ in fine Decretorum. In alio ejusdem ævi codice eadem quoque utrobique leguntur : nisi quòd in inscriptione non nemo secunda manu adjecit *decimo* post hæc verba *P. C. ejus anno sexto*. Ex alio exemplari similiter corrupto nata est lectio editorum, qui tam initio, quàm in fine præferunt. *P. C. ejus anno sexto decimo*, cùm legendum sit indubiè, *sexto*, ut probant non solùm superiores duo codices veterrimi, sed etiam collectio canonum sub Clemente II. exarata, quam Fronto Ducæus à V. Cl. Clerico Parisiensi commodato acceperat, ut

Sigon. de regno Italiæ lib. 4.

MS. S. Germ. num. 423.

MS. n. 25.

ut ipse fatetur in notis ad hæc Decreta : quæ cum hac chronologica nota similiter leguntur apud Baronium & Onuphrium. His accedit mos ille, de quo jam diximus, componendi annos Imperii cum totidem annis consulatûs Imperatorum : quæ una ratio sufficit ad emendandos vulgatos libros in hoc loco Decretorum Gregorii Papæ II. Hæc dicta sint occasione privilegii Corbeïensis à Benedicto tertio concessi, de quo uberiùs dicendi occasio aliàs recurret. Nam longiorem tractationem non patitur præfationis modus, quam fortasse jam ultra modum produxi, utinam aliquo Ecclesiæ fructu! cui ex animo me, meaque omnia submitto & voveo.



JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN SÆCULUM QUINTUM
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti CM. ad M.
impreſſa Pariſiis anno 1685.





Am tandem ad famosum illud devenimus Sæculum, de quo tam sinistra opinio est apud omnes, tam deplorata fama, ut si quis de illo vindicando, vel saltem de levandis (uti res exigit) præjudiciis cogitare velit, is de sua ipsius fama periclitari videatur. Lubricum sanè argumentum, ubi quocumque demum te convertas, in discrimen adducitur vel causæ justitia, vel Scribentis auctoritas. Quippe tam tætræ illorum temporum expressæ sunt imagines ab auctoribus potissimum nostræ ætatis, tam horridæ tenebræ; nullus ut color ad illas abstergendas, nulla lux orationis ad has illustrandas omnino sufficiat. Atque utinam in solis civilibus rebus, quæ sanè per id tempus deploratissimæ erant, sisteret, & non magis ad res sacras pertineret hoc malum! Quin maximè in ipsam vertit Ecclesiam, cujus tam miserabilis & inculta facies repræsentari solet, ut quisquis eam vel tantisper amat, ejus commiseratione nequaquam tangi non possit, nec absque intimo justi doloris sensu conspiciat eorum discrimen, qui funestis illis imaginibus utuntur ad impugnandam Ecclesiæ perpetuam & incorruptam unitatem. I

Hinc enimverò nostrorum temporum Hæretici occasionem ac materiam captant insultandi Ecclesiæ, quasi per offusas sæculi illius tenebras antiqua & primogenia Fidei Christianæ puritas violata sit, „ cùm nemo, inquiunt, grassantibus undique morbis occurreret, ignorantiæ scilicet, atque effreni criminum licentiæ. Tunc enim facile fuisse, ut dormitantibus, altoque vitiorum somno oppressis Ecclesiæ Pastoribus, infestus hostis superseretet zizania, quæ tandem puram ac genuinam Fidei sementem penitus suffocaverint „, atque ex eo tempore Novatores persuadere contendunt, transsubstantiationis, immo & realis Christi in Eucharistia præsentiæ dogma, quod Paschasio, quasi primo ipsius doctrinæ auctori tribuunt, per ejusdem asseclas longè lateque isto demum sæculo fuisse propagatum. II

Etsi verò hæc consectaria, utpote à vero prorsus aliena, scriptores Catholici rejiciant: plerique tamen eorum causas admittunt: quos inter summus Annalium Ecclesiasticorum conditor deploratissimo illo sæculo adeò commotus est, ut lectoris animum necessaria cautione præmuniendum censuerit, ne auditis tot flagitiorum, in ipsa etiam sanctissima sede commissorum, portentis, in damnosum scandali & offensionis scopulum incurreret. Non enim dubitat Vir illustrissimus affirmare, Ecclesiam in nullo umquam graviori versatam esse discrimine; nec manifestiori pereundi (si fieri posset) constitutam periculo, quàm per bella, tumultus, & flagitia sæculi istius turbulenti, „ quod sui asperitate, ac boni sterilitate *ferreum*, malique exundantis deformitate *plumbeum*, atque scriptorum inopia *obscurum* appellat „. Neque sanè colore caret hæc effigies, quantumvis deformis, maximè si in Romanam Sedem oculos conjicias: quæ cùm antea fuisset Ecclesiæ universæ principale III Baron. ad ann. 900.

decus & ornamentum, ac fons purioris ſanctitatis; tunc temporis ab indignis invaſoribus fœdiſſimè conſpurcata eſt. Et hæc quidem conſideratio maximè perſtrinxit Illuſtriſſimum Cardinalem, ut nihil ferè niſi tenebris & flagitiis plenum cerneret, ſive quòd multa eum deficerent actorum veterum, quæ poſt eum vulgata ſunt, monumenta: ſeu quòd mentis ejus acies præcipuè in Romanam Eccleſiam defigeretur.

IV Verùm qui ſimpliciori ac communiori oculorum intuitu univerſam Eccleſiæ per id temporis faciem remotis præjudiciis contemplati ſunt; multa quidem in illo ſæculo gravi animadverſione digna obſervarunt, ſed non ita deplorata omnia, nihil ut priſtinæ ſanctitatis & doctrinæ tunc ſuperfuiſſe exiſtimaverint. Immo verò complures viros ſanctimoniâ præſtantes agnoſcunt, atque ſcientiâ, qualis ad incorruptam Eccleſiæ doctrinam ad poſteros transmittendam neceſſaria erat. Sed cùm opportuna ad id demonſtrandum præſidia congerere nequaquam illorum propoſiti fuerit, nec antehac quiſquam fortè plura in eam rem, quàm nos in hoc libro, retulerit; operæ pretium eſſe duximus hoc in limine de iſto argumento fuſiùs præfari: ut ſi ob imperitiæ noſtræ modum, Eccleſiæ ſtatum, qualis eo tempore fuit, accuratè exprimere non valeamus; ſaltem æquos lectores ex his actis inducamus ad ferendam de illo ſæculo favorabiliorem ſententiam. Ubi non exornatores rerum aut arbitri, ſed tantummodò narratores eſſe volumus, pro comperto habentes, Hiſtoriam non partes judicis ſuſtinere, ſed teſtis. Sic itaque Sæculi decimi mores depingere conabimur, ut dum laudabilia perſequimur, etiam vitia, quantumvis atrocia, non diſſimulemus.

§. I.

Eccleſiæ ſtatus, qualis Sæculo X. fuerit, exponitur, & primò in Italia.

V NUlla ætas criminum expers; & ſemper malos bonis permiſtos tulit, feretque Eccleſia, cùm nec prima illa inceſtis atque ſceleſtis hominibus caruerit. Hinc eſt quòd ſancti Patres in purioribus etiam Eccleſiæ ſæculis queſti ſunt, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas labi: hoc & nos querimur, idemque poſteri noſtri conquerentur. Nec ſanè deeſt juſtæ querelæ materia in quibuſvis ſæculis, alia atque alia in diverſis. Quippe non eadem, nec eodem ſemper loco ſtant vitia, ſed mobilia & inter ſe ſe diſſidentia, tumultuantur, propellunt invicem, fuganturque. Et quidem in ſæculo decimo graviſſima viguêre, crudelitas, ambitio, luxuria. Sed quemadmodùm tot fluvii atque imbres, tanta medicatorum vis fontium, maris ſaporem non corrumpunt, ſed ne remittunt quidem; ita nec ſcelerum labes, nec adverſarum impetus rerum, Eccleſiæ ſtatum ullo modo labefactant. Ipſa ſemper eadem ac ſibi conſtans nunquam ſanctitatis ac doctrinæ amittit ſaporem, quem à Chriſto accepit. Erant in illo ſæculo tyranni, raptores, inceſti, ſacrilegi, proditores, ignari: ſed viri etiam ſanctitate, & doctrinâ inſignes, & quidem complures, non deerant, qui incorruptam Chriſti cum bonis moribus doctrinam ad poſteros tranſmitterent.

Ma-

Magnam sanè labem à Pontificibus Romanis (neque enim id dissimulare licet) passa est tunc Ecclesia ; actumque fuisset de illa sanctissima Sede , si monstris violari atterive potuisset . Ad id temporis eam tenuerant piissimi plerique Pontifices; nec quisquam ferè omnium ejus sanctitatem antea majestatemque temeraverat, quin humana, si qua ipsis excidissent, errata, illustri pœnitentiæ exemplo diluissent. Inviolabilis apud eos erat Canonum sacrorum auctoritas , qua suam ipsi potestatem ultro moderabantur . Et ne longiùs exempla sumamus , ita sæculo nono vixerant post Leonem tertium ejusque successores piissimos Nicolaus primus re & nomine Magnus , Hadrianus II., & Stephanus VI. *Sed ò lugenda Roma!* inquit Arnulphus Aurelianensis Antistes apud Gerbertum , *qua nostris majoribus clara Patrum lumina prabuisti , nostris temporibus monstruosas tenebras , futuro sæculo famosas offudisti.* A Formoso Pontifice incœpit mali labes , sive is causa fuerit sive occasio. Nempe hic Portuensis primùm Episcopus, à Johanne VIII. in ordinem redactus est in Synodo Romana, interposito juramento, se in communione laica perpetuò permansurum. Hujus exauctorationis causæ tres . Primò , quòd à Nicolao I. in Bulgariam missus, Bulgarorum Regem Sacramento obstrinxisset, ne alium Episcopum, ipso superstite, à Sede Apostolica susciperet. Deinde quòd contra præscripta Canonum per ambitum ab Ecclesia Portuensi ad Romanam prosilire conatus esset . Postremò quòd inconsulto Pontifice propriam deseruisset Ecclesiam ; & relicta Urbe , contra Reipublicæ & Imperii salutem, cum suis fautoribus conspirasse crederetur. Marinus Pontifex à depositione & juramento absolvit Formosum , qui post Hadrianum III. & Stephanum VI. in supremum illum thronum sublimatus est , primusque infaustum translationis exemplum in illa sede præbuit , vir ceteroqui *vera Religione , divinarumque scripturarum & doctrinarum scientiâ* clarissimus , teste Liutprando. Sævitum in demortui cadaver , acta ejus omnia rescissa à Stephano VII., instigante Sergio , quem Formosus in adeunda dignitate æmulum sustinuerat, hominem nulla re , nisi splendore familiæ (nam is ex Comitum Tusculanorum genere Cardinalis Presbyter creatus fuerat) commendatum . Hinc factio Sergianorum adversùs Formosum , quam VVido ejusque filius Lambertus, in solium imperiale intrusi, deinceps fovere perseverarunt. Stephani acta Johannes IX. abrogavit in Synodo Ravennate , ubi Formosi violatores sepulcri damnati, & Formosus ipse , ut qui *necessitatis causâ ob vitæ merita* ex aliena Ecclesia ad Romanæ administrationem venisset , Pontifex confirmatus cum ipsius actis, sancito, ne quid in posterum simile fieret, edicto. Ab hoc Stephano VII. per vim passim, per cædes & crimina in sacrosanctam sedem tunc gradus fuit. Nec mirum si plerique exinde improbi Pontifices; & si qui boni , brevioris vitæ ac Pontificatûs fuerint. Tantum verò malum ex duplici maximè capite processit , nempe ex impotenti ambitione Adalberti Tusciæ Principis, & pessimæ ejus concubinæ Theodoræ, quæ prostitutionis suæ virus etiam Sergio propinavit , ex quo ortus infamis ille Johannes XI., ex Ravennate Episcopo Romanæ Sedis temerator. Alia ejusdem mali causa ex scissione Imperii, ad quod modò hi, modò illi ferro , sanguine, aliisque malis artibus viam sibi sternebant ; atque ut Pontificem sibi faventem haberent, mancipium quisque suum promovere, atque intrudere conabantur; cùm Albericus interim, Theodoræ ex Adelberto filius, qui Romæ tyrannicè dominabatur , nunc istos carcere & inediâ , atque etiam ferro è medio tolleret, nunc illos contra omnes tueretur. VI

In actis Synodi Remensis.

Liutprand. lib. 1. cap. 8.

Nec tamen inter istas funestas tempestates ita Ecclesiam suam deseruit VII

misericors Deus, ut boni aliqui malis permisti non fuerint, quales Stephanus VIII., Leo VII., Agapitus II., *miræ sanctitatis*, ac *sanctæ memoriæ* Pontifex appellatus; & ante eum Marinus, qui Siconi Episcopo Capuano *ignorantiam Canonum, litterarum inscitiam, familiaritatem sæcularium, temerariamque transgressionem exprobravit*, teste Leone Marsicano. Sed tandem illa pestis ad cumulum venisse visa est, cùm Octavianus Alberici filius, qui Romanæ urbis tyrannidem mortuo patre adierat, vix annos natus duodeviginti Sedem Apostolicam invasit, mutato Octaviani nomine in Johannem, quod primum novati in Romano Pontifice nominis exemplum præcipitatæ dignitatis temeritatem reddit insigniorem. Agnitus ille tamen ab Ottone M. quem Imperatoriâ Coronâ donavit: sed ab eo paullò post in frequenti Episcoporum conventu ob crimina, præsertim quòd Adelberto Berengarii junioris filio, Ottonis hosti & æmulo favisset, dejectus. Suffectus, jure, an injuria, Leo *neophytus*, eo nomine dictus octavus; pulsus & ipse à mulierculis per Johannem subornatis, qui Johannes denuo thronum conscendit. Mortuo suffectus est Benedictus V. cujus audita creatione Otto Romam se contulit, ut de Romanis, qui cum eo de non eligendo citrà Ipsius consensum Pontifice pacti erant, ulcisceretur. Hi Leonem antea rejectum admittere coacti: à quo Benedictus, vir sanctus, in Diaconi ordinem redactus, apud Saxones reliquum vitæ mandato Imperatoris exegit. Post Leonem Johannes XIII. ejectus primùm à Romanis, dein approbatus, Ottonem secundum, Imperatorem coronavit. Donum seu Domnum Pontificem intra breve trium mensium intervallum excepit, an prævertit Benedictus VI., in carcere strangulatus jussu Bonifacii, cognomento Franconis; quem Benedictus VII. itidem æmulum sustinuit, uti & Johannes XIV., antea Petrus dictus, ex Archicancellario Imperatoris, & ipse ab eodem Bonifacio fame in carcere necatus. Bonifacio Antipapæ post quatuor menses repentè exstincto successit Johannes XV., à Crescentio tyranno multùm vexatus: Johanni Gregorius V., antea Bruno dictus, Ottonis tertii consanguineus, Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus Pontifex: sub quo pietas Christiana tantisper respirare cœpit, floruissetque impensiùs, nisi Crescentius ejus Pontificatui objecto Johanne Episcopo Placentino, & mors post biennium subsecuta obstitisset. Sic per aliquot annos fluctuavit in sede Romana religio pietasque Successorum, adeóque bonus status canonicæ disciplinæ: donec tandem eam postliminio revocare fategerunt Leo IX., ejusque Successores ad Gregorium VII., qui magnis motibus magna Ecclesiæ negotia confecit.

Vita S. Brunonis Episcopi Colon. *Metr. Salisb. tom. 1. p. 56.* *Leo Ost. lib. 1. cap. 60.* *Order. lib. 1. pag. 372.*

VIII Inter tot illos violatæ Religionis tumultus, quis Sedem Romanam summo ludibrio & contemtui obnoxiam fuisse non existimet? Et certè id consequi necesse erat, si Petri dignitas & auctoritas in indignis heredibus defecisset. Verùm Apostolicam Sedem paullò minùs reveriti sunt Fideles, præcipuè aliarum Ecclesiarum Episcopi etiam Religiosissimi, atque sæculares Principes, quantumvis perditæ famæ & vitæ essent Romani Antistites. Hinc Sergius Coloniensis Archiepiscopus, & Rogerus Hammaburgensis pallium à Sergio III. (Deus bone quali monstro!) modestè petierunt, acceperuntque testante Crantzio. Quid autem magis probabile videbatur, quàm acta improbari Stephani VII. adversùs Formosum, & ex ejus actis vilescere personam? Et tamen Auxilius, qui pro Formoso in Stephanum scripsit, servatâ Pontifici reverentiâ factum improbare satìs habet. Sic enim loquitur in lib. 2. cap. 17. *Omni humanæ potestati subditi esse debemus, & quàm maximè Apostolicæ*, & in cap. 18. Insensori objicienti, cum non satis modestè loqui de Romana

mana Ecclesia, *absit*, inquit, *ut ego infimus, vel potiùs vermis contra eam loquar, sed, ut Deus donaverit, magis pro ea*. Observantiæ item plena est epistola Fulconis, optimi Præsulis Remensis, ad Stephanum VII. indignum illum Pontificem: tum Hattonis Moguntini Suffraganeorumque ejus litteræ ad Johannem IX., cui ita scribunt. *Noverit sublimitas sanctitatis vestræ, quòd nulla fratrum unanimitas, sancta Romanæ Ecclesiæ potestati subjecta, fidelior atque devotior ac subjectior apparet, quàm nos, qui vestræ dominationi & capiti omnium Ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur*. Sed insignior est præ ceteris epistola Theotmari Juvavensis seu Saltzburgensis, aliorumque Bajoariæ Episcoporum ad eumdem Johannem IX. cui significant, se promiscuis rumoribus nequaquam ab observantia Sedis Romanæ revocari potuisse. Eorum verba hic adscribi merentur. *Nequaquam credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & Apostolica Sede, quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ Religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina & auctoritas Ecclesiasticæ rationis*. Sic illi sedem Petri, tamquam errori haud obnoxiam, suspiciebant. His accedit Ratherius Episcopus Veronensis, qui cùm à clericis suis vexatus, ob consultum in dubiis Johannem Romanum Pontificem, apud quosdam malè audiret, ista reposuit. *Qua ignorantia quò meliùs exui, quò aptiùs possum, quàm Romæ doceri? Quid enim de Ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoretur? Illic summi illi totius orbis Doctores: illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ principes. Illic decretalia Pontificum, examinatio canonum: approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremò nusquam ratum, quod illic irritum: nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum*. Testem hoc loco ex Regibus Hugonem Capetum adducere licet, qui cùm Arnulfi Remorum Archiepiscopi exauctorationem in Synodo factam Johanni XV. displicere cognovisset, legatos ad eum misit, tulitque haud gravatè, Gerbertum, in locum Arnulfi substitutum, ex sententia Leonis Abbatis à Pontifice legati ipsi Arnulfo adversario suo cedere. Ubi rectè monet Baronius, planè id esse mirandum, quòd hoc præsertim tempore tanti fecerit Hugo Romanum Pontificem, „ quando esset contemtui apud suos, & à Crescentio veluti vinctus, vel saltem obsessus detineretur in palatio: ut non „ nisi quem Crescentius vellet, aditum ad illum habere posset; & qui Romæ „ contemnitur à tyranno, in Gallia adeò colatur à Rege.

Frodoard. lib. 4. cap. 4. Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 47.

ibid. pag. 44.

Rather. in itiner. Spicil. tom. 2. p. 267.

Baron. ad ann. 995.

IX Sed forsan hîc occurrat aliquis, dicens, hoc modo falsis dogmatibus & doctrinis apertam fuisse viam, cùm Pontificibus, etiam corruptissimis, servatâ observantiâ, cæco obsequio quævis ab eis sanctiones reciperentur. Immo verò quantumvis persuasum haberent illius ætatis homines, vix ac ne vix quidem quicquam falsæ doctrinæ ab Apostolica Sede manare potuisse: nonnisi prævio tamen examine, nec sinè delectu à Pontifice quidvis admittebant, atque inter Personam vel Sedem accuratè distinguere noverant, teste Auxilio in lib. 2. cap. 18. *Aliud sunt*, ait *Pontificalis Sedes, aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque Sedis venerabiliter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt, hoc est, si contra Fidem vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus*. His consentanea præmiserat idem auctor in cap. 17. ubi ait, omni humanæ potestati subditos nos esse debere, *& quàm maximè Apostolicæ: sed utique non in illis, quæ Christiana lex abominatur, & Deo inimica esse monstrantur*. Et ita quidem se gessit erga Johannem XIII. sanctus Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis. Is Comitem quemdam incestûs reum à Communione removerat. Ille Regem in Dunstanum movet, & ad Pontificem appellat, ob-

tinet-

tinetque litteras ad Dunstanum, quibus hic Comiti parcere, & condescendere jubebatur. Ad quod Dunstanus: „ Equidem cùm illum, de quo agitur, sui „ delicti pœnitudinem gerere videro, præceptis Domini Papæ libens parebo: „ sed ut ipse in peccatis suis jaceat, & immunis ab Ecclesiastica censura nobis insultet, & exinde gaudeat; nolit Deus. Avertat etiam Deus à me, „ ut ego causâ alicujus mortalis hominis, vel pro redemtione capitis mei, „ postponam legem, quam servandam statuit in sua Ecclesia Dominus meus „ Jesus Christus„. Ita constantissimus & modestissimus Antistes, etsi aliàs religiosissimus in Romanum Pontificem. Longè ergo aberant ab adulatorio illo cæci obsequii genere, ut quidvis indiscussum a Papa reciperent pii illorum temporum Antistites: nec usquam impunè passi essent quidquam contra Fidei puritatem attentari, qui Ecclesiasticæ disciplinæ contrariam sententiam admittere noluerunt. Immeritò itaque nostri temporis novatores pravis quorumdam Romanorum Pontificum exemplis abutuntur ad impugnandam Ecclesiæ incorruptam veritatem, & unitatem. Qualescumque fuerint Pontifices illi, *quibus objiciunt pro sua dissensione quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentiâ coronamur: nullo modo eorum iniquitate damnamur*. Ita loquebatur Augustinus in causa Donatistarum, ita & nobis loqui licet in causa Novatorum. Manet semper eadem Ecclesiæ veritas, manet semper eadem unitas. *Quisquis ab hac unitate vento superbiæ, tamquam sola palea, separatur; areæ Dominicæ propter commixtam paleam quid calumniatur?*

Augustin. de unico Bapt. cap. 16.

X Verùm quoniam sæculi decimi æstimatio non ex sola Romanorum Pontificum consideratione, sed etiam ex aliorum Episcoporum & Ecclesiæ ministrorum qualitate pendet; quales in præcipuis universæ Ecclesiæ partibus tunc temporis ministri & Antistites fuerint, quoad fieri poterit, paucis exponendum est. Et primùm quidem ab Italia incipio, in qua funesta de Pontificatu atque Imperio discidia multum detrimenti rei Christianæ attulerunt. Non defuere tamen in multis vel pauci, qui Reipublicæ Christianæ afflictæ suppetias tulerint. Inter primos claruerunt Theodoricus & Grimoaldus Pisani Archiepiscopi, qui cùm communem Canonicorum suorum vitam, qualem instituerat eorum decessor Johannes, ob temporum procellas ruinæ proximam animadverterent, eam deinceps curâ & impendiis suis revocare & fovere curarunt. Insigne est hanc in rem diploma Grimoaldi apud Ughellum, datum anno Berengarii junioris & Adalberti Regum anno VIII., Indictione III., id est anno Christi CM. LIX. Theodorico æqualis fuit sanctus Adelbertus Bergomatensi Ecclesiæ admotus ab anno DCCC. LXXXV. in annos XL., vir tantæ sanctimoniæ, ut quidvis à Regibus impetrare valeret; idemque civitatem suam à Barbaris defendit, ac propè excisam instauravit. Sed (quod ad rem pertinet) anno CM. VIII. sanxit, ut in S. Vincentii Cathedrali Ecclesia ab se condita Canonici ex communi victu vitam traducerent, ac testamento suo lumen die noctuque ad altare sanctæ Trinitatis, idemque in S. Alexandri Ecclesia à se item condita ad Martyris corpus instituit. In agmen etiam meritò veniet Zenobius Fesulanus Episcopus, eo nomine secundus. Is cùm videret paucos in Ecclesia sua Cathedrali Canonicos, numerum auxit, eosdemque ad communem vitam composuit, datis anno CM. LXVI. litteris, in quibus de quadripertita Ecclesiæ bonorum divisione mentionem facit. Eamdem vivendi formam in Cæsenate Ecclesia instituit Consilio Gebehardi Archiepiscopi Ravennatis Sergius ex nostris Episcopus labente sæculo decimo, uti ejus instrumentum ea de re editum fidem facit. Idem etiam præstitit

Ital. Sac. tom. 3. col. 412.

tom. 4. col. 608. ibid. col. 616. & 621.

tom. 3. col. 275.

ftitit fub Ottone Magno in fua Ecclefia Albertus Epifcopus Aretinus, ne quid dicam de Rodulfo Gallo Urbevetanæ Ecclefiæ Epifcopo, qui legibus faluberrimis clerum fuum ad defæcatiores mores traduxit. Quis non miretur in tam corrupto Italiæ ftatu inventos fuiffe tanti in Religionem ftudii Antiftites, qui Apoftolicæ vitæ formam in clero fuo reftituerint. *Ital. Sac. tom. 2. col. 458. tom. 1. col. 462. ibid. col. 183.*

XI Sed fortaffe in Italia defideret aliquis viros per illa tempora doctos, quorum operâ Ecclefiæ doctrina & difciplina adversùs corruptos mores inviolatæ permanferint. Non defuit etiam hac in re Dei miferantis Providentia. Teftes huc appellare licet Ratherium Veronenfem, & Attonem Vercellenfem Epifcopos: ex quibus ille *dum in mores hominum tam fcriptis, quàm verbis mordaciter nimis inveheretur, & nec potenti nec humili penitus deferret*, fede fua deturbatus eft non femel. Sic invifi erant tunc temporis Epifcopi boni Italicis hominibus, ut cùm mortuo Henrico I. Imperatore de novi electione ageretur, delata fit poftulatio ad Guillelmum Pictavorum Ducem, ejufque filium; modò ut omnes Italiæ Epifcopos abjiceret, forfan quòd plerique effent Germanici; atque alios fuo ipforum, id eft Italorum, arbitrio inftitueret. *Sed abfit à me*, inquit ille, *rem hujufcemodi facere, ut Paftores Ecclefiæ, quibus mei patres femper bonorem exhibuerunt, quos ipfe quantùm valui femper exaltavi, finè crimine inhonorem*. Hæc eadem caufa Veronenfes impulit ad exauctorandum Ratherium, qui corruptis ejus temporis moribus adverfabatur. Paullò minùs obfcurus eft Atto feu Ahito Vercellenfis, Theologiæ & Canonum peritiffimus, cujus plurima ingenii monumenta typis vulgata funt à noftro Acherio in Spicilegii tomo VIII. Obfervatione digna eft ejus admonitio ad Presbyteros fuos, Capitulari, quod in eorum doctrinam condidit, præfixa. *Obfecro vos*, inquit, *fratres dilectiffimi, ut erga fubditarum plebium profectum & emendationem vigilantiffimâ curâ laboretis: quatenus viam falutis oftendentes, & eos verbis & exemplis inftruentes, & vos de eorum profectu, & nos de veftro, domino Jefu Chrifto ancillantes, fructuofos illi manipulos reportemus. Obfecro etiam fraternitatem veftram, ut hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digeffi, affiduè legatis & memoriæ comendetis, & eorum five ceterarum fanctarum fcripturarum lectione mores componatis & vitam emendetis &c.* Nec minor fuit Ratherii zelus pro clericorum fuorum emendatione & obfervatione Canonum, de quorum contemtu fingularem edidit librum, afferens de duplici capite oriri fæculi fui corruptos mores, nempe ex contemtu Canonum, & luxuria Sacerdotum; contemtorem Canonum effe falutis ac Catholici nominis penitus expertem. *Cruciat me non parùm fateor, ifta quærentem, iftis utrumnam contemtis reftet falutis alia, quod neque fufpicor, via. Si enim quod catholicum eft, catholica defendit Ecclefia; catholicum fe ufurpativè, reor pronuntiat, qui Canonibus fanctis præfumtivè repugnat*. Et in parte I. de contemtu Canonum, hujus contemtûs hanc affert caufam, nempe mandatorum Dei inobfervationem, *cùm videlicet quis autumat nihil fibi prodeffe, fi obfervet minora, qui fe novit contemfiffe majora*. *Gefta Epifcop. Leod. tom. 1. p. 173. & 177. Fulbert. Epifcop. Carnut. ep. 126.*

XII Jam fi viros zelo Apoftolico, & infigni fanctitate præftantes requiras, occurrunt Ægidius Epifcopus Tufculanenfis, in Poloniam à Johanne XIII. legatus rogatu Mifeconis Ducis ad prædicandum Chrifti Evangelium. Quod quidem gnaviter feliciterque exfecutus eft. Non impar huic Adelbertus operis coadjutor, & ipfe Pragenfis Epifcopus Apoftolus & Martyr, poftquàm Romæ in Monafterio fancti Bonifacii per aliquot annos vitam monafticam transegiffet. Ibidem etiam & Cafini verfatus eft vir fanctitate infignis B. Nilus Roffanenfis in Calabria Monachus, cujus vita & doctrina plurimos ad me- *Ital. Sac. tom. 1. col. 263.*

meliorem frugem revocavit: & Leo ejusdem Monasterii Bonifaciani Abbas in Galliam missus à Johanne XV. in causa Arnulfi & Gerberti, qui de Remensi Pontificatu decertabant. Sed illustres in primis fuère sanctissimi Abbates Romualdus, & Dominicus Fulginas seu Soranus, Nonnosi Abbatis *mira sanctitate conspicui* discipulus, qui sæculi X. finem & undecimi initium vitæ suæ splendore & doctrinâ illustrarunt, multosque discipulos ad severiorem vitæ rationem adduxerunt. Sed his interim omissis, venio ad Episcopos Petrum, & Gauzlinum Patavinos, quorum ille Arianis, suam diœcesim etiam tunc infestantibus, strenuè restitit: hic eximiæ sanctitatis, eosdem penitus delevit, cœnobio sanctæ Justinæ à fundamentis instaurato. Denique inter pios Italiæ Antistites censendi sunt Notherius Veronensis *magnæ sanctitatis*, Dominici duo Venetiarum: alter ob eximias virtutes coactè consecratus: alter pius & doctus, cùm uxorem & liberos haberet, invitus item Episcopatum accepit, abdicata demum dignitate in locis sanctis Eremita. Coronidis loco erit sanctus Stephanus, primùm cœnobii sancti Salvatoris apud Capuam Abbas è nostris, dein Cajacensis Ecclesiæ electus Antistes anno CM. LXXVIII. Memorabile est de ejus confirmatione decretum Gerberti, ex Casinate Monacho Capuanæ Ecclesiæ Metropolitani, ad clerum & populum Cajacensem. *Fratrem jam & Cöepiscopum nostrum Stephanum vobis ordinavimus Sacerdotem: cui dedimus in mandatis, ne umquam ordinationem præsumat illicitam, ne bigamum, aut qui virgine non est sociatus uxore, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitentem, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad sacrum ordinem permittat accedere. Afros passim ad Ecclesiasticos ordines prætendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpiùs sunt probati.* Hæc sanè monita non dormitantis sunt Archiepiscopi, sed strenuè pro suo grege invigilantis.

Ital. Sac. tom. 5. col. 402. & 406. ibid. col. 633. col. 1271.

tom. 6. col. 563.

col. 564.

§. II.

Status Ecclesiæ in aliis Europæ partibus.

XIII CUm in eo ferè statu essent Christianæ res in Italia, Sol justitiæ in aliis Christiani orbis partibus paullò sereniùs radiabat. De Occidente loquimur: nam in Oriente funesta discidia Ecclesiæ statum jam dudum turbabant, Imperatorum cædes, Patriarcharum Constantinopolitanorum exsilia, fiduciariæ dignitatum occupationes: cujus rei exemplum in Tryphone, qui post Stephanum C. P. Patriarchatum tenere jussus est, dum Theophylactus, Romani Imperatoris filius, idoneæ esset ætatis ad illum tenendum, tametsi Tryphon posteà cedere noluit. Sed tamen inter illas nebulas refulserunt Euthymius Patriarcha Constantinopolitanus, sede sua tametsi pulsus, & Nicon Monachus sanctus apud Armenos: ne quid dicam de Leone & Basilio Imperatoribus piis, & pro tempore eruditis. Idem ferme rerum status apud Hispanos Christianos, quibus ab infestatione Arabum vix respirare concessum est identidem, uti sub Alfonso Magno accidit.

dit. Floruêre nihilo minùs inter Episcopos noster Gennadius Asturicensis, Attilanus Zaamorensis, Sisenandus, & Rudesindus Compostellani : ex quibus primus & postremus sacro cultu in Hispanica Ecclesia honorantur. Istorum temporum in Oriente & Hispania acerbitatem deplorat Arnulfus Aurelianensis Antistes, seu Gerbertus in Actis Synodi Remensis, idque in Romanæ Ecclesiæ miserum statum refundit, à qua multæ jam Ecclesiæ secessionem fecerant. *Nam ut de Africa*, inquit, *taceamus & Asia, jam Europa discedit, Constantinopolitana Ecclesia se subduxit; interiora Hispaniæ ejus judicia nesciunt*. Sed miro Dei judicio factum est, ut cùm in quibusdam locis deficeret Fides, in alias Europæ regiones diffunderetur, nimirum in Danos, Slavos, Polonos, Boëmos, Hungaros & Nortmannos, quos ipso tempore Christo nomen dedisse posteà dicemus.

Longè felicior erat Ecclesiæ status in aliis Europæ partibus, Germania, Gallia, & Anglia, tametsi etiam illæ regiones suis tumultibus non carebant. *Certè in Belgia & Germania quæ vicinæ nobis sunt*, inquit prælaudatus Arnulfus, *summos Sacerdotes, in Dei Religione admodùm præstantes inveniri, in hoc sacro conventu Remensi testes quidam sunt*. In primis multum debet Germania eximiis Principibus Henrico, & Ottonibus ejus posteris, à quibus optimi Pastores Ecclesiis concessi sunt, & laudabilia Instituta ad reformandos populorum mores sancita. Sed Conrado Regi prima hujus rei laus tribuenda est, ut qui Henricum tunc Saxoniæ Ducem, cui Aucupi cognomen erat, post se regnaturum, suis prætermissis designavit. Ita Henrico repensum à Conrado est, quod Otto Henrici pater in Conradum contulerat, siquidem Conradum *ob meritum sui Otto prædictus ab omnibus regni principibus in Regem electum, sibi quasi ad hoc indigno præposuit, seque cum filiis fidei ejus ac potestati subdidit*, teste Ditmaro. Ea verò fuit Henrici modestia, ut coronâ susceptâ, *episcopalis unctionem benedictionis* ab Herigero Archiepiscopo exhibitam suscipere noluerit, *prorsus ad hoc indignum se affirmans*. At meritò dubitare licet, feliciorne Henricus fuerit, quòd sanctissimam conjugem Mathildem habuerit, an quòd ex ea Ottonem, & Brunonem, præter Henricum, & ex Ottone duos alios Ottones nepotes susceperit. Is enim fuit Otto, ut præclaris in Ecclesiam & rem publicam meritis Magni cognomen jure adeptus sit, cujus temporibus *aureum sæculum* illuxisse Ditmarus auctor est. At quàm præclarum fuit Henrici factum, cùm in fervente prælio constitutus, multis suorum ipsum deferentibus, Comiti cuidam abbatiam Laurishamensem sub hoc periculi articulo postulanti respondit, se nec abbatiam, nec quidvis aliud intempestivè flagitanti concessurum. „ Abiret potiùs cum aliis si vellet : malle se „ Deo quàm hominibus morem gerere, quæ christiana & generosa respon- „ sio Comitem in officio continuit„. Non mirum itaque si ex tam pio Principe & ex sanctissima ejus conjuge Mathilde tantus prodierit filius, scilicet Otto Magnus : qui & in hoc fortunatus fuit, quòd etiam piissimas uxores duas, unam post aliam, Editham & Adelhaidam, habuerit, quæ in Sanctorum Albo conscriptæ sunt, utì & Mathildis ipsius parens. Multa etiam laudabilia gessit Otto secundus cognomento Rufus, sed avum tertius Otto, si non rebus gestis, saltem pietate ac Religione propiùs referebat : litteris verò (nam Otto Magnus illiteratus erat) omnino superavit, non solùm latinis, sed etiam græcis excultus, Mirabilia mundi appellatus in Chronico Laureshamensi. Qualis quantusve fuerit ipsius successor Henricus, ejus sanctitas omnibus perspectum facit, ut in sæculo proximo visuri sumus. XIV.

Ditmar. lib. 2

Liutprand. lib. 4. cap. 15.

Canis. Heuvin. p. 157. a.

Verùm ut de Germaniæ Pontificibus dicamus, multum Ottoni Magno XV.

 debet

debet Germania, quòd Brunonem fratrem suum Coloniensi Ecclesiæ, & filium suum VVillelmum Moguntinæ dederit. *Junior fratrum domnus* Bruno, ut verbis Chronographi Magdeburgensis utamur, *magnus erat ingenio, magnus scientiâ & omni virtute ac industriâ: quem cùm Rex* Otto *præfecisset indomitæ genti Lothariorum, regionem à latronibus purgavit, disciplina legali instruxit, gregem sibi commissum dilexit, multos ab errore eripuit, quosdam assiduis disputationibus ad meliora ducens, quosdam doctrinæ maturitate sanctiori desiderio accendens; in sermone mitis, in doctrina humilis; malorum destructor, veritatis assertor, subditis blandus, tumidis severus; quæ alios docuit, prior implevit.* Hæc ad annum CM. XL. Chronographus Magdeburgensis ms. Et ne Brunoni vitio vertatur, quòd Ducatum Lotharingiæ simul cum Episcopatu habuerit, idem occurrit ad annum CM. LIII. *Eodem anno* Wicfredus *Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus obiit, cui Bruno frater Regis, vir gloriosus, in Episcopatu succedens, totius Lothariensis regni ducatum & regimen cum Episcopatu suscepit. Ita cum magna religione usus est officio Sacerdotis, & existente necessitate functus est virtute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re illum culpabilem dicat, cùm Samuelem sanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus & judices.* Ita ille. Verùm Brunonis Vitam accuratiùs in litteras retulit ejus æqualis Rotgerus, apud quem multa de eo laudis materia memoratur, „ nempe eum in omni græca vel latina eloquentia fuisse versatum; veteres „ legisse, etiam comædos & tragædos, materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo reputantem: Bibliothecam „ suam, sicut arcam dominicam, secum semper quocumque conduxisse: „ Episcopum maximè curasse, ut in diversis congregationibus, quæ ad ejus „ sedem pertinebant, *unum cor esset & una anima*: ut vestium superfluitas, „ morum inæqualitas, & quidquid hoc modo effeminatum & indecens in „ ejus Ecclesia videretur, circumcideret: ut divinis ministeriis omnes, quo„ rum id intererat, intentissimè secundùm præfixam sibi regulam viverent, „ nec aliam sibi salutis suæ causam æstimarent; semper intentum fuisse le„ ctioni, in cujus studio mori videbatur, atque ad id agendum omnes exem„ plo & crebro monitu accendisse, denique morti proximum Corporis & „ Sanguinis Dominici Sacramentum expetiisse, quod cùm fuisset allatum, „ virum illum Domini quid animus senserit, *corpore prostratum* ostendisse. „ Hæc fusiùs commemoramus, quoniam ex tanto viro maximè pendet istius sæculi imago. Ceterùm multos insignes de alumnis tanti viri Episcopos, multos etiam in quacumque Ecclesiasticæ professionis disciplina probatissimos se nosse idem Rotgerus affirmat.

XVI Sed in primis Archiepiscopum Trevirensem Henricum ait idem auctor, *magni meriti & summæ probitatis virum*, qui Rutperto magnifico Præsuli successerat, *VVillelmum quoque præclaræ & gratissimæ excellentiæ archimandritam, nepotem suum*, Friderici Moguntini Antistitis successorem, *ambos egregios, ambos in lege Domini perfectè instructos*, summa veneratione colebat. Henricus iste *Ottonis propinquus*, teste Frodoardo, atque adeò *illustri Francorum & Suevorum stemmate clarus*, ut in Actis sancti Wolfgangi Episcopi Ratisponensis legitur, ab Ottone Trevirorum designatus Antistes, Wolfgangum amicum secum duxit, eumque sacerdotiis ac dignitatibus Ecclesiasticis præ ceteris ornare voluit, ut per omnem diœcesim ipsius secundum locum obtineret. Negavit ille: sed tandem *in hoc cessit, ut pateretur Scholasticos pueros & adolescentes suæ curæ commendari*, nulla spe lucri. De Henrico illud addit Historiæ Trevirensis scriptor Anonymus, *quòd regulares officinas & claustrum circa*

Frod. Chron. ad ann. 956.

Spicil. tom. 12. pag. 218.

circa majorem Ecclesiam construxerit, & rigorem regularis conversationis ibidem decreverit exerceri. Ibidem etiam plurimùm laudatur Egebertus Henrici post Theodericum successor, *vir æternæ memoriæ, & virtute insignis* appellatus.

XVII Wolfgangus Henrico mortuo, in Einsidlense Monasterium se recepit sub Religioso Abbate Gregorio: tum eodem annuente *in Pannoniæ fines prædicandi causâ* proficiscitur. Revocatus à Piligrino Pataviensi Episcopo, Sedi Ratisponensi imponitur. Adeptus tantum ministerium, noluit inane Episcopi habere nomen, sed die noctuque illud excoluit, munus suum accuratè obeundo: *nec propter Episcopatûs fastigium habitum monasticum mutare* voluit. Sancti Emmerammi Monasterium virorum, aliaque duo puellarum, superius & inferius, ad meliorem frugem revocavit: tertium sancti Pauli suis impensis erexit. Deinde *etiam accinxit se ad canonicæ vitæ instituta reformanda*, effecitque ut Canonici Ecclesiæ suæ *simul in refectorio ederent & extra claustrum horis incongruis ne exirent, neque silentii disciplinam negligerent*. Morti proximus primùm per confessionem se expiavit; ac pòst accepto Viatico humi se prostravit, exstinctus anno CM.LXXXIV., quo ejus Acta retulimus.

XVIII Wolfgangum ad Sacerdotium promoverat sanctus Udalricus Augustanus Episcopus, alterum Ecclesiæ lumen, cujus Acta hìc etiam referuntur. Is Episcopus vitam Monachorum agens, in Quadragesima præcipuè religiosè se habebat. Synodum quotannis prisco more celebrare solitus, diœcesim suam ex præscripto Canonum accuratè visitabat. Hoc passus humani, quòd sub finem vitæ Adalberoni nepoti suo se vivente *procurationem sui Episcopatûs*, & mortuo successionem ab Ottone petierat, quod multis lacrymis postea diluit.

XIX Sed his omissis, veniamus ad duos Episcopos virtute & Christianæ fidei zelo præstantes, Adalbertum Magdeburgensem primum Episcopum, atque ejus cognominem Pragensem: quorum ille Slavos, hic Boëmos, Polonos, & Ungaros Fidei mysteriis imbuit. Quantum Pragensis in hoc opere exsequendo pertulit, testantur ejus Acta, quæ hìc subjicimus, & Martyrium quod ipse tulit; Magdeburgensi verò id acceptum referre debemus, quòd in scholis Ecclesiæ suæ alterum Adalbertum pietatis & scientiæ præceptis ad illum agonem instruxerit. Ante eos enituit Adalgagi Bremensis sollicitudo pro conversione gentium, ut ex Adamo Canonico discimus.

XX Longiùs progrederetur oratio, si Radbodum Trajecti inferioris, Conradum & Gebehardum Constantienses, Alewicum Argentinensem, aliosque præclaros Germaniæ Antistites hoc loco celebrare in animum induceremus. Sed tamen præterire non possumus Sigismundum Halberstadensem, quem in humanis divinisque disciplinis omnes suimet *contemporales* præcelluisse Ditmarus affirmat. *Hic pietate maxima, & (quod summum est perfectionis culmen) Christi zelo fervens, ut perpetrati facinus connubii* (scilicet Henrici aucupis cum Hathelburga Ervini relicta, quæ velata erat) *primò audivit, ovium culpam suarum ingemuit*; & eos ab invicem separari jussos, *ad condictam ambos Synodum vocavit*. Quid indè consecutum, nos ad alia festinantes Ditmaro explicandum relinquimus. *Ditmar. initio lib. 1.*

XXI In Belgica prima ad exemplum Metropolitani, Henrici scilicet Trevirensis, de quo mox diximus, se se composuêre Adalberones duo Mettenses, Dado & Berengarius Virdunenses, Gauzlinus & Gerardus Tullenses. Adalberoni seniori debemus præter multa alia restitutionem Monasterii Gorziensis celeberrimi, hoc est magnum agmen sanctorum Monachorum, qui sub Einoldo Abbate piissimo sæculi istius tenebras virtutis & scientiæ luce dispulerunt.

lerunt. A rebus gestis senior Adalbero Magni cognomen apud posteros obtinuit. Junior ejus *fratruelis* licèt tempore inferior, *merito & gratiæ privilegio non impar* fuit. Hic apud Gorzienses institutus, curavit Episcopus, ut & vetera Monasteria instaurarentur, quale fuit sancti Symphoriani Mettense; & nova erigerentur. Missas & *Sacramenta divina sinè cilicio nunquam celebravit*, totum Quadragesimæ tempus apud Gorzienses transigere solitus. Cetera præterea ex ejus Actis repetenda apud Labbeum. Non minor apud Tullenses fama pietatis ac virtutis sub Gauzlino & Gerardo Episcopis fuit, qui disciplinæ restituendæ non aliud opportunius subsidium quàm ex Monachis restitutis habuerunt. Gauzlino Pontifice, id est sub initia sæculi X., Einoldus, *Tullo in summo omnium bonorum exemplo vitam ducebat*. Hic ex Primiserinio Ecclesiæ Archidiaconus, cunctis quæ habuerat in pauperes distributis, *tantùm simplici veste retenta, & libris, ac veste Sacerdotali, in cellula claustro Canonicorum adhærente se se cohibuit, & ferè triennium in summa & ardua continentia vitam egit*: posteà verò cum Johanne Gorziense Monasterium excoluit. Interea Bernerus Diaconus, *vir opinione sanctitatis & literarum scientiâ celebratus*, Tulli Leucorum literas docebat. Hoc præceptore grammaticam didicit Johannes Gorziensis, qui etiam Dadonis *summi ingenii, & famosæ sanctitatis* Episcopi Virdunensis, non parvo tempore consuetudine usus est; cùm interim Humbertus in cella reclusus magna Religione floreret, is qui posteà Johannis Gorziensis adjutor, & sub Berengario Virdunensi Episcopo primus Religionis ad S. Vitonum restitutæ auctor fuit & abbas. Dadonis decessor Berardus *Canonicos suos canonicè*, id est regulari ac communi modo, *vivere fecit, & villanis Presbyteris viam justitiæ viriliter ostendit, & pueros in divinis & humanis litteris per se & per alios cum summa caritate instruxit*.

Labbe tom. 1. Bibl. novæ. *Vita Johannis Abb. Gorz. hoc tomo.* *Hist. Episc. Virdun. tom. 12. Spicil. pag. 261.*

XXII. In Belgica secunda non minùs celebres fuère apud Remos Fulco, Herìveus Nortmannorum Catechistes, Artaldus, & Adalbero cœnobiorum reparator; item Cameracenses Fulbertus, Engrannus & Ansbertus, ex Balderici Chronico. Fulco qui primus, aut certè inter primos, suæ Metropolis Suffraganeos filios appellavit, circa *Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, jam penè delapsas restituit, & evocato Remigio Autisiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, isque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum sancti Amandi Monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum, accersivit, & Ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis*. Hæc Frodoardus, illius scholæ præcipuum ornamentum, præclarum sui temporis lumen, qui Hugonis pueri quinquennis in Sedem Remensem intrusioni restitit. Intrusio ista magnarum in Ecclesia Remensi turbarum causa. In Belgicis sub hæc Monasteriis sanctus Gerardus Abbas Broniensis disciplinam sarcit, Wibertus celebrem Gemblacensem Abbatiam condit, sanctus Forannanus Valciodorensem, Malcalenus Michaëlensem.

Frodoard. Hist. Rem. lib. 4. cap. 9.

XXIII. Belgicos Antistites, tanquam viros pietate & doctrinâ insignes, superiùs laudavit Arnulfus Aurelianensis: ex quibus Notgerum Leodicensem haud dubiè unum intelligit, cujus *quanta fuerit in educandis pueris, scholaribusque disciplinis instituendis sollicitudo, hinc maximè probatur, quòd semper dum in via pergeret longè seu propè, scholares adolescentes secum ducebat*, quibus præceptorem unum ex Capellanis suis, *& librorum copiam cum ceteris scholaribus utensilibus procurabat*. Ex ejus porrò schola plurimi Religionis & doctrinæ dotibus

bus illustres prodierunt : in quibus Episcopi sex, Guntherus Saltzburgensis, Rothardus & Erluinus Cameracenses, Haimo Virdunensis, Hezelo Tullensis, & Adelboldus Trajectensis ad Rhenum. His adde Durandum postea Leodicensem Episcopum, qui Babembergensem Ecclesiam pietate & artium liberalium disciplinâ illustravit. Adde item Otbertum, qui Aquisgranensium Canonicorum mores depravatos *ad sanctæ Religionis statum reduxit*, ut in Gestis Leodiensium Episcoporum fusiùs memoratur.

Idem præstitêre variis in locis alii Episcopi, Theotilo Turonensis in Monasterio sancti Juliani, Sevinus Senonensis in Melodunensi S. Petri, Hagano Carnutensis in cœnobio sancti Petri, & (ut alios prætercam) Eblus *bonus Pastor*, nempe Ecolismensis, Miraculis etiam clarus, qui Monasteria S. Michaëlis in Eremo, & S. Maxentii instauravit, *& multa alia in opere Dei egit*. Agmen claudent Pontifices in Galliis per id tempus *religiosiores, Manasses videlicet vir sanctitate plenus, Trecorum Episcopus, & Gislebertus Parisiorum, & Geboinus Catalaunorum*, quos Glaber Rodulfus excessisse dolet. XXIV

Ademar. tom. 2. Bibl. Labbe pag. 160.

Glaber lib. 2. cap. 7.

Quin etiam Principes eo tempore nonnulli eximia pietate floruerunt : quos inter meritò commemorandi sunt S. Gerardus Comes Auriliacensis cœnobii auctor, cujus vita primorum Ecclesiæ temporum pietatem spirat : atque Willelmus Aquitaniæ Dux, celeberrimi Cluniacensis Monasterii fundatione illustris, Pii cognomentum apud posteros assecutus. Nec prætermittendi Nortmannorum Duces, qui Monasteriis & Ecclesiis restitutis pristinæ ferocitatis maculas diluerunt. Præ aliis laudandus Richardus, Fiscamnensis Monasterii aliorumque instaurator, cui Monasterio Guillelmum Abatem Divionensem præfecit, præcipuum illorum temporum decus & ornamentum. XXV

Quòd si non tam personas, quàm facta ipsa considerare lubet, agedum, quid in Gallia tunc gestum sit, expendamus. Ibi omnia per id tempus bellis domesticis externisque fremebant. Nam cùm ferro & igni omnia sacra & profana corrumperent Nortmanni & Hungari ; de rerum summa contra Carolum Regem decertabant Principes Odo, Rotbertus, & Richardus, & super omnes Heribertus, qui cum filio suo Hugone tot & tantas turbas in Urbe Remorum excitavit. Variam item fortunam expertus est Ludovicus Transmarinus : at Lotharius ejus filius rem præclaram fecisse, atque fortunam Imperii ad suas partes inclinare visus est, cùm occupata Aquisgrani sede regia, aquilam tecto palatii impositam in Galliæ partes vertit. *Hæc stat in orientali parte domûs*, inquit Ditmarus, & post eum Chronographus Magdeburgensis, *morisque fuit omnibus hunc locum possidentibus ad sua eam vertere regna*. Cùm res civiles eo in statu essent, magna nihilominus acta sunt in Ecclesiæ causa. Quippe Nortmanni, gens eatenus à Christi sacris aliena, per Heriveum Remorum antistitem in Ecclesiæ gremium adducta est, & Rollo eorum Dux à Francone Rotomagensi lustralibus aquis purgatus. Conciliorum defectu quidam Episcopi salubres ediderunt constitutiones ad regimen sui gregis, quales sunt Riculfi Suessionensis, & Gualteri Senonensis, si tamen hujus sanctiones non sunt Gualteri junioris: quibus accedit collectio Canonum per Reginonem Prumiensem Abbatem. Nonnulli etiam Episcopi sermonum formulas edi curarunt in gratiam indoctorum Sacerdotum, qui eis uterentur ad erudiendam plebem. Sic Abbonem, S. Germani apud Parisios Monachum, *coëgerunt Episcopi Froterius Pictaviæ, & maximè Fulradus Parisiacæ, illud tenui stilo cudere negotium ad utilitatem simplicium clericorum, quatenus hinc omni tempore sumant esum, & hauriant potum prædicandi subjectis*. Ex his sermonibus XXVI

Ditmar. lib. 3. pag. 29.

qui-

quidam selecti exstant in Spicilegii tomo IX. Varia nihilominùs Concilia in variis Galliæ locis, quatenus temporum injuria sinebat, habita sunt ad medendum malis, quæ suboriebantur in dies: qualia fuerunt Narbonense, Magalonense, Troslejanum multiplex, Turonense, Cabilonense, Remense triplex, Suessionense, Virdunense, Mosomense duplex, & alia.

XXVII In his Conciliis egregia condita sunt decreta in remedium grassantium malorum. Præclara est constitutio Concilii Mettensis sub finem sæculi IX. can. I., ubi Provincialium Synodorum longæ induciæ deplorantur, & præclara conciliandæ contra Nortmannos & perversos Christianos pacis ratio, nimirum per emendationem morum, decernitur. *Quærenda est igitur*, inquiunt Patres, *pietas Christi, qua pagani arceantur; & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines à vastatione pauperum repellantur. Idcircò quidquid in nobis pravæ voluntatis est abjiciamus, & de paganis Christo auxiliante pacem obtinere valebimus*. Eodem animo ducti sunt patres Concilii Trosleiani anno CM.IX. qui *quoniam per aliquot annos, partim infestatione paganorum, partim etiam gravissimis Regni perturbationibus ac quorumdam falsorum Christianorum infestationibus præpediti, juxta decreta Canonum congregari nequiverant*: tunc quia congregandi facultas data erat, oportere, ajunt, in primis, *ut quàm primùm Christianæ Religioni jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti* succurratur ab Episcopis. Deinde addunt: *Omnis penè ordo omnisque status Ecclesiæ confusus ac temeratus est. Denique ne nobis*, inquiunt, *parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus; Episcopi dicimur, sed Episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus; eos qui nobis commissi sunt videmus Deum deserere, & in pravis actibus jacere: tacemus, nec eis manum correctionis tendimus*. Qui sic loquuntur Episcopi, non tantum docti, sed etiam haud dubiè zelo Ecclesiastico ducti erant, nec errores si qui tunc graves gliscere cœpissent, dissimulaturi fuissent. Deinde post monita ad Reges, primam omnium curam gerunt de Monasteriorum statu, ex quibus *quædam à paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, & ad nihilum propè redacta* dicunt, ita ut *nulla in eis regularis formæ serventur instituta*. Hos verò excessus emendari non posse *sine regularis Abbatis providentia. Unde censemus*, inquiunt, *ut status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & Canonum instituta servetur; & ut Abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam. Monachi verò vel Sanctimoniales juxta suam professionem sobriè, piè ac simpliciter vivant, ac pro regum salute ac regni pace & Ecclesiæ tranquillitate supplicent: non secularibus curis vel negotiis occupentur, non pompas mundiales requirant, non Ecclesiastica jura inquietent, sed juxta proprietatem sui vocabuli, quietè otium amplectantur*. Hanc autem reformationis ideam exsecuti sunt Cluniacenses, quorum Monasterii fundamenta proximo post hoc Concilium anno jacta sunt. Ex hac enim sanctissima congregatione prodierunt viri pietate & doctrinâ insignes, qui Ecclesiæ faciem exemplis ampliùs quàm verbis reformarunt. Hos inter præcipuus fuit sanctus Odo Cluniacensis Abbas secundus, qui adhuc Monachus, Turpionis Lemovicensis Episcopi rogatu, scripsit Collationum libros duos contra vitia sui temporis, atque in his vitia Sacerdotum egregiè exagitavit. Eodem Odone agente, Monasteria ad rectam vivendi formam restituta, novaque condita sunt: ut quasi alter Esdras legis reparatæ auctor videatur, vel ut alter Jeremias ad hoc à Deo electus, ut evelleret, & destrueret noxia, & utilia implantaret. Odoni post Aymardum virum piissimum successit Maiolus, cujus san-

Baron. ad ann. 938.

ſanctitatem etiamſi tum viventes non celebraſſent, ſatis probaret Pontificatûs Romani dignitas refutata, raro exemplo.

Ex eadem ſchola prodiit venerabilis Abbo Floriacenſis primò Monachus, dein Abbas, cujus induſtriâ & Religione Anglicana Eccleſia refloruit, litteris & pietate ab eo exculta. De hujus Eccleſiæ ſtatu in conſequentibus pluribus acturi, id unum hoc loco dixerimus, vix ullo umquam tempore tot tantoſque viros, pietate & doctrinâ (qualem ferebat ætas), quot iſto ſæculo, inſignes exſtitiſſe. *Eo tempore*, inquit Willelmus Malmesburienſis, *micuerunt per Angliam ſanctorum virorum lumina, ut crederes è cælo arridere ſidera*. Ex his tres potiſſimùm commemorat, Dunſtanum Cantuarienſem, Athelwoldum Wintonienſem, & Oſwaldum Eboracenſem Pontifices. *Ita his tribus viris agentibus, quaſi triformi lumine Angliam ſerenante, denſæ vitiorum tenebræ evanuêre*. His Plegmundum & Odonem Cantuarienſes, Elfegum Wintonienſem, alioſque his in Actis laudatos adjicere licet: à quibus omnibus quid in rem publicam Chriſtianam geſtum ſit, aptior erit inferiùs differendi locus. Præcipua tamen laus, ut id interim dicam, penes Dunſtanum ſtetit, teſtante eodem Willelmo. *Ita hominibus omnis ordinis ferventibus in Dei obſequio, terra quoque ipſa videbatur gaudere otio --- In urbibus nec in pauperes præjudicium, nec inter viventes diſcidium, nec propter morientes juſtitium. Horum bonorum radix per Domini gratiam ſpectabat ad Dunſtanum, de Dunſtano prodiit in Edgarum Regem, de Edgaro pullulavit in populis.* XXVIII

Willelm. lib. 2. de Regibus cap. 8.

Id. lib. 1. de Pontif. cap. 1.

§. III.

Quænam Sæculi X. de Fide Controverſiæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ quis ſtatus: & unde utriuſque Traditio.

EX his non difficulter conjicere licet, qualis eo tempore fuerit rerum Eccleſiaſticarum ſtatus, ſive dogmata ſpectes, ſive diſciplinam. Quia enim illius ætatis crimina bruta erant, inceſtus, rapinæ, cædes & ſimilia: nulla ferme errata circa Fidem orta ſunt. Quaſdam quidem hæreſes deſignat Formoſus in epiſtola ad Fulvonem Remorum Antiſtitem, ſed illæ Orientem infeſtabant, non Occidentem. Attamen Deum corporeum Presbyteri quidam Italici Vicentinæ diœceſis profitebantur, craſſo & ſupino errore. Hunc refellit Ratherius tum in ſermone 1. de Quadrageſima, tum in defenſione ejuſdem ſermonis. Ibidem etiam Ratherius carpit ſuperſtitionem quorumdam, qui ad Eccleſiam S. Michaëlis ſatiùs ducebant ire feriâ ſecundâ, quàm ceteris, rati ſanctum Michaëlem ipſa die Miſſam cantare ſolitum. Erant etiam in Italia, nempe in diœceſi Patavina, reliquiæ quædam Arianorum, ut dictum eſt ſuperiùs. XXIX

Frodoard. hiſt. lib. 4. cap. 2.

Eodem tempore Walfredus quidam neſcio quid in reſurrectionem corporum muſſitavit. Inſurgit contra Durandus Abbas Caſtrenſis in Septimania, *& gladio linguæ*, ait illius temporis Poëta Chronographus, dogmata falſa reſecat. Neſcio an contra ipſum Walfredum ſcripſerit Guillelmus in- XXX

Spicil. tom. 7. pag. 341.

cer-

certi loci Abbas, cujus opus de resurrectione manuscriptum habemus. In Anglia quidam de veritate Corporis Christi in Eucharistia dubitabant, quos insigni miraculo revicit Odo Cantuariensis Antistes. Insignis est in hunc errorem epistola Ratherii, ad Patricum Sacerdotem, ubi hæc verba præoccupando adducit. *Crede frater quia sicut in Cana Gallileæ vinum Dei imperio verum, & non figuratum, fuit ex aqua factum; ita istud Dei benedictione vinum verus, & non figurativus, efficitur sanguis, & caro panis.* Hæc cursim delibamus, utpote jam alibi tractata uberiùs.

Spicil. tom. 12 pag 18. Præfat. sæc. 4 parte 2. & Analect. tom. 1. p. 202. & seqq.

XXXI Contra hos similesve errores nihil in Conciliis, quæ sanè habemus, pronuntiatum est, nempe quòd ad ipsam publicæ sectæ professionem non sint progressi. Extant quidem varia illis temporibus celebrata concilia, sed omnia contra mores illius ætatis, nempe contra violatores canonum, simoniam, invasiones dignitatum, bonorumque rapinas, & cædes, contra incestum, & Presbyterorum conjugia, quæ illoc primùm sæculo audiri cœpta. Ratherius in libro de contemtu Canonum conqueritur, *quòd præ cæteris gentibus baptismo renatis contemtores canonicæ legis & vilipensores clericorum sint magis Italici.* Id vero dicit habita ratione sui temporis, quo Clerici ipsi se se in hanc infamiam perversis suis moribus projecerant. Hunc contemptum sanare conatus est cum Ratherio Atto Vercellensis: ac præsertim variæ Synodi, quæ observationem Canonum passim inculcant. Matrimonia cum consanguineis usque ad quartam generationem, quibusdam ad septimam pro incestis habebantur: nec personarum fere ullus erat respectus. Hinc Concilium Romanum sub Gregorio V. in Rotberti Regis cum Berta consanguinea connubium minas intentat gravissimas cùm Regi ipsi, tum earumdem nuptiarum auctoribus. Gravissimæ etiam pœnæ contra Presbyteros in conjugia ruentes (quod ne quidem Græcis umquam licuit) decretæ sunt: atque ut hoc malum penitus tolleretur, omnium mulierum, etiam quas Canones permittunt, cohabitatio ipsis interdicta. Hoc quippe antiqua lege in Ecclesia observatum est, *ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eligantur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici*, teste Hieronymo in Apologia ad Pammachium, qui in epistola adversùs Vigilantium eumdem morem in Orientis partibus usu venisse afferit. *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Ergo post Hieronymum aliter Græcis præsumtum est contra receptos Ecclesiæ mores. Episcopi quidam, Vigilantii affectæ, referente Hieronymo, non ordinabant Diaconos nisi priùs uxores duxissent. Subdiaconos, qui in Sicilia cælibatûs expertes erant, Gregorius Magnus continentiæ legi universim subjecit. Contrarium morem induci cœptum ingemuit Leo Papa VII. in epistola ad Gallos & Germanos. Quousque increverit hæc labes (quam ineunte sæculo X. incœpisse ex epistola Mantionis Episcopi Catalaunensis ad Fulconem Metropolitanum, & ex Orderico intelligimus) testatur præter alios multos Victor III. initio libri tertii de miraculis S. Benedicti. Tandem Gregorius septimus inveteratum malum è medio sustulit.

Conc. Nannet. can. 3.

Hieron. epist. 49. epist. 54.

Analect. tom. 3 p. 458. Orderic. Lib. 5 pag. 574. V. vitam Abbatis Tiron. cap. 25.

XXXII Contra rapinas, & cædes cùm non satis proficerent Ecclesiæ comminationes, delatæ sunt Sanctorum reliquiæ passim: tum mutua adinventa est pax seu *Trenga Dei*, qua confœderatio cum Episcopis & proceribus inita est, ut certis hebdomadæ diebus ab armis & cædibus, aliisque hostilibus factis abstinerent. Hanc institutionem ad annum M. XLI. revocat Hugo abbas Flaviacensis, qui eam præcipuè sancto Odiloni Abbati tribuit; aitque negotium hoc cælitus approbatum, atque ab omnibus etiam Austrasiis receptum, præterquàm

Bibl. nov. Labb. tom. 1. pag. 187.

quàm à Neustrasiis, ob id divinitus punitis. Commendatur hæc pacis conditio in Synodo Narbonensi anni M.LIV., ubi Patres obsecrant per Deum, ut nemo Christianorum quemlibet Christianum requirat ad malefaciendum *ab occasu solis quartæ feriæ usque secundæ feriæ illucescente sole*; asseruntque ipsam Treugam Dei *dudum* fuisse constitutam. Et quidem sæculo X., id est anno CM.XC. ejus diserta mentio deprehenditur in charta Widonis Episcopi Aniciensis, ubi nulli certi induciarum dies assignantur: itemque apud Glabrum Rodulfum ad annum M.XXXIV. qui Treugæ conditiones refert, uti & Concilium Helenense anni M.LXV. Henricus Leodicensis Episcopus quinquagesimus quartus eamdem cum Principibus admisit anno M.LXXI. egregia constitutione, quæ in tomo 2. de Gestis Episcoporum Leodiensium legitur. Consule Antonii Dominicii Dissertationem singularem *de Treuga & pace*. cap. 2. lib. 4. de Re Diplomatica. Gaber lib. 1. cap. 1.

Eodem sæculo X. Episcoporum & Abbatum canonicæ electioni vix ullus erat relictus locus. Simonia passim invaluerat, quam Henricus Auceps in Regium thronum evectus quamprimùm eversurum jurejurando se obstrinxit. In idem conspirarunt repetitis sæpius decretis Concilia, multique gravissimorum auctorum sermones, quos inter unus Gerberti editus est in tomo 2. Analectorum. Sed pertinacem adeò morbum reddiderat consuetudo, ut ex integro exstingui non potuerit. Si quando fiebat electio, tumultuaria erant omnia, aliquando ad sanguinem usque, atque cædes. Imbecilliores aliis jure suo cedebant: Principes & Reges hoc jus solebant sibi arrogare, ut resistentes quasi perduellionis reos haberent ii, qui minùs religiosi erant. *Solent etiam admodùm indignari*, ait Atto Vercellensis, *si vel ab aliis aliquis, cujuscumque meriti sit, Episcopus eligatur, vel si à se electus, cujuscumque pravitatis sit, ab aliquo reprobetur. Illorum sanè, quos ipsi eligunt vitia, quamvis multa & magna sint, velut nulla tamen reputantur, quorum quidem in examinatione non caritas & fides vel spes inquiruntur, sed divitiæ, affinitas, & obsequium considerantur. Quæ tria vel (quod potiùs minus esse videtur) si duo ex his unam eamdemque personam convertant*, hæc jam re vera inter cælicolas computabitur, & unum etiam ex his satisfacere credunt ad Episcopalis scilicet cathedræ dignitatem*. Hanc perniciem observavit Otto Magnus religiosus Princeps, cavitque ut Episcopi Wirzeburgensis electio in Cleri esset potestate. Hoc privilegium Poppone sedente concessum est, qui anno CM.XLI. regimen iniit, teste Bruschio. XXXIII Liutprand. lib. 2. cap. 8. & 9. Atto Verc. in lib. de press. Eccl. parte 2. pag. 60. * f. conveniant.

Electi seu nominati Episcopi formulam confessionis seu Professionis de more tunc edebant: sed in ea Conciliorum Generalium dumtaxat quatuor mentionem faciebant nonnulli. Ita habet Gerberti professio, cùm pulso Arnulfo intrusus est in Remensem Pontificatum. *Quòd si fortè à sacris legibus*, ut ipse in Concilio Mosomensi loquitur, *quippiam deviatum est, non id malitia, sed temporis importavit necessitas*. Id verò in eo maximè laude dignum, quòd Schisma semper ex animo aversatus est. Ita enim in epistola 159. ad Adelaidem Reginam. *Ego verò improborum versutias acutè conspicio, & contra omnia schismata unitatem Ecclesiæ, si sic decretum est, morte mea defendo --- Neque enim Ecclesiam, quam Episcoporum judicio regendam accepi, sinè Episcoporum judicio relinquere volo: nec rursus contra Episcoporum judicium, ubi major auctoritas adsit, eam quasi per vim retinere dispono*. XXXIV. Conc. tom. 9. col. 740.

Coadjutores & successores sibi non raro tunc habuerunt Episcopi; in quibus est Uto Argentinensis, qui quòd esset afflictæ valetudinis, Erkembaldum adjutorem adscivit. Nec tamen Coadjutores illi benedictione sacra donabantur, nec episcopalia sumebant insignia. Quare cùm Adalbero, Udalrici XXXV.

Auguſtenſis nepos & ſucceſſor deſignatus ab Ottone M. ferulam ſeu baculum Epiſcopalem cum temporalium rerum adminiſtratione ſibi arrogaſſet, id ipſi vitio verterunt Epiſcopi in Synodo Ingelheimenſi; parumque abfuit, quin ipſum dignitate Epiſcopali in perpetuum interdicerent. Immo hujuſmodi reſignationes, niſi urgente neceſſitate, non permittebat illius temporis diſciplina. Unde Stephanus Vellavenſis in ordinem redactus eſt in Concilio Romano ſub Gregorio V., quòd vivente avunculo ſuo Widone electus eſſet citra populi ratihabitionem. Sed illud in primis canonicis regulis contrarium, quòd Hugo, Heriberti Viromanduorum Comitis filius, quinquennis ad metropolim Remorum deſignatus, anno ætatis ſuæ undevigeſimo Presbyter ordinatus eſt, ac paullò pòſt Epiſcopus. Ob illa vitia poſtmodùm meritò rejectus in gratiam Artaldi ſucceſſoris dignioris.

XXXVI Bona Eccleſiæ etiam tunc in quatuor partes diviſa erant ex veteri Canonum inſtitutione, quod probant ſanctorum Epiſcoporum Udalrici Auguſtenſis, & Adalberti Pragenſis Acta, Statuta Riculfi, & Concilium Namnetenſe: ſed mortuo Epiſcopo, ejus facultates diripi ſolebant ex veteri abuſu à Patribus Concilii Chalcedonenſis damnato; idque etiam Romæ mortuo Pontifice attentatum. Hujus rei causâ, bona Eccleſiæ poſt mortem Antiſtitis vicino Epiſcopo commendata erant in quibuſdam locis, idque ſollemni lege inter Lugdunenſem, & Æduenſem jam dudum conſtitutum eſt: ſed non ante ſæculum IX. Siquidem imperante Carolo Magno Abbas Inſulæ barbaræ, qui Archiepiſcopi Vicarius Generalis natus (ut ita dixerim) erat, eo mortuo Eccleſiam regebat, quouſque Paſtor novus eſſet inſtitutus. Teſtis ea de re epiſtola Leidradi Archiepiſcopi, qui etiam poſteris Abbatum Inſulæ barbaræ hanc poteſtatem confirmavit.

Conc. Calced. cap. 22.

Spicil. tom. 8. pag. 25. & seq.

XXXVII Monachi etiam non rarò Archidiaconorum dignitatem, aliaſque in Cathedralibus Eccleſiis obtinebant, ut poſteà dicemus. In nonnullis item vita communis ſervabatur, ut de multis Eccleſiis Italicis, Gallicanis & Germanicis ſuperiùs oſtendimus. Maxima penes Laicos linguæ Latinæ, immo ſcribendi & legendi ignorantia erat, adeò ut Otto Magnus ille Imperator Latinè neſciret ante mortem Edithæ conjugis: quod poſteà emendare ſategit in filio. Ideò ſoli ferè clerici litterati. Scholæ duplices erant, aliæ in Cathedralibus Eccleſiis, aliæ in Monaſteriis, ubi etiam clerici erudiebantur. Nobiles autem vix niſi ex ambitione ſcholas frequentabant. Unde Ratherius in parte 1. de contemtu Canonum. *Pone quemlibet nobilium ſcholis tradi (quod utique hodie magis ambitu videtur epiſcopandi, quàm cupiditate Domino militandi) ecce pes unus ſuperbiæ patrum ſcilicet elata voluntas.* Alio longè conſilio Gerardus nobiliſſimus adoleſcens, cùm litteras ante monachatum neſciret, eas religionis causâ didicit, factus poſtea Abbas Bronienſis.

XXXVIII Eodem tempore, immo jam indè à ſæculo octavo, parochiarum collatio à laicis uſurpari cœpit, nequicquam repugnantibus Conciliis. Extant hac de re decreta Synodi Moguntinæ anni DCCC. XIII. can. 29. & in Statutis S. Bonifacii; itemque ſanctio Concilii Ingelheimenſis anni CM. XLVIII. can. 4., & Auguſtani anni CM. LII. Unde ſæculo XI. pleræque Eccleſiæ Parochiales a nobilibus occupatæ erant, qui religionis causâ multa altaria (ſic vocabant) Monaſteriis conceſſerunt. Denique a Presbyteris frequentabantur collationes in Kalendis, ex Actis Udalrici, atque Hincmari, & Riculfi conſtitutionibus. Atto Vercellenſis in Capitularis cap. 29. *Experimento didicimus, non minùs bonam collationem, quàm lectionem prodeſſe. Unde à præſenti ſtatuimus, ut per ſingulas plebes ſingulis Kalendis omnes Presbyteri ſeu Clerici ſimul*

Spicil. tom. 9. pag. 63.

con-

conveniant, ut de fide ac Sacramentis divinis, seu de vita & conversatione, & singulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent &c.

Idem auctor quoddam sui sæculi vitium notat in Presbyteris, qui duellum in causis dubiis subire cogebantur, aut certè pugilem pro se exhibere, quod multis scripturarum testimoniis improbat, ita subdens. *Hæc tamen omnia & alia scripturarum documenta maligni & improbi parvipendentes, ad pugnam Sacerdotes impingere quærunt, nullam ampliùs reverentiam ipsis observantes, nisi quòd non propriis manibus, sed per submissas personas illis in tali discrimine indicant dimicare; & quibus prohibitum est armatorum cuneis vel etiam publicis spectaculis interesse ad pugnam producere heu nostros compellimur Vicarios, ut vel istorum cæde victi, vel ipsorum, quasi absoluti esse videamur, ut purgari à crimine nisi perpetrato crimine valeamus*. Idem etiam à Monachis exactum fuisse alibi observavimus. XXXIX

Atto de pressuris Eccles. pag. 55.

Sed illud in primis detestatione dignum, quòd quidam Sacerdotes rem sacram facientes à communione temperabant, quod crimen Johanni XII. in Synodo Romana coram Ottone Magno impactum est. Non desunt quædam ejusdem sceleris exempla, ut apud Fulbertum in epistola 88., quibus obviam itum est à Conciliis Romano, Rotomagensi, & aliis. Ejusdem argumenti est alia consuetudo valde reprehensibilis, quæ in Synodo Ravennatensi anni CM. XCVII. arguitur, *ut Subdiaconi Corpus Domini, quod formatum appellant, tempore consecrationis Episcoporum, ipsis vendant Episcopis*. Id intelligendum de Eucharistia, quæ sub specie integræ formæ intra ferrum characteratum coctæ, id est majoris hostiæ infermentatæ, Episcopis recèns ordinatis porrigebatur, ut ex ea in dies plures communicarentur, uti exposuimus in Dissertatione de Azymo cap. 10. In his omnibus ubi quid peccatum fuerat contra Ecclesiæ leges, id ipsis legibus expiari mos erat. Ita Ecclesiæ leges etiam tunc vigebant, quia nondum inultæ. XL

Order. lib. 4. pag. 527.

V. Ivonem pag. 129. & 130.

Sirmond. tom. 2. Conc. p. 133.

Redeo ad Communionem sacram, quam semel in anno percepisse, laïcis sæculi decimi hominibus non satis erat, quibus quater id facere quotannis præceptum est, teste Ratherio in sermone Synodico. Ibidem continentia in diebus festis ac jejuniorum à laicis conjugatis exigitur, ut in vita S. Dunstani hic: quam continentiam veteres Ecclesiæ leges etiam ad communionem sacram exigebant. Legenda hac de re epistola Waselini Abbatis in tomo 1. Analectorum, atque Hieronymus, contra Jovinianum, & in apologia ad Pammachium. In eodem etiam sermone Ratherius duo habet observatione digna, nempe abstinentiam à carnibus in Adventu, & remissionem quamdam in diebus festis Quadragesimæ, cujus initio pænitentes sollemni more probatos fuisse dicit. De ritu celebrandi Quadragesimam lege sermonem ejusdem Ratherii. Ex ipso etiam intelligimus pænitentiam publicam per illud tempus viguisse (quod testatur Fulberti Episcopi Carnutensis libellus de modo pœnitentiarum) sed tamen redimi potuisse. Accedit quod eodem ævo cultus Deiparæ Virginis multùm auctus est, quæ omnia breviùs hoc loco in specimen commemorata, fusiùs in observationibus nostris inferiùs exponentur. XLI

Hieron. lib. 1. in Jovin. cap. 4. & 8. & apolog. ad Pammach. cap. 6.

Nunc locus postulat, ut quo modo, quibusve potissimùm auctoribus Ecclesiasticæ doctrinæ ac disciplinæ traditio ex sæculo nono ad decimum transmissa sit (nam & id plurimùm ad hujus notitiam conducit) consideremus. Potissima ejus rei gloria Episcopis quidem nonnullis tribuenda est: sed quibus ad hoc ministris usi sint, inquirere juvat.

Qui in Gallia maximè in asserenda Ecclesiæ traditione viguerunt, censendi veniunt Fulco Remensis, Norgerus Leodicensis, & Turpio Lemovicen- XLIII

fis, inter fecundi ordinis viros Odo Cluniacenfis, Johannes Gorzienfis, & Abbo Floriacenfis Abbates. Fulco Remenfis in Ecclefia fua duplicem fcholam, ut mox dicebamus, reftituit, Canonicorum & Presbyterorum ruralium, qui iftic quafi in feminario inftituebantur. In Monafterio Sithienfi feu fancti Bertini Fulco ipfe educatus fuerat, ac duplici ifti fcholæ Remigium Autifiodori apud S. Germanum, atque Hucbaldum Elnonenfem feu S. Amandi in Belgio Monachos præfecit. Remigius Heiricum præceptorem, Heiricus Autifiodorenfis itidem Monachus Lupum atque Haimonem, ambo ifti Rabanum habuêre præceptorem: Rabanus Alcuinum, qui Alcuinus in Eboracenfi Ecclefia à Beda informata litteras ac religionem edoctus fuerat. Notgerus Epifcopus Leodicenfis creatus anno CM.LXXI., multos habuit difcipulos, cùm Epifcopos, tum alios, qui fæculo XI. floruerunt, de quibus Adelmannus in rythmo à nobis alibi relato. Notgerus ante Pontificatum Decanus fancti Galli, ubi Germaniæ infigniores eo tempore Antiftites educati funt, tefte Ekkehardo. Turpio Lemovicenfis, quem *beatum* appellant, Odone tum Monacho, pòft Abbate Cluniacenfi, ufus eft ad corrigendos Clericorum mores, ut teftantur libri tres Collationum ab Odone editi. Odo autem Parifiis Præceptorem habuerat Remigium mox laudatum. Ita ex Remigio propagata eft per univerfam ferè Galliam fcientia litterarum, adeóque traditio Ecclefiafticæ doctrinæ & difciplinæ. Certè Hildeboldus, qui fæculo X. in cœnobio fancti Michaëlis ad Mofam litteras docebat, erat *ex difcipulis domni Remigii, doctiffimi ea ætate magiftri*, & Blidulfus Mettenfis Ecclefiæ Archidiaconus, *qui litterarum ceteros ejus loci prævivit fcientiâ, ex fcholis adhuc fupererat Remigii*, in Actis S. Joannis Abbatis Gorzienfis. Alter Ecclefiafticæ doctrinæ propagator fuit Gerbertus, ex Monacho Auriliacenfi Abbas, tum Pontifex Remenfis, dein Ravennas, poftremò Romanus. Is quippe à multis præceptor expetitus, Ottonem tertium, Rotbertum Francorum Regem, aliofque multos erudiit. Huc fpectat Ottonis ad eum epiftola, inter Gerbertinas C.LIII., in qua eum ad fe in arithmeticis erudiendum invitat, atque ad ftudium correctionis impendendum. Ipfe verò Gerbertus in alia ad eumdem Ottonem epiftola, quæ eft in ordine fecundo XXIII., *tribus fæculi ætatibus, fcilicet vobis*, inquit, *patri & avo*, fidem puriffimam fe exhibuiffe conteftatur. Duobus iftis adjungendus eft Fulbertus, per quem maximè ad fæculi XI. homines tranfmiffa eft Ecclefiæ doctrina, utpote quem ferè omnes iftius fæculi viri litterati habuêre præceptorem. Sed Fulbertus ipfe à quo litteras didicerit, cujufve fuerit, non ita exploratum. Ignobilis generis fe fuiffe teftatur ipfe in verfibus:

Confcendi cathedram pauper de forde levatus.

& infrà fe ipfe alloquens:

Te de pauperibus natum fufcepit alendum
Chriftus, & immeritum fic enutrivit & auxit,
Ut collata tibi miretur munera mundus.
Nam puero faciles providit adeffe magiftros,
Et juvenem perduxit ad hoc ut Epifcopus effet:

Fulberti nomen Francum fapit, fed Italum fuiffe ex ejus epiftola fecunda, quam ad Einardum nondum Epifcopus fcripfit, conjicere licet. In ea quippe interrogatus, quid fentiret de hoftia Sacerdotibus recèns ordinatis tradi folita in XL. dies, refpondet fe in ea fuiffe perfuafione, hoc omnibus Ecclefiis affuetum, nec novum effe: hæfitare fe, an codicem illum unum haberet, quem *à natali patria* inter ceteros devexerat, in quo hujufmodi exemplaria

Annalect. tom. 1. p. 413.

Ibid. p. 420.

plaria continebantur : quem diu quæsitum , aut alicui præstitum , *aut per tot locorum mutationem* casu amissum putat. Denique *nostri* , inquit, *Episcopi provinciales in hujusmodi ritum omnes consentiunt*. Non videntur illi fuisse Galli, siquidem Einardo Gallo mos iste insolitus apparebat. Et in fine : *Hæc pauca de multis*, ait, *ad præsens sufficiant, dum ego codicem de ejusmodi exemplaribus à Romano scrinio prolatum perlegam*. Hinc conjicias, hanc illi fuisse natalem patriam, unde codicem illum à se devectum dicit. Inter alios porrò præceptores unum habuit Gerbertum, testante Chronographo Malleacensi. Gerbertus denique à discipulis Odonis Abbatis Cluniacensis eruditus est: Odo ipse à Remigio. Sic ex Remigii, ut jam diximus, disciplina omnis doctrinæ in Gallia traditio propagata est.

Bruno Coloniensis Antistes, qui bonam istius sæculi partem nominis & factorum suorum famâ implevit, præceptores habuit, teste Notgero, Baldricum Trajecti ad Rhenum Episcopum sanctum, & Israëlem Scotum itidem, Episcopum, qui Virdunensi Concilio subscripsisse reperitur. Ratherium addit Folcuinus Abbas Gemblacensis, eumque ab Ottone Magno accitum fuisse testatur. *Advocatur Ratherius, & habetur inter palatinos Philosophos primus. Quid multa? non destitit, donec regiam illam & mirificam* (Brunonis) *indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet & perfectam*. Ex eadem Laubiensi schola prodiit Herigerus Abbas, à quo Olbertus Abbas Gemblacensis quatuor liberales artes didicit. Olbertus verò Parisiis aliquamdiu apud S. Germanum, tum apud Tricassinam urbem, & Carnutas sub Fulberto sublimioribus studiis operam dedit. Is à Baldrico Leodicensi Episcopo rogatu Burchardi Wormatiensis Episcopi *ad urbem Vangionum* dirigitur : ubi *honorificè susceptus, magnam cum eo familiaritatis gratiam est adeptus. Episcopus nobilis, & potens non dedignatur se submittere ad formam discipuli : Monachus humilis & peregrinus non timet tanto viro operam exhibere magistri. Quantùm autem vir tantæ auctoritatis ex Olberti doctrina profecerit, ex hoc satis probari poterit, quòd opus sanctæ Ecclesiæ nimis utile elaboravit, dum Olberto dictante & magistrante magnum illud Canonum volumen centonizavit*. Redeo ad Brunonem, cujus multos alumnos fuisse Episcopos, multos in quacumque Ecclesiasticæ professionis disciplina probatissimos asserit Rotgerus Monachus ejus vitæ scriptor æqualis ; qui & ipse non inter extremos sui sæculi homines censendus est, uti ejus lucubratio, sanè pro tempore diserta, & maturo judicio prædita testatur. XLIV.

Gesta Abbat. Lobien. tom. 6 Spicil. p. 565.

Gesta Abbat. Gembl. ibid. p. 519. & seq.

Non divellendus à Brunone amicus ejus Henricus Trevirensis Antistes, qui primas pietatis & litterarum institutiones in Augiensi prope Constantiam Monasterio hausit, unà cum Wolfgango, quem postea Wirziburgum traxit. Henrici enim erat frater Poppo loci Episcopus, & Stephanum quemdam doctum virum ex Italia doctrinæ causâ accitum, scholæ præfecerat, qui omnes illic litteris operam dare volentes accuratè erudiret, uti ex Actis sancti Wolfgangi hîc editis discimus. Egbertus, Henrici post Theodericum successor, *scholasticos* in Italiam ad Gerbertum ducere animo destinavit, testante Gerberti epistola XIII. Intereà temporis Adso apud Luxovium institutus, à Pontifice cleroque Tullensi arcessitus est *ad magisterium sacri ordinis*, antequam ad regimen Dervensis Monasterii assumeretur. Hæc in Metropoli Trevirensi agebantur, dum Adelbertus Magdeburgensis Antistes, ex Trevirensi sancti Maximini cœnobio eductus, litterarum studia in sua Ecclesia per nostros excitabat, & Tangmarus Decanus in Hildenesheimensi eadem excolebat, ex cujus disciplina prodiit Bernwardus, qui magna sanctitatis laude illam Ecclesiam administravit. XLV.

Sæcul. 2. Bened. pag. 848.

§. IV.

§. IV.

Rei Monasticæ status sæculo X., maximè in Gallia : ubi de Cluniacensium Congregatione, ritibus, habitu, & propagatione.

XLVI Quæ hactenus diximus, manifestè probant, Monachos ad conservandam restituendamve in melius Reipublicæ Christianæ disciplinam non parum adjumenti contulisse. Aliquod proinde operæ pretium fuerit, statum Monastici Ordinis, qualis eo tempore fuerit, hoc loco exponere, ut rerum Ecclesiasticarum accuratior habeatur cognitio. Labente sæculo IX., cùm Nortmanni, profana & sacra omnia igni ferroque vastantes, Monasteria susque deque vertissent; defecerunt in plerisque Galliæ locis Monachi, qui sedibus suis fugati, miserabilem vitam palabundi agebant, dum interim sæculares homines Monasteriorum reliquias avidè devorarent. Sicubi verò consistere Monachi perseverarunt, multa nihilominùs passi sunt ab illis prædonibus: factumque est, ut omnia Franciæ Monasteria vel penitus destituta, vel alienis dominis, id est Abbatibus sæcularibus, traderentur. Adeò *ut in Monasteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum, & Sanctimonialium, Abbates laici cum suis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus & canibus morarentur*, ut legitur in Concilio Trosleïano anni CM.IX. cujus Concilii Patres hunc casum graviter lugent cap. 3. in hunc modum. *De Monasteriorum verò non statu, sed lapsu, quid dicere vel agere debeamus, jam penè ambigimus. Dum enim mole criminum exigente, ut judicio à domo domini incipiente, quædam à paganis incensa vel destructa, quædam rebus spoliata & ad nihilum propè sint redacta: si tamen quorumdam adhuc superesse videntur vestigia, nulla in eis regularis formæ servantur instituta.* Nempe quia *propriis & jure sibi competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem Ecclesiæ auctoritatem Prælatis utuntur extraneis in eis degentes, partim malevolentiâ, maximéque inhabilium sibi Præpositorum faciente inconvenientia, moribus vivunt incompositis; & qui sanctitati religionique cælesti intenti esse debuerant, sui velut propositi immemores, terrenis negotiis vacant, quidam etiam necessitate cogente, Monasteriorum septa derelinquunt, & volentes nolentesque sæcularibus juncti sæcularia exercent.* Inter alia verò, quæ huic malo medendo remedia suggerunt Patres, primum, & quasi unicum est restitutio Abbatum regularium. *Nam quo modo aurum sinè aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem: sic & Monastica vita sinè Regularis Abbatis providentia ad pristinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem.* Et post multa: *Censemus igitur*, inquiunt, *ut status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & Canonum constituta servetur, & ut Abbates sint Religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.*

XLVII Hæc ob oculos repræsentare visum est, ut intelligatur rei Monasticæ status per id tempus, talis sanè, ut cùm antea sancti Benedicti Regula ubivis Gal-

Galliarum recepta fuisset ante Caroli Magni ætatem, ita ejus memoria apud homines nonnullos, qui extremo sæculo decimo, & sequentibus vivebant, inveterata haberetur, quasi numquam ante Congregationis Cluniacensis institutionem in his partibus audita fuisset. In his unus est Monachus Dervensis anonymus in libello de miraculis sancti Bercarii Abbatis, ubi agens de restituta apud Dervenses disciplina per Rodulfum Regem, hæc habet. *Regula sanctissimi patris nostri Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum Imperii, sollertissimâ industriâ istius Principis jubar suæ claritatis plurimis infudit Ecclesiis. Qui verò ipsis temporibus qualecumque præferebant Monasticum schema, famosissimi quondam Luxoviensis nominis se se tuebantur consuetudine aliquanta.* Tum subdit, sanctum Odonem intulisse Regulam Floriacensi Monasterio, indéque Tullum in sancti Apri, aliaque cœnobia fuisse propagatam. Eadem etiam fuit persuasio Guidonis, cujus verba Albericus Trium fontium in Campania Monachus Cisterciensis, refert in Chronico mſ. ad annum 930. in hunc modum. *Ad hæc tempora Regula beati Columbani tam in Francia, quàm in Burgundia observabatur à Nigris Monachis. Sed S. Odo Abbas Cluniacensis Regulam S. Benedicti primò in Cluniaco, & in S. Benedicto super Ligerim fecit observari, & exinde procedente tempore cœpit ubique recipi.* Uterque auctor distinctionem Regulæ sancti Columbani à Benedictina, tamquam rem indubitatam admittit: sed in hoc turpiter ambo allucinantur, quòd ante sanctum Odonem in Franciæ & Burgundiæ partibus, atque adeò apud Floriacum inauditam fuisse existimarunt. Id enim tam veritati contrarium est, quàm quod maximè, ut ea quæ in superioris sæculi Præfatione prima diximus, affatim demonstrant. Quòd si Monachus ille Dervensis sui Monasterii instrumenta perlegisset, invenisset proculdubio chartam Bertoëndi Catalaunensis Episcopi, datam anno secundo Chlodovei tertii, id est anno DC. XCII., statuentis, *ut congregatio Monachorum Dervensium & sanctimonialium ipsis adjunctarum corrigeretur secundùm Regulam S. Benedicti vel domni Columbani.* Invenisset etiam Ludovici Pii diploma Hautonis Abbatis rogatu editum ad restitutionem Monasticæ Religionis, sancientis, *ut Monachi ibi degentes sub Regula S. Benedicti vitam ducant monasticam.* Quod ad Floriacense Monasterium attinet, ex Adrevaldo & Adelerio ejus loci Monachis, qui sæculo IX. scripserunt, sed & ex chartario Patriciacensi apud Perardum, aliisque testimoniis manifestum est, à primis illius cœnobii temporibus sancti Benedicti Regulam ibidem fuisse receptam. Ne longiùs argumenta repetam, nemo unus hanc controversiam meliùs dirimet, quàm ipse S. Odo, qui in sermone de translatione sancti Benedicti, hanc ait fuisse *ejus prærogativam, ut etiam remotissimos totius Christianitatis sinus radiis suæ beatitudinis illustret. Nec Monachorum cohortes*, subdit, *ubique terrarum diffusæ tantam ejus altitudinem ignorant, qui sanctam ipsius institutionem præ ceteris sectantur: ita ut etiam in ipsorum Patrum cœnobiis, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgarunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri: non immeritò arbitrantes, quòd hunc specialiter, tamquam alterum Moysen, Deus mundo prædestinavit, ut sicut ille Judæis, ita iste tam Judæis, quàm gentibus monasticæ legis decreta sanciret --- Sic ergo huic sanctissimo Legislatori non præjudicant alii Patres, qui sanctæ Regulæ*, id est observationis, *munia descripserunt, sed magis, ut assertores ejus sancita confirmant.* Atque ut videas, quàm latè propagata sit sancti Benedicti institutio, in consequentibus ita loquitur. *Quapropter easdem illius laudes non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat: sed ubicumque sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas laus Benedicti frequentatur.* Et ne quis di-

Sæcul. 2. Bened. pag. 847. num. 6.

Spicil. tom. 10. pag. 620.

Sæcul. 3. Bened. parte 2. pag. 610.

Sæc. 2. p. 364.

num. 15.

dictum putet de sæcularibus, mox addit. *Si enim in multitudine populi dignitas Regis est, ut ait Salomon: quantam putamus dignitatem esse istius Regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus Monachorum? Quis umquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diversis nationibus tantas sibi legiones condixit, quantas videlicet cujuslibet sexus & ætatis in Christi militia voluntariè juratas disponit? Qui quasi præsentes, & vexillum institutionis sequentes, diabolicas acies viriliter infringunt --- Cùm verò universi hujusce institutionis sequaces in unum coacti fuerint, quale signum apostolatûs Benedicto tunc ille copiosus exercitus seipsum exhibebit.*

XLVIII Vereor ne tam longa locorum conglobatio lectori fastidium pariat: sed illa quodam modo necessaria erat ad demonstrandum ex ipso Odonis testimonio, sancti Benedicti Regulam in omnes Ecclesiæ partes, ante navatam ab ipso Odone operam, fuisse diffusam, etiam in iis Monasteriis, quæ proprios Legislatores & Institutores habuerunt. Neque verò hæc propagatio referri potest ad S. Odonem: tum quia hunc sermonem habuit statim à reformatione Floriacensis Monasterii, quod unum ex primis Cluniacenses mores suscepit: tum quia in sola Galliæ & Italiæ Monasteria, non tamen omnia, hanc reformationem induxit, in nulla Germaniæ, Angliæ, aliarumve Provinciarum. Denique uno ampliùs ante Odonem sæculo Benedictus Anianensis, cooperante Ludovico Augusto, Regulam nostram *in omni Francorum Regno* restituerat, testante Ardone Benedicti ipsius discipulo: idque evincunt indubitata istius ævi Conciliorum, Auctorumque testimonia, quæ nonnulli ad primam Regulæ receptionem perperàm detorquere conantur.

XLIX Hîc nos ad alia properantes sistit claræ memoriæ Godefridus Henschenius, qui tametsi hanc Regulæ propagationem à Benedicto Anianensi in Gallia factam admittat, superiorem nihilominùs Monachi Dervensis locum ingerit, eique opponit contextum ex Actis sanctæ Salabergæ, in quibus legitur, *per Galliarum Provincias agmina Monachorum ac sacrarum puellarum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœpisse.* Tum infert Henschenius: „ Potuit hoc scriptor iste ignorasse: potuit in suo exem- „ plari habuisse *ex Regula dumtaxat beatissimi Patris Columbani* „. Utrum credibilius sit, penes alios judicium esto. Sed hæc suspicio valde inofficiosa est; tum quia in omnibus istius vitæ exemplaribus sancti Benedicti nomen legitur: tum quia idem probatur non solùm ex vita sancti Desiderii Episcopi Cadurcensis, sed maximè ex Regula Donati Episcopi Vesontiensis, qui Regulam sancti Benedicti in unum cum Regula sancti Columbani conjunxit in gratiam Jussanensium Sanctimonialium, quæ à sancto Columbano institutæ fuerant. Mitto alias probationes jam à nobis relatas non semel, ne lectori ejusmodi repetitionibus nauseam pareamus. Unum tantùm hîc addimus de simili non quidem suspicione, sed decretorio judicio eruditi ejus socii ad vitam sanctæ Bertæ Abbatissæ Avennacensis, ubi ipsum à vero longè recessisse non alio quàm ipsomet judice affirmare licet. Nam ad hunc locum de sancta Berta, *Omnia autem ædificia officinarum sanctissima Mater, sicut sanctus Benedictus præcipit, circa ædem Deo militantium construxit, excepto molendino &c.* Hæc verba, sicut *sanctus Benedictus præcipit*, incunctanter expunxit vir doctus sub hac annotatione „. Merum glossema Benedictini alicujus, hoc unum spectantis, „ ut crederetur cœnobium sanctæ Bertæ sub Regula Benedictina à principio „ fuisse. Sed videamus quo argumento id probet. A quo si requiram, in- „ quit, quanam Regulæ suæ parte quidquam de numero vel ordine officinarum, ac nominatim de molendino præcipiat S. Benedictus; debebit cum „ ru-

Maii tom. I. pag. 277.

ibid. p. 115.

„ rubore fateri sancti Benedicti nomine nihil à se aliud cum veritate potuisse „ intelligi, quàm usum receptum in Monasteriis tunc, cùm ista adderentur „ à Benedictinam Regulam profitentibus „. Hæc legimus non cum rubore nostro, sed non sine aliquo pudore humani errati, quod in homine nobis amicissimo commissum nollemus. Si enim requiritur à nobis, qua in Regulæ suæ parte S. Benedictus agat de Monasterii officinis, & speciatim *de molendino*, respondebimus utrorumque mentionem fieri in Regulæ cap. 66. his ipsissimis verbis: *Monasterium autem, si possit fieri, ita debet construi, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foras &c.* Ecce *Officinæ* Monasterii, ecce *Molendinum* in Regula expressum. Non ergo eradendum sancti Benedicti nomen ex Actis sanctæ Bertæ, sed restituendum à viro æquitatis amantissimo, à quo hoc justitiæ officium exspectamus. Irrepsit etiam (ut id notem hoc loco) aliud erratum minoris quidem momenti ad vitam S. Hugonis Monachi Æduensis, ubi idem suspicatur, carmen de miraculis sancti Benedicti, Paulo Warnefridi adscriptum, quemadmodùm carmen de S. Mauro, esse alterius Auctoris. Hæc enim suspicio ex ipsomet Paulo revincitur, nempe ex libri 1. cap. 26. de gestis Langobardorum, ubi hoc carmen à se conditum disertè asserit Paulus, atque ex integro refert: quod Aimoinus posteà eidem tribuit in sermone de S. Benedicto. Hæc adversùm votum & propositum meum cogor de viro erudito dicere, secùs quàm & illius meritum, & mea (ut cum Hieronymo loquar) *humanitas poscit existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. Verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere.* *April. tom. II pag. 770.* *Dial. ad vers. Lucifer. cap. 7.*

I. Constat itaque falli Monachum Dervensem, aliosque, qui de Regula sancti Benedicti, quasi per S. Odonem primùm propagata, locuti sunt. Sed id nimirum sancto Odoni accidit, quod Benedicto Anianensi, qui quòd Regulæ in Gallia restitutor fuerit, eidem primæ propagationis laus est attributa. Tolerabilius est quod legitur apud Lambecium, *ubi Ordo sancti Benedicti anno CM. XII. incœpisse* dicitur. Re enim vera ante id tempus unum Ordinis corpus nón videbantur constituere Monasteria sub Institutis Benedictinis militantia: ut verò ea prærogativa Odoni tribuatur honoris causâ, non leves suadent rationes, quas modò examinare juvat.

II. Benedictus Magnus quamdam Ordinis formam apud Sublacum instituere visus est, cùm duodenis Monasteriis à se conditis totidem Abbates præfecit sibi subjectos. At quia de continenda illa subjectione nullas leges aut præcepta dederat, hæc idea, quæ à Pachomio instituta fuerat & perfecta, penitus evanuit: & Monasteria omnia ab invicem disparata, suis quæque moribus ac rectoribus distincta, vitam traduxerunt. Post annos trecentos Benedictus Anianensis Abbas, instigante Ludovico pio, cùm primus Gallicanos Monachos revocasset ad pristina Regulæ Instituta, concepissetque animo, ut uniformis ubivis modus servaretur, atque diversi Monasteriorum ritus ad communem concentum reducerentur; omnes totius Occidentalis Imperii Abbates in unum convenire Aquisgranum curavit: qui Statutis editis numero LXXII. rem ad exitum perducere tentarunt. Viguit illorum Statutorum usus per aliquod tempus in plerisque Monasteriis, accurante potissimùm Benedicto, cui multorum cœnobiorum cura generalis, tamquam majori Præfecto, commissa est. Sic eo vivente rudis idea Congregationis, sive Ordinis universalis specimen quoddam formatum est, quod post ejus obitum, accedente Nortmanno-

Ggg rum

rum tempeſtate, nullo Abbate relicto, qui totius corporis generalem curam ſuſciperet, aboleri cœpit. Extremo ſæculo nono tanta clades non ſolùm temporalibus Eccleſiarum & Monaſteriorum rebus, ſed etiam Religioni inflicta eſt, ut in paucis admodùm locis ejus veſtigia ſupereſſent. In uno ſancti Savini apud Pictones Monaſterio quædam probabilis obſervationis reliquiæ perſeverarunt; quæ deinceps in alia translatæ cœnobia, fugientem Religionem denuo revocarunt. Indè quippe à Raimundo Comite Lemovicenſi Roſiacum ad Crauſiam in pago Bituricenſi religioſi habitatores; indè Aimo Abbas Tutelenſis ab Ebalo Comite; indè à Badilone Comite acciti ſunt Monachi numero octodecim ad farciendam in Æduenſi ſancti Martini aſceterio diſciplinam: cujus Inſtitutis Berno Abbas Balmenſis ſuos informavit. Balmâ Cluniacum deducta colonia eſt, ita ut utrique loco Berno Abbatis vice præeſſet, immo etiam aliis Monaſteriis Maſciacenſi, & Dolenſi apud Biturigas, Gigniacenſi, Æthicenſi, & Cellæ ſancti Lauteni apud Burgundiones. Berno morti proximus horum locorum providentiam in duos Abbates partitus eſt, nempe in Widonem conſanguineum ſuum, cui Gigniacenſe, Balmenſe, Æthicenſe, & Cella ſancti Lauteni: & in Odonem, cui Cluniacum unà cum aliis commiſſum eſt. Ex quo intelligitur, Bernoni nequaquam in mentem veniſſe propoſitum erigendæ Congregationis; aliàs horum Monaſteriorum curam non diſtraxiſſet in duos, citra ullum unius ad alterum reſpectum, niſi quòd cenſum quemdam Gigniaco à Cluniacenſibus quotannis ex quodam prædio perſolvi præcepit.

Sæc. Bened. 5. pag. 90. ibid. pag. 133 ibid. pag. 99.

LII Odo Cluniaci non ſolùm rem familiarem magnopere auxit, ſed etiam præter Maſciacenſe ac Dolenſe à Bernone ſibi commiſſa, multorum aliorum regimen ſuſcepit. In Gallia enim Auriliacenſe, Floriacenſe, Sarlatenſe, Tutelenſe, Senonenſe ſancti Petri, Turonenſe S. Juliani, Romanenſe in pago Lauſanenſi; in Italia S. Pauli Romæ, Suppentonienſe, Adventinum, Salernitanum, & Ticinenſe ipſius arbitrio & inſtitutioni ſe ſubjecerunt. Illa tamen per ſe non adminiſtravit omnia, ſed per Præfectos ſibi ſubditos, quos *Coabbatum* ſeu *Proabbatum* nomine appellabant. Verùm Odone extincto eadem Monaſteria ad priſtinam libertatem redierunt, atque adeò non loco, ſcilicet Cluniacenſi Monaſterio, ſed perſonæ, id eſt Odoni Abbati, propter ſingularem ejus prudentiam, & ſanctitatem ſubmiſerant ſe ſe. Id de Floriacenſi palàm facit Leonis Papæ VII. diploma hìc editum, quo Pontifex ſub Odone Abbate Floriacenſibus impoſterum electionis libertatem aſſerit. Nondum ergo ſub Odone abſoluta fuit Congregationis ſeu Ordinis Cluniacenſis erectio: ſed neque ſub Aymardo, aut ſub Mayolo, immo nec ſub Odilone: ſed tantùm ſub S. Hugone Abbate ſexto, qui pro ea qua pollebat apud Principes & ſubditos auctoritate, non modò Præpoſituras ac Prioratus ſibi ſubjecit, ſed etiam nobiles Abbatias ſuæ ditioni addixit, exſtinctiſque (quoad licebat) Abbatum titulis, ad Prioratuum (ut vocant) ſtatum nonnullas redegit, ne ſe deinceps à Cluniacenſis Abbatis poteſtate eximerent.

ibid. p. 133. & ſeq.

Eodem ſæc. pag. 907.

LIII Quod ut meliùs intelligatur, obſervare convenit, ante omnem Ordinis ex variis Monaſteriis in unum corpus redacti inſtitutionem, eam fuiſſe in nobilioribus Monaſteriis diſciplinam; ut quælibet minores ſub ſe haberent colonias, quæ *Cellæ*, *Præpoſituræ*, *Obedientiæ*, *Prioratus*, *Monaſteriola & Monaſteria* paſſim, immo & *Abbatiæ* aliquando vocabantur. In illis Cellis erant Præpoſiti, ſeu Decani ad nutum Abbatis, qui principi Monaſterio præerat, amovendi: & ſi qui Abbates illis præficiebantur, nonniſi priùs habito primi Abbatis conſenſu eorum fiebat electio, ab eodem poſtea confirmanda. Qui in

Idalricus lib. 3. Conſ. vet. Cluniac. cap. 6.

cellis

cellis illis residebant, in singulos annos certum censum principi Monasterio referebant, certisque diebus ad conventum indictum adesse tenebantur. Hujus institutionis duplex fuit causa. Una, ut quia crescente Monachorum numero non omnes facilè intra unius loci ambitum contineri poterant, in varia loca dispersi degerent sub unius Abbatis disciplina. Altera, ut cùm ditescentibus Monasteriis prædia, fundi, villæque complures accessissent; quò fructuosior & fidelior eorum esset administratio, majorum auctoritate, consiliove provisum est, ut cultioribus fertilibusque locis Monachos præficerent, & ad continendos in officio servos, gubernandosque ritè colonos Ecclesias ibi construerent, quas ipsi regebant. Aliquando etiam in Cellis istis degebant Canonici, Abbati subjecti, quod ex Concilii Aquisgranensis cap. 45. discimus. *Ut Abbatibus liceat Cellas habere, in quibus Monachi sint aut Canonici: & Abbas provideat, ne minùs duobus Monachis ibi habitare permittat.* Tertiam hujus institutionis causam, eamque vulgarem afferre licet, cùm scilicet Fideles aliqua prædia Monasteriis primariis tradebant ea conditione, ut in ipso prædiorum loco Monachi aliquot instituerentur. Quarta denique causa est, quòd Abbatiis extra urbes conditis Ecclesiæ in locis munitis quædam concessæ sunt ad refugium, quæ deinde Prioratus evaserunt.

Primam causam nobis suggerit inter alios Jonas in Actis S. Columbani, qui constructo Luxoviensi asceterio atque Anagratensi, *cernens undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, & unius cœnobii septa tantam conversantium cohortem absque difficultate non tenere; quamvis mente una & corde uno, tamen conversationi tantæ multitudinis incongruum, alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat: aliudque Monasterium construit, cui Fontanas nomen indidit: deditque gubernatores Præpositos, de quorum religione nihil dubitabatur.* Hoc in loco vides Præposituram illam *Monasterii* nomine donatam: contra quam nuperus scriptor temerè asseruit, Prioratus nusquam hoc nomine fuisse donatos, nisi qui ab origine Abbatiæ fuerint. Posteriorem ejusmodi institutionis rationem explicat Browerus in Antiquitatibus Fuldensibus. Quàm verò Monachi illi in præposituris degentes Abbati subjecti esse deberent, statuit post Carolum M. Eigil Abbas Flaviniacensis in litteris suis de conditione Corbiniacensis Præposituræ in tomo superiore relatis, *ut semel in anno singuli, qui Sacerdotali seu Levitico funguntur officio, per singulas hebdomadas repræsentent se Flaviniaco, ibique sibi commissum celebrent officium: quo expleto nemo eorum ad cellam Corbiniacensem regredi audeat, donec ab Abbate loci ipsius, & à fratribus probatâ ejus vitâ in timore sancto suique propositi voto, imperetur regressus.* Sed & singulis annis variarum cellarum Præpositi in princeps Monasterium conveniebant, stituri se se Abbati & Conventui, ut vel ab ipso emendarentur, vel revocarentur, & censum annuum persolverent; alii ad res sacras, alii ad cellarium, alii ad libros, alii ad sarta tecta reficienda. Hæc *capitula generalia* procedente tempore appellata. Abbatiæ quin etiam seu Abbatiolæ quædam primariis Monasteriis nonnumquam subjectæ erant longè ante S. Odonem: qualis fuit Forestensis, quæ Centulensi; Tusonis Vallis, quæ Dionysianæ; Gellonensis, quæ Anianensi; Heriensis, quæ Gemeticensi; Duserensis, quæ Fontanellensi; Glannafoliensis, quæ Fossatensi olim subjacebant. Quædam eo nomine afficiebantur, quæ Abbates non habebant, sed tantùm Præpositos cum Monachis: quædam Abbatem habebant, sed sinè Monachis cum uno aut altero Clericulo, quales Remensis sancti Sixti Abbatia, & sanctæ Mariæ apud Compendium. Sed hæ veræ Abbatiæ non erant, at Sacerdotia simplicia, Abbatiæ aut Abbatiolæ nomine donata.

LIV num. 17.

Browver. lib. 1. cap. 7.

pag. 241.

nata. In illis Abbatiis subjectis, quæ Abbatiali dignitate gaudebant, nonnisi prævio superioris Abbatis, & Monasterii consensu electio fiebat, aliquando ex solo gremio Monasterii principis, ut Alciacensis apud Morinos ex Sithiensi, seu S. Bertini. Subjectiones illæ, aliæ ex Conditorum, aliæ ex Possessorum voluntate inductæ sunt. Quin etiam Sanctimonialium Abbatias quædam virorum Monasteria subditas habuerunt. Sic Amalfridus, vir inclitus Monasterium Hunulficurtense in pago Cameracensi, ubi filia ipsius Auriana Sanctimonialium Abbatissa erat, S. Bertino Abbati Sithiensi tradidit, eo tenore, ut ipse Amalfridus, dum viveret, locum *per precariam* haberet, & post suum obitum, & filiæ ipsius Aurianæ, Bertinus ejusque successores eum liberè possiderent.

Sæcul. 3. parte 1. pag. 295. ibid. p. 115.

LV. Ex his intelligimus, nihil, aut certè parum mutationis in monastici ordinis regimine primitus à Cluniacensis Abbatiæ Institutoribus accidisse, cùm nonnisi cellas ab initio subjectas habuerit, quarum principes fuerunt Silviniacensis, Cellinianensis, tum B. Mariæ de Caritate, & S. Martini à Campis. Apud Caritatem ad Ligerim Monachi supra centum habitabant, teste Udalrico in Præfatione Consuetudinum Cluniacensium. Quia verò pedetentim ob insignem loci religionem cellarum numerus & Monachorum magnopere accrevit, magnum quoddam ex his corpus conflatum est, Ordinis Cluniacensis titulo decoratum: qui titulus etiam majori Monasterio concessus est, aliisque Monasteriis præcipuis. Sub S. Hugone multùm amplificata est illa Cluniacensis dignitas, cùm abrogato multis in locis Abbatum titulo, & potestate resecta, soli Præpositi (Priores vocant) eorum loco substituti sunt: & quæ Abbatiæ in societatem illam veniebant, Cluniacensem *Archiabbatem* (ità Gaufridus in vita Bernardi Tironensis, aut potiùs Bernardus ipse improbando appellat) agnoscere compellebantur. Hanc verò subjectionem cùm Sithienses S. Bertini Monachi sibi imminere cernerent, Cluniacensium jugum omnibus modis (quod pertinacissimæ litis materiam dedit) excutere curarunt. Hujus litis occasio nata est ex Lamberti Abbatis Sithiensis secessu Cluniacum sub Hugone: cui cùm Abbatiam, quam sponte abdicare volebat, ordinandam offerret, ut Cluniacensis Monachus existeret; rogante Hugone, *propriam compulsus est repetere Abbatiam*, eo pacto, ut sub Hugonis obedientia reliquum vitæ exigeret: quod Sithienses omnimodis detrectarunt. Hactenus nihil, quod Ordinem propriè dictum, ab antiquiorum cœnobiorum moribus diversum constituat, in Cluniacensibus deprehendimus: cùm ipsi nec sua quotannis comitia generalia, nec annuos visitatores haberent, sed ad præscriptum Abbatis Cluniacensis omnia gererentur: Novitii & Professi ab eo susciperentur; amoverentur ad ejus nutum cellarum Præpositi: nullis denique certis legibus generalis administratio contineretur. Quippe consuetudines Cluniacenses, quas primùm Bernardus, deinde Udalricus Monachus tribus libris digessit, ritus ad res sacras, & ad bonum regimen Cluniacensis Monasterii continent, non verò leges ad communem totius corporis directionem. Hic vivendi modus ex illis ritibus constans vocabatur olim Ordo. Unde *Ordo Cluniaci* vocatur à Guillelmo Gemeticensi, sicut *Ordo majoris Monasterii*. Et quia omnia ferè Monasteria ejusmodi ritus sensim admiserunt arbitrio suo; hæc Ordinis Cluniacensis dicebantur, tametsi Cluniaco nullatenus addicti.

Spicil. tom. 6. p. 448. & seq.

Bibl. Clun. col. 576. a

Guillelm. Gemet. lib. 8. cap. 32. lib. 7. cap. 37.

LVI Ceterùm Cluniacensibus, etiam à tempore S. Hugonis, alio modo Prioratus subjecti fuerunt, alio modo Abbatiæ illæ, quæ Abbatis Monasteriive Cluniacensis *ordinationi datæ* seu *commissæ* erant, ut loquuntur Paschalis & Callistus uterque secundus. Prioratus quippe à Cluniaco, veluti membra a cor-

Bibl. Clun. col. 523.

corpore, absolutè pendebant: Abbatiæ verò Cluniaci *ordinationi*, id est ritibus & institutis, adeóque modo vivendi Cluniacensium addictæ erant, sed non eodem modo, neque eisdem conditionibus, quod exemplis declarandum. *Bullar. Clun. pag. 19.* Priores Cluniaco sub Hugone submissæ sunt Abbatiæ, S. Martialis Lemovicensis anno M.LXII., Gordiniacensis & Crespeiensis S. Arnulfi post annos tres, S. Ægidii anno sequenti, & Lezatensis anno M.LXXIII. Ademarus Vicecomes Lemovicensis Abbatiam S. Martialis Hugoni tradit eo pacto, ut deinceps Abbates habeat, *quos eidem loco tam ipse Hugo, quàm successores ejus præfecerint*. Simon Crespeiensis Abbatiam S. Arnulfi, *ut omnino subjecta sit vobis*, inquit, *& ut Abbatem de vestris Monachis eligatis*. Almodis Comitissa Abbatiam S. Ægidii, *ita ut potestas, & districtio, & ordinatio Abbatum & Monachorum, & eorum quæ soliti sunt tenere, in domni Hugonis Abbatis & successorum ejus potestate consistat*. At insignis præ cæteris est charta de Lezato. Cùm enim illud Monasterium Provinciæ istius Optimates, in quorum potestate erat electio, Monachos remissiores ad pristina Instituta revocare vellent; ejus rei gratiâ Hugonem precibus convenerunt, *ut loco subveniret, qualiter ad Dei servitium restauraretur*. Negavit ille se id facturum, nisi ipsi Abbatis electionem ejusque successoribus permitterent, *quamdiu Cluniacensis locus in monastica religione vigeret. Hoc autem ideò se facere dicebat, ne in vacuum ipse laboraret, & semel recuperatus locus in pejora laberetur*. Optimates verò id concedunt, *quamdiu Cluniacensis locus religionem monasticam secutus fuerit*. Hæc itaque prima erat in illis Abbatiis prærogativa, quam Hugo in illis exigere solebat, nempe Abbatum electio pro se & successoribus suis: id est ut Abbatum illis in locis electionem præcederet ipsius consensus, aut certè confirmatio subsequeretur. Deinde ut Abbas electus Cluniacensi Abbati subjectionem profiteretur. Denique ut si quando Abbas Cluniacensis in illas Abbatias veniret, Abbates horum locorum suam Sedem illi cederent. Hæc omnino jura in commissas sibi Abbatias Cluniacenses Rectores sibi vindicare contendebant, maximè quamdiu Cluniaci vigeret disciplina regularis, quæ una erat illius subjectionis causâ, secùs quàm in prioratibus. Discrimen subjectionis Prioratuum & Abbatiarum suggerunt Pontifices in suis diplomatibus. Paschalis II. statuit, ut *in omnibus Prioratibus & Cellis*, quibus tempore Concilii Arvernensis per Urbanum II. investitus fuerat Abbas Cluniacensis, *nullus umquam futuris temporibus Abbatem ordinare præsumat*, tum ejusmodi Prioratibus & Cellis enumeratis hæc subdit: *Abbatias verò, quæ tua, tuorumque successorum ordinationi prædecessor noster Gregorius VII. Papa commisit, nos quoque committimus, videlicet Virzelay &c.* Idem discrimen interponit Callistus II. Sed ante eum Gelasius item secundus hanc *commissionem* ita explicat, *ut per industriam*, inquit, *vestram religionis status in eis* Abbatiis *conservaretur*, quod totidem verbis repetit Innocentius III. Non ergo is erat illius attributionis scopus, ut Abbatiæ illæ à Cluniaco absolutè penderent: sed ut illibatus *religionis status per industriam Abbatis Cluniacensis ibidem conservaretur*. Quod pertinet ad Abbates istorum locorum, non omnes Abbati Cluniacensi subjectionem promittebant. Insignis est hanc in rem locus in litteris Eugenii Papæ III., qui cùm Monachos Cluniacenses ex Monasterio S. Martini de Campis in Ecclesiam S. Petri apud Abbatis villam induci curasset; Abbatem nihilominùs ibidem institui, atque omnino *liberum & absolutum* esse voluit. Unde Sugerio hac de re scribens, *Per præsentia*, inquit, *tibi scripta mandamus, quatenus Priorem Abbatis villæ in Abbatem liberum, & absolutum ibi statuere, & octo fratres Ecclesiæ S. Martini de Campis ejus societati studeas deputare: ut* exem-

Ibid. Bibl. Clun. col. 1828. Ibid. col. 1495.

Chesnil t. 4. pag. 501.

exemplo bonæ conversationis eorum, qui minùs honestè sapiunt, ad divinum officium provocentur. Fatendum est tamen, plerosque Abbates ex illis locis, qui Cluniacensibus commissi erant, hanc subjectionem professos fuisse. Id exemplo probat Goffridi Abbatis Vindocinensis epistola ad Hugonem Cluniacensem, apud quem is de quodam Abbate Cluniacensibus addicto, nomine Henrico, conquestus, ita subdit: *Ambo filii vestri sumus, ille quidem oris Professione sed ego cordis devotione*. Alia istius subjectionis capita illustrantur ex libro IV. Historiæ Vizeliacensis: quem locum *Cluniacenses, longè pòst exorti, per subreptionem sibi vindicare nisi sunt, assensum quidem primùm, deinde verò jus electionis sibi arrogantes*. Et in consequentibus, cùm Stephanus Abbas Cluniacensis Vizeliacum adire vellet; omnem ipsi honorem exhibiturum se, exceptionem cum sollemni processione, procurationem in hospitio, locum in Capitulo & in refectorio: sed hoc tamen excepto, quòd *collata* sibi *Sede* non cederet: quæ omnia respuit ille præ hac prærogativa, quam sibi illic competere arbitrabatur, tamquam in Abbatia Cluniaci ordinationi commissa. Ex his intelligitur non omnes ejusmodi Abbatias ad Ordinem Cluniacensem fuisse penitus & absolutè redactas etiam tempore S. Hugonis, sed tantùm sub certis conditionibus, quæ diversæ fuerunt pro tradentium voluntate, ut mox explicuimus.

Goff. Vindoc. lib 9. epist. 1. Spicil. tom. 3. pag. 570. Ibid. p. 643.

LVII Prima quæ verum Ordinis nomen meruit Congregatio Cisterciensis, à principio Abbatias habuit certis regulis ac legibus communibus invicem confæderatas, quæ suos Visitatores habebant, sua quotannis comitia generalia: quod ejus familiæ exemplo Petrus Venerabilis etiam in Cluniacensem inducere tentavit. Ita sensim in eam amplitudinem, qualis postmodùm cum orbis stupore & admiratione visa est, crevit illa celeberrima Congregatio Cluniacensis, cujus *professores ubique gentium penè dispersi, locupletes in sæculo, & splendidissimæ religionis in Deo exstiterunt*, ut scribit Willelmus Malmesburiensis. Quantum verò decoris & ornamenti Ecclesiæ iste Ordo, quantum ad excitandum in perditissimo sæculo religionem ac pietatem contulerit, quot viros pietate ac doctrina celebres protulerit, non facilè est æstimare: tametsi in his Actis dedimus operam, ut magnis illis viris suus honor, quatenus ex relictis ejus ævi monumentis nobis licebat, ac debita rectè factorum commemoratio tribueretur. Quod ut faciliùs præstare possemus, Cluniacum ante annos duos profecti ego sociusque noster Michaël Germanus, omnia quæ in rem nostram facere videbantur, monumenta & documenta perlustravimus, R. P. Priore Joachimo *Lestinois* benignè annuente, cum ceteris venerabilis istius loci Ascetis.

Willel. Malmesb. in lib. 2 de Pontif. cap. 2.

LVIII Qualis fuerit à primordiis Cluniacensium disciplina, longius esset prosequi hoc loco. Quoddam ejus specimen exhibemus in Elogio S. Odonis. Ritus istos ab Euticio, seu Eutychio Abbate acceptos dicit Joannes, id est à Benedicto Abbate Anianensi, qui eos à priscis veterum Monachorum Institutis hauserat. Quædam nihilominùs in Cluniacensibus notarunt non solùm Cistercienses, sed etiam Casinates Monachi, uti ex eorum ad Teutonicos epistola discimus, quam reperimus in Bibliotheca Basileensi. In hac epistola Casinates ajunt se à Teutoniensibus Monachis interrogatos *de suæ conversationis & institutionis consuetudine, id unum respondere posse, quòd magistram in omnibus sequantur Regulam beati Benedicti*; neque *pro aliqua aliena novaque consuetudine* ab ejus tramite deviare velint: se quidem laudare, ac probare, *si aliquid in Monasterio tolerabile additur* ex alienis ritibus, *sic tamen ut institutio Regulæ non amittatur*. Scilicet *sicut apud nos*, inquiunt, *& ubi-*

& ubique terrarum, quarum ad nos fama pervenit; multa variæque consuetudines cum Regula non discordantes ex utraque parte maris recipiuntur, aliam enim Teutonici Monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex ista parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte aliam jam Constantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ sunt & utiles. Hæc verba (ut id obiter observem) notatu digna sunt, ex quibus S. Benedicti Regulam ex utraque maris parte, id est non modò apud Britannos, Teutonicos, Italos & Francos: sed & apud * Constantinopolitanos, Antiochenos & Alexandrinos viguisse, licèt sub diversis ritibus, intelligitur. Tum subdunt Casinates quæ ad propositum pertinent. *De quibus tamen præ ceteris specialiùs nobis scripsistis, de tonsura scilicet & habitu Cluniacensium, breviter respondere possumus, quia nec nobis placent, nec cuiquam, qui regulariter vivere volunt, jure placenda sunt. Videntur enim omnino contra Regulam. Si verò de nostra tonsura & habitu quæritis, nos in utroque vobis concordare sciatis.* Addunt in fine nimis operosum fore, si ad eos omnes suæ consuetudines perscribantur: sed si se auctores audiant, mittant unum de suis ingenio præditum, qui *per annum integrum* commoretur ad explorandas loci consuetudines. Has verò, aut certè earum similes, cum prædicta epistola exhibemus in tomo IV. Analectorum, quas cum aliis in fine Sæculi quarti editis conferre non pigebit. Nec certè otiosum erit hoc loco exponere, qua in re sitæ essent Casinensium & Teutonicorum de Cluniacensibus querelæ de ritibus vestibusque monasticis, & de tonsura.

* *Confer supra num. 47.*

LIX Tria sunt Instituti nostri vestimenta propria, tunica, cuculla, scapulare; Tunica ad talos defluit, albi passim coloris ante annos octingentos, ut in variis Rabani, aliorumque iconibus observavimus, atque etiam in *Rituali* Anianensi. Et ratio sanè id postulabat; quandoquidem tunicam, quæ cuti proximè adhærebat, (nam laneæ interulæ præter Regulæ auctoritatem posteà concessæ sunt) cùm sæpiùs lavari ad munditiem exigeret; potiùs ex lana candida, quàm ex nigra fieri congruum erat. Scapulare ita dictum, *quòd scapulas præcipuè tegat, & caput*, ad laborem, qui corpore exercetur, à sanctissimo Legislatore concessum est: cuculla, summa vestis, cum operimento capitis, undique corpus & brachia obvolvit. Utraque nigri semper coloris fuit: unde Monachi *nigri* appellati; Cistercienses verò *albi*, quòd cucullam candidi coloris nigræ prætulerint. Una fuit penes Monachos nostros in duplici hac veste formæ diversitas, in scapulari inquam, & cuculla.

LX Antiquiorum nullam vidimus scapularis formam, quàm quæ apud Browerum depicta est in libro 2. Antiquitatum Fuldensium. Stricta vestis hæc, capitium habens acuminatum, brachiis ferè nudatis, ut quoddam colobii genus, defluit tantùm ad renes, zonâ super tunicam præcincta. Ejus formam meliùs repræsentabit pictura superior, ex Browero accepta, exhibens Candidum & Modestum, Fuldenses Monachos sub Rabano: cui alteram tabellam subjungimus in specimen veteris cucullæ: In priori tabella cernitur germana veteris scapularis forma. Eamdem apud Casinates sæculo octavo in usu fuisse indè colligitur, quòd Sturmius, Fuldensis Abbas primus, vestium formam, genusque vivendi à Casinensibus Monachis mutuatus est, ut ex sanctæ Liobæ Actis constat. Ejusmodi scapulare viderat auctor Apologiæ pro Henrico IV. Imperatore. *Vidimus nos aliquando*, inquit, *vestem cucullatam, parvam quidem, sed ita moderatam, ut desuper usque ad renes tantùm deflueret, & utrimque usque ad humerorum confinia pertingeret, qualis certè forma atque mensura propriè dicitur Scapulare, quod Monachis propter opera tantùm assignatur*

ex

Ex mandato Regulæ. Processu temporis multùm variavit vetus illa Scapularis forma: & cùm primitus totum corpus ad renes solùm usque ambiret, posteà verò ad talos protensa est, divisa ex utroque latere: ita nihilominùs ut ex utraque parte retinaculis duobus pars anterior cum posteriori conjungeretur. Hanc formam Cartusiani, à Majoribus nostris acceptam, hactenus retinent: atque ob eam causam istud vinculum, quo duæ Scapularis partes simul constringuntur, *Vittam S. Benedicti* in suis Statutis appellant. Hanc vittam uni è nostris retinuerunt sub extrema tempora Monachi Congregationis Casalis-Benedicti.

LXI Non una fuit etiam pro diversis locis & temporibus Scapularis appellatio. Jam indè à sæculo nono Smaragdus Scapulare Cucullam nuncupavit in Regulæ caput 55. *Cucullam dixit ille*, nempe S. Benedictus, *quod nos modò Cappam: quod verò dicit Scapulare propter opera, nos modò dicimus Cucullam*. Eodem vocabulo utitur Sigebertus in libro de unitate Ecclesiæ pag. 120. editionis Basileensis anni 1566. *Propter opera tantùm constituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur scapulare, eò quòd ejusmodi vestis apta sit caput tantùm & scapulas tegere*. Rectiùs Apologia Henrici IV. *parvam cucullam* appellat, ad vitandam ambiguitatem & obscuritatem, quæ maxima nata est apud posteros ex ejusmodi nominum confusione. Ex his explicatur locus Ardonis in vita Benedicti Abbatis Anianensis, ubi *cucullæ* nomine scapulare, *& cappæ* vocabulo cucullam intelligit. Et cucullam quidem, id est scapulare, quæ prius *usque ad talos* pendebat ad uniformem modum reduxit instar Casinensium & Fuldensium, *ut non ampliùs à duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset*. Hæc est parva cuculla, de qua Henrici IV. Apologista. Postea tamen rediit ad priorem mensuram scapulare: sed tamen receptum cucullæ vocabulum retinuit apud nonnullos. Agnovit hanc varietatem Clemens Papa V. in litteris, quas de statu Monachorum edidit in Concilio Viennensi: ubi ad vitandam ambiguitatem declarat, se *cucullæ nomine* intelligere *habitum longum & amplum, sed manicas non habentem*, quod est scapulare: *nomine verò floci habitum, qui longas & amplas habet manicas*.

Sæc. Bened. tom. 1. p. 213. num. 52.

LXII Hæc est nostra cuculla, cujus antiquam formam exhibet posterior tabella Fuldensis, qua Legatio, ad Ludovicum Pium impetrando novo Abbati destinata, ob oculos ponitur, ab ipso Candido (cujus superiùs mentio facta est) expressa, uti & prior. Cuculla non adeò ampla, manicis sat strictis, capitio in acumen desinente, & ad pectus magis aperto; cetera totum corpus ambiens ad talos usque. Nullum cucullæ usum apud Casinates tempore Theodemari Abbatis, id est ante sæculi noni exordium, fuisse probat Pauli Diaconi epistola ad Carolum M., ubi cucullam alio nomine *Casulam* vocat. *Cucullas autem*, inquit, *ideò non habemus, quia majoris sunt pretii*. Posteà tamen Casinatibus hæc vestis restituta est, qualem describit Angelus de Nuce in Notis ad illam epistolam, his verbis. „ Codex S. Angeli ad Formas, in „ archivo Casinensi asservatus, exhibet imaginem Desiderii Abbatis cuculla„ ti, talari scilicet vestimento, undique clauso, nec admodùm sinuoso, ma„ nicis non amplis; & hæc planè per ea tempora cucullæ forma „. Ab hac descriptione non recedit Apologia Henrici IV. *Cuculla dicitur vestis cucullata propter cucullum, qui est capitis operimentum. Igitur cuculla est tunica talaris, & cucullata, atque manicata, habens speciem Crucis per quatuor partes extensæ*.

LXIII A prisca illa cucullæ & scapularis forma Cluniacenses desciviſſe, conqueruntur Casinates in præmissa epistola ad Monachos Teutonicos: sed quia in

re

re hoc discrimen situm esset, non explicant. Verùm id facilè intelligemus comparando Cluniacensium tum scapulare, tum cucullam cum Casinensi habitu, qualem superiùs repræsentavimus. Apud Cluniacenses à primordiis scapulare *cucullæ* nomine insignitum fuisse patet ex Udalrico, in cujus tribus libris nulla uspiam *scapularis* mentio, sed tantùm *cucullæ* & *froci*. Cluniaci ad nostra usque tempora perseveravit in vulgari etiam sermone *cucullæ* acceptio pro scapulari. Porrò Cluniacensis scapularis primariam formam discimus ex forma scapularis Sancti Mayoli, quod Silviniaci ab ipso relictum aliquando vidimus. Ejus exemplum ex panno accuratè fieri mandavit Reverendissimus Pater Petrus Simon, Superior Generalis Cluniacensis Congregationis strictioris observationis; idque nobis commodavit ad repræsentandam formam illius scapularis: quod latum est tribus, longum quatuor pedibus cum uno pollice, præter capitium acuminatum, quod uno pede in quadrum constat, sed sinè vitta. Ejus specimen in æs incidi curavimus.

Frocus vestis superior, etiam Novitiis apud Cluniacenses communis erat, cuculla seu scapulare solis Professis, teste Udalrico in lib. 2. cap. 1. ubi de Novitiorum diversitate. *Vestis eorum nostræ debet omnino similis esse, præterquàm quòd quamdiu erunt absque benedictione*, quo vocabulo professionem intelligit, *solâ cucullâ carebunt*, & capite sequenti: *Posteà capellum froco eorum assuitur, ne qua notabiles dissimilitudine nobiscum conversantes videantur*. Jam verò quando professionem emittebant, Abbas *capellum* auferebat *de froco*, quem Professi absque capitio gerebant. Audiendus hac de re Bernardus, Casinensis sæculo XIII. Abbas, cujus verba huc adscribimus ex commentario in Regulæ cap. 55. *Puto scapulare dictum à scapulis, eo quòd scapulas tegat: & usque hodie tam Casinenses, quàm Cistercienses, habitum caputiatum, à scapulis ex utraque parte dependentem, scapulare appellant. Sed Casinenses idem scapulare sub brachiis circa medium corporis, quasi ad locum cinguli, sutum, quasi ad mensuram medii palmi de consuetudine claudunt: quòd scapulare, quando operantur, ne opus impediat, desuper cingunt: sinè quo etiam scapulari, vel cuculla manicata, non se sacris vestibus ad explenda divina officia induere debent. Illud insuper scapulare benedicitur ab Abbate, quando Monachus profitetur. Attamen Cluniacenses & ultramontani Monachi scapulare illud Cucullam appellant, & desuper vestem manicatam sinè caputio gerunt, quam vestem Frocum vulgariter dicunt. Puto autem quòd Cistercienses ad fontem recurrerunt Casinensem, & ab illo tam vocabulum, quàm figuram utrique traxerunt scapularis & cucullæ*. LXIV.

Ex hoc Bernardi testimonio intelligimus, primò Cluniacensium habitum, etiam sæculo XIII., à Casinensi diversum fuisse, diversam item ejus appellationem. Vittam habebant in scapulari Casinenses, non Cluniacenses: & quod illi *Scapulare*, hi appellant *Cucullam*, eumque proprium monasticæ professionis habitum reputabant. Deinde Casinensium cuculla capitio prædita erat, non verò Cluniacensium frocus. Et amplior sinè dubio erat apud hos frocus, quàm apud illos cuculla. Cistercienses à Casinensibus non colorem, sed formam vocabulumque cucullæ, & scapularis, exceptâ vittâ, acceperunt; qui cùm Cluniacensium frocos repudiasse perhibentur, non cucullas, sed amplas frocorum manicas & sinuosum ambitum abjecisse censendi sunt, capitio retento, quod Cluniacenses deposuerant, teste Bernardo Casinensi. LXV

Eadem erat apud Teutones seu Germanos, atque apud Casinenses Benedictini habitûs forma. Quapropter cùm Cluniacenses ab ea recessisse ani- LXVI

madvertissent, atque etiam à tonsuræ forma; literis hac de re consuluerunt Casinenses, quorum responsionem superiùs retulimus. Quid illi in Cluniacensium tonsura reprehenderint, non liquet. Eadem erat quondam Benedictinorum nostrorum tonsura: sed diversa corona. Qui nullis Ecclesiæ ordinibus insigniti erant, solam tonsuram: Diaconi & Subdiaconi minorem, quàm Sacerdotes, coronam præferebant: ut in Candidi & Modesti (quos Presbyteros fuisse non puto) effigie advertere licet, quorum minor est corona, quàm eorum, qui in secunda tabella exhibentur. Etsi verò Benedictini nostri Germani priscum Ordinis habitum fermè integrum ac genuinum, & ubique uniformem retinuerint; paullatim nihilominus Cluniacensium ritibus assuefacti sunt, auctore potissimùm Willelmo Hirsaugiensi Abbate, qui hos ritus in scripta redigi ab Udalrico postulavit, iisque usus est ad concinnandas Monasterii sui Consuetudines, Cluniacensibus omnino consimiles, quas in quibusdam Germaniæ Bibliothecis invenimus. Earum Præfationem habes in Analectorum tomo IV. Quin etiam apud Italos Monachi Casaurienses eamdem scapularis formam admiserunt, ut palàm fit ex effigie Abbatis Casauriensis, quæ initio Chronici ejusdem loci exstat in Spicilegii tomo quinto, ubi eadem, quæ Mayoli, Scapularis forma cernitur.

LXVII Hæc dum fusè persequimur ad res nostras illustrandas, nullo modo detractum volumus Cluniacensium nostrorum splendori & existimationi: quam è contrario pro modulo tueri, & amplificare, & optamus & conamur. Et meritò sanè: cùm ex illo fonte in pleraque Galliæ cœnobia fluxerit rediviva religio, quæ magna Ecclesiæ utilitate ad sæculares etiam clericos propagata est. Singula hic Monasteria, quæ salubres illas leges acceperunt, recensere non vacat: hæc in singulorum Abbatum Elogiis exsequemur. Præcipuum ex illis Monasteriis est Floriacense, ex quo eadem observatio fluxit ad Tullenses sancti Apri, Dervenses, Cellenses, Carnutenses sancti Petri; ac demum in Anglicanas Ecclesias per Oswaldum & Odonem Floriaci institutos, per quos Anglicana Ecclesia in antiquum decus refloruit. Hi fructus sunt sacri Ordinis Cluniacensis: *Hine effusa spiritualium virtutum nardo, impleta est tota mundi domus ex odore unguenti, dum Religionis Monastica fervor, qui illo tempore penè refriguerat, illorum virorum exemplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur: Hispania, Italia, totaque Europa fatetur, plena Monasteriis ab eis aut fundatis, aut ab antiquo senio reparatis. Sed quid aliquas mundi partes enumero? cùm de nostro ultimo Occidente usque ad ipsum Orientem fama hac pervenerit, nec aliquem Christiani orbis angulum latuerit.* Ita Petrus Venerabilis, qui & in alio loco scribit, Cluniacum factum esse à sui principio, *non solùm Externorum hospitium, non tantùm Confugientium asylum, sed (ut sic loquar) publicum Reipublica Christiana ærarium*; Hos autem præclaros fructus referre debemus acceptos in primis post Bernonem Odoni, Aymardo, & Mayolo sanctissimis Abbatibus Monasterii Cluniacensis; eorumque successoribus Odiloni potissimùm & Hugoni, quos Ecclesia universa debito cultu veneratur.

Petr. Vener. lib. 1. de mirac. cap. 9.

Ibid. lib. 4. epist. 17.

LXVIII Præcipuus ex Mayoli discipulis fuit Willelmus, qui & ipse specialem quamdam Familiæ Cluniacensis lineam constituit, præfectus variis Monasteriis, ad meliorem frugem ab eo adductis. Præcipua sunt Divionense sancti Benigni, Parisiense sancti Germani, Fiscamnense, Mettense sancti Arnulfi, Vizeliacense, Tullense sancti Apri, atque etiam Fructuariense, quod in Italia ipse erexit, adeò ut *tam monasteria, quàm cellula circiter quadraginta*,

Fra-

Fratres plus mille ducenti sub ejus magisterio militarent, à Cluniacensi familia discreti. Tantum valuit Mayoli in Willelmo pia institutio.

Verùm præter Cluniacensem sobolem non deerant etiam alibi religiosæ LXIX
Congregationes piè ac laudabiliter viventes: quas inter censenda est Gorziensis, quæ sub Einoldo primùm, deinde sub Johanne Abbatibus piissimis miros profectus fecit; & viros illustres protulit complures, de quibus acta ipsius Johannis hîc fidem faciunt. Inter primos censendi sunt Humbertus, primùm Virduni ad S. Vironum reclusus, & quasi primus Johannis Institutor, dein Gorziensis Monachus, ac demum Abbas Tulli Leucorum ad S. Aprum: & Fredericus Adalberonis Mettensis Episcopi patruus, ad regimen cœnobii sancti Hucberti promotus; atque Odilo Stabulensis tandem Abbas, pro Sancto habitus.

Eodem etiam tempore Treviris apud S. Maximinum refloruit Benedictina religio: quo ex loco multi Abbates ad varia loca reformanda seu instituenda educti, Sandratus ad Gladbacense, Ramwoldus ad Ratisponense S. Emmerammi, Hartwicus ad Tegernsense, & alii ad alia cœnobia: quidam etiam ad missiones sacras & episcopales Sedes assumti sunt, ut Adalbertus ad conversionem Russorum, dein Magdeburgensis Archiepiscopus primus; & Ogo seu Hugo ad Sedem Leodicensem. Ibique Monachus fuisse videtur Remigius ille Trevirensis cœnobita doctus; ad quem tres Gerberti Epistolæ, an Abbas ille Mediolacensis apud Trithemium. Tempus nos deficiet, si eodem modo cetera Germaniæ Monasteria, in quibus disciplina viguit, commemorare velimus, Augiense, Sancti-Gallensi tunc æmulum, Einsidlense, sancti Emmerammi, Weissenbrunense, Laurishamense, & Hirsaugiense: ex quibus Viri dignitate & virtute præcipui, de quorum nonnullis jam superiùs facta est mentio, prodierunt. Uni instar omnium erunt Notkerus Balbulus ex S. Galli, Wolfgangus Ratisponensis Episcopus ex Einsidlensi, Anno Magdeburgensis ex Augiensi, Tuto Ratisponensis ex S. Emmerammi. Sed longiùs nos impetus evehit, provocante materia: ad alia transeamus. LXX

Trithem. in Histor. Hirsaug.

§. V.

Ecclesiarum & Monasteriorum status in Anglia & Insulis adjacentibus.

IN hoc Sæculi decimi examine non leviter prætereunda est Angliæ commemoratio, in qua magni motus animorum fuêre & vicissitudines insignes. LXXI
Quantum erat doctrinæ in illa Insula & pietatis, Danorum tempestas ferè devoraverat. Utrumque pro virili restituere conatus est magnus Rex Alfredus, adhibitis Johanne Abbate Æthelingensi, Grimbaldo Sithiensi monacho, & Plegmundo Magistris. Nondum opus ad perfectum adductum erat, cùm Alfredus Regnum Eduardo filio morte sua resignavit. *Is litterarum scientiâ multùm inferior patre*, inquit Willelmus, *sed regni potestate gloriosior*, ad duo regna Merciorum & Westsaxonum, orientales Anglos, Northumbros, Scottos, & Britones Wallenses adjunxit. At rebus bellicis totus intentus, litterarum curâ insuper habitâ, ita ignorantiam coalescere sivit, ut

etiam virtutum ſtudium, quod æquo gradu procedere ſolet, penitus langueſceret: eóque negligentiæ ventum eſt, ut in toto Weſtſaxonum regno nulli Epiſcopi eſſent reliqui. Rem indignè tulit Romanus Pontifex, (quem Willelmus Sergium perperàm putat) Johannes IX., diras Eduardo imprecatus, ni regioni Geviſſorum ſeu Weſtſaxonum Epiſcopos, quibus per ſeptem annos deſtituta fuerat, tandem reſtitueret. Paruit Rex admonenti Pontifici, & Concilio per Plegmundum Cantuarienſem antiſtitem congregato, juſſa perfecit, atque ſeptem Epiſcopos ſeptem Eccleſiis aſſignavit. Quantum detrimenti paſſa ſit per illas vacantium Eccleſiarum inducias Weſtſaxonum regio, & religio, nemo non intelligit. Tunc quippe luxuria ita pudicitiæ frenos abrupit, ut non ſolùm Laïci inceſta conjugia, ſed etiam Clerici, & Presbyteri uxores impunè ducerent, abſque ulla reverentia ſacrarum legum. Fecit quod in ſe erat Plegmundus ad medendum his morbis: ſed non ita prævaluit, quin Clerici in malè cœpto plerique perſeverarint: donec tandem regnante Eadgaro maximo Principe, Dunſtanus tantum malum penitus ſuſtulit, collaborantibus Oſwaldo & Ethelwoldo Epiſcopis, qui Clericis, quòd caſtè vivere nollent, eliminatis, Monachos ſeverioris Inſtituti in Eccleſias etiam cathedrales induxerunt. Per id tempus reſpirare cœpit Religio, floruiſſetque impenſiùs in multos annos, niſi Danorum alia tempeſtas labente ſæculo Eccle- ſiam Anglicanam ferè in antiquum chaos reduxiſſet: quæ plaga ante Willelmum Conqueſtorem penitus curari non potuit. Hæc preſſiùs ex Anglicanis ſcriptoribus retulimus, quæ maximè in actis horum Sanctorum, atque apud Willelmum Malmesburienſem, & Ordericum Vitalem fuſiùs memorantur. Unum aut alterum caput hoc loco explicandum.

Willelm. Malmesbur. lib. 2. de Regib. Angl. c. 5. Orderic. pag. 516. & ſeq.

LXXII *Auguſtinus & Laurentius, aliique primi Prædicatores Anglorum, Monachi fuerunt* (Orderici ſunt verba) *& in Epiſcopiis ſuis vice Canonicorum (quod vix in aliis terris invenitur) Monachos piè conſtituerunt. Cœnobia multa & præclara conſtruxerunt, & Converſis inſtituta regularia verbis & exemplis tradiderunt. Magnificè igitur monachilis Ordo pluſquam ducentis annis in Anglia floruit.* In Cantuarienſi Eccleſia primitus Monachos fuiſſe inſtitutos conſtat ex epiſtola Bonifacii Papæ ad Regem Ethelbertum. Per totum illud intervallum temporis, quod ab Auguſtino Anglorum Apoſtolo ad ſæculum X. effluxit, numquam intermiſſa eſt hæc Monachorum poſſeſſio ac Sedes in illa Eccleſia. Id facilè demonſtrare licet ex libro Evidentiarum iſtius Eccleſiæ, ubi in pleriſque inſtrumentis mentio fit de Monachis in illa Cathedrali Eccleſia reſidentibus per ſæculum octavum, ac totum nonum ad annum DCCC.XCIX., quo Eluredus ſeu Elfredus Rex unum agrum memoratur tradidiſſe Archiepiſcopo Doroberniæ Plegmundo *ad opus Monachorum*. Sub finem ſæculi X. Monachis ſuffectos Clericos, iiſque amotis à Rege Æthelredo reſtitutos fuiſſe Monachos apparet ex hujus Regis privilegio apud Spelmannum relato, quo Æthelredus inſtigante Archiepiſcopo, Monachos *ejuſdem Ordinis, quem huc attulit S. Auguſtinus, & in Chriſti Eccleſia poſuit*, ſe reſtituiſſe teſtatur, nempe ſub annum M.III. Non probat hanc ſententiam Willelmus Malmesburienſis, forſan quòd hoc privilegium non vidiſſet. Hoc tamen laudatur in libro Evidentiarum Eccleſiæ Cantuarienſis, probaturque à Willelmo Throno in Chronico, ubi Johannis Papæ XIII. diploma (cujus ſumma in prædicto Evidentiarum libro refertur) in teſtimonium adducit. Cnuto Rex anno M.XVIII. Eccleſiam S. Salvatoris, in Dorobernia ſitam, liberam eſſe ſancit, decernens, ut ne quiſquam hominum *præter Archiepiſcopum & Monachos* ibidem Deo famulantes aliquid inde exigat. Præclara eſt Alexandri II. epiſtola,

Ibid. p. 516.

Script. X. col. 2218.

Spelman. tom. 1. Conc. p. 505.

Willelm. lib. 1. de Pont. cap. 1. col. 2221. col. 1781.

Spelman. t. 1. Conc. p. 533.

stola, apud Lanfrancum quarta, in qua sub gravi interminatione prohibet, ne Monachi *de Ecclesia S. Salvatoris in Dorobernia, quæ est Metropolis totius Angliæ*, expellerentur, uti quidam Clerici, *associato sibi terrenæ potestatis auxilio, moliebantur*, ut Clericos inibi constituerent: id insuper machinantes, *ut in omni Sede Episcopali Ordo Monachorum exstirparetur, quasi in eis non vigeat auctoritas Religionis*, quod quidem facinus, Gregorii Magni, & Bonifacii Papæ IV. decretis contrarium, Pontifex aversatur.

Monachos istic ad extremam usque Ecclesiæ Catholicæ sub Henrico VIII. cladem perstitisse constat ex perpetuo veterum Scriptorum testimonio, nempe ex vita S. Anselmi pluribus in locis, ex libro Gervasii Monachi de discordia inter Monachos Dorobernenses & Archiepiscopum Baldewinum apud decem Scriptores, ex epistola Odonis ejusdem Ecclesiæ Monachi ac Prioris ad Adamum fratrem suum novitium Igniacensem, relata in tomo I. Analectorum; ex Quadrilogio vitæ S. Thomæ Cantuariensis passim, ex Petri Blesensis epistola 27., in qua *fratres nostri monachi cathedrales* appellantur, ex variis epistolis Johannis Saresberiensis ab epistola 227. ad 303., in quibus de electione post necem S. Thomæ facta agitur; ex Antonio de Culancurte in mss. Historia Monasterii Corbeiensis, ubi ad annum MD.XXIII. *in Cantuariensi Ecclesia Archiepiscopus Abbas, centum quinquaginta Monachi nigri* exstitisse perhibentur. Agmen claudet insignis Erasmi locus in Dialogo de Peregrinatione, ubi de Anglia, *Hujus*, inquit, *metropolis est Cantuaria. In ea sunt duo Monasteria penè contigua: utrumque Benedictinos habet. Id quod habet divi Augustini titulum, videtur antiquius: hoc quod nunc appellatur divi Thomæ, Sedes Archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis Monachis vitam ageret, quemadmodùm & hodie Præsules habent ædes Ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorum Canonicorum semotas. Olim enim ferè tum Episcopi, tum Canonici Monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia*. Et inferiùs inquirenti de istius Ecclesiæ Abbate, respondet hoc modo: *Mitram habet, census habet Abbaticos; solo nomine caret, & Prior dicitur ob id quòd Archiepiscopus Abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat ejus ditionis Archiepiscopus, idem erat & Monachus*. LXXIII

Quod postremo loco asserit Erasmus facilè ex antiquis auctoribus comprobari potest. Mortuo S. Anselmo Archiepiscopo post vacationis quinquennium, cùm ad electionem ventum esset, eligentium vota in Faricium Abendoniæ Abbatem favente Henrico Rege conspirabant: at Episcopi & quidam Magnates *quemlibet Episcopum de ordine clericali, aut clericum aliquem de capella Regis in opus illud adsciscì* volebant. *Verùm* ut habet Eadmerus in Historia novorum, qui & ipse præsens erat, *ubi eis objectum est, nullum à beato Augustino, nisi de monachico Ordine, umquam Pontificatui Cantuariensi præfedisse, uno dumtaxat excepto, qui & ob hanc præsumtionem & alia quædam perversè ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit; & ea re tam antiquam & authenticam consuetudinem, cùm nulla ratio vel necessitas exigeret, subverti non oportere; desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt*. Electus est tandem Radulfus Roffensis ex Abbate Sagiensi Episcopus: cui Guillelmus Curbuliensis *Canonicus Regularis* post aliquot annos successit, ex Orderico, qui hæc subdit. *Ecce antiquus mos pro invidia, qua Clerici contra Monachos urebantur, depravatus fuit. Augustinus enim monachus, qui primus in Anglia Christum prædicavit, ac Edelbertum Regem & Sarbertum nepotem ejus cum populis Cantiæ & Lundoniæ ad Fidem Christi convertit, jussu Gregorii Papæ Primas Metropolitanus totius Britanniæ floruit. Omnes exinde usque ad Radulfum* LXXIV Orderic. pag. 873.

De-

Doroberniæ Archiepiscopum, præter Frigeardum, & Odam atque Stigandum fuerunt monachi. Et quidem addit Ordericus, Frigeardum Lotherii Regis Capellanum, *sinè præsulatûs unctione* exhalasse spiritum; Odam verò seu Odonem electum, audito omnes antecessores suos monachos fuisse, mutasse habitum, & religiosum monachum ac archipræsulem usque ad mortem Deo militasse: Stigandum porrò, Emmæ Reginæ Capellanum, à Romano Pontifice numquam pallium habuisse, immo ab Alexandro II. interdictum, quòd Haraldum in Regem benedicere nihilo minùs ausus esset, Guillelmo primo in regnum confirmato Synodi sanctione fuisse exauctoratum. Ex quibus ita concludit Ordericus occasione electi Guillelmi Canonici regularis. *Angli monachos, quia per eos ad Deum conversi sunt, indesinenter diligentes honoraverunt, ipsique clerici reverenter & benignè sibi monachos præferri gavisi sunt. Nunc autem mores & leges mutata sunt, & clerici ut monachos conspuent & conculcent, clericos extollunt.*

LXXV Guillelmo tamen mortuo suffectus est Theobaldus, antè Abbas Beccensis: sed post eum ecce rursus mutatio, cùm in illam Sedem volente Rege promotus est ex Cancellario Regis Thomas, qui ut veterem morem quadamtenus retineret, habitum monasticum cum clericali suscepit, ut in Quadrilogio legitur. Prætereà *solebat monachorum capitulis præsidere, collationibus interesse, in claustro cum ipsis lectioni intendere*, teste Gervasio monacho in libello de Discordia inter Monachos Cantuarienses & Baldewinum, qui Richardum Archiepiscopum Thomæ successorem excepit, priùs monachus Cistercienfis. *Res nova & inaudita.* Inquit Gervasius, *Sicut enim inusitatum est Ordinis Cisterciensis monachum Anglicanæ præesse Ecclesiæ; ita Cantuariensi Ecclesia inexpertum est, ut aliquis Archiepiscoporum conventui suo tot inferret injurias.* Post id tempus primam illàm cathedram promiscuè occuparunt Benedictini, Dominicani, Franciscani, atque homines sæculares: sed Benedictinorum conventus in majori Ecclesia usque ad schismatis tempus perseveravit, tametsi Archiepiscopis adhærerent Clerici sæculares.

Quadrilogii lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 22. col. 1313. & 1314.

col. 1314.

LXXVI *col. 1311.* Ejus ritus originem Gervasius refert ad Theobaldum, qui quamquam monachus & Abbas Beccensis fuerat, *cùm esset naturâ simplex, & aliquantùm litteratus, adscivit clericos sæculares, quorum consilio, suo impetu, quolibèt ducebatur*, quæ res magnarum discordiarum fomes fuit. Monachorum primus post Archiepiscopum rector Decanus erat, quem posteà Priorem appellarunt. Abbatis loco Archiepiscopus censebatur. *Omnia autem quæ medio tempore*, scilicet inter Augustini & Baldewini ætatem, *collata fuerant non Archiepiscopis, non Decanis, qui nunc*, inquit Gervasius, *Priores vocantur, non alicui personæ singulariter data sunt; sed Deo, & per eum toti monachorum congregationi: nec uspiam, ut reor, aliquo in scripto simplici, vel bullato inveniri poterit aliter, vel alteri omnia illa esse collata.* Eodem ritu antiquitus fiebant in ceteris monasteriis donationes: ut certum sit largiter eos falli, qui eas Abbatibus nominatim, nec nisi per eos monachis factas audent affirmare. Verùm pergit post aliqua Gervasius, *ut pacis & concordiæ vinculum partis utriusque, capitis videlicet & corporis, futuris temporibus inviolabiliter servaretur; monachis suis in novam Ordinis formam redactis, Priori & conventui rerum suarum omnimodam concessit administrationem.* Posteà verò sub Theobaldo ad Archiepiscopum hæc administratio ex conventûs decreto translata est: qua de re non sera fuit monachorum pœnitentia. Hæc ferè disciplina viguit penes monachos majoris Ecclesiæ Cantuariensis, quod hoc loco illustrasse aliquod operæ pretium judicavimus.

col. 1310.

col. 1311.

col. 1312.

Ad

LXXVII Ad eumdem ferè modum in plerisque aliis etiam cathedralibus Angliæ Ecclesiis instituti sunt pro clericis monachi. In Eboracensi quidem, ex Elogio Alcuini, & ex carmine quodam perantiquo vulgato ad calcem Sæculi tertii Benedictini. In Wintoniensi id factum per Ethelwoldum Episcopum, ut ex ejus Actis hîc probamus. Wlfsinus Antistes *apud Scireburniam in Sede Episcopali monachos clericis ejectis instituit, ne in tanta contemporaneorum Episcoporum sedulitate dormitare videretur*, qui nimirum idem in suis Ecclesiis præstiterant. *Cœnobitis nihil ad victûs necessitatem ex episcopatu largitus, sed ex alieno mercatus, Abbatem quoque instituere cogitavit. Illis reclamantibus, quòd ejus dulci modulatione, dum adviverent, carere nequirent, cessit invitus, palámque pronuntians magnarum id calamitatum initium successoribus eorum fore.* In Ecclesia Roffensi Gundulfus monachos plusquam quinquaginta instituit, *à quibus Regula amabatur*. In Norwicensi Herebertus *monachorum congregationem numero & religione percelebrem instituit, omnia eis necessaria sumtu mercatus domestico. Præterea apud Theodfordum*, ubi & Sedes Episcopalis erat, *monachos Cluniacenses instituit, quòd essent illius cœnobii professores, ubique gentium penè dispersi, locupletes in sæculo, & splendidissima religionis in Deo*. His adde Episcopatus Lindisfarnensem, & Dunelmensem, quos à monachis cultos fuisse constat ex vita & miraculis S. Cuthberti. *Iste canonicos monachili servitio assuctos, quòd semper monachum habuissent Episcopum, ad usum clericorum redegit* Walkerus Antistes, scribente Willelmo, cui Turgotus suffragatur, Monachis tamen posteà restituta est hæc Sedes, & electio Episcopi, ut apud Matthæum Parisium ad annum MCC. XL. de Conventriensi testis est Rogerius Hovedenus, sive potiùs Cælestinus Papa III. in epistola apud Rogerium relata in parte posteriori, ubi *in Conventriensi Ecclesia ferè à prima fidei Christianæ fundatione in Anglia Ordo monasticus institutus* perhibetur. Quam varias ibi vices experti sint Monachi nostri, docet Monasticum Anglicanum. De Wigorniensi WVillelmus Malmesburiensis in lib. 4. de Pontificibus Anglorum cap. 1. luculentus testis est. De Eliensi denique consule Monasticum Anglicanum à pag. 93. neque enim omnia ex integro referre vacat.

WVillelm. Malmesb. lib. 2. de Pont. cap. 4.

Idem lib. 1. cap. ult. lib. 2. cap. 2.

Monast. t. 1. pag. 103.

LXXVIII Quod superiùs ex Orderico retulimus, *vix in aliis terris*, præterquàm in Anglia, Episcopales Ecclesias, in quibus essent Monachi Canonicorum loco, exstitisse, quadam explicatione indiget. Nam in ipso universæ Ecclesiæ capite, scilicet Ecclesia Lateranensi, Nostros quondam fuisse, nempe à clade cœnobii Casinensis, notius est, quàm ut probari debeat. Eos verò ibidem saltem ad Stephanum IV. perseverasse ex Anastasio, & Baronio intelligimus. Deinde monachi trium Ecclesiarum Romæ vigilias ad S. Petrum celebrabant, teste Anastasio in Gregorio III., ne quid dicam de Patriarchalibus S. Pauli & S. Laurentii Ecclesiis, quæ nostris antiquitus concessæ sunt. In Germania pleræque Cathedrales Ecclesiæ monachos olim à sanctis Rudberto, Bonifacio, aliisque illius gentis Apostolis acceperunt, Saltzburgensis, Eistetensis, Frisingensis, Ratisponensis; Moguntinam etiam addit Gretserus. De Ratisponensi, lege, quæ dicimus in hoc tomo, ubi de Tutone istius Ecclesiæ Episcopo. Sanè Frisingensis unum ex patronis suis habet S. Benedictum; & *monachorum conventum* ibidem à S. Corbiniano primitus institutum fuisse, auctor est Otho & ipse Episcopus Frisingensis. Idem probant literæ pro conditione cœnobii Schiersensis, cujus primi incolæ Abbatem à se electum ad Frisingensem Episcopum adducunt, statuuntque cum ipsius consensu, ut electio Abbatis in posterum fiat ex se ipsis secundùm Regulam S. Benedicti; & si inter ipsos idoneus desit, *de domo Episcopali eligatur Abbas*

Baron. ad an. 768.

Gretser. lib. 1. observ. in vitam S. WVilibaldi per Philip. cap. 7. V. Sæc. 3. Bened. parte 1. pag. 500.

Abbas ordinante Episcopo, quod argumento est Episcopalem cœtum ex Monachis tunc constitisse, id est anno DCC. LX. Non repetimus hîc, quæ de Saltzburgensi Ecclesia ad vitam S. Rudberti diximus, & quæ de Trajectensi ad Rhenum ad Acta Gregorii Abbatis, & de Bremensi ad S. VVillehadi Episcopi. Prætermittimus etiam Ecclesias Cathedrales ex monasteriis à Johanne XXII. in Gallia erectas, Malleacensem seu Rupellensem, Tutelensem, Sarlatensem, Condomnensem : quæ Orderici tempore cathedrales non erant, nec diu monachos (si Malleacensem excipias) retinuerunt. In Ecclesia Tullensi monachos etiam aliquando exstitisse, colligitur ex Actis sanctæ Belleandis. Quid? quòd apud Hispanos idem constat de Ecclesia Toletana, uti ex Ruderico Toletano, aliisque probabimus in Sæculo sequenti. Sed hæc obiter : ad ordinem, id est ad Anglicanas Ecclesias redeamus.

Metrop. Salisb. tom. 3. pag. 323.
Sæc. 3. Bened. parte 1. pag. 343 parte 2. pag. 319 ibid pag. 403.
Sæc. 3. Bened. tom. I. pag. 20.

LXXIX Regulam S. Benedicti tum in cœnobiis ab Eadgaro Rege numero quinquaginta, vel restitutis, vel de novo constructis, tum in Episcopatibus Ordini monastico ab ejus tempore addictis, receptam fuisse, unanimis est omnium Scriptorum veterum consensus. Atque ut hæc Regula modo uniformi ab omnibus servaretur, regularis concordia à Dunstano condita est sub Eadgari Regis nomine, in qua multa præclarè instituta leguntur, Synodi VVintoniensis auctoritate confirmata. Ab eo tempore Johannes Mareshamus existimat, (quod pauci tamen post illum probarunt) Regulam nostram ab omnibus primùm in Anglia fuisse receptam : tum quia in Concilio Cloveshoviensi anno DCC.XLVII. nulla ejus mentio fiat, tametsi opportuna erat occasio : tum quia altum sit de ea apud Bedam silentium. Verùm alibi demonstravimus horum argumentorum falsitatem. Primò quia Johannes in lib. 4. de vita S. Gregorii Magni cap. 82. annis ferè centum ante hanc Eadgari Constitutionem, (nam anno DCCC. LXXV. Johannes scribebat) monachos, qui à Gregorio in Angliam missi sunt, fuisse Benedictinæ Regulæ mancipatos indè colligit, *quòd vix potest in illis partibus monachus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito, quàm in habitu Regula Benedicti*. Ergo centum ut minimum annis ante Eadgarum omnes Monachi Anglicani, etiam ante omnem hominum tunc viventium memoriam, Regulam hanc sectabantur. Deinde in Concilio Cloveshoviensi eadem laudatur canone 24., ubi admittendorum Monachorum *conversatio ac morum qualitas secundùm monasticæ Regulæ definitionem* probari præcipitur *juxta Apostolicum præceptum* : *Probate spiritus si ex Deo sunt*, quæ verba referuntur à S. Benedicto in cap. 58., cujus Regula hoc loco *monasticæ Regulæ* nomine proinde intelligenda est. Postremò Beda in duobus libris de Abbatibus Monasterii sui, à VVaræo post Mareshami Propylæum editum vulgatis, non semel eamdem Regulam laudat; non solùm ubi dicit Monasterium *juxta Regulam* à Biscopo fuisse compositum, sed signantiùs, cùm asserit, Biscopum extrema oratione discipulis suis præcepisse, ut electionem facerent *juxta quod Regula magni quondam Abbatis Benedicti continet*, quod totidem ferè verbis Ceolfridus, ejus successor, morti proximus inculcavit, nempe *ut juxta Regulam S. Abbatis Benedicti* de suis ipsi Patrem, qui aptior esset, eligerent. Non ergo nobis obtendi potest ampliùs Bedæ, aut Concilii Cloveshoviensis silentium, aut concordia ab Eadgaro Rege sancita, ut fusiùs ostendimus in Præfatione Sæculi primi, & in dissertatione singulari de Gregorii M. monachatu, quæ exstat in tomo 2. veterum Analectorum. Accedit, quòd in VViremuthensi illo Bedæ Monasterio una Ecclesia erat *beati Patris Benedicti*, ut loquitur Beda in fine lib. 2. de Abbatibus : qui etiam in libro de vita sancti Cuthberti cap. 14. *sanctissimi*

P. Be-

P. Benedicti, & cap. 19. *beati Patris Benedicti* meminit. Porrò Biscopus hanc Regulam didicerat in suburbano S. Petri apud Cantuariam Monasterio, quod S. Augustinus sub eadem Regula instituerat, ut mox ostendimus.

Ad hæc Egbertus Eboracensis ante medium sæculum VII. Episcopus, in Excerptis suis apud Spelmannum laudat Regulam S. Benedicti, & ita quidem legitur in veterrimo codice Ebroicensi ante annos octingentos scripto, & in codice Vindocinensi, ubi hæc Excerpta habentur. In eodem etiam codice Ebroicensi referuntur antiquissimæ Litaniæ ad usum Ecclesiæ Eboracensis, in quibus S. Benedictus appellatur, non verò S. Æquitius, aut Columbanus, immo neque S. Augustinus Hipponensis. Atque hinc validissimè confirmatur consimile argumentum, ex antiquissimis Litaniis Anglicanis à nobis deductum, scriptis ab annis ampliùs nongentis in codice Remigiano, ex quo eas retuli in tomo 2. Analectorum. In istis enim Litaniis publicis unus ex omnibus monasticæ vitæ Institutoribus laudatur S. Benedictus, non Antonius, non Pachomius, non Basilius, non Cæsarius, non Aurelianus, non Æquitius, non denique Columbanus. Nec quovis modo invocatur S. Benedictus, sed ejus nomen bis repeti præscribitur, magnâ sanè singularis honoris, ac venerationis prærogativâ, quæ nulli alteri Sancto, præterquàm beatissimæ Virgini Mariæ ter laudatæ; & S. Stephano loci patrono iterata vice repetito conceditur. Hîc verò tam singularis S. Benedicti apud Anglos cultus sinè dubio propagatus est ex commendatione tam Gregorii Magni, quàm Augustini ejus discipuli: qui ambo S. Benedictum suum in rebus monasticis præceptorem ac institutorem venerantes, eumdem sibi subditis affectum inspiraverant. Non levis momenti hac in re est forma Professionis, qua Monachi Anglicani ante Dunstanum utebantur, relata in codice perantiquo, qui fuit olim Ecclesiæ Cantuariensis, posteà Parisiensis. In hoc enim codice prima oratio ad initiandos Professos eò tendit, *quatinus cum sanctis Patribus nostris, Paulo, Antonio, Macario, ceterisque innumerabilibus, nec non & beato Benedicto vitæ bravium percipere mereantur*. Ubi non solùm monastici Ordinis unio evidenter adstruitur, sed etiam refellitur Baronii nova opinio de Instituto S. Æquitii, de quo nulla usquam mentio occurrit in veteribus monumentis Anglicanis. Forma professionis in eo codice est ipsamet, quæ in Ordine S. Benedicti ab antiquo recepta est. LXXX

Ne quis verò Biscopum primum Regulæ nostræ in Anglia propagatorem existimet, observandum est, Biscopum, ut jam præmonui, monasticis ritibus institutum fuisse in Cantuariensi S. Petri monasterio ab Augustino erecto: nec nisi anno DC.LXXIII. cœnobii sui Wiremuthensis fundamenta jecisse. Atqui annis ferè viginti ante illum annum Regula Benedictina Cantuariæ vigebat, nimirum antequàm Biscopus eò commigraret. Id enim luculenter ostenditur ex actis S. Wilfridi Episcopi Eboracensis, ab Eddio Stephano ejus discipulo ac familiari scriptis, quæ tandem ex Anglia obtinuimus, inseruimusque in tomo I. Sæculi quarti, præter quædam fragmenta, quæ exstant ad calcem tomi 2. VVilfridus quippe in illis actis gloriatus, se primum esse, qui apud Northumbros vitam Monachorum *secundùm Regulam S. Benedicti Patris* informaverat, præmittit, se Cantuariam profectum, indè in regionem suam Northumbrensem revertisse *cum Regula S. Benedicti*, ejusque subsidio *instituta Ecclesiarum bene meliorasse*, collaborante Eddio monacho, ipsius vitæ scriptore, quem ex eadem urbe secum adduxerat. Ipsam igitur Regulam ex Cantuariæ Monasteriis acceperat; in quibus proinde Augustinus ejusque Sodales eamdem restituerant, ut fusiùs ad illam VVilfridi vitam LXXXI

Selden. in Eadmer. sub finem. assertum est. Ex his cum Johanne Seldeno, Anglo doctissimo, inferre licet, cœnobii S. Salvatoris Cantuariæ incolas, atque adeò suburbani S. Petri, Benedictinæ Familiæ, etiam ab ipsis incunabulis semper fuisse habitos; nihil contrà occurrere in vetustis monumentis, in quibus nullum novationis vestigium apparet.

LXXXII Fortasse hæc tam latè persequendo nimius videar, sed tamen quando huc devenit oratio, Hiberniam & Scotiam omnino prætermittere non possum, quæ sæculo decimo pios in Galliam, & Germaniam viros submiserunt. Hos inter censendi veniunt, Cadroë, Forannanus, Malcalenus, Fingenius, quorum acta hîc exhibemus, & Minborinus Abbas Scotorum Coloniæ ad S. Martinum, à Mariano itidem Scotto illius ferè temporis, & à Trithemio laudatus in Chronico Hirsaugiensi: quibus Israëlem Scotum Episcopum, qui Brunonis Coloniensis præceptor fuit, adjungere licet. Hos omnes, atque alios plerosque Benedictinæ Regulæ nomen dedisse, constat ex ipsorum Actis, & Monasteriis in ipsorum gratiam erectis. Atque inde Scotiæ, & Hiberniæ monachos tunc eidem Regulæ fuisse addictos evincitur. Immo verò eam longè antè profitebantur illarum partium Monachi, ut in Præfatione prima ad Sæculum 3. Benedictinum probatum est. Id tentatum ineunte sæculo septimo, sed quatenus profectum sit, ex sequentibus lector studiosus intelliget.

Ad ann. 982.

LXXXIII In primis cùm Augustinus noster Brittones monachos Scoticis ritibus addictos aggressus est, hi professi sunt *se non posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus*, auctore Beda. *Erant autem plurimi eorum de Monasterio Bangor* seu Banchor in VVallia, qui pro magno Fratrum numero ita instituti erant, *ut cùm in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus Monasterium divisum, nulla harum portio minùs, quàm trecentos homines habebat*, qui ritus Orientalium mores sapit. Laurentius Augustini Successor, qui non solùm novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, nec non & Scottorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat, utrorumque *vitam ac professionem, minùs Ecclesiasticam in multis esse cognovit*. Sed *& Columbanum Abbatem*, qui in alio Banchorensi apud Hiberno-Scottos Monasterio educatus fuerat, *in Gallias venientem nihil discrepare à Brittonibus in ejus conversatione didicit*. His acceptis Honorius Papa *litteras genti Scotorum, quos in observatione Paschæ errasse compererat*, direxit, ut eos ab errore isto revocaret: idemque post ejus obitum præstitit Clerus Romanus. Australes Hiberniæ Insulæ partes monenti Pontifici acquieverunt, non verò septemtrionalis Provincia, nec *omnis natio Pictorum*. Ex his partibus, nempe ex Hiiensi Monasterio, Oswaldus Rex præceptorem accivit Aidanum Episcopum, qui multas Ecclesias apud Anglos, nec pauca Monasteria construxit: atque ad ejus ritum *parvuli Anglorum unà cum majoribus* apud Northumbros, *à præceptoribus Scotis imbuebantur studiis, & observatione disciplinæ regularis*.

Beda lib. 2. cap. 2.

Ibid. cap. 5.

Ibid. cap. 19.

lib. 3. cap. 3.

LXXXIV In istis Aidani Monasteriis unum fuit Lindisfarnense, ubi VVilfridus educatus, tandem *paullatim adolescens animadvertit, minimè perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur à Scotis, proposuitque animo venire Romam, & qui ad Sedem Apostolicam ritus catholici sive monasteriales servarentur, videre*. Reversus in patriam Riponensi Monasterio præficitur, ubi Scotici Instituti degebant Monachi. *Sed quia illi postmodùm, data sibi optione, magis loco cedere, quàm suam mutare consuetudinem volebant*, ab Alchfrido Rege discipulo suo isti loco præfectus est VVilfridus, *qui dignam loco & doctrinam haberet & vi-*

lib. 5. cap. 20.

lib. 3. cap. 25.

vitam. Ibi celebris conflictus præsente Rege, præter alios multos, de Scoticis ritibus initus est VVilfridum inter, & Colmannum Episcopum eorum defensorem, qui in Lindisfarnensi Monasterio sedem fixerat. Scoti cùm causâ ibid. cap. 26. cecidissent, nihilominus Colmannus, *Columbæ*, inquit, *& Scotorum vitam, mores & disciplinam sequi non desisto*. At ipse *videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam, assumtis his, qui se sequi voluerunt, id est qui Pascha Catholicum, & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam regressus est*. Hæc anno DC.LXIV. contigêre. Anno sequenti *VVilfridus jam Episcopus factus*, in Ecclesia Eboracensi ita ritus Romanos promovit, *ut crescente per dies institutione catholica, Scoti omnes, qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut suam redirent ad patriam*. Sic factum est, ut apud Northumbros monachi omnes qui *Columbæ Regulam ac præcepta* sectabantur, cum ritibus Romanis Benedictinam amplecterentur: qua de re VVilfridus apud Eddium, & VVillelmum Malmesburiensem gloriatur. ibid. cap. 25. sub finem. Colmannus porrò ad suos reversus, *tulit secum omnes, quos in Lindisfarnensium insula congregaverat, Scotos, sed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui utrique monachicæ conversationis studiis erant imbuti*. Deinde *secessit in insulam Vitulæ albæ*, ubi *construxit Monasterium, & Monachos inibi, quos de utraque natione collectos adduxerat, collocavit*. Sed *cùm invicem concordare non possent*, Monasterium *in insula Mageo* construxit, atque *Anglos ibidem collocavit, relictis in præfata insula Scotis*. lib. 4. cap. 4.

LXXXV *Crevit magnopere Magense* Asceterium, *& conversis jam dudum*, inquit Beda, *ad meliora instituta omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de provincia ibidem collecti, ad exemplum Venerabilium Patrum sub Regula & Abbate Canonico in magna continentia & sinceritate proprio labore manuum vivunt*; id est sub regula S. Benedicti, ad exemplum aliorum Patrum, qui apud Anglos tunc eâ informati erant. Hæc mutatio accidit sub annum DC.LXX., at paullò seriùs ad Hiienses: quorum Abbas Adamnanus, *cùm legationis gratiâ missus à sua gente venisset ad Aldfridum Regem Anglorum, & aliquamdiu in ea provincia moratus, videret ritus Canonicos; sed & à pluribus admonitus, ne contra universalem Ecclesiæ morem vel in observantia paschali, vel in aliis quibusque decretis, cum suis paucissimis, & in extremo mundi angulo positis vivere præsumeret, mutatus mente est, ita ut ea, quæ viderat, & audierat in Ecclesiis Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissimè præferret*. Inter alia Monasteria Adamnanus visitavit VViremuthense, de quo superiùs, teste Ceolfrido Abbate in epistola ad Naitonum Pictorum Regem, apud quem tandem obtinuit Ceolfridus, ut ritus etiam Latini à Pictis susciperentur, agente etiam Egberto *sanctissimo Sacerdote de natione Anglorum, qui in Hibernia diutiùs exsulaverat pro Christo*. Egberti factum Beda refert ad annum DCC.XVI. lib. 5. cap. 16. ibid. cap. 22. lib. 3. cap. 4.

LXXXVI Ex his omnibus apparet, quanta fuerit Brittonum, & Scotorum in ritibus suis pervicacia, quam aliena mens ab Augustino ejusque discipulis, ac ritibus Romanis: quod egregiè confirmat Althelmi seu Aldhelmi tunc Abbatis, posteà Schireburnensis Antistitis, epistola ad Geruntium Regem, quæ est inter Bonifacianas quadragesima quarta. *Illud verò*, ait, *quàm valdè à Fide catholica discrepat, & ab evangelica traditione discordat, quòd ultra Sabrinæ fluminis fretum Demetarum Sacerdotes de privata propria conversationis munditia gloriantes, nostram conversationem magnopere abominantur, in tantum ut nec in Ecclesia nobiscum orationum officia celebrare, nec ad mensam ciborum fercula pro caritatis gratia pariter percipere dignentur. Quinimo fragmenta ferculorum, & reliquias epularum, lurconum canum rictibus, & immundis devorandas porcis projiciunt*.

ciunt. Vascula quoque, & phialas, aut arenosis sablonum glareis, aut fulvis favillarum cineribus expianda purgandaque præcipiunt. Non salutatio pacifica præbetur, non osculum piæ fraternitatis offertur.... Ast verò si quilibet de nostris, id est catholicis, ad eos habitandi gratiâ perrexerint, non priùs ad consortium sodalitatis suæ adsciscere dignantur, quàm quadraginta dierum spatia in pænitendo peragere compellantur. Hæc Aldhelmus mandato cujusdam Concilii scribebat sub annum DCC., quo proinde tempore multi præfractè Scoticis ritibus adhærebant, Romanis necdum receptis. At sæculo octavo tandem effectum est, ut crudam plerique omnes contumaciam deposuerint. Sanè eo sæculo apud Keltram in Momonia Hiberniæ provincia degebant Monachi ex Nostris, testante Kilieno illius temporis auctore in libro metrico de S. Brigidæ vita apud Bollandum.

Febr. tom. I. p. 153. n. 63.

Altera valde mihi virtus miranda videtur,
Quæ fuit in magna Sinanni fluminis unda:
Intra quam Keltra est, conventus ritè virorum
Prudentum, sacro Benedicti dogmate florens.

Hoc carmen octavô sæculo scriptum esse, colligimus ex ejus præfatione, quæ in codice Remigiano tempore Ebonis Archiepiscopi Remensis scripto reperitur. Ita pedetentim compressa est Scotorum singularis institutio: cujus tamen reliquiæ, etiam imperante Ludovico Pio, quædam supererant in Landevenecensi minoris Britanniæ cœnobio. Siquidem ejus loci monachis idem Imperator præcepit, ut abjectâ Scotorum tonsurâ, Regulam S. Benedicti sequerentur, ut ex Actis S. VVinwaloei ostendimus in Præfatione Sæculi I. num. LXIX. Sed de his satis superque satis: nescio, an minùs ingrata erunt, quæ sequuntur.

§. VI.

Observationes Ecclesiasticæ, & Historicæ, de Canonizatione Sanctorum, Indulgentiis, & de Cultu, ac Rosario B. Virginis &c.

LXXXVII Inter alia, quæ sæculi decimi religionem probant, illud non prætermittendum, quòd ad referenda in Sanctorum classem nova Piorum nomina postulata est Romani Pontificis auctoritas. Scio Bellarminum, & alios viros doctos in ea fuisse persuasione, hujusce moris originem ad S. Suidbertum, id est ad sæculum VIII., esse revocandam. At cùm eorum fundamentum falsis actis atque litteris innitatur; non ante hoc sæculum decimum indubitata ejus rei exempla reperire licet. Sed quia hæc quæstio aliquanti momenti est, eam paullò latiùs explicare juvat, & quidem historico non dogmatico illo modo, quo usi sunt Bellarminus, & alii post eum in tractando hoc argumento.

Atque

Atque utà vocabulo *Canonizationis*, quod jam in vulgarem ac sollemnem usum venit, dicendi initium faciam, illud minùs antiquum est, quàm res ipsa, nec ante sæculum duodecimum inventum; postquam videlicet ad authenticam inter Sanctos relationem summi Pontificis suffragium requisitum est. Hoc quippe vocabulo usus est inter primos Udalricus Constantiensis Episcopus in epistola ad Callixtum II. pro canonizatione Conradi Episcopi, & aliquanto pòst Alexander III. in Bulla de canonizatione Eduardi Angliæ Regis anno MC.LXI., itemque sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi post annos undecim: sed & eo tempore Petrus Cellensis, & alii auctores, ut mox videbimus. Nominis ratio per se ipsa patet: neque enim aliud est Canonizatio, quàm in canonem seu in album Sanctorum relatio. LXXXVIII

Est autem Canon duplex: alius personarum, alius librorum, qui etiam *canonizati* non rarò leguntur, cùm in librorum approbatorum seu authenticorum classem referuntur. Antiquior est hujus vocis usus apud Græcos. Nam apud Athanasium τὰ κανονιζόμενα βιβλία legitur, & apud alios. Hujus canonizationis veluti forma seu quidam effectus erat, cùm œcumenica Concilia inter Missarum sollemnia in ambone seu pulpito quondam prædicabantur, & in sacris diptychis perlegebantur ab Episcopo, vel ab alio, cui vices suas ipse delegasset, qua de re lege sis Notas eximii viri Henrici Valesii in Evagrium. Apud Latinos etiam hæc vox transiit, ubi de libris sacris, vel canonica auctoritate approbatis actum est: quo modo Liutwardus Vercellensis Episcopus Notkeri Balbuli *Sequentias canonizasse* traditur apud Ekkehardum Minimum in libro de Notkeri vita cap. 16. & Gerlaci Eremitæ *grandia volumina* ab Eugenio Papa *canonizata*, *& inter scripturas sacras commemorata* leguntur in ejus vita cap. 8., ut eruditissimus Cangius adnotavit. In his libris, qui tam sollemni modo approbati erant, quidquam detrahere aut addere nefas arbitrabantur. Unde Fratribus Minoribus, sub annum MCCC. VIII., quamdam à Regula sua relaxationem petentibus, Papa respondit, Regulam S. Francisci *canonizatam se nolle sensu aliquo violare*. LXXXIX

Vales. in Evagr. lib. 4. cap. 11.

Canon personarum duplex: unus vivorum, alius mortuorum; isque bipartitus, nempe Sanctorum, & aliarum Personarum illustrium. Canon Missæ, seu sacra diptycha Sanctos: alius canon, seu alia diptycha, promiscua & minùs sacra, ceteros complectebantur. Canonis etiam nomine censenda sunt tum Kalendaria, tum Martyrologia, in quibus Sanctorum nomina descripta sunt publica auctoritate. Et hoc præcipuè modo facta est ab annis sexcentis Sanctorum canonizatio, cùm scilicet eorum nomina in Sanctorum album relata sunt, facultate concessa, ut publico cultu in Ecclesia honorarentur. Nulli enim ab eo tempore in Missæ canone adscribi meruerunt. Idem ergo est Sanctum canonizari, atque in Sanctorum numerum referri. Id patet ex epistola Nicolai Anglicani monachi ad Petrum Cellensem in hæc verba: *Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, & post eum verborum jacula emittere, quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano judicio exemtus*, quod iisdem ferè verbis declarat Alexander Papa III. in literis de canonizatione S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, quem *in capite jejunii*, inquit, *deliberato Fratrum nostrorum consilio canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum catalogo adscribendum* anno MC.LXXII. Biennio elapso idem Alexander in litteris ad Regem Franciæ pro S. Bernardi Abbatis canonizatione missis, ait se decrevisse eum *canonizandum*. Paullò pòst Lucius III. scribit Petro Abbati Cisterciensi, aliisque, qui eum de *canonizando* piæ memoriæ Petro, quondam Taren- XC

apud Petrum Cellen. lib. 9. epist. 9.

rentasiensi Episcopo, sollicitaverunt sub annum MC. LXXX. Id tandem præstitit Cælestinus III., qui jam dictum venerabilem virum de communi Fratrum consilio *canonizavit, & canonizatum universæ Ecclesiæ* per sua scripta denuntiavit anno MC. XCI., statuens insuper, ut ejusdem Petri memoria quotannis tertio Idus Septembris, quo *gloriosum corpus ejus de sepulcro levatum* fuerat, sollemniter celebraretur. Idem Pontifex Bernwardum Hildenesheimensem Episcopum anno MC. XCIII. *in catalogo sanctorum amodò numerandum* decrevit, & *sacratissimum corpus ejus de terræ gremio erigendum, & inter sanctorum memorias veneratione condigna collocandum*. Sicque *beatus Confessor in sabbato ante natale Domini sollemniter canonizatur*. Quadriennio antè Clemens III. Ottonem Babenbergensem Episcopum *canonizatum* declaravit. Deinceps *canonizationis* vocabulum in promiscuo usu fuit. Sed ante hos omnes Fredericus AEnobarbus diploma edidit *pro elevatione & exaltatione* corporis Caroli M. *atque canonizatione*. Hanc elevationem auctoritate Paschalis pseudopontificis ab Episcopis fieri curavit anno MC. LXV., quo ferè tempore Anonymus in prologo de vita Stephani Abbatis Obazinensis ait, Stephanum nondum inter sanctos *canonizatum fuisse*.

XCI Nunc de personis, quibus canonizandi potestas competit, agendum: sed priùs distinguenda sunt tria tempora, unum ab exordio Ecclesiæ ad sæculum decimum: alterum a sæculo X. ad Alexandrum III. hujus nominis Pontificem: tertium ab Alexandro ad nostrum usque tempus. Primo intervallo hæc facultas maximè Episcopis in sua cuique diœcesi tributa est cum populi suffragio: deinde verò cum Synodi & Principis consensu. Secundo summi Pontificis auctoritas petita est, ita tamen, ut Episcopi etiam morem pristinum retinerent. Tertio soli Romano Pontifici canonizandi facultas reservata est seclusis Episcopis, sed non Concilio Generali. Istorum omnium probationes inferiùs venient.

XCII Prætereà canonizatio alia generalis, alia particularis dici potest. Hæc ab aliquo Episcopo seu ab Ecclesia vel Synodo particulari fiebat: illa ab œcumenico Concilio, aut à Summo Pontifice sanctum aliquem toti Ecclesiæ declarante. Generalis ejusmodi canonizationis nullum (quod quidem sciam) vestigium apparet ante sæculum X. Particularis sola in usu erat, quæ tamen, accedente totius Ecclesiæ consensu & approbatione, generalis evadebat. At quædam generalis communi omnium Ecclesiarum consensu canonizatio facta est Sanctorum quorumdam maximè illustrium: qualis est Beatissimæ Virginis Deiparæ & Apostolorum. Quælibet porrò Ecclesia particularis descriptum habebat Sanctorum suorum catalogum: donec, confirmata Ecclesiæ pace, omnium collectio facta est, primò quidem per Eusebium, deinde per quemdam sub nomine Hieronymi; posteà per Bedam, Wandalbertum, Usuardum, Adonem, Notkerum, & alios, de quibus in Sæculi superioris Præfatione prima diximus: ubi observavimus, Ecclesiam Romanam proprium martyrologium ante sæculum octavum habuisse.

XCIII In primis facta est Martyrum canonizatio, paullò seriùs Confessorum. Ad illam pertinet Cypriani epistola 97., qua clerum Ecclesiæ suæ admonet, ut dies eorum, qui martyrio vitam finiissent, Ecclesiasticis tabulis sedulò adnotarentur, *quò commemorationes eorum*, inquit, *inter memorias martyrum celebrare possimus*. Non immoror congerendis de prisco Martyrum cultu testimoniis, quæ cuivis obvia esse possunt. Non tamen sinè delectu quorumlibet Martyrum cultus inductus est, tum quia hæretici, inprimis Montanistæ & Donatistæ, Martyres suos & ipsi venditabant: tum quia erratum aliquando in

Eusab. lib. 5. cap. 15.

in falsis Martyribus subrepere poterat, ut apud Severum Sulpicium in libro de Vita S. Martini, ubi de illo latrone, in quo Deus non diu sivit Ecclesiam ludificari: tum quia Episcopi Martyres non satis notos aut probatos inter veros Martyres coli haud patiebantur. Cùm enim vulgus quoslibet injustè cæsos pro martyribus aliquando haberet, ut alibi observavimus; maximè intererat vulgi judicium ad censuram Ecclesiæ revocare, ne error demum in superstitionem convalesceret. Quapropter maximè necessarius erat in his delectus. Unde in Romana Ecclesia instituti fuerant à Clemente primo septem Notarii, qui acta Martyrum scriptis exciperent. Fabianus verò totidem Subdiaconos instituisse fertur, qui res gestas Martyrum, à septem illis notariis scriptas, in ordinem redigerent. Memorabile hoc in argumento est, quod de actis S. Vigilii Episcopi Tridentini & Martyris legitur in veteri codice ms. quorum actorum exemplum ad Romanum Pontificem transmissum est, ut in classem ejusmodi sacrorum actorum admitteretur. Hæc verba sunt antiqui codicis, quem clarissimus Obrechtus, Argentoratensis urbis Advocatus Generalis, nobis pro sua humanitate commodavit. *Gesta verò beatissimi Martyris, ut moris erat, urbis Romæ Episcopo transmissa est, ut sacris Martyrum memoralibus inderetur; qua suscepta, venerabilis Papa legens, cum omni veneratione suscepit.* In istorum fine actorum sic legimus. *Passus est autem S. Vigilius Episcopus VI. Kal. Julias, qui egit Episcopatum in urbe Tredentina XII. anno Stilicone consule.* Stilico anno CCCC. consulatum gerere cœpit. Quo tempore acta hæc, quæ bonæ notæ videntur, scripta sint, non omnino liquet. Codex membraneus superat annos septingentos: ac proinde sæculo quinto, vel certè non multò pòst, acta Martyrum, saltem ex Italia ad Romanum Pontificem *ex more* mittebantur, ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano scrinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romanæ Ecclesiæ diptychis Martyres locum obtinerent. Primum colligimus ex superioribus verbis, ubi Papa S. Vigilii acta *legisse*, & *cum omni veneratione suscepisse* perhibetur. Alterum verò ex his quæ subdit actorum scriptor, nempe eo tempore, *quo gens Alamannorum Italiam crudeli gladio vastabat*, Papam Imperatori auctorem fuisse, ut beati Vigilii *gestam* (ita loquebantur) vexillo impositam contra hostes præferri curaret, quo facto, barbaris in fugam conjectis, posteà Cæsarem *gestam beatissimi Martyris* Romam retulisse, & cum Papa *areæ recondidisse*.

Etsi verò acta Martyrum cum tanto honore susciperet Ecclesia Romana, nihilo minùs ea publicè legi ex antiqua consuetudine vetat decretum Gelasii Papæ in Concilio Romano, quod decretum codices quidam Hormisdæ tribuunt. In illo decreto Pontifex suscipit quidem *gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant*, sed mox hæc subdit. *Quis ita esse Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratiâ Dei & adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundùm antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsêre, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua, aut minùs apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Mirum videri possit, si passiones Martyrum quorumcumque, in Ecclesia Romana lectæ non fuerint: cùm, etiamsi quædam dubiæ fidei essent, aliæ tamen auctoritatem præ se ferrent, utpote ex actis publicis exceptæ, etsi incerto aliquando auctore. Vèrùm fortasse suspecta erant Romanis etiam hæc acta, quòd *ab infidelibus* scripta essent. Hanc Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ *antiqua* in Gelasii decreto vocatur, XCIV

im-

impugnare videtur gravis & vetus Auctor, qui passionem Beatorum Cantianorum literis mandavit, uti exstat in prædicto codice Obrechtino, sive is auctor Maximus Taurinensis Episcopus fuerit, sive quivis alius. Passio incipit ab his verbis. *Omnia quæ à sanctis gesta sunt, vel geruntur, si quis voluerit studiosè perquirere, & sibi & plurimis, ædificationis exhibet fructum.* Et post pauca. *Scribimus ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti fuerint, quid passi sint sancti. Ostenditis vos esse catholicos, qui victorias Christi libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos qui ista inter apocryphas litteras exvolanda censetis: per quos constat canon scripturarum omnium divinarum? Numquid per eos, qui pro ipso canone occidi magìs optaverunt, quàm vinci? quid ergo tenuerunt Martyres? Fidem rectam, quæ sacris voluminibus certo librorum numero continetur. Agunt illis gratias apices sacratissimi, qui per eorum perseverantiam perseverant. Et ideò volunt eorum gesta conscribi, ut in conspectu Dei & hominum semper laudentur sancti, qui in conspectu incredulorum pro eorum defensione tormenta inmania pertulerunt. Nihil præter scripturas canonicas recipientes, ista studiosè conscripsimus, ostendentes dogma catholicum, per catholicos martyres custoditum. Exemplum posteris damus, ædificationem credentibus tradimus, artem belli Christi militibus demonstramus. Constat eos nolle pugnare si necesse sit, qui nolunt legere pugnatores. Impercut silentium infidelibus, spectent pugiles diabolicos, qui athletas Domini spectare contemnunt. Nos divinas virtutes loquimur, scribimus, prædicamus.* Hæc fusè retulimus, tum ut genius auctoris cognitus fiat, tum ut intelligatur, alium in aliis * Ecclesiis, quam in Romana usum obtinuisse, ut acta Martyrum publicè legerentur & prædicarentur, quorum tamen nomina, si non acta ipsa, Ecclesiæ Romanæ Antistites studiosè perquirebant, & ad alias Ecclesias transmittebant, ut ex Adonis Martyrologio discimus. Quicquid sit, negari non potest magnam fuisse in recipiendis Martyrum actis cautionem in Ecclesia Romana, ut ex dictis, & ex Gelasii decreto manifestum est.

* V. Conc. Carthag. 3. cap. 13.

XCV Magnam etiam cautionem adhibebant Episcopi etiam aliarum regionum inter se se: immo etiam Fideles ipsi, aliquem pro Martyre coli vix ferebant, nisi acta martyrium indubitata contestarentur. Hinc est, quòd Lucilla Matrona à Cæciliano tum archidiacono correpta est, *quæ ante spiritualem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen martyris, libare dicebatur: & cùm præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati*, apud Optatum in libro 1. Et in Collatione Carthaginensi Mensurius Carthaginensis Antistes, cùm Fideles nonnulli, persecutoribus sponte se offerentes, necati essent, *ab eis honorandis prohibuit Christianos. Vindicatos* ergo volebant martyres, id est ab Episcopis agnitos & approbatos. Quanquam apud Cyprianum in libro de Lapsis, *vindicatus* Martyr idem est atque mortuus, & de sua jam corona securus. „ Memoratu dignum est id, quod „ Cyrillo Jerosolymitano contigit occasione Ammonii monachi, quem „ cùm seditionis in Orestem Præfectum apud Alexandriam à Monachis ipsius „ Cyrilli causá excitatæ conscius, ob idque ad mortem usque suppliciis Præ„ fecti jussu excruciatus esset; mutato nomine *Thaumasium*, immo & *Marty„ rem* vocari jussit, corpore ejus in Ecclesia deposito. Sed qui modestiores „ erant ex ipsis etiam Christianis, hoc Cyrilli studium in Ammonium non „ probarunt, compertum habentes, hunc temeritatis suæ pœnas dedisse. „ Quam ob rem & Cyrillus ipse hujus rei memoriam paullatim silentio obli„ teravit „. Hæc fusiùs apud Socratem. Martinus Turonensis Episcopus suspectum habens cultum, qui falsò cuidam Martyri impendebatur, *ab his qui majo-*

Socrat. lib. 7. cap. 14.
Vita cap. 8.

majores natu erant. Presbyteris vel clericis flagitabat nomen sibi martyris & tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoveri testatus, *quòd nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset.* Itaque oratione adhibita, falsi martyris larvam detexit. Eadem ratione S. Petroclo martyri Tricassino, tametsi miraculis coruscanti, *loci homines parvum exhibebant famulatum, quòd historia passionis ejus non haberetur in promtu*, teste Gregorio Turonensi Episcopo. *Mos namque est hominum rusticorum*, addit ille, *ut Sanctos Dei, quorum agones relegunt, attentiùs venerentur.* (*Greg. Turon. lib. 1. de glor. mart. cap. 64.*) Et hæc quidem cautio nostro tempore quibusdam in locis fortasse necessaria esset, in quibus honorantur pro Martyribus aut Sanctis nonnulli, quorum vita penitus ignoratur, nec ab Ecclesia universa auctoritatem eorum cultus accepit. (*V. Acta S. Gerardi Abb. Broniens. hoc sæculo p. 261.*) Observatione digna est hac in re Gregorii Lingonensis Episcopi diligentia & religio, qui cùm videret S. Benignum Martyrem Divionensem *in magno sarcophago* conditum fuisse; putabat cum aliis, *ibi aliquem positum fuisse gentilem.* (*ibid. cap. 51.*) Eò tamen rustici convenientes, *vota dissolvebant*, & multa beneficia impetrabant. His *nullo modo credebat* Gregorius, *sed magis ne ibidem adorarent, fortiter testabatur*: donec tandem veritatis revelatione factus est certior; & à quibusdam in Italiam abeuntibus *historiam adlatam beatus Confessor accepit.* Lege factum, quod in eadem urbe accidit, à nobis relatum in superioris tomi pag. 339. Huc spectat, quod de S. Martiale Lemovicensium Apostolo memoriæ proditum est in Concilio Lemovicensi anni M.XXXI., nempe Anglos quosdam, cùm S. Martialem in Litaniis, & Martyrologiis cœnobii Cantuariensis Apostoli titulo donatum animadvertissent, non reperto libro de ejus actis, hac de re apud Patrem Monasterii expostulasse, nempe quòd Martialem diceret Apostolum, cùm ejus acta penes se non haberet. Magna verò discretione prædita est Gregorii Magni responsio ad Augustinum Anglorum Apostolum, quam hoc loco adscribere juvat. (*Gregor. M. lib. 12. epist. 31.*) Petierat Augustinus, ut reliquiæ S. Sixti Martyris sibi transmitterentur, quæ in quadam Ecclesia recondi possent, ubi corpus cujusdam S. Sixti, non satis sibi noti, asservari dicebatur. Respondit in hunc modum Gregorius post interrogationem IX. *Fecimus quod petisti quatenus populus qui in loco quodam S. Sixti Martyris corpus dixerunt venerari (quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter sanctum videtur) certa sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quòd si corpus, quod à populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat; & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se à parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur: ita reliquiæ quas petisti seorsim condendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere & incertum venerari.* Utinam hanc religionem, & prudentiam Episcopi in suis Parochiis semper observassent. Præclara est hanc in rem Concilii Carthaginensis constitutio apud Dionysium Exiguum in cap. 8. *Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros & vias, tamquam memoriæ Martyrum, constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur; ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: ut qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omni modo reprobentur.* Adde Concilii Eliberitani can. 60.

Kkk Ex

XCVI Ex illis denique, qui *innocenter* occisi sunt, quosdam *non humana conjectura, sed divina ratio martyres consecravit*, ut loquitur Willelmus Malmesburiensis. Hos inter meritò censendi sunt Leodegarius Æduensis, & Thomas Cantuariensis Pontifices, aliique nonnulli. At meritò explosum est ab Ecclesia orientali Nicephori Phocæ decretum, quo sancierat, ut milites, qui in bello occubuissent, eodem honore afficerentur ac martyres, testante Curopalate, & post eum Balsamone. Sic quosdam *irruentibus latrunculis cæsos, in Martyres credula consecravit antiquitas*: cujus rei multa exempla suppetunt. Præclarè ad hunc locum Optatus Milevitanus in lib. 3. *Quare debetis intendere, ne temerarium sit eos martyres appellare, qui Christianorum nullum senserint bellum.*

Willelm. Malm. lib. 2. de Reg. c. 13. fol. 49.

Item lib. 2. de Pontif. c. 5. fol. 135. Sæc. 4. Bened. tom. 2. p. 512. & seq.

XCVII Ut Martyribus, sic etiam Confessoribus honos publico cultu delatus ab Ecclesia est. Id fieri cœptum sæculo quarto, quo tempore S. Antonius sepulturam suam ignoto loco parari jussit, *ne Pergamius, qui in iis locis ditissimus erat, martyrium*, id est ædiculam sacram, super tumulum suum *fabricaret*. Ex quo intelligitur eum ritum jam occœpisse. Hilarion ejus discipulus, dum in Cypro versaretur, ait Sozomenus, fortè obiit mortem: à cujus insulæ indigenis tumulo conditus est, ac magno in honore ac veneratione habitus. „ Posteà verò Hesichas ipsius discipulus reliquias illius „ clam abreptas deportavit in Palæstinam, inque suo Monasterio sepeli„ vit: quo ex tempore dies festus maximâ hominum frequentiâ & sum„ mo splendore quotannis ab indigenis celebratus est. Addit Sozomenus, „ Palæstinis id in more positum fuisse, bonos ac pios viros, qui apud „ ipsos vixerint, eo honoris genere afficere; quod quidem erga Abrilium, „ Anthedonium, Alexionem, & Alaphionem monachos, qui exemplis & „ verbis suis gentem illam ad Christianam Religionem adduxerant, decla„ raverint. Sub idem tempus Nilammon perfectæ vitæ monachus, cùm à „ Theopilo Alexandrino Gerarum Episcopatum suscipere cogeretur, im„ petratis unius diei induciis, in oratione spiritum Deo reddidit: cujus „ corpus involutum, ait Socrates, quibus oportebat, publicâ sepulturâ di„ gnati sunt, ac templum super illius sepulcrum (quod *martyrium* Hie„ ronymus in vita S. Hilarionis appellat) indigenæ construxerunt, & ma„ gna cum sollemnitate adhuc diem mortis ejus celebrant. Hæc quidem „ sæculo IV., at insequenti magnopere auctus est Confessorum cultus, „ auctore Theodorito, apud quem Marcianus, cui multi Oratoria variis „ in locis ædificarunt; Theodosius Antiochenus itidem monachus, in æde „ sanctorum Martyrum depositus, eâdemque ipsâ, qua divinus ac beatus „ Aphraates, arcâ conditus; Macedonius etiam & Maro monachi piissimi „ consimili honore affecti sunt „. Ita res in Oriente se habebant, dum Occidentales Martinum & Hilarium Episcopos, aliosque præcipuæ sanctitatis Confessores venerabantur. In Africana tamen Ecclesia paucis admodùm Confessoribus is honos tribuebatur sæculo quinto, ut colligitur ex Calendario Carthaginensis Ecclesiæ, quod in tertio Analectorum tomo vulgatum est. In Missali Mozarabum oblatio in Missa fiebat pro *spiritibus pausantium* Confessorum, paullò seciùs quàm pro Martyribus, quorum commemoratio fiebat. Eodem tamen modo ante annos octingentos Confessores quidam insigniores, Martinus, Augustinus, Gregorius, Benedictus, & alii similes celebrabantur: sed posteà solis Martyribus hic honor relictus est, tametsi defunctis sua etiam servata commemoratio. Verùm apud Augustinum, *Notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales* ad

Hieron. in vita S. Hilarion.

Sozom. lib. 3. cap. 13.

Socrat. lib. 8. cap. 19.

Hist. relig. cap. 3. cap. 10. cap. 13. ibid.

August. de virgin. c. 45.

ad altaris sacramenta recitentur, nempe *eo loco recitantur ad altare Dei*, ut alibi dicit, *ubi non pro ipsis oratur, sicut pro ceteris defunctis*, alia enim erat diptycha Sanctorum, alia Fidelium defunctorum, alia Vivorum. [*Idem serm. 17. de verb. Apost.*] Lege Cypriani epistolam 34. & Dionysii librum de cælesti Hierarchia cap. 3. Meritò itaque in Synodo Atrebatensi damnati sunt quidam hæretici, asserentes, solis Apostolis & Martyribus venerationem ab Ecclesia impendendam; etsi enim [*Spicil. t. 13. pag. 47.*] Confessores *non senserint gladium*, tamen per vitæ meritum Deo digno martyrio non privantur: quia martyrium non solùm effusione sanguinis, sed abstinentiâ peccatorum perficitur; & ipsi gloriâ Martyrum non carent; quia & voto & virtute & potuerunt esse Martyres, & voluerunt.

Hunc honorem sive Martyribus, sive Confessoribus tribuere, Episcoporum erat (ut Bellarminus ipse agnoscit) in sua cujusque Ecclesia. Id verò fiebat tum communi populi consensu, tum erectione altaris vel oratorii super eorum tumulum, tum denique corporum elevatione. De oratoriorum erectione perspicua jam loca retulimus ex Socrate, Sozomeno, & Theodorito: quibus fidem facit Ammianus Marcellinus, tametsi profanus. *Dilaniata*, inquit, *cadavera peremtorum camelis imposita vexit ad litus* gentilium multitudo, [*Ammianus lib. 22. cap. 11*] *iisdemque subdito igne crematis, cineres projecit in mare*, nempe Dracontii & Diodori, *id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis ædes eis construerentur ut reliquis, qui deviare à religione compulsi, pertulêre cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi; & nunc martyres appellantur*. Hinc apud eumdem auctorem Basilicæ Christianorum a Gentilibus *sepulcra* dicta sunt. [*Ibid.*] Atque ob eam fortasse rationem cautum est, ne iis in locis, in quibus dubium esset aliquos non sanctos fuisse sepultos, oratoria construerentur, ne videlicet inter Sanctos ignoti ejusmodi homines colerentur, & Gregorius M. permittit S. Agathæ reliquias in Ecclesia quadam collocari, *dummodò nullum corpus ibi constet humatum*. [*Gregor. M. lib. 2. epist. 9. Ind. 10.*] Leo Marsicanus in Chronico Casinensi testis est, oratorium fuisse constructum *supra corpus Landenolfi Principis*, qui innocens trucidatus fuerat, & miraculis coruscare dicebatur. [*Id. lib. 1. epist. 52.*] [*Chron. Casin. lib. 2. cap. 57.*] At verò cùm in una eademque Ecclesia diversa Sanctorum corpora humata essent, singula singulis erecta sunt altaria, ut suus cuique honor competeret. Tredecim in una Ecclesia erant Gregorii M. ætate. Denique falsò illi martyri apud Severum Sulpicium in vita S. Martini, *altare à superioribus Episcopis constitutum habebatur*, [*Greg. M. lib. 5. epist. 50*] quod S. Mayolo Abbati Cluniacensi paullò post ejus mortem, atque S. Romualdo *post quinquennium ab ejus obitu* concessum est, testante Petro Damiani. Ritum describit Prudentius de S. Vincentio ita canens:

Sed mox subactis hostibus
Jam pace cunctis reddita;
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cælestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.

Ejusmodi altarium seu oratoriorum erectionem consequebatur festivitas in honorem Sanctorum ab Episcopis instituta, de quibus Tertullianus in libro de Corona militis cap. 3., Cyprianus in epist. 34. & 37., Eusebius in lib. 4. cap. 14., & alii. Confer observationes hac de re nostras in Præfatione sæculi 2. ubi Martyres in cœmeteriis, priusquàm oratoria condere liceret, sepultos & cultos fuisse demonstratur. [*Præf. sæc. 2. num. 44. & seq.*] Ibidem etiam animadvertere licet Sanctorum tu-

mulos, ædiculis superstructis, quas *ciboria*, *fredas*, & *repas* appellabant: quo
Brower. Sidera Germ. tom. 2. p. 78. in genere insignis fuit Epiphanii Ticinensis Episcopi tumulus, à vetusto auctore descriptus in hunc modum. *Primò sancti Patris sepulcrum sollerti diligentiâ usquequaque perlustrantes, vident quòd hypogeo specu ad quinque pedes sarcophagus, ut pòst claruit, infossus, desuper marmore fulciebatur, quadrato insuper adhuc muro exstructo. Columna quoque nihilominùs marmorea, altaris vice ejus honori dicata simul & nomini, caput versùs stabat erecta, basis parte sarcophagum occupans, ut geminam præstaret gratiam, decorem scilicet, & munimen.* Ita sancti Epiphanii sepulcrum sæculo X. se habebat Ticini, quo tempore ejus corpus Hildenesheimum translatum memoratur, Ottone M. imperante.

XCIX Ad elevationem corporum quod attinet, non tam antiqua est ejus institutio ad canonizationem, quin & ritus diversus. Sanctorum tumulos ornari primùm mos erat. Cùm verò ad elevationes ventum est, non in summum locum, sed super pavimentum erecti sunt loculi Sanctorum. Id de sanctis Agricola & Vitale apud Bononiam Italiæ urbem crucifixis tradit Gregorius Turonensis Episcopus, *quorum sepulcra super terram sunt* collocata. Ita etiam Lindisfarnenses corpus S. Cuthberti Episcopi è tumulo efferre volentes, rem ad Eadbertum antistitem referunt, isque annuit eo pacto, ut sacra ejus ossa *in novo recondita loculo, in eodem quidem loco, sed supra pavimentum dignæ venerationis gratiâ locarent*, teste Beda. *Beda lib. 4. cap. 30.* Huc spectant quæ ad vitam S. Othmari adnotavimus, sed maximè in Præfatione sæculi 3. ubi hoc argumentum fusè *Sæc. 3. part. 2. pag. 161.* tractatum est. Aliorum corpora extra Ecclesiam sepulta, novis induta vestibus in Ecclesiam inferebant, & novo tumulo ad eum modum recondebant, *Beda lib. 4. cap. 19.* ut de sancta Ethildrita idem auctor memorat. Alia exempla retulimus aliàs. Translationibus de loco in locum, ne causâ nundinationis id fieri contingeret, occurrit Carolus Magnus, condito Capitulari ad annum DCCCI. de Sanctis noviter inventis, *ut nisi Episcopo probante* minimè colerentur, *salva de hoc & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate*. Et Concilium Moguntinum anni DCCC.XIII. in canone 51. *Deinceps verò corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sinè consilio Principis, vel Episcoporum & sanctæ Synodi licentia*. Id observatum in translatione corporis S. Hucberti, ex urbe *Sæc. 4. parte 1. pag. 629.* Leodico in Monasterium Andaginense translati, Adalbaldi Coloniensis Archiepiscopi permissu, annuente Ludovico Augusto, qui rem ad Patres Aquisgrani tunc congregatos retulit. Hæc anno DCCC. XXV. contigêre. Ante biennium S. Ursmari Abbatis Laubiensis *elevatio facta est jussu & permissu ejus, qui* *Spicil. tom. 6. pag. 554.* *tum erat Cameracensis Episcopus*, scilicet Halitgarii; *expletaque elevatione, diem illum festivum duxêre*, ait Folgicinus in Chronico Laubiensi, *& posteris celebrem esse sanxêre*. Eodem ferè tempore, id est anno DCCC. XXVIII., *consulto Stephano reverentissimo Tarvenensis Ecclesiæ Episcopo*, elatum est corpus *Sæc. 4. par. 1. pag. 629.* S. Folquini ejusdem sedis Antistitis; *elevatisque sancti corporis membris, in loco tumuli altare constructo, diem illam omnibus cantibus & gaudiis duxêre festivam*. *Sæc. 3. par. 2. pag. 164.* Et anno DCCC. LXV. S. Othmari Abbatis elevatio, annuente Salomone Episcopo Constantiensi & Synodo, facta est. Denique sub annum *Balderic. lib. 1. cap. 35.* CM. L. referente Balderico in Chronico Cameracensi, cùm Hadulfi Episcopi sanctitas multis portentis ostensa esset, æditüus Engramno Episcopo rem propalavit, *qui testem idoneum animadvertens, sanctum corpus levavit, & verbo facto ad populum beati Hadulfi sollemnia in numero Sanctorum notificavit*.

C Ab eo tempore Romani Pontificis auctoritas ad religiosa ejusmodi facta requiri cœpit à nonnullis: sed ita tamen, ut Episcopi, præsertim metropolitani, aliis in locis antiquam hac in re facultatem retinerent. Scio Bellarminum

minum & alios id altiùs referre, nempe ad Pontificatum Leonis III., qui S. Svidbertum Episcopum regnante Carolo Magno Sanctorum catalogo adscripsisse fertur. Editæ sunt apud Surium litteræ tum Rixfridi Trajectensis ad Rhenum Episcopi ad Ludgerum Monasteriensem, petentis, *ut modum & ordinem elevationis & canonizationis* istius scriptis mandaret: tum ipsius Ludgeri id ipsum exsequentis. Verùm has litteras ficticias esse demonstravimus in Sæculo 3. Non majoris momenti esse videtur sancti Albani Martyris canonizatio, quæ ab Hadriano Papa anno DCC. XCIV. per Offam Merciorum Regem obtenta dicitur apud Spelmannum: tum quia longè ante istud tempus Albanus pro sancto Martyre habebatur, teste Beda: tum quia hæc narratio nullo legitimo innititur testimonio, immo (ut quidem videtur) falso. Nam in libro de vita Offæ secundi apud Matthæum Parisium, Offa dicitur convenisse Pontificem, non ad S. Albanum inter Sanctos referendum; sed *ad canonizandum & privilegiandum* ejus Monasterium *auctoritate Romani* Pontificis. Vero propiùs accedit id, quod Ekkehardus de beato Othmaro Abbate scribit, eum *auctoritate Romani Pontificis in sanctum levatum* fuisse. Quamquam hunc auctorem habita ratione sui temporis, nimirum sæculi XI., quo Romani Pontificis suffragium in levandis Sanctorum corporibus requiri solebat, locutum fuisse indè colligitur, quòd Iso Monachus, hujus elevationis oculatus & accuratus scriptor, eam à Salomone Constantiensi Episcopo factam memoret, nulla Romani Pontificis mentione facta, ut suo loco monuimus. Nec refero illuc testimonium Egilwardi monachi de translatione sancti Burchardi Episcopi Herbipolensis cum consensu Benedicti VI. & Imperatoris ab Hugone Episcopo facta: quoniam non ad canonizationem, sed ad translationem propriè pertinet.

Sec. 3. par. 1. pag. 243.
Spelm. tom. 1 Conc. p. 309.
pag. 18. col. 2
Sæc. 3. par. 2. pag. 153. & 164.
ibid. pag. 717.

Primum itaque indubitatæ fidei monumentum de sollemni per Romanum Pontificem canonizatione invenimus diploma Johannis XV., qui in frequenti Episcoporum conventu, ad preces Liutolfi Episcopi Augustani, Udalricum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum Album retulit anno DCCCC. XCV. Has Johannis litteras damus integras in fine vitæ sancti Udalrici: sed fragmentum huc adducere juvat ad probandam canonizationis formam. *Cùm conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Johanne sanctissimo Papa cum Episcopis & Presbyteris, adstantibus diaconibus & cuncto clero, surgens reverentissimus Liutolfus Augustæ Episcopus inquit. Domine sanctissime Præsul, si vobis placet, & omnibus Episcopis & Presbyteris hîc residentibus, libellus quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis Udalrici, sanctæ Ecclesiæ dudum Episcopi, & quid libitum fuerit vobis decernatur.* Iis prælectis sanxit Pontifex, *quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis Episcopi, divino cultui dicata exsistat, & in laudibus Dei diutissimè persolvendis semper valeat proficere.* Id verò à Liutolfo ea ratione factum existimamus, ut sancti Udalrici cultus, quem ipse in sola Augustensi Ecclesia instituere poterat, latiùs propagaretur auctoritate Romani Pontificis: quod alii posteà in religionem verterunt.

In Gallia quidem Richardus Corbeïæ Abbas, *missis ad Johannem XX. legatis*, ut scribit Gerardus, Adalhardi Abbatis elevationem fieri impetravit anno M.LXXIII. In Alamannia verò Nortbertus Abbas ad Sanctum Gallum, *adminiculante Henrico Imperatore & conjuge ejus Agnete, hoc obtinuit apud dominum Apostolicum, Clementem secundum, recitatâ vitâ beatæ Wiboradæ ejusque miraculis, de tamdiu neglecta re ab ipso Papa redargutus, quatenus ipsam, præeunte Theoderico Constantiensi Episcopo, canonizaret; & pro sancta haberi praeciperet,*

ret, & anniversarium ipsius diei sollemnizandum institueret, ut scribit Burchardus monachus in cap. 6. Sub hæc Leo IX. anno M. LIII. Gerardum Tulli Leucorum Episcopum, Sanctis adnumerari præcepit *annuente ac laudante Synodo Lateranensi*, decernens, ut ex hoc sanctus haberetur, colereturque IX. Kalendas Maias tam Tulli Leucorum, quàm ubique terrarum, sicut ceteri Sancti. Litteras Pontificias habes ad calcem hujus libri. Wolfgangum item Ratisponensem Antistitem eodem honore decoravit idem Pontifex; cujus item permissu elevatum est corpus sancti Bertini, tametsi inter Sanctos jam honorati, ut in Sæculo III. Benedictino legitur. *Sæc. 3. par. 1. pag. 147.*

CI Successit canonizatio Petri Anagniensis Episcopi per Paschalem II., qui compertis ejus piè factis atque miraculis per Brunonem Signiensem Episcopum, ejusdem *natalem tertio nonas Augusti sanctorum catalogo congruè celebrem* recoli mandavit anno M. CV. Post quindecim annos Udalricus Constantiensis Episcopus vitam cum miraculis sancti Conradi ejusdem Sedis Episcopi litteris mandavit, præmissâ epistolâ ad Callistum II. in qua dicit, *se pro ejusdem Conradi gloria, ut moris est Ecclesiarum, canonizanda*, Sedem Apostolicam crebris interpellasse literis, idque tandem responsi accepisse: *Vitam ejus in Concilio Generali recitandam & comprobandam: testes insuper signorum, quæ per eum fiebant seu facta sunt, adhibendos*; quod ipse hoc libro præstiterit. Ubi observandum quod dicit de more jam recepto consulendi Sedem Apostolicam super Sanctorum canonizatione; & de examine quod hac de re in Conciliis Generalibus fieri deberet: quod totidem verbis repetit Eugenius III. infrà. Postea Innocentius II. anno MC.XXXIV. Hugonem Gratianopolitanum *cognitâ vitâ ejus, & auditis quæ* per eum *fiebant miraculis, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Cardinalium, atque aliorum communicato consilio, ipsum inter sanctos, & electos honorari præcepit, & diem assumtionis ejus sollemniter celebrari*. Idem Pontifex *auditâ vitâ laudabili beati Sturmii Abbatis Fuldensis, cognitis etiam ex parte miraculis* ejus, *attestatione Episcoporum, qui de partibus Teutonicis advenerant, in plenaria Synodo apud Lateranum congregata, communicato Consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Abbatum, eumdem beatum virum inter sanctos & electos honorari præcepit, & diem depositionis ejus cum gaudio sollemniter celebrari* anno MC.XXXIX. De Henrico I. Imperatore exstant apud Gretserum Eugenii III. litteræ, qui Canonicorum Bambergensium petitionibus (*tametsi hujusmodi petitio, nisi in generalibus Conciliis admitti non soleret*) *auctoritate tamen S. R. E. acquiescens, Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant communicato Consilio*, Henrici *memoriam inter sanctos de cetero fieri, & anniversarium ipsius diem sollemniter celebrari constituit* anno MC. LII. Hæ sunt insigniores canonizationes à Romanis Pontificibus factæ ante Alexandrum III., qui earum potestatem sibi suisque successoribus reservavit primus, & post eum Innocentius III., quo ex tempore ab Episcopis nulla celebrata legitur.

Baron. ad ann. 1105. *Bolland. t. 1. April. p. 35.* *Sæc. 3. Bened. parte 2. pag. 285.* *Gretser. de Divis Bamberg. pag. 63.*

CII Per illud autem intervallum temporis, nempe à sæculo X., quo Pontifices Romani suam in Sanctis canonizandis auctoritatem interposuêre, ad Alexandrum III., nihilominùs Metropolitani antiquum morem quodammodo retinuerunt, tum annuendo simul cum Papa Sanctorum elevationi & canonizationi, tum etiam sola sua auctoritate utrumque pro sua Ecclesia præstando. Unde invento corpore sancti Bertini, cùm Bovo Abbas Sithiensis, consulto proprio Episcopo, de hac inventione & de scribendo super ea libello certiorem fecisset Widonem Remensem Antistitem, is mandavit, ut cùm hæc descripta essent, sibi referrentur; iisque relatis præcepit, ut sancti Bertini corpus

Sæc. 3. par. 1. pag. 154. *Ibid. p. 163.*

pus levaretur, uti Leo IX. annuerat. Idem contigisse puto erga sanctum Angilbertum, cujus vita & miracula ab Anschero Abbate ad Radulfum Remorum Antistitem directa sunt. Quid actum sit in elevatione corporis sancti Guiberti fundatoris Gemblacensis, docet relatio à nobis edita suo loco. Nempe anno M. XCIX. Sigebertus monachus, obtenta Abbatis sui facultate, rem ad Obertum Leodicensem Episcopum refert. Deinde *ab Henrico Archidiacono causa defertur Frederico Coloniensium Archiepiscopo*, qui *in Synodo Generali* negotio discusso, tandem postulatis annuit, ubi *Synodi Generalis* nomine intelligitur conventus præcipuorum Ecclesiæ Coloniensis Sacerdotum, aut ejus Suffraganeorum. Insignes verò præ ceteris sunt litteræ Hugonis Archiepiscopi Rotomagensis de elevatione sancti Gualterii Abbatis Pontisarensis anno MC. LIII. data, in quibus Archiepiscopus commemorat; *invitantibus, immo & cogentibus miraculis, missa super hoc legatione & assensu magnifici Remorum Archiepiscopi Samsonis, & aliquorum Galliæ Pontificum*, Theobaldo Parisiensi ejusque æquivoco Silvanectensi præsentibus, sancti Gualteri reliquias à se levatas & translatas fuisse, concessis insuper indulgentiis in eorum gratiam, *quò ipsius beati Gualterii beneficia implorarent*. Appositè ad hunc locum Gerardus Episcopus Cameracensis in Synodo Atrebatensi ad annum M. XXV. cap. II. ubi relato S. Martini facto in falsum martyrem, hæc subdit: *In talibus igitur locis, si quid huic simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicant sanctificationes, ne ritu* (sic legendus hic locus mendosus in editis) *gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur; neve sepultis temere divina solvantur, nisi per provincialem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundùm Evangelium Christi fuit.*

Sæc. 4. par. 1. pag. 123. & 130.

Hoc Sæc. pag. 311.

Itaque à sæculo X. inquisitio de Piorum meritis & miraculis facta est tum per Romanos Pontifices, tum per Episcopos & Archiepiscopos: & visis scriptis datum Diploma Pontificium vel Episcopale ad eorum sanctitatem sollemni modo declarandam. Jam verò Alexander III. id tanquam unam ex majoribus causis ad Romanum Pontificem pertinere edixit. Is pios complures vitâ functos hoc honoris titulo affecit. Eduardum Angliæ Regem anno MC. LXI., itemque Theobaldum Eremitam Vicentinum; Thomam Cantuariensem Archiepiscopum anno MC. LXXII., & post biennium Bernardum Abbatem Claræ vallensem, qui primus Cisterciensium sollemni hoc more in Sanctorum Album relatus est. CV

Ab eo tempore certi ritus ad eam celebritatem adhibiti sunt: quorum specimen in canonizatione Bernwardi Episcopi Hildenesheimensis legere licet. Alia formula recentior exstat apud Spelmannum in tomo 2. Angliæ Conciliorum. Varias varii posteà tradiderunt auctores, Jacobus Castellanus, Angelus Rocca, & alii, quos omnes uno volumine majori Carolus Felix de Matta suo modo complexus est anno MDC. LXXVIII. Gravissimè Gregorius IX. in Bulla pro canonizatione S. Antonii de Padua. *Ad hoc ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum & veritas signorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa sibi invicem contestentur: cùm nec merita sinè miraculis, nec miracula sinè meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis*. Sed hæc præter nostrum institutum: ad indulgentias, quæ Sanctorum canonizationi non raró conjunctæ sunt, veniamus. CVI

Brower. Sidera Germ. p. 57. & seqq. Spelm. t. 2. Conc. p. 713. & apud Jacob. de Graffiis decis. aur. parte 2. l. 2. cap. 13.

Indulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest: unus tempore Apostolorum, qualis fuit relaxatio ab excommunicatione incesto illi Corinthio inflicta per Apostolum Paulum: secundus tempore Martyrum, cùm ad CVII

co-

eorum preces publica quibusdam pænitentia remittebatur: tertius sub defectum pænitentiæ publicæ, quæ sæculo IX. non parùm minui cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem pœnæ peccatis impositæ, aut debitæ, quædam indulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pœnitentiæ publicæ usus: sed ea redimi vel Missis aliisque Suffragiis, vel eleemosynis, vel sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat. Patribus Concilii Cloveshoviensis anno DCC. XLVII. visa est nova pœnitentiæ per eleemosynam redemtio, *nova adinventio, periculosa consuetudo*. Quapropter *non sit*, inquiunt, *eleemosyna porrecta ad minuendam vel mutandam satisfactionem, per jejunium & reliqua expiationis opera, à Sacerdote Dei pro suis criminibus jure canonico indictam: sed magìs ad augmentandam emendationem suam, ut eò citiùs placetur divinæ indignationis ira, quam suis provocavit sibi propriis meritis*. Totum hoc capitulum, scilicet 26. integrum esset referendum, nisi brevitati studeremus.

CVIII Prævaluit tamen paullatim ejusmodi redemtio pœnitentiæ: sed posteà compendiosior visa est Indulgentiarum via. Istæ Mortuis primùm concessæ videntur. Nam Johannes Papa VIII. Indulgentiam his qui in bello contra paganos anno DCCC. LXXVIII. occubuerant, vel in futurum occumberent, concessit; eamdemque gratiam à Johanne IX. petierunt Boiariæ Episcopi pro Arnulfo Imperatore mortuo, cujus animam ipsius auctoritatis potestate absolvi postularunt. At Vivis Salomon Constantiensis Episcopus in Cœna Domini *indulgentiam dedisse* perhibetur apud Ekkehardum; id est absolutionem, quæ in cœna Domini quotannis ab Episcopo impertiri solebat.

Epist. 50. *Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 47.* *Goldast p. 47*

CIX Sed alia Indulgentiarum notio, cùm peccatorum pœna vel partim, vel omnino remittitur; unde indulgentiæ plenariæ, vel ad certum tempus definitæ. Sergius II. *indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum* omnibus, qui Ecclesiam sanctorum Silvestri & Martini visitassent, concessisse traditur. Sed vereor ut explorata sit hac de re auctoritas, quam ex marmorea tabula Baronius descripsit ad annum DCCC. XLVII. Indulgentias quidem sequenti sæculo legimus, sed non hoc modo definitas. Certior est illa, quam Salomon Constantiensis Episcopus à Papa accepit. Ille ob procuratam trium adversariorum suorum necem Romam petiit, *veniam petiturus*. A Papa *verò benignè susceptus, cùm ibi supplicans aliquamdiu moraretur, indulgentiam sibi ab eo plorans petiit. Tandem ab Apostolico indulgentiam adeptus* domum revertitur. Eamdem gratiam Udalricus Augustensis Episcopus accepisse memoratur apud Gerardum. Is quippe Romam ultimò profectus, *votorum antea ibi dispositorum promissionibus devotissimè expletis, & gravissimorum emolumentorum & indulgentiarum donis acceptis reversus est*. Ita indefinitè tunc temporis Indulgentiæ concedebantur, sequenti sæculo ad certum tempus, vel in perpetuum, & quidem passim occasione Dedicationis Ecclesiarum. Benedictus IX. anno M. XL. indulget, ut *omnis pænitens*, qui ad limina Ecclesiæ sancti Victoris Massiliensis recèns dedicatæ *tritis passibus* venerit, ecclesiæ fores sibi pateant, & indultis *facinoribus peccaminum, omnium criminum squaloribus absolutus*, liberè ad propria lætus redeat, *eo scilicet tenore, ut transacta peccata Sacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur*. At celebris præ ceteris & plena fuit Indulgentiarum gratia ab Alexandro II. impertita in Dedicatione Ecclesiæ Casinensis, nempe tam iis, quos tunc præsentes esse contigerat, quàm omnibus, qui per octo continuos dies eò conventuri essent *confessorum peccatorum absolutione* concessa. Urbanus II. anno M. XCVIII. Andegavos profectus est. *Tunc in septuagesima*, inquit Fulco Comes, *dedicata est* Ecclesia S. Nicolai ab ipso Pa-

Ekkehard. cap. 1. p. 45. *S. Udalrici vita n. 61.* *Chron. Casin. lib. 3. cap. 31.* *Spicil. to. 10. pag. 396.*

Papa: qui *edicto* jussit, ut *in eodem termino, quo dedicationem fecerat, Indictum publicum celebraretur unoquoque anno apud S. Nicolaum, & septima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur*. Idem factum anno MC.XX. à Calisto II., qui dedicata Maurinianensi prope Stampas Ecclesia, *annuam peccatorum remissionem in dedicationis anniversario constituit*. Anno MC.XLVI. Eugenius III. ad ferendas locis sacris suppetias Fideles animavit Indulgentiæ plenariæ beneficio, *ut omnium, de quibus corde contrito confessionem fecissent, indulgentiam obtinerent*, teste Bernardo, qui alibi eam *largissimam* appellat. Sæculo insequente *pænitentibus & confessis* quadraginta dies *de injunctis pœnitentiis* ab Innocentio III. relaxati his, qui ad S. Dionysium, reliquias sancti Dionysii Corinthiorum Episcopi veneraturi, accederent, uti Guillelmus Nangius testatur. Verùm Concilium Lateranense anni MCC.XV. sub eodem Innocentio Indulgentiarum frequentiam cap. 62. improbat, *quia*, inquit, *claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur*.

Chesn. to. 4. pag. 369.

Bernard. epist. 322. n. 5 V. epist. 394.

Spicil. to. 11. pag. 501.

CX Denique ex eodem auctore Bonifacius VIII., anno M. CCC. *indultum faciens concedit plenam indulgentiam peccatorum omnium cunctis verè pænitentibus & confessis, accedentibus per anni præsentis spatium, & per quemlibet affuturum annum centesimum ad beatorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas urbis Romæ voto peregrinationis humiliter & devotè*. Eadem indulgentia *omnibus verè pænitentibus* concessa est singulis quinquagenis per Clementem sextum anno M. CCC.L. testante Nangii Continuatore: quod demum ad singulos annos viginti quinque extensum est. Plenariæ id genus Indulgentiæ posteà concessæ pro felici promotione cujuslibet Pontificis, & qualibet gravi causa, sed addita sacræ communionis conditione. Nec omittendum hoc loco quòd Clemens sextus anno M.CCC.XLVIII. *absolutionem à pœna & culpa ex peste decedentibus, per suos Confessores* impertitur. Alias Clementis V. Indulgentias legesis in Spicilegii tomo IV.

Ibid. p. 809. Spicil. to. 4. p. 285. 290. & 295.

CXI Episcopi etiam jam dudum Indulgentiarum concessione usi sunt. Inter primos Pontius Arelatensis Antistes anno millesimo, cùm Montis-majoris Ecclesiam dedicasset, hanc gratiam ei largiri voluit *cum suorum Canonicorum assensu*, ut si aliquis in eam veniens fuerit talis, qui *per indictam sibi pœnitentiam non introeat Ecclesiam, nec communionem sacri corporis Christi aut osculum pacis accipiat, nec capillos sibi tondat aut radat, nec linum vestiat, nec spiritales filiolos de sancto fonte suscipiat; nec feriâ secundâ, aut quartâ, aut sextâ aliquid gustet præter panem aut aquam*: (quæ sunt pœnitentiæ publicæ signa) *hic talis ad jam dictam Ecclesiam si venerit, in die videlicet dedicationis ejus, aut semel in anno cum sua vigilia, & adjutorium dederit ad opera Ecclesiæ S. Mariæ, quæ modò noviter construitur in prælibato monte; ex parte Domini nostri Jesu Christi, & ex nostra sit absolutus ab ipso die, quo suam vigiliam fecerit, de tertia parte majorum peccatorum, unde pœnitentiam habet acceptam usque eo ad ipsum diem revertentis anni, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prælibatæ Ecclesiæ: & habeat licentiam intrandi in totas Ecclesias per totum ipsum annum, communicandi & pacem accipiendi, & tondendi & radendi, & lini vestiendi, & filiolos de sacro fonte suscipiendi, excepto quadragesimali tempore & jejuniis de quatuor temporibus. Et si tres dies de septimana sunt ei vetati per pœnitentiam, unum reddimus ei, ut comedat & bibat quod ei Deus dederit. Et si duo, unum reddimus ei: & si unus, illum reddimus ei tali tenore, ut pascat tres pauperes --- Denique illos, qui de minoribus peccatis sunt confessi, & habent acceptam pœnitentiam, si venerint ad dedicationem prædictæ Ecclesiæ, aut semel in anno cum sua*

vigilia, & cum adjutorio ad opera S. Mariæ; absolvimus de una medietate acceptâ pœnitentiæ usque ad unum annum, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prædicta Ecclesiæ. Hæc fusiùs ex Pontii epistola referre visum est, quòd multùm
Spicil. to. 6. pag. 477. conferant ad hoc argumentum illustrandum: cetera quæ sequuntur consulat, qui volet, in Spicileg. tom. 6.

CXII Ibid. p. 441. Ejusdem ferme tenoris est alia epistola Rajambaldi Episcopi pro dedicatione Ecclesiæ S. Mariæ de Correno, ut *pœnitenti, qui ad eam in consecratione* ejus advenerit, *tertiam partem pœnitentiæ* remittat Episcopus, & *Ecclesiam*, id est ejus ingressum, *usque ad caput anni* ei reddat & pacem, simulque facultatem incidendi capillos &c. quæ ad annum M.LXV. referuntur. Hanc verò potestatem Rajambaldus à *S. Petro* se accepisse dicit. Paullò aliter Anselmus Mediolanensis Pontifex, post dedicationem à se factam Ecclesiæ san-
Puricel. pag. 451. cti sepulcri, inter alia statuit, ut octo diebus ante recurrentem sollemnitatem, & octo posteà, *esset pax & treuga per totum comitatum*, ut quicumque ad ipsum Domini sepulcrum ire non potuerit, & ad istam Ecclesiam accesserit, *remissionem suorum tertiæ partis delictorum habeat*. Actum anno MC. Insignes sunt hac de re Hugonis Rotomagensis Pontificis litteræ de elevatione corporis S. Gualteri Abbatis Pontisarensis. Ea enim occasione *de pœnitentiis criminalium, quæ septennio concluduntur, piè confitentibus & verè pœnitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His verò qui annorum quatuordecim pœnitentiam susceperunt, duo anni integri, & residui temporis pars tertia condonatur: viginti autem annorum tres anni, & residui temporis pars tertia. De pœnitentiis verò quadraginta annorum & ampliùs, totam medietatem remittit, & reliquorum annorum partem tertiam condonat. De parvulis verò, qui baptizati, vel sinè baptismo infra septem annos mortui sunt per negligentiam parentum, pœnitentiam parentum ipsorum remittit, exceptâ sextâ feriâ in hebdomada: in qua etiam si pœnitens ad Ecclesiam accesserit, qualem caritatem ei Presbyter suus dederit, talem habeat. Si verò infirmus fuerit, aut mulier prægnans vel debilis, quæ jejunare non posset, dicat septies Pater noster, & faciat bonum quod potuerit. Partem denique tertiam de pœnitentia minorum peccatorum remittit, sed & oblita peccata omnino condonat*. Ex quibus omnibus intelligimus, pœnas peccantibus pro gravitate criminum ad normam veterum Canonum etiam tunc fuisse impositas, à quibus Indulgentiarum beneficio relaxatio tribuebatur.

CXIII Præter Dedicationem Ecclesiarum, & cultum quorumdam Sanctorum specialem, alia fuit etiam causa instituendi Indulgentias, nimirum constructio Ecclesiarum. Illud verò observatione dignum in lib. 2. de vita S. Stepha-
Miscel. to. 4. pag. 100. & seq. ni Abbatis Obazinensis apud Clarissimum Baluzium, quòd cùm Abbas piissimus Ecclesiæ suæ jactis fundamentis urgeretur ab Episcopo, ut ad tanti operis supplementum, „ *sicut ferè cunctis ædificantibus mos est populos commoneret* „ *litteris indulgentiarum largitate refertis*: tamen ei Vir sanctus *numquam* „ *acquiescere voluit*, dicens: Nos talem consuetudinem introducere nolu„ mus, ut populis scandalum, & nobis ignominiam adquiramus circumeun„ do Ecclesias, ostendendo beneficia, Indulgentias largiendo, quas dare non „ poterit nisi solus Deus „. Cùm verò idem domum novam alibi ædificare vellet, à quibusdam compulsus est commonitorias ejusmodi litteras à loci ejus Episcopo postulare, ut domui illi ædificandæ populus beneficia imperitiret. Episcopo annuente, litteræ scribi cœptæ. *Cúmque ventum esset ad indulgentiarum locum, mandat Abbati, quantum indulgentia his, qui in hac fraternitate se mitterent, vellet adscribi, cui ille ita remandavit. Nos, inquit, Do-*

Domine, nostra adhuc premunt peccata, nec possumus levare aliena: Quod audiens Episcopus latus erubuit, & viri Dei factum magnopere laudavit, ut certè merebatur tantus animus, à cupiditate adeò alienus.

Quod audis postulasse Episcopum, *quantum Indulgentiæ* Abbas vellet litteris adscribi: illud forsan ob id factum est, quòd tunc Indulgentiæ gratiam augere penes Episcopos staret. Posteà verò ad quadraginta dies hæc potestas contracta est ante annum M. CC. LXXXIV. Ipso namque anno Simon Bituricensis Archiepiscopus Abbatiam Angliæ Diœcesis Pictavensis visitans, multis cruce signatis pro negotio Aragoniæ, *auctoritate Domini Papæ & Legati centum dies Indulgentiæ contulit, & auctoritate sua quadraginta.* Decem tantùm indulgentiæ dies ineunte sæculo XIV. Henricus Episcopus Namnetensis iis indulget, qui remanent in Missa usque ad finem; quod Daniel ejus successor verè pœnitentibus & confessis approbat, dum tamen ab elevatione Eucharistiæ sanctæ usque ad elevationem calicis steterint genibus flexis. Adeò languens erat tunc temporis pietas, ut hoc stimulo indigeret! Longè ardentior erat sæculo decimo fides ac devotio sanctorum Antistitum Brunonis & Wolfgangi, qui etiam morte imminente, sacrum Viaticum toto *corpore* in terram *prostrato* susceperunt. Sed ut ad propositum revertar, etsi ad quadraginta dies passim redactæ essent Episcoporum Indulgentiæ; nihilominùs Johannes de Ordine Teutonicorum, Laconiensis Episcopus, Monasterium Scuteranum Diœcesis Argentinensis in Alesatia visitantibus relaxat *centum dies criminalium, & annum venialium,* anno M. CC. LXXXVIII. Generalis & plena est Indulgentia beatæ Mariæ de Portiuncula, ab erudito Baluzio edita in tomo 4. Miscellaneorum. Ut paucis finiam, Dominicus de Astallis, Episcopus Fundanus, nulla contritionis aut confessionis facta mentione, quadraginta dies de injunctis pænitentiis relaxat singulis Fidelibus Ecclesiam beati Martini in Valle Cussa visitantibus in præcipuis anni festis: qui scilicet dictam Ecclesiam, & signum crucis super imaginem beatæ Mariæ Virginis à se impressum adierint, recitatis *Pater noster* & *Ave Maria*. Sed de Indulgentiis satis. De hac Salutatione, aliisque in beatam Virginem piis officiis, quæ sæculo decimo multùm crevêre, operæ pretium est, quædam adnotare. CXIV

Ibid. p. 211.

Jodocus Coccius de Dagobert. c. 9

Ital. Sac. to. 1. col. 772.

Etsi ab ineunte Christi Ecclesia beatissimæ Virginis Mariæ cultus receptus (ut decebat) propagatusque sit; subinde tamen incrementum accepit. Neque illud insuper habendum, quòd ex quatuor primis Conciliis unum, scilicet Ephesinum, ad afferendam ipsi Matri Dei superexcellentem dignitatem coactum sit in Ecclesia eidem nuncupata, ubi multis (ut par erat) elogiis à Patribus donata est. Procedente tempore sensim in ejus honorem varia festa statuta sunt: at sæculo decimo pronior in ipsam Fidelium devotio facta est. Tria quippe sub id tempus instituta sunt, videlicet sabbato ejus memoria, & abstinentia à carnibus etiam extra jejunia; officium parvum; & numeratæ preces, seu salutationes angelicæ ad numerum dictæ, quod *Coronam* vel *Rosarium* vocant. CXV

Ante finem sæculi X. extra quadragesimam, & quatuor jejuniorum tempora, abstinentiam à carnibus sabbato non fuisse præceptam, indè liquet, quòd nullus (si non fallor) veterum ejus meminit. Certè eam non præscribunt Nicolaus I. in responsionibus quarta & quinta ad Bulgaros, neque Eadgeri leges capp. 17. 22. neque Canones Ælfrici capp. 22. & 23. Hanc porrò anno M. inductam fuisse tradit Glaber Rodulfus in lib. 4. cap. 5. & quidem in gratiarum actionem Deo ob redditam abundantiam & pacem, præceptumque, *ut omnibus hebdomadibus sanctione perpetua sexta die abstineretur à* CXVI

 vino,

vino, & carnibus septimâ, nisi fortè gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima sollemnitas interveniret. Hanc constitutionem confirmavit Gregorius Papa VII. in Concilio Romano, addita etiam exceptione *de majori festivitate vel infirmitate*. Tempore Petri Venerabilis *abstinebant Dei causâ ipsi mimi vel lixæ à carnibus omni sabbato*, ex lib. 6. epistola 15. Atqui tunc sabbatum beatissimæ Virgini speciali itulo dicatum erat. *Unde pulcher mos*, inquit Petrus Damiani, *in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut specialiter ad ejus honorem per omne sabbatum Missarum celebrentur officia, nisi fortè festivitas, vel feria quadragesimalis obsistat*. Et infrà. *Sabbatum enimverò, quod requies interpretatur, satis congruè beatissimæ Virgini dedicatur*. Nempe quòd *sapientia in ea per humilitatis assumtæ mysterium velut in sacratissimo lectulo requievit*. Eamdem ob causam Sugerius singulis sabbatis peculiarem de B. Maria commemorationem instituit, uti ipsius Constitutio probat.

Petrus Damian. opusc. 33. cap. 3. cap. 4.

Chesn. tom. 4. pag. 546.

CXVII Eodem tempore parvum Deiparæ officium in usu erat. Udalricus quippe Augustanus Episcopus, unum *Cursum in honore S. Mariæ genitricis Dei* quotidie recitabat. De eodem Officio intelligendus Continuator historiæ Virdunensis in Berengario, qui sedit principatu Ottonis Magni. Iste Berengarius ad Ecclesiam beatæ Mariæ descendens aliquando, invenit clericum quemdam solo prostratum, *beatæ Mariæ memoriam celebrantem*, id est *matutinarium beatæ Virginis cursum*, uti explicat Hugo Flaviacensis Abbas in Chronico, ubi hunc clericum Bernerium vocat, ejusdem Ecclesiæ Præpositum. De aliis duobus Clericis, qui quotidie beatissimæ Deiparæ officium recitabant, agit Petrus Damiani in lib. 6. epist. 29. Et Opusculo 10. cap. 10. Edidit ipse ejusmodi Officium, vulgatum initio tomi 4. ejus operum. Urbanus II. in Concilio Claromontano statuit, *ut horæ beatæ Mariæ quotidie dicerentur, Officiumque ejus diebus sabbati fieret*, ex Gaufrido Priore Vosiensi. Adi librum, qui *Gemma animæ* inscribitur, secundum; Consuetudines Cluniacenses; Petri Venerabilis Statutum 60., & sequentia; Acta Cenomannensium Episcoporum in Analectorum tomo 3. cap. 38., & Matthæum Parisium in Willelmo Abbate sancti Albani vigesimo secundo: ubi beatæ Mariæ cultum & officium variè à diversis institutum invenies. Hæc enim cursim tetigisse sufficiunt ad finem properanti.

Vita nu. 44.

Spicil. to. 12. pag. 263.

Labb. Bibliot. novæ tom. 2. pag. 292.

CXVIII Admonet nos hic locus agere de Salutationis Angelicæ origine & progressu, ac de pio illo precandi modo ad numerum composito, qui *Corona*, vel *Rosarium* beatæ Mariæ appellatur. Minutiora sunt hæc, fateor, sed tamen majoribus præferunt lucem, ut Canoni decimo Concilii Celichitensis, anno DCCC.XVI. in Anglia celebrati, in quo *Beltidum* nomine Rosarium significari Spelmannus existimat, quod eruditissimus Cangius in dubium revocat.

CXIX Sed antequàm id expendamus, de Salutatione Angelica quædam præmittenda sunt. Hujus duæ sunt partes: quarum una salutationem ipsam, ex verbis Gabrielis Archangeli, & Elizabethæ apud Lucam relatis contextam, continet; altera precationem, qua Fideles Beatissimæ Virginis suffragia, maximè in horam mortis, petunt. Illa antiquior, hæc longè recentior est. Quippe salutatio illa auctorem habere videtur Gregorium Magnum, qui in Offertorio (ut vocamus) Dominicæ quartæ Adventûs, eam adhibuit. Scimus eamdem referri in Liturgiis Jacobi, & aliis vulgatis: sed à posterioribus adjectam fuisse, nemo jure dubitaverit. Prima salutationis pars, quæ Angeli est, ab antiquis Patribus commendatur. Integra legitur in vita Hil-

Hildefonfi Epifcopi Toletani ante annos feptingentos ex Hifpania fub nomi- *V. Petr. Ca-*
ne Juliani Epifcopi allata. In vulgari apud Fideles ufu non videtur fuiffe *nif. lib. 3. de*
ante fæculum XI. In omnibus enim ftatutis quæ cuique, quid fciendum aut *Beata Maria*
difcendum fit, explicant, fola Oratio Dominica, & Symbolum Apoftolorum *c. 10. & feq.*
proponuntur. Eligius in homiliis ad populum ab Audoëno relatis: *Symbo-* *Sæc. 2. Bened. pag. 521*
lum & Orationem Dominicam cum fide & devotione dicite. Ita ferè apud Be-
dam in epiftola ad Egbertum à Waræo edita, in libello Pirminii Abbatis, *Analect. t. 4.*
apud Ahitonem feu Attonem Bafileenfem, Theodulfum, atque Walterum in
fuis capitularibus Aurelianenfes fæculo IX. & X. Epifcopos: ita in fermone
Leonis Papæ IV. *Attendite ut Parochianis veftris Symbolum Apoftolorum, &*
Orationem Dominicam infinuetis, quæ verba repetit etiam Ratherius Veronen-
fis Epifcopus in fua Synodica. Denique non alio modo loquuntur Concilia
Clovefhovienfe in Anglia can. 10. & Germanica, Francofordenfe, Moguntinum anni DCCC. XIII., & alia. Et ne quis dicat Salutationem Angelicam,
quæ Orationi Dominicæ à noftris adjungi folet, ipfius Orationis Dominicæ
nomine latè fumto fignificari; occurrit liber precum Hemmæ Reginæ, Lotharii Francorum Regis conjugis, in Bibliotheca Remigiana affervatus; in
quo Oratio Dominica & Symbolum integra abfque hac falutatione referuntur: uti utraque alammanicè converfa exftant in Notkeri Balbuli Pfalterio
mf. & ex eo apud Goldaftum. Venerabilis Beda ante Notkerum Sacerdotibus idiotis *hæc utraque, & Symbolum videlicet & Dominicam Orationem, in linguam Anglorum tranflatam obtulit*. Id teftatur ipfe in epiftola ad Egbertum
in qua *Fidem Catholicam, quæ Apoftolorum Symbolo continetur, & Dominicam Orationem* Fidelium memoriæ radicitus infigi poftulat, & ab idiotis *fuâ linguâ
dici ac fedulò decantari*. Denique falutatio ifta Fratribus laïcis & illiteratis
non præfcribitur in Statutis Guigonis, fed neque in Regulis Templariorum,
Carmelitarum, & Minorum, nec in Teftamento S. Francifci, nec demum
in Ritibus Humiliatorum, tefte Johanne à Vitriaco. Et Guigo quidem *trecentas orationes Dominicas* ab eis exigit pro fingulis defunctis cap. 43. ubi Orationis Dominicæ non femel, nufquam Salutationis Angelicæ meminit.

Inter primos Petrus Damiani in Opufculo 33. narrat de quodam cleri- CXX
co, qui quotidie eam recitabat ufque ad hæc verba, *in mulieribus*. Qui bre- *cap. 3. p. 252.*
ve Deiparæ officium frequentabant, hoc invitatorio ad Pfalmum XCIV. utebantur, *Ave Maria gratiâ plena Dominus tecum*, ut ex facto cujufdam clerici
aquis Sequanæ merfo legitur in nova S. Anfelmi operum editione. Apud Ci- *Anfelm. op.*
ftercienfes, quorum ab initio magna fuit in Sanctiffimam Virginem venera- *pag. 506.*
tio, Fratres converfi ejus falutationem recitare folebant, ficut intelligitur *Exord. mag. dift. 4. cap. 13*
ex libro, quod exordium magnum appellatur. Attamen ufus Ciftercienfes *Nomaft. Ciſt.*
eo tempore fcripti præcipiunt fratribus omnibus, ut *dicto Completorio fignent* *pag. 185.*
fe, & dicto amen dicant orationem Pater nofter & Credo in Deum. Quamquam
Rainaldus, Claræ vallenfis fub S. Bernardo monachus, piam hanc Salutationem moriens frequentaffe memoratur apud Herbertum cap. 1.. In inftitutio- *Inftitution.*
nibus verò fæculo XIII. collectis præcipitur, *ut nullus converfus habeat librum,* *Dift. 14. c. 2.*
*nec difcat aliquid, nifi tantùm Pater nofter, & Credo in Deum, Miferere mei
Deus, & Ave Maria*.

Odo Parifienfis Epifcopus, Mauricii ab anno MC.XCVI. fucceffor, in- CXXI
ter primos Statutum edidit in fuis conftitutionibus communibus num. 10. *Exhortentur populum femper Presbyteri ad dicendam orationem Dominicam, & Credo in Deum, & falutationem beatæ Virginis*. Idem omnino totidem verbis anno
M.CC.XLVI. præfcribitur à Decanis Ecclefiæ Rotomagenfis apud noftrum

Po-

Pomerayum. Deinceps Salutationis Angelicæ precatio ferè in legem evasit apud omnes.

CXXII Eam horâ ignitegii sub concubium ter recitari Johannes XXII. Indulgentiis datis statuit. Admisit hoc Decretum Synodus Senonensis anno M. CCC. XLVI. ita enim cap. 13. *Item auctoritate dicti Concilii præcipimus, quòd observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Johannem Papam XXII. de dicendo ter Ave Maria tempore seu horâ ignitegii: in qua ordinatione conceditur certa Indulgentia* &c. Addit Synodus *triginta dies* auctoritate sua, & Suffraganeorum *viginti dies* pro iis qui tunc *Pater noster & Ave Maria* persolverint pro Ecclesia, Rege, ac regia familia, regnique statu. Posteà idem ritus inductus est ad matutinum tempus, & mediam diem. In Synodo Vaurensi anni M. CCC. LXVIII. rectoribus & curatis Parochiarum sub pœna excommunicationis præcipitur cap. 127., ut circa solis ortum *pulsari faciant unam campanam* eo modo, quo ad noctem pulsari solebat: & tunc iis, qui in honorem quinque vulnerum Christi Domini quinquies Orationem Dominicam, atque septies angelicam salutationem *genibus flexis* dixerint, *triginta dies de injunctis pœnitentiis* relaxentur. Posteà verò hic numerus ad tres Salutationes redactus est. In Statutis Francisci de Puteo, Cartusiæ majoris Prioris ab ineunte sæculo XVI. ita legimus cap. 1. *In omnibus domibus Ordinis, quæ sunt sub ditione Domini Regis Franciæ, singulis diebus horâ meridiei ex ordinatione Apostolica pulsetur campana pro Ave Maria, pro pace dicti regni conservanda, eo modo quo pulsatur hora completorii: & singulæ personæ earumdem domorum dicant tribus vicibus Ave Maria, pro quibus vice qualibet trecentos dies de Indulgentia ex indulto Apostolico consequentur verè pœnitentes & confessi*. Ex quo intelligitur, hunc morem à Gallia incœpisse sub initium sæculi XVI. Certè in Historia Monasterii nostri Parisiensis, id est S. Germani à Pratis, apud Jacobum Brolium legitur Leonem X. Guillelmo Briçonetto Episcopo Meldensis & Lutevensis civitatum, atque ejusdem Monasterii Abbati concessisse, ad spiritualem utilitatem utriusque Diœcesis suæ, & suburbii S. Germani indigenarum atque adventantium, ut quicumque ad pulsum campanæ in aurora, meridie, & post solis occasum, Salutationem Angelicam ter genibus flexis recitaret, mille & quingentos indulgentiarum dies singulis vicibus consequeretur.

Baluz. Conc. Narbon. pag. 383.

CXXIII An tunc temporis jam addita esset precatio, quæ salutationi subjuncta est, meritò dubitari potest. Et quidem sæculo XV. nondum addita fuerat hæc appendix salutationis, quæ à *Sancta Maria* incipit. Urbanus IV. post *fructus ventris tui* addidit *Jesus Christus amen*, ut mox notabimus. Unde Johannes Cele Canonicus Regularis Windesemensis hæc verba dicere consueverat, sed addito, *qui est gloriosus Deus benedictus in sæcula*. Appendix *Sancta Maria* non reperitur in libellis precum, tam editis, quàm mss. ante annum MD. Ex editis anni M. CCCC. XCVIII. Parisiis apud Simonem *Vostre* salutatio definit in *Jesus Amen*. Item in expositione Salutationis ibidem vulgata apud Johannem Lambertum anno M. CCCC. XCIV. nulla fit mentio de illo additamento. Verùm in Breviario Cartusiano apud Thielmannum *Kerver* edito anno M. D. XXI. occurrit ante parvum Beatæ Mariæ Officium usque ad *pro nobis peccatoribus amen*; itemque in horariis precibus ad usum ejusdem Ordinis Parisiis apud relictam ipsius Thielmanni anno M. D. LI. editis. Denique in Breviario Franciscanorum apud eundem Thielmannum anno M. D. XXV. impresso additur, *nunc & in hora mortis amen*; uti etiam in Breviario Religiosorum, qui à Redemptione captivorum nomen acceperunt, excuso Parisiis anno

Chron. Windes. lib. 1. cap. 70.

anno M. D. XIV. Quamquam in Breviario Æduensi anni M. D. XL. tota hæc appendix desideratur, sicut etiam in methodo Confessionis apud Simonem Colinæum & Franciscum Stephanum anno sequenti vulgata; & ante Breviarium jussu Pii V. Summi Pontificis reformatum in solo Breviario Cardinalis sanctæ Crucis occurrebat. *Bona de Divina Psalmod. cap. 16. §. 2.*

Per idem tempus in sacris ad populum concionibus sola beatæ Mariæ salutatio recitari cœpit post exordium concionis. Id Erasmus in suo Ecclesiaste, qui anno M. D. XXXV. typis excusus est, improbare ausus, non quò Deiparæ venerationi detraheret: sed quòd locus etiam Spiritui sancto aliisque Sanctis, de quibus conciones interdum habebantur, relinqui vellet. Ita sentiebat ille Catonianæ severitatis magister, qui hæc verba subdit. *Adde his omnibus, quòd isti admonito populo, ut invocet Beatam Virginem, nihil petunt ab ea, sed tantùm salutant verbis Angeli & Elisabethæ.* Quæ huc refero ad probandum, precationem *Sancta Maria* Salutationi nondum ubivis tunc fuisse adjectam. Nescio an ob superiorem censuram Erasmi Ecclesiastes relatus sit in classem librorum prohibitorum. CXXIV *Erasm. Ecclesiaste lib. 2*

Sed veniamus tandem ad id, cujus gratiâ hæc adducta sunt, nempe ad Rosarii originem, videamusque, an de illo mentio facta sit in Concilio Celichitensi. Rosarium constat Orationibus Dominicis quindecim, & Salutationibus Beatæ Mariæ centum quinquaginta. Corona (quam vocant) Beatæ Virginis habet sex septemve decadas salutationum cum sex aut septem orationibus Dominicis, pro diversa auctorum sententia de annis ejus vitæ. De Rosarii auctore variæ sunt opiniones. Alii ad S. Patrem Benedictum, alii ad Venerabilem Bedam, alii ad Petrum Eremitam, alii denique ad S. Dominicum Prædicatorum Institutorem referunt. Si Salutationis Angelicæ usus nondum invaluerat (ut superiùs ostendimus) ævo S. Benedicti, neque Bedæ, frustra ejus institutio ad illa tempora revocatur. Huc id torquent, quòd Rosarium apud Anglos *Bedes* nomine appellatur, tamquam à Beda Auctore. At potuit alia de causa sic vocari, puta à *Beltide*, quæ vox in Concilio Celichitensi usurpatur, & quidem pro Rosario, ut Spelmannus existimat. Concilii Celichitensis hæc verba sunt ex cap. 10. ubi de Episcoporum exsequiis agitur. *Et posteà unusquisque Antistes & Abbas LX. psalmos, & CXX. Missas celebrare faciat, & tres homines liberet, & eorum cuilibet tres solidos distribuat: & singuli servorum Dei diem jejunent, & triginta diebus Canonicis horis expletæ Synaxeos* (fortè *expleta Synaxi*) *& Beltidum Pater noster pro eo cantetur,* id est recitetur. His verbis *Beltidum Pater noster* certum orationum Dominicarum numerum designari non dubitamus. Spelmannus de Rosario interpretatur, à Saxonico *Belt* quod *cingulum* significat. Verùm utrum illo tempore Rosarium esset in usu, meritò dubitari potest, inquit doctissimus Cangius. Mihi verò videtur esse recentius inventum: sed tamen certum (ut jam dixi) orationum Dominicarum numerum illis verbis signari, perspicuum videtur. Cùm verò de Salutatione Angelica, quæ Rosarii præcipua pars est, nulla ibi mentio sit; neque ad Rosarii antiquitatem ostendendam assumi potest hic locus. Certè numeratæ orationes in usu erant longè ante sæculum IX. teste Palladio, ubi agit de Paulo Ægyptio, qui trecentas quotidie orationes numeratis in sinu suo trecentis calculis recitabat. Nihil tamen vetat, quo minùs vocabulum *Beltis*, quod solas orationes Dominicas certo numero recitatas primò significabat, posteà ad Rosarium significandum (si quidem id aliunde probari potest) usurpatum sit. CXXV *Hist Lausiac. c. 23. & Sozom. lib. 5. cap. 29.*

Beltidum ejusmodi specimen legimus apud Willelmum Malmesburiensem CXXVI

in

Willelm. Malmesbur. lib. 4. de Pont. cap. 4. in Anglia monachum, ubi de Conventriensis Monasterii fundatoribus agit, nempe de Comite Leofrico, & de uxore ejus Godiva. *In ambabus porticibus Conventreiæ jacent ædificatores loci præcellentissimi conjuges, quorum maximè prædicatur femina; quæ cùm thesauros vivens ibi totos conjecisset, jam jamque moritura circulum gemmarum, quem filo insuerat, ut singularum contactu singulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret; hunc ergo gemmarum circulum collo imaginis sanctæ Mariæ appendi jussit* &c. Conditum est istud cœnobium anno *Monastic. Anglic. to. 1. p. 305. col. 1.* M.XL., dicataque Ecclesia in honorem Dei & sanctæ Mariæ, cui Godivam maximè devotam fuisse Rogerius Hovedenus testatur. An inter Orationes illas, quas tactis singulis circuli gemmei globulis recitabat Godiva, censenda sit Salutatio Deiparæ Virginis, non satis liquet.

CXXVII Indubitatum porrò ejus argumentum exstat apud Herimannum Abbatem *Spicil. to. 12. p. 414 & 415.* in libello de restauratione cœnobii S. Martini Tornacensis, ubi auctor iste ex occasione commemorans secundam constructionem Lesciensis in Hannonia *Sæc 3. par. 2. pag. 420.* Monasterii, laudat ejus instauratores Theodericum de Avesniis, & Adam ejus conjugem, quæ filia erat Hilduini Comitis Roceiensis. Tum subdit, Eremitam quemdam in proxima silva, quæ Brocheroïa vocatur, visum habuisse de Theoderico in Dei judicium postulato, quòd in bello contra Balduinum Montensem Comitem monasteria sanctæ Waldetrudis Montense, & sanctæ Aldegundis Melbodiense combussisset: at sanctam Dei Genitricem Mariam intercessisse, propterea quòd uxor ejus Ada *Angelicam illam salutationem singulis diebus sexagies explicaret; & vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando, aut in Ecclesia, aut in cubiculo suo, aut in aliquo secreto loco, Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui commemoraret*. In tantum verò *id diffamatum* fuisse, *ut etiam Gosceguinus filius alterius Adæ, qui avunculo suo præfato Theoderico successerat, easdem salutationes Beatæ Mariæ quotidie replicaret, militibusque suis eas dicere suaderet*. Hoc initium puto Coronæ Beatæ Virginis: quam eo tempore, id est ineunte duodecimo sæculo novam fuisse ex his Herimanni verbis in- *Polyd. lib. 5. cap. 9.* telligitur. Quòd si Eremita ille idem sit cum Petro Eremita, cui à Polydoro Virgilio inventum Rosarii tribuitur; hinc apparet, quo fundamento id dictum sit, quia scilicet hanc Adæ in Beatissimam Virginem devotionem in publicum vulgavit. Vide Spicil. tomum 12., pag. 414. &c.

CXXVIII De Rosario, quod quinquaginta supra centum salutationes cum quindecim Orationibus Dominicis complectitur, in Actis S. Dominici, cui hoc in- *Thom. Cantipr. lib. 2. c. 29 art. 6. & 8.* ventum ante annos ducentos tribuitur, nulla mentio est. Thomas Cantipratensis Ordinis Prædicatorum, Dominico suppar, tres salutationum quinquagenas, à quibusdam Beatæ Mariæ devotis frequentari solitas, semel & iterum memorat: at de auctore nihil dicit. Quod de Ida Cisterciensi Monacha *Manric. an. 1226. c. 4. num. 8.* apud Manricum legitur, eam nempe undecies centenas orationes Dominicas, totidemque Beatæ Mariæ salutationes quotidie replicasse, ad Rosarium non omnino pertinet: sed neque illa quadraginta dierum indulgentia, quæ prædictam salutationem quinquies recitantibus anno M.CCCC.XLII. con- *Chron. S. Agnet. p. 96.* cessa perhibetur in Chronico sanctæ Agnetis, auctore Thoma Kempensi. *Institutio itaque confraternitatis* (quam vocant) *Rosarii anno M.CCCC.LXXV. facta est in alma universitate Coloniensi per Doctores sacræ paginæ Prædicatorum Ordinis, immo potius*, inquiunt, *renovata est: quia per beatissimum Patrem Dominicum legitur prædicata, licèt ad tempus fuerit neglecta, ac oblivioni tradita*. Hæc & alia complura habentur in libello sub id temporis edito, in quo variæ indulgentiæ à Pontificibus Romanis concessæ leguntur his aliisque verbis. *Urbanus Papa*

Papa IV. addidit ad Angelicam salutationem hanc clausulam, Jesus Christus amen, largiens omnibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, ipsam devotè dicentibus, triginta dies Indulgentiarum, quas Johannes vicesimus secundus successor ejus confirmans, adhuc triginta dies superaddidit. Ubi audis ad indulgentiam illam requiri contritionem cum confessione, quemadmodùm ex Statutis Cartusiensibus superiùs retulimus.

CXXIX Alia est Camaldulensium Eremitarum Corona, ad commemorationem annorum vitæ Christi triginta tres continens Dominicas Orationes, & quinque Angelicas Salutationes: quæ omnia dicentibus Leo X. Indulgentiarum munera concessit, ut in Regula Eremitica Camaldulensium legitur cap. 22. ubi hæc corona Fratribus conversis præscribitur. Has minutias fortasse gravatè legent nonnulli: at eas non doctis cudimus, sed piis ac minùs eruditis, quibus minimæ quæque rerum sacrarum antiquitatis placent. Ad res monasticas revertor.

CXXX Tria tantùm disciplinæ regularis capita hoc loco notare juverit. Primum est, per istud sæculum Monachos nonnullos in Cathedralibus Ecclesiis, ubi Canonici sæculares versabantur, dignitates obtinuisse. Hujus rei testem habemus Baldericum in Chronico Cameracensi, ubi de Ansberto Hadulfi Episcopi successore. *Sequitur Ansbertus*, inquit, *vir videlicèt liberalibus disciplinis eruditus, qui tunc Atrebatensis monasterii æquè monachus, atque Cameracensis Ecclesiæ Archidiaconus, postmodùm verò pro rebus sancti Vedasti, quas in pago Badunensi providebat, Imperatori notus, culmen Episcopalis cathedræ adeptus est.* Neque id caret exemplo in prioribus sæculis. Nam ut ne hoc loco repetamus quod de Insulæ-Barbaræ Abbatibus Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis memorat; Usuardus Abbas, cui Lupi Ferrariensis epistola 80. inscripta est, idem etiam Archidiaconus erat. Singularis fuit hac de re Willeberti Catalaunensis Antistitis epistola ad Hincmarum Remensem, quem interrogat, an *ex monacho, necessitate cogente, Archidiaconum constituere* possit. Perseveravit iste ritus ad sæculum XI., quo Abbati S. Orientii auctoritate Concilii Ausciensis anno M.LXVIII. celebrati, *vices Archidiaconi in honore suo super Ecclesias & Clericos* tribuuntur. Et Petrus de Monte Lauro, Cellerarius S. Victoris Massiliensis, erat Aquensis Archidiaconus. Hi in exempla sufficiant. Nec ab re tamen erit hîc adjicere Johannem Romani S. Martini Cœnobii Abbatem, qui labente sæculo VII. in Angliam missus est, fuisse Archicantorem in Ecclesia S. Petri teste Beda.

Chron. Camerac. lib. 1. c. 87

Frodoard. lib. 3. cap. 23.

Spicil. tom. 2. pag. 593.

Beda lib. 5. Vitæ Biscopi.

CXXXI Alterum notatu dignum est, monachos olim, non (ut modò) sub titulo paupertatis, sed sub titulo monasterii sui fuisse ordinatos. Id patet in Concilio Londoniensi anni CM.LXXI., in quo Edgarus Rex Glastoniensi monasterio certas leges, ac prærogativas concessit, atque inter alia *sanxit etiam, ut quoties Abbas loci, vel monachi, aliquos suorum sacris Ordinibus initiari decernerent, à quocumque Præsulum canonicè ordinato, aut in illius sede, aut in eodem S. Mariæ Glastingensi monasterio, tam monachos, quàm clericos, quos idoneos judicarent, ad titulum S. Mariæ ordinari facerent.* Et ita quidem sancitum fuerat in Concilio Chalcedonensi: sed postmodùm hæc disciplina mutata est. Concilii hæc verba sunt in can. 6. *Nullum absolutè*, id est sinè titulo, *ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinandus est pronuntietur.* Contrarium morem induxit Mendicantium (ut conjicimus) exemplum, & instabilitas Monachorum. Hujus loci occasione observandum venit id, quod in actis S. Dunstani ad num. 29. notamus, cum nempe primò

Conc. tom. 9. col. 703.

fuisse ordinatum Episcopum sinè titulo, ea maximè ratione, ut *regali præsentiæ* propter sua provida consilia *jugiter adesset*.

CXXXII Tertium denique est, cameras singulares Sanctimonialium, quæ illo ævo alicubi in usu esse cœperant, abrogari à Waltero Archiepiscopo Senonensi, ut patet ex ejus constitutione 4. *Item cameræ monialium omnes destruantur, nisi aliqua, quæ in susceptione Episcopi necessariò retineatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, qua Episcopo justa, & necessaria esse videatur*. Hìc tamen non de cellis separatis sub eodem dormitorii tecto erectis, sed de privatis ædiculis, quas tunc Sanctimoniales quædam sibi fabricari curabant, mentio est, quod quidem ex eo patet, quòd Episcopus quasdam ex illis cameris conservare posset ad suum diversorium, cùm ad eas aliquando ventitaret. Tales erant illæ Orientalium ædiculæ, quas admittere noluit Augendus Abbas Condatiscensis ex ejus vita, ubi sic restituenda lectio in editis. *Iste etiam, refutato Archimandritarum orientalium more, utiliùs omnes univit in medium. Destructis namque mansionum ædiculis, uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit: ut quos causâ unitæ refectionis una claudebat ædicula, discretisque lectulis una ambiret & mansio*. Orientalium morem servant hodie quoque Cartusiani, & Eremitæ Camaldulenses. Disparatas illas sub uno tecto cellulas Benedictus XII. abrogavit: at eas denuo restituit nostra ætas, specie quidem majoris quietis & silentii, sed haud scio an cum majori fructu: cùm aliàs omnia exercitia in omnium oculis, & consortio fierent. Vide sis Concilium Turonense II. can. 14. & Haëftenum lib. 12. Tractatu 1. Disquisitione 1.

Ibid. col. 577.

Sæc. I. Bened. p. 575. n. 21.

CXXXIII Sed ut tandem prolixæ, & forsan tædiosæ Præfationi finem imponamus, tria tantùm addimus ad Historiam nostram Francicam pertinentia. Unum est, Dignitates comitum aliorumque (quod jam alii notarunt) eo tempore jure hereditario ad posteros transiisse, maximè sub Carolo Simplice, ob languentem ejus principatum. Hujus tamen rei origo petenda est à Carolo Calvo, qui supremo vitæ suæ anno Romam abiturus, Carisiaci edidit Capitula quatuor, in quorum tertio hæc leguntur. *Si Comes de regno isto obierit, cujus filius nobiscum sit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet de his, qui eidem Comiti plùs familiares propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus, & cum Episcopo, in cujus Parochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum provideant, usque dum nobis renuncietur, ut filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus. Si autem filium parvulum habuerit, isdem filius ejus cum ministerialibus ipsius Comitatus, & cum Episcopo in cujus parochia consistit, eumdem comitatum provideant, donec obitus Comitis ad notitiam nostram perveniat, & ipse filius ejus per nostram concessionem de illius honoribus honoretur*. Hìc primus dignitatum hereditariarum gradus, cùm scilicet Regis beneficio in possessionem patriam filii veniebant, quod posteà summo jure factum est.

CXXXIV Alterum observationis caput est, Ludovici Transmarini annos regni non eodem modo ab historicis defigi. Frodoardus quippe, æqualis illorum temporum, Ludovicum ex Britannia Insula, in qua mortuo patre se anno CM.XXVIII. receperat, non nisi post annos octo, id est post obitum Rodulfi regni invasoris revocatum, ac deinde coronatum fuisse tradit. Hujus auctoris verba ex anno CM.XXXVI. referre juvat. *Hugo Comes trans mare mittit pro accersiendo ad apicem regni suscipiendum Ludovico Caroli filio: quem Rex Alstanus avunculus ipsius, accepto priùs jurejurando à Francorum legatis, in Franciam cum quibusdam Episcopis & aliis fidelibus suis dirigit* ...

a

In

indéque ab ipsis Laudunum deductus, & regali benedictione ditatus, ungitur atque coronatur à Domno Artaldo Archiepiscopo. Favet Johannes Monachus in lib. 2. de Vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis. Attamen Johannes alter Abbas Mettensis in Actis Johannis Gorziensis scribit, eum Gorziam anno CM. XXXIII. accessisse, *Franciam Occidentalium partium obtinente Lodovvico filio Karoli*. Ad quem locum Bollandus arguit eos, qui primum regni Ludovici annum petunt ab anno CM. XXXXVI. Neque solùm in Actis Johannis Gorziensis, sed etiam apud quosdam alios auctores ante hunc annum Ludovicus regnasse perhibetur. Nam in libro de miraculis sancti Bertini, Adala Flandriæ Comitissa in Ecclesiam S. Bertini ingressa dicitur *anno nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annoque quinto Ludovici Regis, feriâ secundâ Paschæ*. Verùm in diplomatibus à Ludovico Transmarino conditis, regni ejus exordium à superiori cardine desumitur. Atque ideò dicendum videtur, Historicos nonnullos, habita juris ratione, Ludovici regnum vel à morte patris, vel ab eo tempore, quo primùm ejus ex Anglia reditus desiderari cœpit, numerasse: at stilo Cancellariæ initium nonnisi anno CM. XXXVI. quo ejusdem revocatio & coronatio contigit teste Frodoardo. Lege quæ de hac re diximus in libro 2. de re Diplomatica cap. 26., ubi etiam tres sollemnes Caroli Simplicis Epochas exposuimus.

Hoc sæc. pag. 380.
Sæc. 5. Bened. par. 1. p. 138.

CXXXV Tertium denique observatione dignum est, Ludovicum, Carolidarum postremum Regem ac Lotharii filium, vivente patre coronatum, ac Regem dictum fuisse, quod Glaber Rodulfus apertè tradit: sed quo anno, nescio an ullus hactenus observavit. Id verò accidisse anno CM. LXXIX., id est septimo ante obitum patris, constat ex duobus ejus diplomatibus, quorum unum Arnulfo Aurelianensi Episcopo concessum est, *datum anno DCCCC. LXXVIIII. secundo die regiæ ordinationis ejusdem, Indictione VII., V. idus Junii actum Compendiensi palatio*, ut me monuit noster Claudius Stephanotius, cui plurima alia documenta debemus. Aliud ejusdem omnino characteris ac notæ pro cœnobio Floriacensi. Utrumque hactenus autographum habetur. Itaque Ludovicus iste Rex coronatus est anno CM. LXXIX., & quidem VI. Idus Junii. Annum exactè signat breve chronicon Floriacense, quod in tomo 2. Miscellaneorum à clarissimo Baluzio editum est. *Anno CM. LXXIX. Ludovicus à Francis Compendii Rex est elevatus.* Porrò cùm anno uno & quod excurrit, patri supervixerit, atque anno CM. LXXXVII. mortuus sit; hinc quidam Annales novem ei regni annos tribuunt. Hugo Abbas Flaviacensis & Ademarus monachus Ecolismensis auctores sunt, Ludovico uxorem fuisse Blancam, à qua *potu maleficii necatus* dicitur ab Ademaro. Exclusus regno est Carolus ejus patruus, cujus tamen regni mentio fit in Historia Abbatum cœnobii S. Germani Autissiodorensis apud Labbeum. Herimannus Abbas in libello de instauratione Abbatiæ S. Martini Tornacensis, *Carolum Regem*, Hugonis Capeti *cognatum*, cognomento *Infatuatum*, appellat: Sapientem dicturus, si regnare aut regnum tenere valuisset.

Glaber. lib. 1. cap. 3.
Labbe tom. 1. Bibl. p. 107.
Ibid. tom. 1. pag. 57.
Spicil. to. 12. pag. 460.

CXXXVI In fine temperare non possumus à grati animi testificatione, quam primis Capetianæ stirpis regiæ, hactenus feliciter ac gloriosè regnantis, auctoribus, Hugoni ac Rotberto ejus filio, (ut ceteros interim omittamus) debet Ordo sancti Benedicti, cujus Ordinis *piissimi defensores*, teste Abone Floriacensi Abbate, *& Advocati* fuerunt, immo etiam quasi restitutores. Antequàm thronum conscenderent, pleraque monasteria Abbatibus sæcularibus, & nonnumquam militaribus subjacebant: ex quibus Hugo ipse quædam tenebat, sancti Dionysii, sancti Germani apud Parisios, & alia, *Abba-comes*

Analect. to. 2. pag. 249.

[Gerbert. epist. 17. in 2. classe.] ab antiquis ob id appellatus. Hæc verò antequàm Rex factus esset, Abbatibus Regularibus resignavit, non tam ex præconcepto regnandi proposito, (nam Carolus Calvus, & alii nonnulli Reges Abbatias sibi retinuerunt) quàm ex prona in monachos voluntate. Unde idem in regno confirmatus, omnibus regni sui monasteriis liberam eligendi Abbatis facultatem restitui præcepit. Ante Hugonem tamen Ludovicus Rex non priùs Aimerico Abba- [Ademar. t. 2. Labbe p. 167.] tiam sancti Martialis, *tyrannidem ejus timens, committere voluit, quàm Sacramentis acceptis, ut monachus esset futurus*. Hunc adversùs monachos affectum nemo meliùs expresserit, quam Hugo ipse, cujus extrema morientis ad Rotbertum verba Helgaldus refert in hunc modum. [Helgald. in Vita Rotberti pag. 68.] *O optime fili, per sanctam & individuam Trinitatem te obtestor, ne quando animus subjiciat adquiescere consiliis adulantium, vel muneribus donisque venenatis te ad vota sua maligna adducere cupientium ex his Abbatiis, quæ tibi post Deum perpetualiter delego. Ne animi levitate ductus quolibet modo distrahas, diripias, aut ira excitante dissipes. Specialiter verò tibi inculco, nullo pacto ducem omnium, Patrem dico Benedictum, à te patiaris divelli, illum apud communem Judicem salutis aditum, tranquillitatis portum, postque carnis obitum securitatis asylum.*

CXXXVII Et paternis quidem ultrò monitis paruit Rotbertus, qui S. Benedicto, ejusque [Ibid. pag. 69.] discipulis, *semper totis adhæsit præcordiis*, probante eodem Helgaldo, *Monachorum nutritor* dictus ab Ademaro monacho Ecolismensi. Rotberti in monachos studium profectum est tum ex paternis monitis & exemplo, tum ex eo quòd Gerbertum Monachum habuit præceptorem. Unde apud Adalberonem Laudunensem Episcopum, qui multa deridiculè de Monachis in carmine ad Rotbertum ineptè cecinit, Rotbertus inducitur dicarum impatiens, negans se ejus verbis ab amore monachorum revocari, maximè quod Gerberto (quem *Neptanabum* vocat, ut eruditus Valesius rectè observavit) quidquid sciret, referret acceptum. Porrò Hugonis Regis voluntas in monachos bene affecta fuit ob alias causas, nempe quòd oraculo didicisset à S. Walarico Abbate, fore ut ipse regnum Francorum, posterique sui ad septimam generationem obtinerent, si corpus suum, itemque Richarii Abbatis reliquias, in Monasterium Sithiense ab Arnulfo comite exportatas, sedibus suis demum restitueret, quod iste præstitit, ut his in actis videbimus: indéque promissi effectum sortitus est. Deinde Abonem Floriacensem Abbatem sibi maximè faventem expertus erat, uti posteà Rotbertus. Accedit quòd Maïolum Cluniacensem ejusque monachos magnopere suspiciebat, quod in causa fuit, ut ipsum ad restituendam in S. Dionysii monasterio regularem disciplinam evocaret. Certè Dionysianis Hugo nondum Rex Rotbertum Abbatem, ut colligimus ex Gerberti epistola 145., cœnobitis verò S. Germani apud Parisios Gualonem seu Walonem præfecit. De hoc Gualone intelligenda prædicti Gerberti epistola 61. Porrò ex duplici illa epistola constat, Episcopum Parisiensem (ut id in transcursu moneam) amborum cœnobiorum monachos tunc interturbasse occasione privilegiorum. *Ceterùm Dux Hugo*, posteà Rex, *nacta occasione ex dissensione Episcopi Parisiensis & Abbatis Gual. Airardum Abbatem* Auriliacensem inter ceteros ad componendam controversiam vocavit, quemadmodùm Gerbertus pro Dionysiana intercessit. Multa sunt alia Hugonis, Rotberti, ac posterorum Regum in S. Benedicti Ordinem merita, quorum memoria ex animis nostris numquam excidet.

CXXXVIII Hæc sunt quæ observanda duximus occasione sæculi decimi Actorum, quibus illustrandis sedulam mecum operam impendit noster Michaël Germanus, assiduus socius studiorum nostrorum. Quædam etiam illustrare cœperat noster

noster Johannes Jessenettus; at optimæ spei juvenis in ipso cursûs initio, anno scilicet ætatis unde trigesimo necdum expleto, cùm ex Lotharingico itinere mecum rediisset, ante annos quatuor sublatus è medio est. Utinam quod ille ad Sanctorum gloriam meditabatur, ipsi profuerit ad meliorem vitam! utinam & mihi non in culpam vertat, quòd per tot annos in Actis Sanctorum occupatus, tam longè absim ab eorum exemplis. Quòd si Deus vitam & otia indulserit, dabimus operam, ut sæculum sequens quantocius in publicum prodeat: tum ut sodalibus nostris satisfaciamus, præsertim Germanis, qui hoc opus avidè expetunt, & gratanter excipiunt: tum ut materiam præbeamus ad continuandam Ordinis nostri gallico idiomate historiam, quorum duo priores tomi, jam in lucem vulgati, hoc uno lectorem fallunt, quòd dum *Compendii* præferunt titulum, accuratam exhibent cum magno rerum & verborum delectu historiam. Is enim præcipuus est nostræ collectionis fructus, ut ex ea eruatur continua & stricta rerum nostrarum historia, quæ nec prolixitate sua lectores deterreat, nec incertis narrationibus animos fallat: sed ita conveniat cum pietate veritas, ut non minùs erudiatur intellectus, quàm mores informentur.



JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM PRIMAM SÆCULI SEXTI ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti M. ad MC.

impreſſa Pariſiis anno 1701.





Diuturni, atrocisque belli tempestate defuncti, reddito demum litteris, totique commercio Europæ, dudum intermissam Actorum nostrorum editionem jam tandem prosequimur, quam brevi, Deo dante, absolvemus. Acta hujus Sæculi in duo volumina partiti sumus, materiæ amplissimæ paullò liberiùs indulgentes, ut penuriam illius temporis monumentorum, quæ Ecclesiasticam & civilem historiam spectant, utcumque suppleremus. Quàm enim jejuna sit & sterilis utriusque historiæ pro illo sæculo materia, probant Ecclesiastici Baronii annales, probant & Franciæ res, quibus quoddam è rebus nostris supplementum adjicere nobis perjucundum fuerit. In sequenti sæculo Acta Sanctorum in pauca redigere conabimur, uno, si fieri possit, contenti in reliquum tempus volumine: ut decem omnino tomis tota constet Sanctorum nostrorum primaria, ut ita dicam, historia, quæ ex primigeniis eorum actis conflata est. I Hujus Sæculi tomi duo.

Quantam lucem Cimmeriis sæculi decimi tenebris attulerint Ordinis nostri homines, in Præfatione ejus sæculi, & in toto Actorum ejus temporis decursu demonstratum; at sequenti undecimo sæculo longè amplius toti Ecclesiæ lumen affulsit, tum ex variis Congregationibus Instituti nostri per Sanctissimos viros excitatis, tum ex restitutione Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ à Romanis Pontificibus ex Ordine nostro assumtis facta est. Numquam enim tot Summos Pontifices tulit Benedictinus Ordo, adeò ut tum Romana Sedes, quasi hereditaria successione, ad Nostros transiisse videretur. Testes ejus rei adsunt Silvester secundus, Leo nonus, Victor secundus, Stephanus nonus, Gregorius septimus, Victor tertius, & Urbanus secundus, quorum postremi sex à medio sæculo undecimo ad finem usque, parùm interrupta serie, supremam illam Sedem tenuerunt. His sæculo insequenti Paschalis & Gelasius, ambo ejus nominis secundi, successerunt, omnes ferè ex una Congregatione Cluniacensi, quæ ut sæculi decimi præcipuum Ornamentum exstitit, ita etiam sæculo undecimo florere perseveravit sub Sanctorum Odilonis & Hugonis præfectura. Quantum ornamenti attulerit unus Leo Papa nonus, testatur restituta per eum Ecclesiastica disciplina. Ipse enim est, *qui sanctorum scita canonum restituere conatus est, quæ jam transactis temporibus nimis deciderant*, ait Ordericus, *& penè à notitia hominum defluxerant*. Ipse est, qui Remis coacto Concilio, *de castitate justitiaque Ministrorum Dei tractavit, & salubria decreta, quæ jam antistites & presbyteri nesciebant, renovavit*. Quæ hic imperfecta reliquerat, perfecit Gregorius VII. majores corpore animos gerens, quos strenuè adhibuit ad restituendum in Ecclesiæ ministris Cælibatum, Simoniam exstirpandam, abolendasque Investituras Ecclesiæ dignitatum, quas Germanici passim Imperatores, aliique ferè Principes, non sinè pretio conferebant. II Ejusdem Sæculi decora & Pontifices è nostris.

Orderic. lib. 1 pag. 372.

Nnn Ab

III Abbates Regulares in Francia restituti.

Ab hac labe plurimùm immunes fuêre Francici Reges, maximè tertiæ stirpis, quorum primus & caput Hugo, cognomento Capitius seu Capito, vulgò Capetus, experimento edoctus, quantum detrimenti attulissent Monasticæ Religioni sæculares illorum temporum Abbates, Monasteriis omnibus liberam eligendorum regularium Abbatum facultatem restituit: quod subsequentes reges usque ad Sæculum sextum decimum continuarunt. Eorum exemplo plerique Galliarum Principes idem præstitêre, in primis Nortmannici duces, qui damna, superiorum sui generis principum violentiâ Monasteriis illata, abunde sarsêre, instauratis ubique vetustis, aliisque de novo exstructis cœnobiis, quæ liberalissimè dotaverunt. Omnibus præivit Guillelmus eo nomine primus, à Longa spata cognominatus, filius Rollonis ac successor: cujus studium in Monachos sic æmulatus est ejus filius Richardus senior, ut *pro studio religionis Pater Monachorum appellari meruerit*. Horum vestigiis institêre Richardus secundus, Rotbertus itidem secundus, (Rollo siquidem in baptismate Rotberti nomen acceperat) Willelmus Nothus, & alii.

Orderic. lib. 1. pag. 371.

IV Viri Illustres.

Sub prædictis Pontificibus ac Principibus mirum est quantùm ubique Ordo noster floruerit, quantùm ramos suos, etiam extra Europam, protulerit; denique quot & quantos viros illustres isto Sæculo Ecclesiæ suppeditaverit. Primas tenuêre Romualdus Camaldulensium institutor, Abbo Floriacensis, Odilo & Hugo Cluniacenses, Willelmus Divionensis, Richardus S. Vitoni, Poppo Stabulensis, Johannes Vallumbrosanus, Gerardus Silvæ majoris, Rotbertus Casæ Dei, Rotbertus item Molismensis, aliique sanctissimi Abbates, quorum plerique non tam rectores peculiarium monasteriorum, quàm novarum Congregationum institutores exstitêre. His addere licet sanctum Brunonem sacri Ordinis Cartusiensis, & beatum Stephanum Grandimontensis Auctores, qui sanctissimum Patrem Benedictum ducem ac patronum suum principio agnoverunt. Non vacat hoc loco recensere infinitos propemodùm alios Instituti nostri Episcopos & Abbates, quorum nonnullos in decursu actorum ejusdem sæculi laudabimus.

§. I.

Quibus Auctoribus propagata per id tempus Doctrina.

V Doctrinæ traditio.

His auctoribus non tantùm refloruit monastica religio, sed etiam doctrinæ ac scientiarum studia in Monasteriis, ac ferè in tota Ecclesia Latina, denuo excitata sunt. Id factum præcipuè industriâ & ope Gerberti Auriliacensis Monachi, Abbonis Abbatis Floriacensis, Fulberti Carnutensis, & Notgeri seu Notkeri Leodicensis Episcoporum. Gerbertus magistrum Auriliaci habuit Raimundum, postmodùm ejus loci Abbatem, & quosdam Hispanos, qui ipsum in rebus mathematicis erudierunt, eo successu, ut prodigii loco suo tempore visus sit, & à posteris imperitis habitus pro mago. Præcipuos Remis auditores, ne quid dicam de Ottone tertio ejus discipulo, habuit Rotbertum Hugonis regis filium, qui ab Adelaide matre piissima Remos, ubi Gerbertus scholas sub Adalberone Archiepiscopo regebat, missus est;

est; Leothericum Senonum Archiepiscopum, Ingonem Abbatem Monasterii sancti Germani Pratensis; Abbonem Floriacensem tum monachum, qui liberalibus studiis Floriaci eruditus, Parisios & Remos discendæ Philosophiæ causâ se contulit; Brunonem Lingonensem, & Gerardum Cameracensem antistites; denique Fulbertum Carnutum Episcopum, qui & ipse multos apud Carnutas discipulos habuit. Hoc in numero fuêre Adelmannus, idem qui postea scholasticus Leodicensis, Herbertus Latiniaci Abbas, & ipse Gerberti auditor, nulli in divina & humana scientia secundus; Ingelramnus Centulensis monachus, postmodùm Abbas; Berengarius hæresi circa Eucharistiam infamis, aliique permulti, quorum nonnullos Adelmannus in rythmis suis laudat. Baronius Fulbertum monachum fuisse putat, idque inferunt nonnulli ex ejus epistola 21. ubi de electione abbatis sancti Petri Carnutensis; verùm hujus rei examen in aliud tempus reservamus. Hæc epistola inscripta est, *Pleno virtutis, & gratiâ circumfuso carissimo Patri Abboni*, quem uti magnum philosophum compellat. His magistris duo alii paullò posteriores, & haud scio an insigniores addendi sunt, Lanfrancus scilicet, *quem latinitas, in antiquum scientiæ statum ab eo restituta tota, supremum debito cum amore & honore agnoscit magistrum*, & Anselmus ejus discipulus, ambo ex Italia profecti in Beccense monasterium, ubi florentissimam crexêre academiam, ex qua plurimi per totam maximè Neustriam viri scientiâ insignes prodiêre. *Analect. t. 1. pag. 420.*

VI Episcopi Monachi.

Hinc factum est; ut multi ex Ordine nostro assumti sint ad Episcopatum, aliasque Ecclesiasticas dignitates: adeò ut ipsi quoque Episcopi, abdicatis honoribus, humilem S. Benedicti habitum præferrent. Abstinemus ab eis recensendis, ne numerum augere volentes, ipsum minuamus. Ex his fuit Episcopus ille Cluniaci monachus, cujus mentio fit in litteris Silvestri secundi, qui ordinationes, tametsi *non temerè nec contra catholicam auctoritatem, sed obedienter & simpliciter coëpiscoporum licentiâ & sui Abbatis* ab eo factas, nihilominùs non omninò probavit, ea scilicet ratione, quòd *postquàm divino amore ductus, honoribus & officiis renuntiaverat sæcularibus, non ipsi licuisset eadem exercere negotia, quæ priùs fecerat in communi vita*. Longè aliter censuit Benedictus VIII. Papa erga Benignum; ex Episcopo factum Monachum in Divionensi Sancti Benigni Monasterio sub Willelmo Abbate, ad quem scribens Pontifex non modò eum hortatur, ut prædicti Benigni Episcopi monachi sui auctoritate utatur ad reprimendos censuris Ecclesiasticis monasterii possessionum invasores: verùm etiam *dat illi potestatem ordinandi quidquid justè postulatus fuerit in sancta Ecclesia ordinare, verumtamen Abbate jubente*. *Bullar. Clun. pag. 11.* *Perard. pag. 176.*

VII

Ex dictis intelligimus, doctrinæ & eruditionis propagationem hoc tempore factam fuisse potissimùm ab Ecclesia Remensi: ubi Remigius Autissiodorensis Monachus, discipulus Heirici ejusdem loci cœnobitæ, qui Lupum & Haimonem præceptores habuit è schola Rabani profectos; necnon Hucbaldus Elnonensis monachus studia litterarum, Fulcone Archiepiscopo suffragante, excitarunt: quæ à Frodoardo dein exculta, ac demum à Gerberto, per Abbonem & Fulbertum latè per totam Galliam, ne dicam Europam latè se se diffuderunt. Nec omittendus hoc loco Notgerus seu Notkerus, ex decano S. Galli Leodicensis antistes, qui Belgicam secundam discipulorum suorum eruditione illustravit. Confer ea, quæ in superioris sæculi præfatione, sectione tertia, de hoc argumento à nobis dicta sunt uberiùs. De hac propagatione agens sancti Maxentii chronographus, eam, tamquam è fonte repetit à Girberto seu Gerberto Monacho Auriliacensi, qui Fulbertum Carnotensem docuisse dicitur. *Fulbertus* verò, ait ille, *docuit Berengarium Canoni-* *Labbe tom. 2. Bibl. p. 205.* *S. Bruno an Berengarii discipulus.*

nonicum S. Martini : qui item Brunonem Remensem , & alios multos , heredes philosophiæ reliquit, quo ex loco nonnulli colligunt, Brunonem, sacri Cartusiani Ordinis institutorem, Berengarii discipulum exstitisse. Verùm prætterquàm quòd illius Maxentiani Chronographi auctoritas tanti non est, ut id adstruere valeat; certè ipsa chronographi verba longè aliter interpretanda videntur. Hæc enim verba, *qui item Brunonem Remensem* &c. non ad Berengarium referenda sunt, sed ad Fulbertum, qui Berengarium docuit, *qui item Brunonem Remensem*. Deinde ipsamet verba non evincunt, Fulbertum, nedum Berengarium, auditorem habuisse Brunonem, sed tantùm Brunonem & alios multos, sive à Fulberto, sive à Berengario, *heredes Philosophiæ* relictos fuisse, à quocumque demum præceptore eruditi fuerint illi, id est Bruno, aliique philosophiæ heredes. Certè Brunonem jam clericum & Coloniensem canonicum, ac proinde litteris excultum, ex urbe Colonia in Remorum civitatem accessisse constat; ac longè veri similius est, eum à Notgero Leodicensi Episcopo, ejusve discipulis institutum fuisse. Hujus rei testis est locu-
Musei Ital. tom. 1. p. 121. pletissimus Manasses Remorum Archipræsul in apologia sua, ubi de Brunone, qui ejus moribus adversabatur, hæc habet. *Bruno, nec noster Clericus, nec noster natus aut renatus est, sed S. Cuniberti in regno Teutonicorum positi Canonicus est* &c. Id observare visum est hoc loco de viro sanctissimo, qui etsi Berengarii discipulus fuisset, longè ab ejus errore abhorruit, ut probat ipsius confessio de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quam aliàs retulimus. Sed
Analect. t. 4. pag. 400. interest verum à falso discernere, & nubeculam illam, si qua erat, à tanto lumine removere.

§. II.

Propagatio nostri Ordinis in Orientem, & alias regiones, & Reformatio Anglicanorum Monasteriorum.

VIII Monachi nostri in Palæstina. PRioribus Sæculis Ordo noster ferè in Latina Ecclesia steterat: at posterioribus etiam ad Græcos & partes Orientales propagatus est. Id jam suo tempore factum fuisse innuit sanctus Odo Abbas Cluniacensis sub finem sermonis de sancto Patre Benedicto, ubi ait, quòd *illius laudes non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat; sed ubicumque sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus Benedicti frequentatur. Si enim*, inquit, *in multitudine populi dignitas regis est, ut ait Salomon, quantam putamus esse dignitatem istius regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus Monachorum? Quis umquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diversis nationibus tantas sibi legiones conduxit, quantas videlicet cujuslibet sexus & ætatis in Christi militia voluntariè juratas disponit?* Quibus verbis clarè significatur Regulam S. Benedicti tum receptam fuisse, ubicumque sancta Ecclesia diffusa erat, per tribus, linguas, & nationes diversas. Ex eo numero fuêre Gispertus & Rainardus venerabiles Monachi, haud dubiè Galli, quos Elias Jerosolymitanus Patriarcha anno DCCCLXXXI. in

in Galliam ablegavit, ad subsidia petenda Ecclesiæ suæ, à Saracenis magnopere afflictæ. Hic epistolâ suâ commendat prædictos fratres ab se missos, qui *quietam illic vitam ducere, Deoque famulari remotiùs* à patria *elegerant*, adeò fideles habiti, quibus Christus *sua crederet Sacramenta seu sanctissima loca*. Hæc epistola scripta non est ad Carolum Imperatorem, id est Crassum, ut titulus epistolæ in editis fallit, quippe qui nondum Galliæ rex erat; sed *gloriosissimis ex alta stirpe progenitis domini magnificentissimi summi Imperatoris Karoli regibus cunctarum Galliarum*, id est Ludovico & Carolomanno Regibus, necnon Episcopis, Abbatibus, Principibus ac Ducibus, aliisque per universum mundum constitutis. Post medium Sæculum undecimum Hugo è nostris Abbas erat sepulchri Gloriosæ Virginis Mariæ ad Josaphat, qui per Simonem Crispiacensem Comitem reliquias sanctæ Crucis aliasque ad quemdam nostri Ordinis Abbatem S. misit, testante ejus epistola, quam alias referemus. Post expeditionem sacram Monachis nostratibus monasteria non pauca in locis sanctis concessa fuêre, ut posteà videbimus. Spicil. tom. 2. pag. 374.

IX Constantinopoli. Latinos itidem Monachos sæculo undecimo Constantinopoli habitavisse patet in primis ex epistola Leonis Papæ IX. ad Michaëlem Cerularium, quem durè increpat, „ quòd omnes apud se Latinorum Basilicas clauserint, Mona- „ chis monasteria, & Abbatibus tulerint, donec illorum viverent Institutis: „ cùm contrà Romana Ecclesia Græcorum Monasteria & Ecclesias in Urbe „ à Græcis possideri sinat, nec eos perturbet in observatione rituum suorum, „ immo eos ad illos servandos hortetur „. Perstitêre nihilominùs Latini Monachi Constantinopoli in cœnobio sanctæ Mariæ, quos laudat Petrus Damiani in epistola, *domno M. venerabili Abbati sanctæ Mariæ in Constantinopoli & reliquis fratribus* inscripta, quòd, *dum inter exteras gentes & in peregrina lingua regione* consisterent, à catholica tamen fide & piis operibus non exsularent. Petr. Dam. lib. 6. ep. 13.

X In Sardiniam missi. Per id tempus Baresonus Rex Sardiniæ, Legatis ad Casinense monasterium cum muneribus missis, Desiderium Abbatem rogavit, ut ex sacra illa Congregatione fratres ad constituendum in ea insula cœnobium transmitteret, maximo regni sui commodo simul & ornamento futuros. Regis votis annuens Desiderius, duodecim fratres cum congrua supellectile librorum, & diversarum rerum illuc destinavit, eisque præfecit Aldemarium, qui posteà Cardinalitia dignitate insignitus fuit. Cùm illi in insulam, quæ Lilium vocatur, prosperè appulsi, opportunum navigationis tempus exspectarent, Pisani, magnâ in Sardos adducti invidiâ, inopinatò cum armato milite in illam insulam descendunt, Monachis indignè habitis, universa diripiunt, legationis denique principem patibulo affixuri, nisi ille monastico habitu se induisset. Post hæc incensa navi, quæ Monachos in Sardiniam devectura erat, cùm vestimenta solummodò nostris restituissent, ceteris omnibus onusti ad propria hilares remearunt. Hoc accepto, Casinenses fratres, qui in Lucensi monasterio habitabant, dispersos hac illac nostros recolligunt, omnesque præter quatuor, qui jam obierant, ad monasterium suum conductis naviculis revehunt: qui demum paullò pòst universi, unus post alterum, ad sacrum montem reversi sunt. Ita missio illa effectu caruit. Piratæ verò ad sua itidem reversi prædam inter se partiti sunt. Fortè cuidam obtigit portio sacrarum reliquiarum, quas Casinates secum deferebant. Has cùm pirata ille irreligiosè tractasset, repentina morte interiit. Reliquiæ ad episcopium delatæ, ibique honorificè depositæ fuêre. Chron. Casin. lib. 3. cap. 23.

XI In sacra expeditione, quæ Urbani secundi Pontificatu contigit, Latinis mo-

In monte Thabor, & alibi. monachis magna facta est in Palæstinæ partibus accessio. Certè Buamundus, Orderico teste, quædam monasteria, unde crudeles Turci religiosos habitatores fugaverant, *Latinis monachis seu clericis assignavit*, eisque amplas possessiones liberaliter tribuit *: ut secundùm latinitatis usum divinæ majestati servitium persolverent*. Huc spectat id, quod Rocchus Pirrus observat, Principes Nortmannos in civitate Jerosolymitana templum & cœnobium Benedictinorum nobilissima construxisse, scilicet beatæ Mariæ de Latina, quæ prima Latinorum in sacra illa urbe ædes fuerit : cui Rogerius Siciliæ comes Messanæ duo alia sanctæ Mariæ de Latina monasteria subjecit. Quin etiam monachi indigenæ sua sponte ritus Latinos susceperunt, quos inter monachi, jam quidem Latini, Cluniacensi Congregationi se se addixerunt, qua de re Petrus Venerabilis litteras ad eos scripsit, ipsis congratulatus, quòd *non solùm communi fide, non solùm monastica professione, sed insuper Cluniacensis Ordinis sollicita observatione*, ipsius *corpori* nuper *unitos* fuisse per quemdam illorum rescivisset. Sacri illius montis Prior fuerat ille, qui Constantinopolim profectus, litteras pro se commendatitias ad Imperatorem Constantinopolitanum à Ludovico juniori Francorum rege postulabat. Eodem ferè tempore Amalricus Rex Jerosolymorum litteras ad Alexandrum Papam tertium misit, ut Cluniacenses monachos institueret in Palmareæ monasterio, pœnè in solitudinem redacto, cujus *advocatus, patronus, & fundator* Gormundus fuisse dicitur, qua de re Pontifex Palæstinæ Episcopis scripsit, in Cluniacensis Ordinis commendationem hæc præfatus. *Quàm nobilis celebrisque per orbem Ecclesia Cluniacensis existat, & quantâ gloriâ præfulgeat meritorum, gratiâ peremineat sanctitatis, & fragrantiâ sit decorata virtutum; quot etiam sua religionis odore ac bonæ conversationis exemplo ad piè & religiosè vivendum instruxeris, universa ferè mundus agnoscit.*

Orderic lib. 10. pag. 779.

Sicil. Sac. t. 3 pag. 108.

Petr. Ven. lib. 2. ep. 44.

Chesn. tom. 4. pag. 696.

XII Non prætereundum id, quod Jacobus à Vitriaco tradit de nostratibus utriusque sexus, qui Palæstinæ sacra loca suo tempore incolebant. *In Ecclesiis*, ait ille, *seu Monasteriis de Latina, & valle Josaphat, sunt Abbates cum monachis nigris, secundùm regulam beati Benedicti Domino servientes. In Bethania verò, quæ est castellum Mariæ & Marthæ & Lazari fratris earum, & distat ab Jerusalem quindecim stadiis, ultra montem Oliveti, in declivi ejusdem montis, & abbatia S. Lazari, in qua est abbatissa nigra & moniales, S. Benedicti Regulam & Instituta profitentes : --- ejusdem autem Ordinis & professionis est Abbatia S. Annæ genitricis Matris Domini, juxta portam, quæ dicitur Josaphat, juxta probaticam piscinam sita, in quo loco beata virgo Maria nata fuisse perhibetur: in qua est abbatissa cum monialibus nigris. Abbatia insuper sanctæ Mariæ monialium in Jerusalem cum Abbatissa & monialibus nigris, sub S. Benedicti Regula Deo servientibus, tamquam cella aromatica, sanctis & castis & Deo devotis personis erat referta : quæ religionis districtionem, vitæ honestatem & caritatis fervorem, nulla compellente adversitate vel paupertate retinuerunt.* Denique *in monte Thabor est Abbatia nigrorum monachorum sub metropolitano Nazareno*. Hactenus Jacobus de Vitriaco, quibus adde quod Rodulfus miles scribit in suo itinere, ubi ait, *in pede montis Moysi fundatum* esse claustrum Ordinis S. Benedicti; *In quo sunt*, inquit, *centum Monachi Graci, quod ædificatum est per regem Babyloniæ*, quæ ille scribebat anno M.CCC.XLVI.

Jac. à Vitriaco Hist. orient. cap. 58.

Canis. tom. 6. pag. 324.

XIII Ad alias orbis partes quod attinet, Bononius Abbas ante medium undecimum Sæculum in Ægypto, quàm plurima monasteria reparavisse dicitur, *in quibus Abbates & Monachos ordinavit, quorum vitam secundùm Regulam S. Benedicti instituit*, ut anonymus æqualis in vita tradit. Paullò antè idem Ordo

do in Boëmiam, Hungariam, & Poloniam permanavit, studio S. Adalberti Pragensis Episcopi, Gaudentii ejus fratris, & aliorum è nostris. In Dania post mortem Chunuti Regis, cùm ad ejus tumulum multa per eum miracula divinitus fierent, *ibi grande cœnobium monachorum constructum est, & monasticus Ordo, sicut in Anglia apud Coveshamium servabatur, constitutus est*. Non multò pòst Magnus, Olavi Noricorum regis filius, *Episcopatus & cœnobia monachorum, quæ antecessores ejus non noverant, in regno Nordico constituit*. Orderic. lib. 7 pag. 650. Id. lib. 10. pag. 767.

XIV In Anglia monasticus ordo reformatur. Quantum ad instaurandum in monasteriis nostris rectum ordinem contulerit Willelmus Conquæstor, testatur in primis Ordericus, cujus verba huc conferre juvat. *Nam dum pastor quilibet*, inquit, *completo vitæ suæ termino, de mundo migraret, & Ecclesia Dei proprio rectore viduata lugeret; sollicitus princeps prudentes legatos ad orbatam domum mittebat, omnesque res Ecclesiæ, ne à profanis dissiparentur, describi faciebat. Deinde præsules & Abbates, aliosque sapientes consiliarios convocabat, & eorum consilio quis melior & utilior, tam in divinis rebus, quàm in sæcularibus, ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito & sapientiæ doctrina provisio sapientium eligebat, benivolus rex dispensatorem & rectorem Episcopatûs vel abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem quinquaginta sex annis custodivit, quibus regimen in ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit: & indè Religiosum morem & exemplum posteris dereliquit: Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat: & ideò in eligendis Abbatibus vel Episcopis non tam opes seu potentiam, quàm sanctitatem & sapientiam personarum considerabat. Probatas virtute personas cœnobiis Angliæ præfecit: quorum studio & rigore monachatus, qui jam aliquantulum tepuerat, revixit; & qui defecisse videbatur, ad pristinum robur surrexit*. Ejus rei causâ novi Abbates in quibusdam monasteriis ordinati, *& complures cœnobitæ in Monasteriis Gallicis competenter edocti sunt*: qui regio jussu Anglicanis posteà præfecti, regularem disciplinam restituerunt: ex quibus Scollandus Abbas, *scientiâ famosus & bonitate pollens*, qui in monte S. Michaëlis educatus fuerat, Cantuariensi B. Petri Cœnobio præpositus est. Id. lib. 4. pag. 516.

§. III.

De Controversia sub finem Sæculi X. exorta occasione professionis, quam Episcopi ab Ordinandis Abbatibus exigebant.

GRavis & diuturna fuit ab exeunte Sæculo decimo controversia, orta Episcopos inter atque Abbates nonnullos ob subjectionis professionem, quam Episcopi ab eis, cùm ordinandi essent Abbates, exigebant. De hac agere nostri est instituti, non ad renovandas illorum temporum altercationes, quas modò exstinctas esse gaudemus, sed ad illius controversiæ historiam illustrandam. Historico itaque modo ea velim accipi, quæ hoc loco à nobis dicenda erunt, ubi non de jure, sed de facto agitur. XV

In

XVI In primis magna animorum contentione Episcopi Aurelianenses à Floriacensibus Abbatibus hanc professionem subjectionis olim exigere nitebantur; nec minùs animosè restitêre Abbates, præsertim Abbo, & successor ejus Gauzlinus. Abbonis hac de re controversiam paucis exponit Aimoïnus, tum in lib. 1. de miraculis S. Benedicti, tum in cap. 8. Vitæ ipsius Abbonis, ubi hæc verba. *Denique cùm idem vir Domini paratus esset juxta Apostoli præceptum subdi etiam omni humanæ creaturæ propter Deum; intelligens tamen hoc loco quem regebat, posse officere, si ei modos subjectionis, quos requirebat* Episcopus, *ad ipsius libitum dependeret; id facere in omni sua recusavit vita. Unde idem Pontifex, Arnulfus nomine, animadvertens nec ratione, nec divinarum legum eum posse convinci altercatione, manifestum se ei ostendit inimicum*. Idem auctor in lib. 1. de miraculis S. Benedicti cap. 19. *Arnulfus*, inquit, *Aurelianorum Episcopus, aliàs sanè bonus, & Ecclesiasticas regulas scientiâ & opere optimè servans, numquam ad purum prælatos hujus Floriacensis loci dilexit, ideò quàm maximè, quòd illi ditioni solummodò parentes regiæ, subjectionem, qua ipse ultra modum delectabatur, nequaquam ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas S. Benedicti in suburbano Aurelianensis urbis, in loco qui Boaria dicitur sitas, ut sui eas pervaderent satellites, assensum præbuit*.

Floriacenses Abbates de hac professione disceptat.

XVII Eadem lis iterum recruduit inter Fulconem Aurelianorum Episcopum & Gauzlinum Floriaci Abbatem, testante Fulberto Carnutensi antistite, qui hac de causa duas epistolas scripsit, unam ad Fulconem jam dictum Episcopum, quæ est 41. in qua hæc leguntur. *Igitur si Abbas S. Benedicti de vestro contemtu culpam suam recognoverit & illam deinceps subjectionem promiserit, quæ vobis canonicè debetur, hortor & suadeo ut recipiatis: sacramenta verò & cetera, quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis domini missa faciatis; ut religionem magìs quàm sæcularem ambitionem vos sectari agnoscat. At si Abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque subjectionem canonicam vobis derogare contendat: superbiæ, cui non parcit Deus, Dei servus quomodò parcat nescio*. Duplicem Fulbertus hìc distinguit subjectionem: unam, quæ Episcopo *canonicè* debetur, obedientiam scilicet salvo ordine, ac reverentiam, nec non ordinationes, consecrationes Ecclesiarum, aliaque id genus involvens; alteram, *quæ ad mundanam legem pertinet*, spectatque Sacramentum & fidem clientelarem ob beneficia domino exhiberi solitam. Quid exinde consecutum sit, discimus ex Fulberti epistola 72. ad Gauzlinum Abbatem, quem à Fulcone excommunicatum fuisse dicit. *Præsul Aurelianorum*, Fulberti verba sunt, *qui vos excommunicavit, coëpiscopos suos idem facere poscit. At ego correctionis vestræ non expers, tertio Kal. Octobris ei respectum*, id est inducias, *dedi. Unde nunc, frater, commoneo, ut gradus humilitatis interim vel usque ad tertium relegens, Episcopo vestro subjiciamini, sicut decet: aut si vobis non ita faciendum esse videtur, cur fieri non debeat, rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem, neque modum ratiocinationis invenire possum, quæ vos ab jugo subjectionis hujus absolvat*. Quid ad hanc epistolam Gauzlinus responsi dederit, ignoramus: at quid in consimili facto scripserit Goffridus Vindocinensis, posteà exponemus.

XVIII Non in sola subjectionis quæstione stetit Arnulfus Aurelianensis, sed ad alia etiam capita, ut fit, ex occasione se convertit: nimirum licere sibi monachos vagos conjicere in carcerem, eisque monasticas vestes detrahere, qua de re famosum libellum edidit adversùs Abbonem & monachos Floriacenses, cujus libelli fragmentum ex ms. codice huc afferre juvat (*Monachi quos ex*) *humilitatis gradibus omnibus fore subjectos regularis docet professio, utpote à Sæculi acti-*

actibus alienos, in tantam audaciæ extolluntur superbiam, ut potestatem Episcopis à Deo collatam, suis traditionibus offuscare contendant. Cujus præsumtionis pestifer, ut comperi, exstat Præpositus cœnobii Floriacensis. Ait enim sub persona aliorum, non licere Episcopis monachos monasteria fugientes, propriis vitiis excommunicatos, & vitam rebus inhonestis fœdare gaudentes, custodiis mancipare, eisque cucullas detrahere, quas simulatione Religionis in conspectu hominum gerunt, sed pravæ conversationis opere impugnant; quam sententiam non consulendo auctorizare satagunt, verùm quasi hanc potestatem propriam sibi servantes. Sic definit fragmentum hujus libelli, quod Stephanotius noster, recèns magno nostro dolore Romæ mortuus, à venerabili viro Roberto Huberti præcentore S. Aniani Aurelianensis accepit. Eò spectare videtur Abbo ipse in apologetico suo ad Hugonem & Rotbertum, ubi hæc dicit. *Quòd excommunicatis me miscuisse asserit Arnulfus, ejus exemplo feci, qui filios Belial nocturno latrocinio necem meam grassantes recepit.* Ex quibus intelligimus, quousque progressa sit fervens hæc controversia.

Verùm non solùm in Floriacense monasterium hæc tempestas exarsit, sed etiam in alia multa; ex quibus unum est Vindocinense, à cujus Abbate Goffrido Ivo Carnotensis Episcopus similem professionem exigere volebat, reclamante posteà ipso Goffrido. Ita enim scribit in lib. 2. epistola 7. ad Ivonem. *Professum verò vestrum me vocastis. Satis melius fuisset, ut à vobis sacratum dixissetis. Quòd etsi pro consecratione professionem, & pro professione ab alodiario beati Petri subjectionem vobis vindicastis; consecrationem utique illam gratis minimè impendistis. Non enim gratis impenditur, per quod homo homini subjectus efficitur. In professione siquidem illa consilio vestro nimia simplicitate acquievi: ubi si quid aliter actum est vos scienter fecistis; ego autem ignoranter peccavi.* Tum subdit, *honorabilis memoriæ Papam Urbanum*, cùm per eos transiret, ejusmodi professionem improbasse, idque sibi pro crimine imputaturum fuisse, *si ignorantiæ ac juventuti suæ misericorditer non pepercisset*. Porrò Pontificem sanxisse, *ne deinceps Abbas monasterii* Vindocinensis *Episcopo profiteretur*, idque *privilegii sui inretractabili firmitate prohibuisse*; quod subinde Paschalis Papa *sua Apostolica auctoritate firmaverit*. Idem Goffridus in sequente epistola 11. ad eumdem Ivonem, eadem omnino retractat. *Professio quam à me adhuc juvene & novitio extorsistis, regularis minimè fuit; eamque fecisse peccatum exstitit, & accepisse irreligiosum.* Non solùm autem suam ipsius professionem subjectionis revocavit Goffridus; sed etiam universim hujusmodi promissiones improbavit Opusculo 10. *Sunt quidam Episcopi*, inquit inter alia, *qui pro benedictionibus Abbatum sub nomine professionis ab eis exigunt quod est Christianæ professioni valde contrarium. Nam cùm professio alia in divina laude fit, alia pro peccatorum depositione: ista laudem Dei non facit, sed minuit; nec deponit peccata, sed apponit. Nec sacræ fidei professio recto nomine dicitur; sed execranda promissio, quæ claves Ecclesiæ agitare, & unicum ac singulare ejus ostium violare conatur. Ista neque veritate, neque auctoritate inventa, sed consuetudine & hominum cupiditate reperta, triplici genere simoniæ contra sanctam Ecclesiam jaculatur*, & infrà. *Qui sic agit, forsitan dicit: Pro benedictione non quæro pecuniam. Immo satis amplius exigit, quia hominis personam. Divina lege & monastica ratione probatur, quia benedictio minimè datur gratis, quam præcedit Abbatis illa proscriptio, ut quod desiderat assequatur. Non enim faceret illam, si repulsam non pateretur.* Tandem Gaufridus Carnotensis Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, ob Papæ Interdictum Fromundo & Huberto Goffridi nostri successoribus hanc professionem remisit, datis Huberto litteris, à Sirmun-

XIX Item Vindocinenses.

Notæ in Gosfrid. pag. 40.

mundo relatis, quibus successores quoque suos ad idem præstandum adstringit.

XX

S. Anselmi hac de re sententia.

In eadem sententia fuit Anselmus cùm Abbas Beccensis esset, scribens ad Ernulfum Abbatem, quem Episcopus Bajocensis ad benedictionem, & consequenter ad professionem invitabat. *Scimus*, inquit, *quia semper profiteri ore, & opere exhibere debemus majoribus nostris regularem obedientiam; quam scripto repetere, quamdiu eam non abnegasse cognoscimur, superfluum certè est. Ad quod si quis nos vult cogere, cùm ad Abbatiæ prælationem promovemur, sinè ulla ratione fieri videtur &c.*

XXI

Ivonis Carnotensis contraria.

Ivo epist. 55.

Alia mens fuit Ivonis Episcopi Carnotensis, censuitque temere & immeritò à quibusdam carpi Abbatem majoris monasterii, quòd obedientiam Metropolitano suo professus esset. *Quod calumniantur*, inquit, *non rectè vos fecisse, quòd ante benedictionem promisistis obedientiam Sedi Metropolitanæ vana & nulla calumnia est*, & infrà: *Quomodò enim sibi connexa adinvicem poterunt esse membra Corporis Christi, nisi dispensatores monasticarum vel canonicarum congregationum eam obedientiam exhibeant Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt à subditis suis?* Non dubium quin eadem mens fuerit omnium tunc temporis Episcoporum: quibus Abbates ægrè admodùm tandem acquievêre.

XXII

Casini Abbas hanc professionē Papæ facere recusat.

Nec mirum videri debet, quòd Abbates hanc professionem Episcopis facere detrectarent, quando Seniorectus Casinensis Abbas ejusmodi professionem ipsi etiam Papæ Honorio secundo facere ab eo benedicendus recusavit, opponens, *hoc Abbates Casinenses numquam fecisse*. Cùm verò Pontifex repofuisset, „ id sibi ab eo negari non debere, quod omnes ferè Episcopi, Archiepiscopi & Abbates sibi præstarent: respondit Abbas, ab Episcopis id „ extortum fuisse, quòd sæpiùs in hæresim lapsi essent, & Romanæ Ecclesiæ „ rebelles exstitissent, quod Casinensi Ecclesiæ numquam accidisset. „ Acquievit mollitus eo responso Pontifex: sed cùm non multò pòst Casinates Anacleto Antipapæ adhæsissent, Abbates Casinenses deinceps Innocentio Papæ secundo, ejusque successoribus obedientiam ac fidem polliceri compulsi sunt.

XXIII

Nec solùm Abbates ejusmodi professioni restitêre, sed etiam Principes, in quorum ditione monasteria sua sita erant. Exemplo est epistola Henrici II. Anglorum Regis ad Innocentium Papam II., apud quem querelas deponit de Hugone Archiepiscopo Rotomagensi, quòd *persona suæ respectu insuper habito*, Ducatum Normanniæ perturbaret, insolita jura à subditis suis extorquendo, *in benedictionibus scilicet & extortis professionum scriptis intra* * *Ducatum*, inquit, *meum, & Provinciam suam, ab Abbatibus meis Normanniæ, me inconsulto, vobis in Concilio querimoniis indè propositis*. Ita in editis in Spicilegii tomo 2. apud Acherium nostrum. Quid ad hæc responderit Innocentius, docet sequens ejus epistola ad ipsum Hugonem. *Ceterùm carissimus filius noster rex Anglorum Henricus, prout accepimus, est adversùm te graviter indignatus, quòd contra consuetudinem suam & aliorum Ducum Normanniæ, à quibusdam Abbatibus professionem & obedientiam suscepisti*. Addit tamen Pontifex, id justum fuisse, *& vobis*, ait, *in Concilio Remensi mandatum*: sed *pro ejus caritate à rigore justitiæ aliquando condescendere debemus, & pro tempore ipsius voluntati assensum præbere --- Unde fraternitatem tuam rogamus atque mandamus, quatenus de Abbatibus illis ejus voluntati consentias; & si quem de Abbatibus ligasti, absolvas*. Itaque novus tunc erat usus iste in Normannia, & *contra consuetudinem* inductus nuper in Concilio Remensi.

* Ed. extra.

XXIV

Idem probat Ordericus in lib. 10. historiæ suæ, ad annum 1099. *Gislebertus Luxoviensis Episcopus à Monachis Uticensibus multoties requisitus fuit, ut Ab-*

Abbatem suum benediceret, quod ille renuit agere, nisi Abbas sibi chirographum canonicæ professionis exhiberet. Inter eos indè mutua per decem annos altercatio perturbavit; & neuter vinci patiens, trophæum quisque speravit. Nam Serolo, qui post Mainerium ad Abbatiæ regimen electus fuit, Cœnobitis duobus annis sinè benedictione præfuit; quia insolitam Uticensi Ecclesiæ professionem facere recusavit. Similiter Rogerius Sappensis plusquàm septem annis fratribus præfuit: sed Episcopo pertinaciter persistente in suo sensu, pastoralem cambutam non portavit. Quæ de re regalis potestas à monachis requisita jure prævaluit, & pertinaci Episcopo imperavit, ut mores, quos antecessores ejus in Normannia sub patre suo tenuerunt, observaret, & Abbatem sinè alicujus novitatis exactione consecraret. Jussio Regis ab invito Præsule concessa est, & pristinus mos cœnobio confirmatus.

Prævaluit tamen, tum Romani Pontificis favore, tum Principum indulgentiâ, Episcoporum in Normannia auctoritas. Siquidem Arnulfus Lexoviensis Episcopus in epistola 42. Sacramentum *juratæ professionis* objicit Grestano Abbati, quem contra præscriptum obedientiæ sibi debitæ egisse conqueritur. Idem in epistola 69. ipsi Innocentio exponit multiplicem & continuam inobedientiam Abbatis Uticensis, quem ad sibi exhibendam obedientiam *vinculo juratæ professionis* adstrictum fuisse dicit: cui professioni tantopere Abbates Uticenses antea restitisse superiùs ex Orderico vidimus. Idem Innocentius graviter increpuit Fontanellensem Abbatem, quòd professionem Hugoni Rotomagensi Archiepiscopo facere detrectaret, qua de re scripsit idem Pontifex ad Henricum Anglorum regem, cujus præsidio Abbas ille se tutabatur. XXV Episcopi paullatim vincunt. *Guibert. not. pag. 689.*

Sic paullatim deferbuit ista controversia, & Abbatum plerique omnes, qui privilegiorum expertes erant, professionem subjectionis Episcopis fecerunt tempore suæ benedictionis. Id quod etiam Abbatissæ præstiterunt, adeò ut Episcopus Pictavensis Abbatissam Fontis-Ebraldi, tametsi contrariis munitam privilegiis, huc adegerit, *& contra privilegium consuetum Abbatissam coëgerit professionem sibi & obedientiam promittere, quam sibi Sedes Petri retinuit*, ut conqueritur Petrus Abbas Cellensis in lib. 1. epistola 3. ad Alexandrum Papam III. ubi quod ait Petrus, Sedem Petri hanc sibi professionem retinuisse, id argumento est, Abbates, Abbatissasve, à communi jure exemtos, Pontifici Romano id genus professionis facere solitos fuisse, qualis est professio Nicolai Abbatis Corbeiensis in ms. codice Corbeiensi sub hac forma: *Ego Nicolaus, nunc ordinandus Abbas ad titulum S. Petri Corbeiæ, subjectionem & reverentiam à sanctis Patribus constitutam, & obedientiam secundùm præceptum sancti Benedicti, sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, & domno Papæ Innocentio, ejusque successoribus, in præsentia domni Milonis Tarvanensis Episcopi, perpetuò me exhibiturum promitto & propria manu firmo.* At insignis præ ceteris est professio Johannis monasterii S. Albani Abbatis, anno M. CC. XXXV. facta, quam refert Matthæus Parisius in vitis Abbatum. Ceterùm qui ejusmodi promissionem Episcopis faciebant, crucis signum *in principio professionis* subscribebant, eamque lectam *altari superponebant*, ut ex ejusdem auctoris vitis discimus. Denique Abbates Ordinis Cisterciensis hanc professionem faciebant salvo Ordine suo, quod Lucius III. singulari diplomate confirmavit. Itaque jam indè illius Ordinis Abbatibus sollemne fuit, Episcopo suo, dum benedicerentur, promittere *canonicam reverentiam*, quo nomine intelligebant ordinationes, consecrationes Ecclesiarum & altarium, immo & cœmeteriorum, Chrismatis concessionem, XXVI Abbatum exemtorum professio. *Matth. Paris. pag. 91. Ibid. pag. 49. Manrique t. 3. pag. 151.*

nem, quæ omnia à Diœcesanis Episcopis accipere debebant, simul cum dimissoriis litteris, cùm extra diœcesim proficiscebantur.

XXVII Hæc ferè historia est ejusmodi professionum, quarum originem, formam, institutionem, aliaque accidentia accuratiùs hoc loco investigare quoddam operæ pretium foret, disquirendo primùm, quo tempore cœperint; deinde an omnes Abbates ea lex comprehenderit, & quas rationes obtenderint Abbates, qui ei repugnabant: tum quinam verè ab ea exemti fuerint: denique an qui temporali Episcoporum jure absoluti erant, etiam in spiritualibus eadem libertate gauderent. Verùm ne litis materiam serere videamur, de duobus tantùm primis capitibus hîc agere instituimus.

XXVIII Professionis Episcopalis origo & progressus. Ad primum quod attinet, ejus rei originem legere mihi videor in Concilio Cabilonensi secundo, quod imperante Carolo Magno, anno DCCC. XIII. celebratum est: in cujus canone 13. hæc leguntur. *Dictum est intereà de quibusdam fratribus*, id est Episcopis, *quòd eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quòd digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ in qua ordinantur; quod juramentum, quia periculosum est, omnes unà inhibendum statuimus*. Ex eo itaque tempore Episcopi ejusmodi usum inducere voluerunt, ut Ordinandi subjectionem & obedientiam sibi & Ecclesiæ suæ promitterent, quod improbarunt Concilii Cabilonensis Patres, rati rem periculosam esse, fortè ob eam causam, quam posteà obtenderunt Abbates, ne qua Simoniæ suspicio in ordinationem incurreret. At quidquid contrà senserit Concilium, ab ea tamen promissione exigenda non temperaverunt Episcopi plerique, nec dubitem idem eos ab Abbatibus, cùm eos benedicerent, subinde extorquere cœpisse, quod tamen vix in usum venerit ante postrema tempora Sæculi decimi, cùm hac de re controversia inter Episcopum Aurelianensem & Abbatem Floriacensem exorta est. Neque verò citiùs hæc disceptatio oriri potuit, cùm Abbates plerique, non regulares, sed milites aut Episcopi, monasteriis impositi essent: qui sanè ab hac subjectione, siquidem tentata fuisset, facilè se expedissent. Quod de subjectionis Sacramento jam indè à Sæculi noni initiis ab ordinandis per Episcopos exigi cœpto mox dicebamus, lucem accipit ex actis Guillelmi Abbatis Divionensis, qui apud Vercellas cùm Leviticum gradum suscepturus esset, ad hunc jurandi morem adduci non potuit. Quippe in ea urbe insoleverat, teste Glabro, *malè arreptæ consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius* (Luciaci) *Levitici Ordinis gradum priùs susciperet, quàm se se assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem Episcopo. Hoc verò dum suggestum fuisset VVillelmo, ut juxta illorum morem faceret, respondens dixit, se non posse salubriter perpendere, ut pro his quæ solius Dei imperio gratis præstari debeant, horum ministro alicujus servandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet*. Id porrò exigebat à Luciacensibus monachis Episcopus Vercellensis, *quòd prædictum Monasterium in Vercellensis Urbis Episcopio situm ejusdem Episcopi ditioni subjacebat*. Jam tunc ergo *insoleverat* apud Vercellenses hæc fidelitatis protestatio, quæ apud alios insolens erat in ordinandis, non minùs quam in Abbatibus benedicendis apud Gallos.

XXIX Secundo loco ex præmissis intelligimus, Episcopis, saltem plerisque, hanc fuisse mentem, scilicet Abbates omnes hac promissionis lege teneri, etiam qui libertate exemtionis fruebantur. Aliàs Ivo Carnotensis hoc Sacramentum à Goffrido Vindocinensis Monasterii Abbate electo non exegisset. E contrario verò principio Abbates omnes adversùs hanc legem reclamavêre, oppo-

opponentes alii consuetudinem adversam, alii simoniam, alii privilegia libertatis, alii denique unicam Regi subjectionem, qualem sanè opponebat Abbo Episcopo Aurelianensi, teste Aimoino. Goffridus Abbas duo obtendebat, nimirum privilegia monasterii sui, & simoniam, quàm disertè explicat in opusculo 10.; alii nefas esse monachis jurare contendebant. Denique Abbates Normanniæ contrariam consuetudinem allegabant, ut superiùs vidimus.

Sed victis tandem Abbatibus, qui vel solam consuetudinem, vel etiam simoniam proferebant; alii strenuè perstitêre in neganda promissione: nempe qui privilegia libertatis à Romanis Pontificibus obtinuerant, atque etiam ii, qui soli Regi se subditos profitebantur. In exemtis gravis exorta est lis apud Anglos, inter Episcopum Lincolniensem, & Abbatem S. Albani. Episcopus asserebat, *ab initio nascentis Ecclesia, Ecclesiam beati Albani subjectam fuisse Lincolniensi, in tantum, ut omnes Abbates sancti Albani à domino Lincolniensi benedictionem accepissent, & professionem fecissent, qua professio*, inquiebat, *vinculum est, quo filia matri obligatur. Unde & in principio professionis crux subscribitur: vera & stabilis promittitur obedientia: lecta etiam professio altari superponitur*. Deinde varias professionum formulas proferebat Episcopus, atque adeò ipsiusmet Rotberti Abbatis, in quem disceptabat. Ad hæc reponebat Abbas, non omnes ejus loci Abbates à Lincolniensi Episcopo benedictionem suscepisse: se verò *litteras*, quæ afferebantur tamquam suæ, *nec scripsisse, nec scribi jussisse; nec crucem ante positam propria manu annotasse*; se tamen eas legisse, *non propter obligationem, sed propter Lincolniensis Ecclesia venerationem*. Porrò Ecclesiam S. Albani *non solùm liberam esse, sed & ingenuam; natales ejus Regem Offanum aureis litteris conscripsisse, ejusque ingenuitatem* roborasse successores Anglorum Reges, eamdemque Romanos Pontifices suis privilegiis confirmasse. In his verbis duo distinguuntur monasteriorum genera, alia *ingenua*, quæ à natalibus suis per conditores suos à jure communi exemta erant: alia *libera*: quæ procedente tempore hanc prærogativam adepta fuerant. Priorem libertatem Robertus Abbas refundit in litteras Offani regis, quæ monasterii sancti Albani *ingenuitatem* afferebant. Paris conditionis esse Floriacense Monasterium contendebat Abbo, qui illud *ditioni solummodò regia parere* ac subditum esse asserebat: jure an injuriâ, hîc non disputamus.

XXX Exemptos quatenus hæc spectet.

Math. Paris. in vit. Abbat. à pag. 49.

Antequàm hoc argumentum dimittamus, observare convenit, quatuor esse maximè, quæ à monasteriis sibi subjectis exigere solebant Episcopi, nempe obedientiam, censum annuum, quem *jus synodale*, seu *circadas* appellabant, procurationes seu jus hospitii in illis monasteriis, & processiones sollemnes, id est jus celebrandi Missas & conventus sollemnes in eorum Ecclesiis. Hæc ferè prædictus Lincolniensis Episcopus flagitabat à Roberto Abbate S. Albani. *Debet itaque*, ajebat, Ecclesia beati Albani, sicut ceteræ diœceseos ejusdem, *subjectionem & obedientiam: ut dominus Lincolniensis habeat in ea sollemnes processiones, cùm tempus exigeret; debitas refectiones, cùm parochiam suam circuiverit: ut quibus seminant spiritualia, ab his metant & carnalia*. Hæc onera erant subjectionis Episcopalis, hæc indicia: quibus semel probatis, probata & asserta manebat illa subjectio; sublatis & refutatis, hæc passim & refutata censebatur. His annexæ erant benedictiones Abbatum, Monachorum ordinationes, consecrationes Ecclesiarum & altarium, Chrismatis concessio: quæ tamen indicia certa subjectionis non erant. Sed de his satis pro tempore & loco.

XXXI Subjectio hæc in quibus posita.

§. IV.

§. IV.

Pontificalia ornamenta Abbatibus concessa.

XXXII *Thom. Cantipr. lib. 1. c. 6.* POntificalia ornamenta ne quidem Episcopis omnibus, nedum Abbatibus, statim ab initio communia fuere omnia. Mitræ usus Trajectensi ad Rhenum Episcopo, aliisque nonnullis seriùs concessus, nec Abbatibus ante sæculum undecimum. In Abbatis ordinatione *baculum & pedules* Episcopus etiam antiquitus tradebat, ex Theodori Pœnitentiali, & Ordine Romano. Baculum verò abbatialem *more antistitum* supernè *recurvum* fuisse testatur Adrevaldus. *Adrev. c. 22.* Ejus tamen usum Abbates Canonicorum regularium S. Augustini initio refutarunt. Anno CM.LXX. Diedericus seu Theodericus Mettensis Antistes a Romano Pontifice Johanne XIII. obtinuit, ut Abbas S. Vincentii Mettensis dalmaticâ, & sandaliis uteretur. *Spicil. tom. 5. pag. 142.* Sandaliorum etiam usum Leo IX. Gervino Abbati Centulensi obtulit: sed ille, ut insigniter modestus erat, hæc ornamenta recusavit. *tom. 4. Spicil. pag. 597.* Eodem Pontifice Richerius Abbas Casinensis Romam profectus, privilegium ab eo, *juxta morem prædecessorum suorum*, adeptus est, quo idem Pontifex *usum sandaliorum, atque dalmaticæ, nec non & Chirothecarum* in præcipuis festis ad Missarum sollemnia, tam illi, quàm ejus successoribus indulsit. *Chron. Casin. lib. 2. cap. 82.* Idem ab ipso Leone tributum Fulconi Abbati Corbeïensi, & Warino Abbati S. Arnulfi Mettensis, exceptis chirothecis.

XXXIII Ex Abbatibus verò, quibus mitræ usus concessus sit, nullum invenio ante Egelsinum monasterii S. Augustini prope Cantuariam Abbatem, cui Alexander II. id privilegii impertivit *ob ipsius scilicet Romanorum alumni & Anglorum Apostoli dignitatem*. *Thorn. an. 1059.* Hic usus frequentari cœptus Urbano secundo Pontifice, qui idem privilegium Oderisio Casinensi, & Hugoni Cluniacensi Abbatibus largitus est. *Chron. Casin. lib. 2 cap. 82. Bibl. Cluniac. pag. 515. & 517.* Petro Abbati Cavensi idem Urbanus in Concilio Beneventano usum mitræ concessit; at ille uti noluit, ad reprimendam superbiam aliorum Abbatum. Par modestia fuit Lantelmi Casæ Dei Abbatis, cui Lucius tertius ex obedientia injunxit, ut mitram gestaret. *Baron. an. 1091.* Cùm enim Pontifex in cœna Domini missarum sollemnia celebrans advertisset, multos Abbates, excepto Lantelmo, mitrâ ornatos sibi adesse; *nullius suggestione*, sed *ipsius honestate Abbatis* inductus, mitram ei contulit. Postulanti verò Abbati, ut ab ea deferenda liber esset, restitit Pontifex, eique *in virtute obedientiæ* præcepit, ut eá in præcipuis sollemnitatibus uteretur. Hunc usum non probat Thomas Cantipratensis, quem usum nonnisi *in paucissimis & specialissimis quibusdam Galliæ monasteriis, ut in monasterio sancti Dionysii & Cluniacensi*, antiquis temporibus inolevisse tradit. *Tho. Cantipr. lib. 1. cap. 6.* Denique Paulus Langius è nostris magnopere indignatur Hermanno sui monasterii Citizensis Abbati, ejus nominis secundo, qui hæc insignia à Bonifacio nono prece ac pretio sibi, suisque successoribus comparaverat, ubi similium Abbatum vanitatem carpit, qui ejusmodi insignia ex ambitione affectabant: non *utentium consuetudinem* aut *adinventi sive concessi privilegii conservationem, sed solùm impetrantium curiosam vanitatem suggillare* volens, exemplo sancti Bernardi Abbatis, Petri Blesensis, & Hugonis Cardinalis, quos laudat. *Paul. Lang. an. 1398.*

Non

Non me fugit proferri à nonnullis antiquiora exempla quorumdam Abbatum, quibus Pontificalium ornamentorum, adeóque mitræ deferendæ privilegium longè ante fæculum undecimum conceffum legitur. Verùm ejufmodi privilegia non fatis explorata nobis videntur. Poftremis hifce temporibus jus ferè commune Abbatum evafit, quod à medio fæculo undecimo peculiare privilegium erat. Nondum hoc privilegium obtinuerant Laubienfes, cùm Venerabilis Gofvinus ad ejus loci regimen electus eft. Reftitanti expofuit magifter Werimbaldus, præclarus eo tempore orator, illius monafterii dignitatem, divitias, potentiam, viros fcientiâ illuftres; addiditque; *rectorem loci, minus quidem Epifcopo, fed effe plus Abbate: cujus in miffarum follemniis ornaret anulus manum, fandalia pedes, corpus tunica univerfum*. Verùm hæc potiùs ad dehortandum, quàm ad convincendum virum fanctum valuêre. Ceterùm, cùm offenderentur Epifcopi, quòd in Conciliis & Synodis Abbates, quibus geftandæ mitræ jus erat, ab Epifcopis non diftinguerentur, ftatuit Clemens IV., ut in Synodis exemti mitris auriphrygiatis, fed finè gemmis, laminifque aureis vel argenteis utantur: non exemti fimplicibus albis & planis. In aliis verò locis utrifque iis uti mitris liceat, quas Sedi Apoftolicæ indulta permiferint. Ita clariffimæ memoriæ Jacobus Sirmundus in notis ad Goffridum. XXXIV *Gofuini vita lib. 1. cap. 15.*

§. V.

Obfervationes Ecclefiafticæ & Monafticæ.

ANtiquus mos erat jam indè à Sæculo feptimo receptus, ut fæculares homines, etiam Epifcopi ceterique Clerici majores, in extremis habitum monafticum in fignum pœnitentiæ fufciperent, deinceps monafticæ profeffioni addicti effent futuri, fi revaluiffent. Id genus exempla retulimus in Præfatione ad fæculum primum, aliaque nonnulla in Præfatione prima ad fæculum tertium, ubi ejufmodi monachos *ad fuccurrendum* dictos fuiffe obfervavimus, atque in Præfatione fecunda ad fæculum quartum, ubi fufiùs de hoc argumento actum eft. Innumera ejus rei exempla occurrunt fæculo undecimo, & fequenti apud Ordericum Vitalem & alios. Tales fuêre Ludovicus comes Alamannorum in Senonenfi monafterio S. Petri, apud Clarium monachum; Gerfridus comes Meritoniæ; Hugo Ceftrenfis, & Guillelmus Flandriæ comes, apud Ordericum: tales ex Epifcopis fuêre Hugo, & Robertus Autiffiodorenfes, & Robertus Lingonenfis, aliique permulti. Non placuit hæc confuetudo cuidam Epifcopo tempore Petri Damiani, exiftimanti, atque prædicanti, quòd nifi quis fecundùm Regulam diu probatus fuiffet, *fi propter ægritudinem aut alio quolibet modo* ad monafticum ordinem veniffet, *liberam redeundi ad fæculum haberet facultatem*. Hunc Epifcopum talia proferentem graviter exagitat Petrus in opufculo 15. *Quæ eft enim illa dementia*, inquit, *quæ vefania, quæ crudelitas! Habet homo difponendarum rerum fuarum liberam facultatem: ut femetipfum Deo offerat, poteftatem non habet? Valet hominibus tradere fubftantiam fuam: non habet libertatem Deo reddere animam fuam? --- Si creator paratus eft, ut peccatis ignofcat, quis eft ifte, qui peccatorem converti prohibeat?* XXXV *Habitus Monafticus in extremis.*

beat? Quid enim est aliud monachum fieri, quàm converti? Sed qui hominem non posse monachichum subire propositum in languore corporis constitutum denegat; profectò non posse converti indubitanter affirmat, quod si semel admittitur, nulli dubium, quin pœnitentia, quæ spes est peccatorum & unicum salutis remedium, destruatur --- Dum ergo monachum fieri hoc sit utique converti, & conversionis remedium nulla hora respuit, nullum tempus excludit: constat procul dubio, quia in ægritudine constitutus, sicut converti cùm vult, nullius auctoritatis obstaculo præpeditur; ita etiam ut monachus fiat, absque ulla refragatione recto jure conceditur --- At forsitan inquies, non quidem prohibetur in corporali molestia positus ad portum monachici ordinis repentè confugere: sed licet, si convaluerit, ad pristinæ conversationis habitum remeare. Sed clamat, immo reclamat ipsa veritas tam perspicuæ falsitati, cùm dicit: Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei. Hæc aliaque plura Petrus Damiani.

XXXVI Puerorum oblatio in Monasteriis olim irrevocabilis.

Affinis est huic argumento alia quæstio de pueris in Monasterio Deo oblatis, quos irrevocabili jure voto parentum adstringi S. Benedictus in Regulæ suæ cap. 59. præcipit, probatque Rabanus Maurus libello singulari, quem adversùs quosdam huic Regulæ præscripto resistentes composuit: quem libellum, Deo dante, alias proferemus in lucem. Hunc morem itidem propugnavit Petrus Damiani in prædicto opusculo 15., qua de re aliàs egimus, nimirum in Præfatione secunda sæculi quarti, & in tomo 2. Analectorum in Adnotationibus ad epistolam Rodulfi Abbatis Trudoniani, quem Sibertus Abbas sancti Pantaleonis consuluerat, an & qua ratione liceret aliquid exigere à parentibus pro admissione puerorum in monasteriis. Præclara est hanc in rem epistola nondum edita Nicolai primi ad omnes Episcopos *in regno Lodovici* positos, de quodam Lamberto clerico, quem ejus pater Atto comes, tunc clericus, in tenera ætate, nempe inter *octavum & undecimum annum*, constitutum, proprio arbitrio, citra pueri voluntatem, monasticâ cucullâ donaverat; eumdemque, post quoddam temporis spatium, Salomon Episcopus, scilicet Constantiensis, monastico habitu, ut ferebatur, invitum induerat, & sub hac occasione fratres sui eum paterna & materna hereditate privare volebant, & monachum permanere. Lambertus ejus rei causâ refugit ad Pontificem, citatusque pater ejus Atto affirmavit, suæ quidem voluntatis fuisse, ut Lambertus Monachus fieret: sed resistenti cucullam fuisse impositam, & *ab insequentibus* monachico habitu violenter indutum; insuper asseruit, eum numquam Regulam promisisse, neque cum palla altaris à se fuisse oblatum. Quibus auditis, Pontifex eum à monastica professione liberum & immunem esse declaravit, & paternæ maternæque hereditatis nequaquam

num. 199. Analect. t. 2. pag. 530.

Casini desita fieri. Petr. Dam. Opusc. 36. ca. 16.

exsortem. Ceterùm idem Petrus Damiani in opusculo 36. ad Desiderium Abbatem Casinatibus gratulatur, „ quòd ibi scholas puerorum, *qui sæpè rigorem sanctitatis enervant*, non invenerit, sed omnes aut senes, aut juvenili „ vivendi decore lætantes „. Idem statuit eodem tempore in Hirsaugiensi monasterio Willelmus Abbas, quem ea de re laudat Udalricus in epistola præfixa libris antiquarum consuetudinum Cluniacensium, quos ipsi nuncupavit. *Adeò tritum est*, inquit, *& usitatum, si qua districtio hujus spiritualis militiæ inter has nostrorum temporum fæces esse potest, non esse, nisi ubi major est numerus, & auctoritas major illorum, qui non ætate lasciva, nec imperio parentum, sed sponte sua & majoris ætatis, solo Christo imperante, ad ejus obsequium, rebus sæculi abdicatis, se contulerunt*. Attamen pueros in Casinensi Monasterio sæculo tertio decimo educatos fuisse probat exemplum sancti Thomæ Aquinatis, quem à puero monasticum illic habitum induisse sacri ejusdem loci

Mar-

Martyrologium testatur. Quin etiam in Cluniacensi sex pueri ab initio huc usque educati sunt.

Ut Principes & Optimates, adeóque Episcopi ipsi, honoribus sæculi abdicatis, ad monasticum ordinem se conferrent, faciebat tum pietas illius temporis monachorum, tum frequens eorum adhortatio, qua de re monachos sugillat Adalbero Laudunensis Episcopus in carmine ad Rotbertum regem, quod Hadrianus Valesius insignis historiographus publici juris fecit, sic enim de Comitibus, qui in urbibus jus dicebant, canit Adalbero. XXXVII Principes monachi facti.

Juris custodes cogunt portare cucullas:

Orent, inclinent, taceant, vultusque reponant.

Immo non tantùm comites, sed etiam reges & imperatores ad amplectendum hoc Institutum adhortati sunt, S. Romualdus Ottonem tertium, sanctus Hugo Abbas Cluniacensis Philippum primum Francorum regem, alii alios. Exstat hac de re Hugonis epistola ad Philippum regem, quem hortatur, ut Pœnitentiæ causâ Cluniacum se recipiat: paratos esse Apostolorum Principes Petrum & Paulum ad eum recipiendum in domum suam, *quam patres nostri*, inquit, *asylum Pœnitentium nominaverunt*. Verùm ubi principum & optimatum cura rei publicæ necessaria videbatur, adeò ad monasticam professionem adhortamentis non inducebantur, ut etiam volentes ab ea revocarentur, ut multis exemplis patet. Unum est Guillelmi ducis Nortmannorum, eo nomine primi, à Longa-spata cognominati, quem Mainardus Abbas à monastico Instituto dehortatus est. Alterum est Ursi Patriarchæ Venetiarum, qui monachus esse cupiebat Willelmi Abbatis Divionensis: at dispendium, quod ex absentia tanti præsulis Venetis obvenisset, considerans piissimus Abbas, eum admittere noluit: quod etiam erga multos alios fecisse dicitur. Tertium exemplum est Henrici primi Imperatoris, quem Richardus Virdunensis Abbas monachum fieri cupientem ad obedientiam admisit: at ex obedientia pro rei publicæ bono in sæculo remanere jussit. Idem contigit in Gellonensi monasterio sub alio Richardo ejus loci Abbate: cui Berengarius vir nobilis, in sæculari habitu remanens, obedientiam promisit sub hac forma. *Anno ab Incarnatione Domini M.C.LXII. in nomine Domini ego Berengarius de Mayrosio, volens renuntiare terrenis, & inhiare cælestibus, trado in manu Domini Richardi Abbatis me ipsum, ad monachicum habitum suscipiendum quando domino Abbati placuerit; sed & in præsentiarum promitto ei obedientiam secundùm Dei & beati Benedicti Regulam*. Ejus generis fuêre Donati & Donatæ, qui in sæculari habitu monasteriis addicti erant. Spicil. tom. 2. pag. 401. V. hoc Sæc. pag. 533.

Petrus Damiani tria suo tempore in monasteriis Italicis salubriter Instituta fuisse tradit: unum, ut præter cetera pietatis opera, *tres pauperes cum privata mensa juxta se semper Abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi, quem quivis habet frater, apponat*; sicque Regulæ præceptum exsequatur, statuentis, ut Abbatis mensa semper sit cum hospitibus. Alterum, ut in Monasteriis & Eremis decimæ quorumdam proventuum in egenorum usus assignentur. Tertium, ut anniversariæ octavæ pro carioribus quibuscumque defunctis fiant. Huc spectat commemoratio generalis omnium defunctorum, quam sanctus Odilo in Cluniacensi Monasterio instituit. In Concilio Bituricensi, M.XXXI. statutum, ut Abbatibus in sollemnioribus festis non plures, quàm tres Diaconi ministrent. XXXVIII Tria nova Abbatum Instituta. Petr. Dam. opusc. 33. c. 7. Labbe Bibl. to. 2. pag. 794

Inter varias Pœnitentiarum redemtiones, quæ illis temporibus excogitatæ sunt, maximè frequentatæ fuerunt sui ipsius spontaneæ flagellationes, quas *disciplinas* vocant. Earum auctores vulgò creduntur Dominicus Loricatus XXXIX Disciplinarum usus an probandus.

tus & Petrus Damiani: at rectiùs propagatores dixeris, siquidem ante eos Guido Pomposianus Abbas, aliique eas in usu habuerunt. De Guidone quidem, anno M.XLVI. mortuo, memoriæ proditum est, duarum quadragesimarum diebus, quo tempore in silva solus degebat, tantâ cibi & potûs abstinentiâ, *tanta virgarum cæde* corpus debile macerasse, *ut excepta morte, nihil tormenti ampliùs posset inferre nolenti persecutor crudelis*. Huic exemplo adde aliud ejusdem temporis de sancto Poppone Abbate, qui carnem suam *jejuniis flagellisque* sic *atterebat, ut quidquid vitiosum sua caro adversùs spiritum concupisceret, ipse flagellis, propria sibi manu clam illatis, extergeret*. Neuter verò id addiscere potuerat ab exemplo Dominici Loricati utroque junioris, multò minùs Petri Damiani, qui necdum ea de re scripserat. Non dubitem, quin plura alia præcesserint ejusmodi exempla, tametsi scripta non sint. At omnes superarunt Petrus Damiani & Dominicus. „ Petrus in epistola ad Alexan-„ drum secundum ait, tria scoparum millia unum Pœnitentiæ annum exple-„ re cum modulatione psalmorum „. Stupendum est potiùs quàm imitandum, probandumve, quod idem auctor memorat de Dominico Loricato, qui duodecim psalteria continenter, scopis se flagellando absolvisse dicitur. A scopis seu virgis ad lora & scuticas ventum. Talem discruciandi corporis modum immodicum, uti furorem & carnificinam quamdam, non immeritò fortasse, aversati sunt nonnulli, atque indè flagellationum sponte assumtarum usum, haud scio an temerè, universim, ut fit, improbarunt, uti rem novam, & sacris canonibus contrariam, *Ecce*, inquiebant, *nova Pœnitentia, & transactis tot sæculis hactenus inaudita. Si hoc admittitur, --- omnes profectò sacri canones destruuntur, antiquorum Patrum præcepta depereunt*. Ad quod Petrus reponit, id licere, quod Christus Dominus, quod Apostoli & Martyres in se sustinuerunt. *An verò eamdem, quam & ab invitis interdum Deus omnipotens exigit, ab ultrò offerentibus suscipere pœnitentiam recusabit?* Ad quod illi Christum & Sanctos non à se, sed ab aliis cæsos fuisse ajebant. At *vesanum & absurdum est credere illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione nostra despicere, quod in semetipso dignatus est pro salute nostra perferre*. Deinde *sicut non temeritatis arguendus est, qui non modo Sacerdotali, sed sponte jejunat: ita quoque non frustra laborare censendus est, qui se non alienis dumtaxat, sed & propriis manibus afficiendo castigat*. Quippe *nihil differt, quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodò voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur*. Denique si sæcularibus divitibus peccata sua eleemosynis redimere licet, quæ redemtio in antiquis Patrum canonibus minimè reperitur; quidni iis, qui nihil proprium habent, quo peccata redimant, spontanea corporis afflictione ea redimere, etsi in canonibus id præscriptum non est, fas non erit? Hæc ferè Petrus in epistola ad Clericos Florentinos.

Hoc Sæcul. pag. 513. — Ibid. pag. 592 — Petr. Dam. lib. 5. ep. 8.

XL Ex his, quos Petrus hac in re adversarios habuit, unus fuit Petrus monachus, cognomento Cerebrosus, qui hunc usum ob novitatem arguebat, & ob excessum, *non tam disciplinæ Regulam, quàm longioris disciplinæ detestans insaniam; nec improbans cum disciplina dici psalmum, sed ut continuetur cum disciplina psalterium*: qua in re fortasse à vero non aberrabat. Alter adversarius fuit Stephanus ex monacho Casinate Cardinalis, qui hunc usum sugillando deridebat, effeceratque, ut Casinates eum abjicerent, quibus antea mos erat, ut qualibet feria sexta corpus suum verberibus affligerent. Ille verò corpus jejunio atteri non improbabat: sed turpe nimis, & inhonestum esse censebat, *ante tot fratrum intuentium oculos membra nudare*. Non multò pòst Stephanus morte repentina è vita sublatus est, quod Petrus justo Dei Omnipotentis

Petri Damiani adversarii. — Id. lib. 6. epist. 27. — Id. opusc. 43. cap. 2. — Ibid. cap. 1.

tentis judicio factum putat *propter hujus verbi piaculum*, tametsi eum virtutibus floruisse non neget & *piæ memoriæ* virum dicat. Hinc Casinates hortatur, ut intermissam corpus affligandi consuetudinem resumant.

Hæc controversia denuo his temporibus non semel agitata est, eamque XLI
nuperrimè vir eruditione & doctrinâ clarissimus, nobisque amicus, libro singulari revocavit. Hoc in libro meritò improbat tum publicos illos Flagellantes, è Galliis jure proscriptos; tum etiam abusus nonnullos, quos eo in genere à quibusdam commissos fuisse dicit. At de re ipsa ut dicam quod sentio, pace clarissimi viri, adduci non possum ut credam, quod Scriptura sacra pueris ad correptionem, quod libri pœnitentiales peccatoribus ad expiationem, quod antiquiores regulæ monasticæ ad satisfactionem infligendum statuunt, id sponte assumi non licere, aut decere. Quod enim quis animo pœnitentis pati potest ex obedientia, quidni amore pœnitentiæ sibi ipse imponat? An verò indecorum non est corpus alteri flagellandum nudare; & nemine conscio de se ipso pœnas sumere inverecundum & inhonestum erit? At mortem, inquies, nocentibus leges civiles infligunt, quam sibi sponte consciscere nemini licet. Verùm hic non agitur de pœnis in criminali foro, sed in Ecclesiastico tribunali impositis: quas quidem, si ex obedientia subire Deo gratum est, certè ex caritate & pœnitentiæ studio sponte suscipere non erit ipsi, ut opinor, ingratum. In summa, omnia satisfactionum & expiationum genera, quæ pœnitentibus à Sacerdotibus imponi possunt, & à Canonibus sunt præscripta, ea sponte sibi imponere & infligere licere non dubito. Ut rem paucis finiam, id saltem ab undecimo sæculo non improbarunt, immo suis discipulis præscripserunt viri sanctitate & purioris disciplinæ studio celebres, Bruno Cartusianorum institutor, & Bernardus Abbas Clarævallensis; denique superiori sæculo S. Carolus Borromæus, ut de aliis Sanctis sileam, hoc ipsum pœnitentiæ genus sibi frequenter imposuit, & propria manu inflixit, ut ex ejus vita manifestum est. Hos Duces sequi non inverecundum aut despectum, immo perquàm honorificum & tutum esse nemo jure negaverit. Certè venerabilis Guigo, sacri Cartusiensis Ordinis quintus Præpositus Generalis, etsi *disciplinas* non esse suæ institutionis dicat, nullique suorum, *nisi Priore sciente & favente*, eas *facere*, id est sponte sibi infligere, permittat; id tamen cum Prioris permissu licere satis innuit, omnino ad mentem sancti Benedicti, qui quidvis insolitum, inconsulto Abbate, fieri vetat. Hanc verò Guigonis mentem fuisse tum ipsa verba mox relata, tum aliud statutum de fratribus laicis probat. *In adventu & quinquagesima*, inquit, *per singulas hebdomadas, singuli singulas accipiunt disciplinas, quòd si domi non fuerint, septies pro disciplina Pater noster cum veniis dicunt*. Id verò ab ineunte Ordine, auctore sancto Brunone, institutum fuisse indè colligi potest, quòd Guigo primitivos Ordinis ritus in unum corpus redegit, quæ non tam ipsius, quàm sancti Brunonis Statuta censenda sunt.

Disciplinarum usus apud Cartusianos.

Guig. statut. cap. 35.

Id. cap. 65.

Non minùs res clara est de sancto Bernardo ac de Cisterciensibus. Nam XLII
Bernardus Guidoni Abbati Trium fontium, qui ex incuria ministrantium in Missa calicem absque vino consecraverat, *pro pœnitentia* injungit septem psalmos pœnitentiales quotidie usque ad pascha, septies prosternendo se, *decantare*, sive recitare; & *septem disciplinas accipere*. Consimilem expiationem ob Sanguinem Christi in Missa effusum vide hic in Vita beati Richardi Abbatis Virdunensis. At ejusmodi, inquis, disciplinæ non erant spontaneæ, sed ad delicti mensuram impositæ. Quidni etiam ejusmodi pœnitentiam sibi sponte quivis imponat? An jejunium & cilicium, quæ pœnitentibus Sacerdos præ-

Apud Cistercienses.

Bernard. ep. 69.

pag. 538.

scribere potest, etiam sponte assumta valebunt apud Deum; spontanea verò illa corporis castigatio non proderit, quæ ab aliis imposita meritum habet? „ At non hìc mentio est, ais, disciplinarum propria vapulantium manu in- „ flictarum, sed plagarum, flagrione quodam plagoso diverberante datarum„. Atqui recurrit eadem responsio; & Bernardi verba, *septem disciplinas accipere*, alium sensum mihi videntur habere, uti & alia quæ subsequuntur. *Sanè si sermo exiit inter fratres, ut ipsi omnes singuli*, id est soli & seorsim, *singulas accipiant disciplinas*. Certè *accipere disciplinam*, tametsi ambiguum esse non diffiteor, etiam in vernacula lingua obtinet pro eo, quod est sibi ipsi infligere. Postremò, quod de spontaneis Cisterciensium disciplinis rem evincit, Fastredus Abbas tertius Claravallensis in præclara illa epistola ad quemdam sui Ordinis degenerem Abbatem, his verbis eum compellat. *Non sinè pudore dico, quod tamen dicendum: quòd multi sunt in via Dei, subditi suo Abbate, navigantes nauclero, milites duce perfectiores: quódque tuo in monasterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis canis opiparis & superfluis transigis, ipsi orationi vacant, & ad expiandas culpas & earum remissionem, disciplinas sumunt*, quo loco nihil clarius afferri posse puto ad probandas spontaneas sui ipsius flagellationes. Sanè longè minùs indecorum & inhonestum est, ut jam dixi, propria manu seorsim eas sibi infligere, quàm nudatos alteri humeros verberandos exhibere: nec contra honestatis leges peccant, qui vel nullo spectante seorsim, vel in commune nocturnis in tenebris id faciunt. Hæc ad propositum de hoc argumento sufficiant, ad vindicandum priscum Sanctorum usum, qui modò non in propatulo, sed honestè & moderatè fiat, non modò non improbandus est, sed sanctorum hominum judicio & usu probandus.

XLIII
Probatio per duellum.

Ex variis probationum generibus, quæ antiquis usitatæ fuerunt ad res dubias dirimendas, duæ in primis undecimo sæculo frequentes erant, scilicet probatio per ignitum ferrum pro Ecclesiasticis, & duellum pro Sæcularibus viris. Probatione per ignitum ferrum sancta Cunegundis imperatrix usa est ad probandam pudicitiam suam, & Petrus monachus ad simoniam reprimendam, ob id Igniti cognomen sortitus. Duellum more veterum Francorum & Germanorum scuto & fuste fiebat, passim non sinè cruoris effusione, quandoque etiam cum cæde. Quæ causa fuit, ut Ecclesiasticis maximè interdicta esset, tametsi non rarò ab ipsis etiam adhibita fuerit. Insigne ejus rei exemplum affert Sirmundus in notis ad Goffridum Vindocinensem Abbatem, nimirum in causa Haimerici Vicecomitis Toarcii cum Theoderico sancti Albini Abbate, à quo *ille pro relevatione equum unum centum solidorum, aut solidos centum* exigere volebat, quod Abbas denegabat. In hac contentione Abbas vice comiti optionem dat jus suum, *aut calidi ferri judicio secundùm legem monachorum per suum hominem probare, aut scuto & baculo juxta legem sæcularium defendere*. Duellum eligit vicecomes: sed, ut erat vir pius, sanguinem aut cædem veritus, *remisit pugnam, remisit & consuetudinem*, modò ut societatis monasterii fieret particeps: quod facilè obtinuit. Alia duo exempla profert Sirmundus ad illustrandam epistolam Goffridi Abbatis ad Petrum Santonensem Episcopum, quem rogat, ut prohibeat duellum, cœptum inter Rainaldum Chesnellum clericum Santonensem, & Guillelmum monachum suum, utpote sæculi legibus & sacris Canonibus contrarium. Verùm sæculo insequente Ecclesiastici etiam facultatem obtinuerunt duellum interponendi per suos homines: quos inter Gaufridus Carnotensis antistes, eo nomine secundus, à Ludovico sexto Francorum rege obtinuit, *placitis & negotiis, liberam & per-*

Sirm. in Goffrid. pag. 62.

Analect. t. 2. pag. 561.

& perfectam haberet testificandi & bellandi licentiam. Consimile privilegium ab eodem Rege concessum Theobaldo Fossatensi Abbati, *ut servi Fossatensis Ecclesiæ adversùs omnes homines* eamdem facultatem haberent, *& nemo umquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare præsumeret calumniam*.

XLIV Ad ejusmodi duella, tanquam ad ludicrum spectaculum, concursus fiebat, eisque aderant etiam Episcopi: quod de se ipse testatur Hamelinus Episcopus Redonensis in litteris à Sirmundo relatis super controversia quadam, duelloque in prato Episcopi commisso juxta flumen Isolam, *præsentibus nobis*, inquit, *& Comite Conano*, aliisque. Tempore sancti Ludovici Francorum regis monomachia hæc adhuc vigebat, eaque admissa est in controversia quadam, quam Rex cum Episcopo Aurelianensi habebat. Initum hac de re duellum in quodam allodio Miciacensis monasterii: cui Petrus de Escancilla ballivus domini Regis, & Adam de Monte regali ballivus Episcopi, ne id in monasterii præjudicium verteret, fidejussorias litteras dederunt anno Domini M.CC.XLVI. Non omittendæ hoc loco consimiles litteræ Johannis Episcopi Parisiensis, qui celebri duello, quod in pratis S. Germani fieri debebat, adesse volens, sequentes litteras ob cautionem dedit.

Noverint universi, quòd cùm nos Johannes Dei gratiâ Episcopus Parisiensis venissemus & accessissemus ad consilium domini Regis in Abbatia sancti Germani de Pratis, die tertia mensis decembris, in cujus crastinum prope dictam Abbatiam debebat fieri duellum inter nobiles, & potentes viros, dominos ducem Lincastriæ & ducem de Bresvic, ut dicebatur: cùmque causâ videndi dictum duellum, nos venerabilem patrem dominum Abbatem dictæ Abbatiæ rogassemus, ut nos hospitare vellet, & in sua Abbatia cameram assignaret, quod nobis duxit gratiosè concedendum; nos nolentes dicto Abbati, ejus Abbatiæ vel successoribus suis in futurum, aliquod propter hoc præjudicium generari, nec nobis aut successoribus nostris novum jus propter hoc acquirere, confitemur, dictam concessionem ex gratia recepisse. Datum sub nostro sigillo in testimonium præmissorum die prædicta, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono.

Sed fortè hic ludus equestris erat, quod genus pugnæ duellis prædictis videtur successisse: tametsi diversi generis erant ludi illi * equestres, qui tantùm ad spectaculum, & ad specimen dexteritatis exhibendum instituti erant: duella verò ad finiendas lites, quæ solitis juris formulis finiri non poterant.

* *Turneis.*

XLV Reliquiarū probatio per ignem. His probationum generibus aliud addendum est eo tempore usitatissimum, ut scilicet Sanctorum dubiæ reliquiæ igni probarentur. Id sub finem sæculi sexti statuerat in Hispania Concilium Cæsaraugustanum de reliquiis, quæ in quibuscumque locis, Ariana hæresi infectis inventæ fuissent. Preces ejus rei causâ olim fieri solitæ, quales retulit noster Theodericus Ruinartus in notis ad Gregorium Turonensem. Quod attinet ad ejusmodi probationum exempla, duo tantùm ex priori hujus sæculi volumine huc afferre sufficiat. Unum est de particula lintei, quo pedes discipulorum Salvator extersisse creditur, in Casinense monasterium à duobus monachis allata. Cùm de ea plurimi dubitarent, duo illi fide haud dubia prædictam particulam ignitis turribuli carbonibus imposuerunt; *quæ mox quidem*, ait Leo, *in ignis colorem conversa; post paullulum verò, amotis carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter est reversa*. Alterum exemplum est de corpore sancti Felicis, à Wolfgango Aquilegiensi Patriarcha misso ad Meinwercum Episcopum Patherbrunnensem, qui ejus veritatem experiri volens, *rogum maximum in medio claustri*

Gregor. Tur. pag. 1366.
Sæc. 6. tom. 1. pag. 101.
Ibid. p. 390.

sub

sub divo fieri præcepit; in quem cùm tertiò corpus misisset, cum maxima exsultatione corpus illud *super principale altare detulit, & omnium venerationi sollemnem sanctum illum deinceps haberi instituit*. Exstat penes nos in monasterio S. Germani insignis portio veræ Crucis, à Serenissima Principe Palatina nobis nuper testamento legata, quæ in ardentem conjecta ignem, nullam læsionem passa est, spectantibus principibus viris, quorum nonnulli etiam supersunt. Hic video quid reposituri sint nonnulli, nempe indubias Sanctorum reliquias, quales fuêre sancti Martini Episcopi Turonensis, sanctæ Radegundis Reginæ, & sancti Francisci de Paula, superiori patrum nostrorum sæculo in ignem ab hæreticis conjectas fuisse, & ab igne consumtas. Verùm illa quæ prædiximus miracula olim obtinere potuit Ecclesiæ fides & oratio, quod tunc non meruit impietas.

XLVI Corporale delatū contra incendia. Affinis est his alius ritus, deferendi scilicet sacrum illud linteum, quod *corporale* vocamus, ad restinguenda incendia. Huc spectat Glaber Rodulfus in lib. 5. *De chrismale*, inquit, *quod à quibusdam corporalis appellatur, plurimùm expertum est præstare remedia, si fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia sæpiùs elevatum aut exstinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, seu in partem alteram reversit*. Id factum refert Aimoïnus in Floriacensis monasterii incendio, quo grassante circumlatum est corpus sancti Benedicti *cum palla, super quam pridie corpus Jesu Christi fuerat confectum*. Idem factum in incendio Tuitiensi, teste Ruperto Abbate. Hinc apud Cluniacenses semper unum corporale in scriniolo servabatur, ut ad manum posset esse contra periculum ignis.

Aimoin. lib. 2 de Mirac. S. Bened. cap. 9.

§. VI.

De anno Hugonis Capeti obitus; & consequenter de anno, quo filius ejus Rotbertus Monarchiam Francorum adeptus est.

XLVII Mirum est quantùm auctores cùm veteres, tum recentiores, dissentiant in assignando anno, quo Hugo Rex Francorum, cognomento Caputius seu Capetus, è vita decessit. Sigebertus & duo Chronica apud Labbeum, Leodiense & Massiliense, tertium Kemperlegiense apud V. C. Baluzium, & fragmentum quoddam Historiæ Francorum ex codice Floriacensi à Chesnio editum, ejus obitum anno CM. XCVI. consignant. Plerique alii auctores anno insequenti: Hugo à sancta Maria Floriacensis, & Odorannus Senonensis Monachus anno CM. XCVIII. quibus Hadrianus Valesius in notis ad Carmen Adalberonis Episcopi accedit. De die omnes consentiunt Hugonem IX. Kal. Novembris obiisse. Mihi verò pro certo, & explorato est, supremum ejus fuisse annum CM. XCVI. idque multis illius temporis instrumentis & documentis videtur constare. Primum occurrit Archembaldi Turonum Archiepiscopi instrumentum, quo Monasterio sancti Juliani omnia suæ dioc-

Labbe. tom. 2 Bibl. p. 337 & 339. Miscell. to. 1. pag. 521. Chesn. tom. 2. pag. 232.

diœcesis altaria, eidem antea concessa, libera & à quavis redhibitione immunia declarasse dicitur *anno CM. XCVI. Rotberti Regis anno primo*. Alterum est Hugonis Autissiodorensis Episcopi pro cœnobio Paredi, quod Lambertus comes ipsius pater in Augustodunensi pago exstruxerat, *datum mense Majo, Indictione XII. anno Incarnationis Domini DCCC. XCIX. Rotberto Rege, anno IV. regni ejus*, quod instrumentum Gerardus ex authentico vulgavit. Accedit ipsius Rotberti Regis diploma, quo Miciacensi sancti Maximini Monasterio, Rotberti Abbatis rogatu, tuitionem suam contra molestias regiorum ministrorum impertit. *Datum mense Aprili, in Conventu regio, Indictione XIV. sexto anno, postquam Monarchiâ Regni Rotbertus Rex gratiâ Dei sortitus est. Actum Aurelianis civitate die pascha secundo*, id est anno Christi millesimo primo, qui sextus Rotberti Monarchiæ non esset, nisi anno DCCCC. XCVI. Hugoni patri successisset. Anno insequente donatio quædam Monasterio sancti Michaëlis ad Mosam facta est in villa comitatus Barrensis, dicta *Vilercel*. *Actum anno ab Incarnatione M. II. Indictione XV. regnante Rotberto rege anno Regni ejus VIII.*, qui calculus constare non potest, nisi Rotbertus Hugoni patri successerit anno DCCCC. XCVI. Perard. pag. 167. & seq.

Id porrò luculenter confirmat testimonium Aimoïni Floriacensis monachi, auctoris æqualis, in libro 2. de miraculis S. Benedicti cap. 9. ubi Ligeris inundationem contigisse testatur *anno Incarnationis Domini millesimo tertio, regni autem Rotberti Regis, quo cum patre regnare cœpit, sexto decimo, Monarchiæ verò septimo*. Hæc inundatio accidit tempore *hiemis solito longioris*, ut fidem facit Chronicon Floriacense à clarissimo Baluzio editum; ac proinde sub initium anni millesimi tertii: nam si sub finem alius anni accidisset hæc inundatio, hiems illa *longior* dici non potuisset, quippe vix à mense Novembri incœpta. Ne quis verò dicat, Aimoïnum pro veteri more initium anni sequentis millesimi quarti ad præcedentem retulisse; occurrit idem Chronicon, in quo Gerbertus seu Silvester II. Papa eodem anno mortuus dicitur, quem anno M. III. obiisse constat, & anno sequenti Abbo Abbas martyrio coronatus, & quidem mense Novembri. Cujus Abbonis martyrium Aimoïnus ipse, aliique omnes anno M. IV. collocant. Cùm itaque idem Aimoïnus Hugonem cum filio *per decem annos continuos* regno potitum fuisse dicit; de annis incompletis intelligendus est. His omnibus adde chartam de restauratione vitæ canonicæ in Ecclesia Barcinonensi, datam *VII. Idus Martii in æra XLVII. post millesimam, regnante Rotberto Rege Francorum XIII. anno*, qui calculus sententiam nostram egregiè confirmat. Hæc observatio non levis momenti visa est ad stabiliendam epocham tum Hugonis Regis obitus, tum Monarchiæ Rotberti ejus filii: quam epocham jam quidem assignaveram in libro secundo de Re diplomatica: sed quia idoneis non fulta erat argumentis, ea huc conferre visum est quoddam operæ pretium. XLVIII Miscell. to. 2. pag. 306. Marca Hisp. pag. 970.

§. VII.

De tempore quo Rotbertus Bertam repudiavit, duxitque Constantiam.

NOn levis etiam difficultas est de tempore, quo Rotbertus Rex Bertam, Odonis Comitis olim uxorem, suamque commatrem, sibi copulavit, quo- XLIX

quove tempore eam ob affinitatem repudiare coactus est, eâque repudiatâ Constantiam, Willelmi Provinciæ Comitis seu Ducis, & Adelaïdis filiam, matrimonio sibi conjunxit. De priori certum mihi videtur, Bertam Rotberto haud ante mortem Hugonis Regis nupsisse: tum quia Hugo vix solidum annum Odoni Comiti, Bertæ marito, supervixit: tum quia hæc conjunctio facta non est ante Arnulfi Archiepiscopi restitutionem in Sedem Remensem: quam restitutionem Leo Abbas à Rotberto Rege demum obtinuit *ad confirmandum Regis Roberti novum conjugium*, testante Gerberto in epistola 159. ad Adelaïdem Augustam, scripta paullò ante hanc restitutionem, quæ anno DCCCC.XCVII. post mortem Hugonis proximo facta est. Ad Bertæ repudium quod attinet, plerique hoc factum putant ante annum millesimum; Beslius anno DCCCC.XCVIII. At ne quidem ante annum millesimum contigisse probabilius est, sed tamen ante mortem Abbonis Floriacensis martyrio affecti anno millesimo quarto, mense Novembri: siquidem ejus hortatu Rotbertus Bertam à suo consortio removit, teste Helgaldo. Certè in duobus ejus diplomatis pro Fossatensi Monasterio, quorum alterum anno DCCCC. XCVIII., alterum anno millesimo datum est, Rotbertus Bertam adhuc conjugem suam vocat. Unum ex his diploma exstat in libro sexto de Re diplomatica, quo rex donationes à Burchardo comite, ejusque filio Rainoldo Parisiorum Episcopo Fossatensibus factas confirmavit, *suggerentibus ac intervenientibus dilectis nostris*, inquit, *videlicet dulcissima genitrice nostra Adelaïde, atque conjuge nostra Berta*. Alterum est confirmatio donationis ab Ermenfrido milite iisdem Fossatensibus factæ, quam Rotbertus ratam esse jussit *sua matris Adelaïdis, uxorisque Bertæ suggestionibus*, ut in libro de vita Burchardi comitis legitur: cujus rei præceptum extat in chartario Fossatensi, ubi id disertè exprimitur, datum Parisiis anno Incarnationis Christi millesimo, Rotberti Regis duodecimo. Scio equidem Bertam etiam post repudium se dixisse aliquando Reginam: at Rotbertus ipse eam deinceps uxorem suam numquam dixit. Et quidem anno insequente Bertam à Rotberto sejunctam fuisse intelligimus ex quadam ejus charta pro Burguliensi Monasterio, in qua Berta Regina & filii sui Terbaldus & Odo, atque Agnes eorum soror Burguliensibus confirmant, Gauzberti Abbatis rogatu, donationem ab Emma comitissa factam de alodiis Coldra & Longa villa, sitis in pago Ebroïcensi. *Datum Blesis castro mense Septembri*, anno Incarnationis M.I. sive Rotberti Regis X.

Besly Comites pag. 297.

Diplom. pag. 578.

L Necdum tamen Constantia Rotberto nupserat mense Augusto ejusdem anni millesimi primi, quo anno Adalax seu Adalaïs comitissa, ejus parens, Monti-majori prædia quædam in valle Ollieria donat una cum filio suo Willelmo comite, & *filia sua Constantia*; quæ donatio facta est *in mense Augusto, regnante Rodulfo Rege, indictione XIV.*, quæ indictio à morte Conradi Regis Rodulfi patris primùm occurrit anno millesimo primo. His litteris apponitur *signum Adalax comitissæ, & filii sui Willelmi comitis, & filiæ suæ Constantiæ, qui hanc chartam facere jusserunt*. Erat ergo adhuc in materna domo Constantia, ac proinde necdum Rotberto conjugata.

LI „ Aimoïnus in lib. 2. de miraculis S. Benedicti cap. 8. scribit, Hugonidem Rotbertum uxoriam inire copulam *jam dudum* mente tractantem, & „ ab Arelatensium partibus assumere sibi conjugem, exercitu congregato „ sponsæ jam jamque adventanti obviàm profectum fuisse. Dumque iter „ agens, ulteriorem Ligeris ripam teneret, contigisse Guillelmum Beles„ mensem, castra metandi causâ, curtim Abbatis Floriacensis, quæ Abbatis-

„ tis-villa dicitur, sibi delegisse : ubi Theoderico Monacho ejus loci præpo- „ sito aliqua injuria illata sit „, à S. Benedicto vindicata, quo præcisè tempore id acciderit, non exprimit Aimoinus : at Rotbertum hoc conjugium *jam dudum* meditatum fuisse disertis verbis asserit.

Nullum verò certius argumentum ad statuendum illius matrimonii tempus nobis occurrit, quàm ætas Hugonis, Rotberti & Constantiæ primogeniti, qui non ante annum millesimum septimum natus videtur. Is quippe rex à patre dictus est anno M. XVII. cùm esset *puer ferè decennis*, teste Glabro. Atque adeò prædicto anno M. VII. natum esse oportuit. Mortuus porrò est anno M. XXVI. necdum vicennis. Emendandum proinde ejus epitaphium apud eumdem Glabrum, ubi *annis ter denis minùs duobus* vixisse dicitur, sicque restituendum: LII *Baluz. Miscell. tom. 2. pag. 107. Glab. lib. 3. cap. 9.*

Annis florebat mundo juvenilibus;
Bis-denis minùs excreverat duobus
Regnorum lumen Hugo, regum maximus.

Ex his intelligitur Bertam ante finem anni millesimi quarti repudiatam fuisse, Constantiam autem Rotberto nupsisse ante annum millesimum septimum, quo anno Hugo eorum primogenitus natus videtur. Certè in altero ejus epitaphio, quod Beslius ex codice Petaviano primus vulgavit, adhuc *puer* fuisse dicitur, cùm mortuus est. *Besly p. 300.*

Celtiber illacrymat, te regem Roma petebat,
O miserande puer, sed tumulatus hic es.

Quamquam, ut verum fatear, *puer* dici potuit necessitate metri, qui aliàs *flos juvenum* in eodem epitaphio dicitur. Ceterùm parvulus erat, testante Odoranno, cùm Rotbertus Rex Romam profectus est : quod iter contigit initio Pontificatûs Benedicti VIII. ac proinde non ante annum M. XII., quo tempore Berta adhuc sperabat, *faventibus quibusdam aulicis, decreto Apostolico* se in regium thalamum *restituendam* fore. Non me fugit, quod Glaber scribit, Rotbertum scilicet *circa annum millesimum* Constantiam sibi in conjugium accepisse : at id non satis expressè dictum, nec certum annum designat. Rotbertum Romam euntem comitatus est Ingelramnus seu Angelramnus Monachus, tum adolescens, in reditu factus eo curante Abbas Centulensis : quo tempore Rotbertus Bertam denuo resumere meditabatur, teste Odoranno. Et re quidem vera Constantiam ad tempus à regio consortio abductam, eique Bertam rursus adscitam fuisse probat rythmus tunc temporis scriptus, qui in tomo 3. Analectorum à nobis vulgatus est. *Glab. lib. 3. cap. ult. Spicil. tom. 2. pag. 544. Analect. t. 3. pag. 534.*

Plura in præsens dicere supersedeo, cetera quæ de illo sæculo dicenda & observanda supersunt, in Præfationem voluminis sequentis reservans. Hanc verò editionem non tantùm curavit noster Theodericus Ruinartus, sed etiam acta hujus sæculi maxima ex parte notis & observationibus illustravit, dum ego Annales Ordinis nostri prosequor, quos intra biennium, si Deus vitam mihi ad id tempus produxerit, in lucem emittere incipiemus. Actis prioribus operam suam contulerat, hisque digerendis operam dare parabat noster Michaël Germanus : at pro dolor! mors illum præmatura nobis abstulit anno M. DC. XCIV. ineunte, postquàm is per annos ampliùs viginti, indefesso labore operam mihi suam in studiis nostris impenderat peramanter, & in omnibus noctu & interdiu præstò adfuerat. Reddat ei Deus vicem in illa vita, ubi nullum meritum perit. Dum carissimi consodalis & amici recordor, committere non possum, ut omittam memoriam optimi quondam senis, mihique perquàm recolendi Domni Lucæ Acherii, cui quantum debeat res pu- LIII

blica litteraria, veterum opera ab eo edita, in primis Spicilegii tredecim volumina testantur, quæ ille inter continuos languentis valetudinis casus collegit, & publici juris fecit. Quid verò ad hæc Acta colligenda olim contulerit à me dictum est in Præfatione ad sæculum nostrum primum: ubi horum Actorum editionis consilium, & quibus auctoribus id factum sit, exposui. Multum verò ejus in me benevolentiæ me debere profiteor, qui quoad vixit, studia in Congregatione nostra promovere curavit. Finem vivendi fecit anno M.DC.LXXXV. mensis Aprilis XXIX. octogenario duobus annis minor. Ceterùm hæc otia nobis omnibus fecerunt Præpositi nostri generales, quibus prævivit Reverendissimus Pater Domnus Gregorius Tarissius, qui studia in Congregatione nostra primus excitavit, delectosque à se consodales nostros adhibuit ad ea omnia colligenda, quæ tum ad Ordinis nostri Sanctorumque nostrorum historiam, tum ad Ecclesiastica documenta pertinent. Ejus studium in rem litterariam hactenus æmulati sunt successores, quorum vestigiis utinam subsequentes insistant, sed absque detrimento, quantum fieri poterit regularis disciplinæ, quæ ceteris omnibus præferenda est. Hæc in fine tomi ultimi differenda erant; sed vereor ut ne ad id tempus superstes sim ad faciendam earum rerum commemorationem, cui faciendæ me obnoxium esse persentiebam.



JOANNIS MABILLON
PRÆFATIO
IN PARTEM SECUNDAM SÆCULI SEXTI ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quod eſt ab anno Chriſti M. ad MC.
impreſſa Pariſiis anno 1701.





N posteriori hujus Sæculi Præfatione quædam haud levis momenti nobis tractanda restant, cùm de monasticis tum de Ecclesiasticis rebus, quatenus hæ ad nostrum propositum pertinent. In primis agendum de schismate Græcorum, per Michaëlem Cerularium in Romanam Ecclesiam excitato, & de objectis Græcorum in Latinos. Dein de Berengario, ejusque hæresi, necnon de multiplici ejus condemnatione, ac resipiscentia: & de variis auctoribus, qui contra eum scripserunt. Sub hæc de gestis Gregorii VII. Postremò de variis Ordinibus seu Congregationibus in Ecclesia Latina sæculo undecimo institutis, scilicet de Camaldulensibus, Vallumbrosanis, Grandimontensibus & Cartusiensibus: quæ omnia in totidem sectiones distinguemus. His omnibus quàm brevissimè licebit pertractatis, succedent observationes quædam Ecclesiasticæ, quæ in priori Præfationis nostræ parte desiderantur. I Præfationis argumentum.

§. I.

De Schismate Græcorum per Michaelem Cerularium in Romanam Ecclesiam excitato, & de eorum objectis in Latinos.

JAm anni ferè ducenti à Schismate Photiano effluxerant, cùm, necdum bene obducta cicatrice, aliud non minùs perniciosum, & hactenus insanabile exortum est. Post mortem quippe Alexii Patriarchæ Constantinopolitani, quæ anno millesimo quadragesimo quarto, mense Februario accidit, subrogatus est in ejus locum Michaël, cognomento Cerularius, qui à Johanne germano Michaëlis Imperatoris in exsilium actus fuerat ob tyrannidem affectatam, testante Johanne Curopalata. Hinc neophytus ad Patriarchale evectus fastigium, Alexandrino & Antiocheno Patriarchis suas prærogativas detrahere conatus, demum in Romanum Pontificem, totamque Latinam Ecclesiam se convertit, specie quidem, ut cum Romano Pontifice & Latina Ecclesia communionem sarciret; sed re ipsa, ut causas II Græcorum schismatis origo & progressus.

ſas utrique conviciandi quæreret, ac prætexeret. Tunc Romanæ Eccleſiæ præerat Leo IX. Damaſo ſecundo ſuffectus anno milleſimo quadrageſimo nono: quo tempore Græci in Apulia contra Imperatorem rebellaverant. Hac occaſione Cerularius litteras ſcripſit ad Leonem Papam, *cum multa*, ut ipſe ajebat, *humilitate*: „ tum ut Leo cum Græcis eadem ſentiret, removeretque „ ſcandala, quæ de Latinis circumferebantur circa orthodoxam fidem: tum „ ut ipſum ſibi benevolum redderet, quò per eum Francorum auxilium con„ tra Græcos rebelles Imperatori procuraret „. Eodem tempore Petrus Patriarcha novus Eccleſiæ Antiochenæ, quæ uti & Alexandrina, quamdam ſemper communionem cum Latinis retinuerat, litteras cum Fidei catholicæ profeſſione miſit ad Leonem Pontificem, qui ejus promotionem laudavit confirmavitque. Non tulit hanc Petri Antiocheni moderationem Cerularius, magnopere improbans, quòd Romanum Pontificem in ſacris diptychis commemoraret. Quin etiam, adjunctis ſibi Leone Acridano Archiepiſcopo Bulgarorum, & Niceta Pectorato, variis ſcriptis Leonem Papam & Latinam Eccleſiam exagitavit. Reſpondit ad Cerularii litteras Petrus Antiochenus ea, qua præditus erat, moderatione, & objectiones in Latinos ab eo factas partim inſuper habuit. „ Et alia quidem, inquit, viſa ſunt deteſtanda, qualis „ eſt particulæ *Filioque* adjectio ad ſanctum Symbolum: alia verò ſanabilia; „ quædam denique digna, quæ diſſimulentur. Ubi autem nec circa Deum, „ nec circa fidem periculum eſt, propendendum ſemper ad pacem & fratrum „ amorem. Denique multa itidem apud Orientales tolerari, quæ poſt mul„ tum laboris ac ſtudii non potuerint exſcindi. Quòd ſi eorum, inquit, qui „ ſub nobis degunt, ſuperiores evadere non valemus; quo pacto illam gen„ tem, ſuperbam altæque cervicis, à ſuis conſuetudinibus revocare poteri„ mus? Ceterùm non facilè aures præbendas inanibus calumniis, nec ſuſpi„ cionibus temerè habendam fidem. Demum epiſtolam ita concludit: Atque „ hoc divinam tuam beatitudinem admittere exhortor: ne dum omnia requi„ rimus, omnia amittamus „. Hæc epiſtola ſcripta eſt poſt mortem Leonis Papæ, quæ anno M.LIV. accidit, cujus ſucceſſori ſcribendum monet Petrus, ut objecta vel neget, vel excuſet.

Cerul. ep. ad Petr. Antiochen.

Coteler. to. 2. Monum. pag. 145. & ſeqq.

III Verùm Leo Papa, urgenti malo præſens remedium adhibiturus, Legatos cum litteris direxerat ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem, ſcilicet Humbertum Cardinalem & Epiſcopum, Petrum Amalphitanum Archiepiſcopum, & Fridericum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarium; qui, viſitato primùm Caſinenſi monaſterio, ut ſuæ legationis ſucceſſum Deo commendarent, in urbem regiam profecti ſunt. Hos benignè & honorificè excepit Imperator, contrà quàm Cerularius, quem Legati in errore obſirmatum anathemate perculerunt. Humbertus primùm Mediani Monaſterii in Tullenſi diœceſi monachus, indéque Romam profectus cum Brunone electo Pontifice, atque ab eo creatus Cardinalis & Epiſcopus Silvæ candidæ ſeu Sanctæ Rufinæ præcipuas hoc in negotio partes habuit, iſque unus voce ac ſcriptis, quæ exſtant, Cerularii objecta & errores refutavit, & Nicetam Pectoratum ad reſipiſcentiam adduxit. Petrus Amalphitanus Archiepiſcopus à Cerulario fruſtra culpatur, tanquam ob facinora è ſede ſua pulſus, quem *piæ memoriæ* virum vocat Petrus Damiani, unde redarguas putidum impoſtorem Bennonem, qui eum ob malas, ut ipſe nugatur, artes infimare conatur, ut Gregorio VII. ejus diſcipulo labem adſpergat. Tertius è legatis Fridericus, Godefridi Tuſciæ ducis frater, Leonis Papæ & Henrici Imperatoris propinquus erat,

Petr. Dam. initio opuſc. 34.

erat, posteà Casinensis Monachus & Abbas, dein Cardinalis, ac demum Summus Pontifex ad breve tempus sub nomine Stephani X.

IV Objectiones in Latinos.

Objectionum capita, quæ Cerularius Latinis exprobrabat, partim eadem, partim alia erant ab iis, quæ Photius sæculo nono jam opposuerat. Hæc in summa refert Cerularius in epistola ad Petrum Antiochenum: „ nimirum quòd Latini particulam *Filioque* Symbolo adjecissent; quòd azymo „ pane in sacrificio utantur: quòd feriâ quartâ carnem, parasceve caseum „ & ova edant; sabbato jejunent; suffocata & polluta comedant; quòd mo„ nachi adipe suillo utantur, eorumque infirmi carnibus vescantur. Ad hæc „ quòd Sacerdotum nuptias prohibeant Latini; & in Missa tempore commu„ nionis unus ministrantium azyma comedat, & reliquos salutet, quòd anu„ los in manibus Episcopi gerant ut sponsi; insuper quòd baptismum unica „ mersione peragant; denique quòd omnes barbam radant „. Quid ad hæc responderit Humbertus, singillatim exponere otiosum fuerit. Illud unum observare licet, quòd negat, Latinos suffocato & sanguine ad id tempus usos fuisse. Pressiùs objecta ipsa refellit in multis Petrus Antiochenus in epistola ad Cerularium; „ excusatque Latinos, quòd barbam radant, & quòd Epis„ copi anulos gerant. Quòd autem polluta manducent ipsi Latini, eorum„ que Monachi edant carnem & adipem porcinum, illa quoque invenies, „ inquit, modò indagaveris, apud quosdam è nostris fieri; quod Magni Ba„ silii testimonio probat, & exemplo sancti Pachomii, quem in suo sancto „ monasterio sues è micis ac mensæ reliquiis pavisse dicit: quibus mactatis, „ carnem quidem hospitibus in cibum præbebat: interanea verò ac extremi„ tates pedum capitisque senibus monachis & infirmis apponebat. Egregium „ verò scilicet ac suave obsonium, inquit, lentem & fabam defectu boni olei, „ cum adipe suillo coctas comedere „! Ex illa nihilominùs Cerularii objectione in monachos, quòd carnibus infirmi vescerentur ex Regulæ sancti Benedicti indulgentia, occasionem fortè sumsit sanctus Bruno Cartusianorum auctor, ut carnium esum suis, etiam infirmis, interdixerit: tametsi in Statutis Guigonis non fiat diserta illius abstinentiæ mentio capite XXXVIII. ubi propter solos infirmos emendorum piscium facultas conceditur: at in prima parte compilationis Statutorum antiquorum sæculo XIII. factæ, *esus carnium, cui Ordo renuntiavit*, nulli infirmorum, ne quidem leprosis, conceditur cap. XLIV. qualem abstinentiam venerabilis Stephanus, Grandimontensis Ordinis auctor, suis etiam discipulis disertis verbis interdicit in Regulæ suæ cap. LVII. Quòd verò nonnulli Græcorum Latinis objiciebant, quasi honorem sacris reliquiis & imaginibus detraherent: id falsum revincit Petrus Antiochenus, tum ex cultu, quem Romani reliquiis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli exhibebant: „ tum ex eo quòd videmus, inquit, Francos peregrinos in no„ stra omnino veneranda templa intrare, omnemque honorem ac reveren„ tiam sacris imaginibus impertiri. Itaque rogo, subdit ille ad Cerularium, „ supplico, obtestorque mente tuos sacros pedes amplectendo, ut de eo quod „ exactius est remittens divina tua beatitudo, rebus sese accommodet. Me„ tuendum enim est, ne, dum vult discissum sarcire, pejorem scissuram fa„ ciat; dumque prolapsum erigere contendit, majorem efficiat casum „. Utinam hanc moderationem Græci omnes semper in animo habuissent, vel modò saltem haberent!

Coteler. ubi supra p. 149.

Ibid. p. 158. & seq.

V Leonis IX. obitus & consequentia.

Interim moritur Leo Papa: quo nuntio accepto, Legati Romam reditum parant. Hos donis muneratos dimisit Imperator, eisque munera haud exigua beato Petro offerenda præbuit. Eorum insuper precibus annuum censum,

Chron. Casin. lib. 2. cap. 89. sum, id est binas auri libras, Casinensi monasterio quotannis persolvendas instituit. Verùm eos in reditu Trasimundus Theatinus comes intercepit, spoliavitque. Invidiam nihilominùs apud Henricum Germaniæ regem passus est Fridericus Cancellarius, quasi pecuniis ac donis suffarcinatus rediisset, ob id Regi invisus, quòd frater ipsius Godefridus in eum rebellasset. Hac pulsatus calumnia Fridericus, Richerium Casini Abbatem, qui tunc Romæ aderat, convenit, seque in monachum admitti postulavit. Annuit facilè Richerius, præmissoque cum suis Casinum Friderico, ipse post paucos dies subsecutus est cum Henrici regis Nuntiis ad Principes missis: quibus præsentibus, ille abjecta, qua tunc utebatur, pretiosissima veste, sacræ Religionis habitum induit; posteà factus Abbas, dein Cardinalis à Victore II. ac demum post Victoris obitum Pontifex sub nomine Stephani X. anno M.LVIII. Ubi primùm iniit Pontificatum, nihil antiquius habuit, quàm ut Græcos ad Ecclesiæ communionem revocaret: quapropter legationem decrevit in Orientem ad urbem Constantinopolitanam, designato ad id muneris Desiderio Casinensi Abbate, *Ibid. lib. 3. cap. 8.* cui collegas duos adjunxit, Stephanum Cardinalem, & Mainardum posteà Silvæ candidæ Episcopum, dato eis mandato, ut, quàm citiùs fieri posset, reverterentur. Verùm quò minùs hæc legatio suum consequeretur effectum, Pontificis obitus brevi subsecutus intercessit. Tentata subinde Græcorum ad Ecclesiæ communionem reductio: sed hactenùs, quod magnopore dolendum, exiguo & ferè nullo fructu.

VI
Fabula de Johanna Papissa.

Illud obiter observandum, quod Leo IX. habet in epistola ad Cerularium, „ ubi Ecclesiæ Constantinopolitanæ exprobrat levitatem in ordinan„ dis eunuchis ejus Episcopis, ajens loco unius ex eis ordinatam fuisse femi„ nam ferri„: quod sanè Leo Cerulario haudquaquam exprobraturus fuisset, si fabula de Johanna papissa vulgata fuisset, quam à Cerulario in Leonem ipsum, adeóque in Romanam Ecclesiam facilè regeri posse præsensisset. Verùm hæc fabula jam demum apud Eruditos sic malè olet, ut de ea plura dicere vetet pudor: tametsi heterodoxi quidam eam propugnare pergant, ut ridiculo commento suos asseclas pascant. Tantùm addo, quod à nemine hactenus notatum, in veteri carmine de Romanis Pontificibus, quod in Eugenio III. definit, nullam de fabulosa illa Johanna fieri mentionem, utì nec in carmine Frodoardi. Sic enim habet post Valentinum poëta ille anonymus nondum editus.

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus
Pontifices dicti: post quos legimus Benedictum.
Hinc, Nicolaë, tuo tua gaudet Roma decore.

Ex quo intelligitur, hanc fabulam medio Sæculo duodecimo necdum inventam fuisse, quam Martino Polono plerique tribuunt: tametsi in nonnullis ejus exemplaribus, quale est unum apud clarissimum Abbatem Franciscum de Campis, nihil simile habetur. Fatendum est tamen, illam tunc temporis, id est sub finem sæculi tertii decimi, vulgatam fuisse, eamque apud Johannem Iperium reperiri.

§. II.

De Berengario, ejusque Hæreseos ortu & progressu; nec non de variis ejus Confessionis formulis, ac multiplici condemnatione.

DE Berengariana Hæresi dicturis primùm de ejus auctore agendum. Etsi VII
enim complures hoc de argumento deditâ operâ scripserint, nonnulla tamen de eo adhuc illustranda supersunt, ex quibus ea, quæ nobis in manus venerunt, hoc loco præmittere visum est.

Berengarius, seu, ut passim Veteres scribunt, Beringerius, domo Tu- VIII
ronensis, sub initia sæculi undecimi natus est parentibus non omnino obscuris, Walteri Martinianæ Basilicæ præcentoris nepos. E scholis Martinianis, ubi prima litterarum elementa didicisse videtur, ad Carnutenses se contulit adolescens. In his condiscipulum præ ceteris habuit Adelmannum, posteà Brixiensem Episcopum, testante ipso Adelmanno, sub Fulberto magistro: qui morti proximus futuros Berengarii errores prædixisse fertur; eumque à conspectu suo expelli jussisse, viso prope eum dæmone, qui blanditiis suis multos corrumpere tentabat. Certius est id, quod de eo refert Adelmannus in epistola ad ipsum Berengarium, cui in memoriam revocat lacrymas illas, quibus ambos obtestabatur piissimus magister, ut per viam rectam graderentur, *sanctorum patrum vestigiis inhærentes, ut nullum prorsus in diverticulum, nullam in novam & fallacem semitam desilirent, ne fortè in laqueos & scandala inciderent*. Adelmannus ait se tum *majusculum*, Berengarium verò *adolescentulum* seu natu-minorem exstitisse; satisque principio innuit, tunc senem fuisse *venerabilem* illum suum, ut vocabat, *Socratem*, id est Fulbertum, qui ad Sedem Carnotensem promotus anno M. VII. decessit IV. idus Aprilis anno M. XXIX., non anno præcedente, ut multi, etiam veterum, scribunt. De Adelmanno intelligenda videtur Fulberti epistola LVI. ad R. id est Reginardum Leodicensem Episcopum scripta, in qua eum securum esse jubet *de illa ove, qua in nostris*, inquit, *pascuis obversatur*. * *Fratrem A. Subdiaconum loquor, quia Dei gratiâ bene ruminat, & luporum insidias sagaciter cavet*. Hunc apud se remorari postulat Fulbertus in pignus mutuæ inter sese caritatis. Hæc autem epistola scripta non est ante annum M.XXIV., quo anno Reginardus Durando Leodicensium Episcopo successit, atque adeò sub finem vitæ Fulberti Adelmannus in ejus schola cum Berengario adulescentulo versabatur. Per id tempus apud Aurelianos *cruda nimiùm & insolens hæresis*, ut Glaber Rodulfus loquitur, circa divinam Eucharistiam, aliosque fidei articulos detecta est, invecta per mulierem Italam, tum per Lisoïum & Heribertum propagata, qui demum convicti ac flammis traditi sunt anno M.XXII., non M.XVII., ut ex Glabro malè intellecto plerique opinantur; & quidem absente Fulberto, qui tum Romæ versabatur. Post quatuor annos consimiles Hæretici, omnes

Berengarii vitæ initia.

Willelm. Malmesbur. lib. 3. de reb. Angl. & Bibl. Floriac. par. 1. pag. 518.

* *In edit. observatur.*

Glab. lib. 3. cap. 8.

omnes Manichæorum erroribus affricti, in Synodo Atrebatensi itidem convicti à Gerardo Episcopo, & tandem ad resipiscentiam adducti sunt. In eo errore non versabatur Leuthericus præsul Senonensis, qui ob id tantùm à Roberto Rege, uti Helgaldus scribit, increpitus fuit, quòd Corpus Domini, in salutem hominum institutum, ad probationem, adeóque ad pœnam nocentium præberet: quod probationis genus tunc usitatissimum erat.

IX E Carnutensibus scholis domum reversus Berengarius, Clero adscriptus est vivente adhuc Roberto Rege, quo tempore Ulgerius decanus & Sulpicius archiclavis Ecclesiæ sancti Martini Walterio præcentori *ad manum firmam*, ut vocant, *quartas tredecim de terra arabili, & tres, quas comparavit de Ernaldo de Insula, ex voluntate & consensu fratrum, quæ fuit manus firma Beringerii Clerici, sub sua auctoritate concesserunt*, sub annuo censu XXXII. solidorum, ad Missam S. Martini persolvendo: quæ terra sita erat in pago Turonico, *in potestate Sancti Spani*, cujus villa *super rivum Esmancia* posita dicitur. His litteris, quas in Bibliotheca Martiniana vidimus, subscribunt *Ulgerius decanus, Sulpicius archiclavis, Walterius præcentor, cujus & hæc manus firma est; Adam magister scholæ*, & post alios *Raginaldus Sacerdos submagister scholæ*, quæ charta *data est VIII. idus Februarii in capitulo sancti Martini, regnante Rotberto Rege*. Hanc terram *suo nepoti Beringerio donavit cantor Walterius*, ut in alia charta legitur, *sub audientia cleri in capitulo S. Martini, & pretio accepit ab ipso eas res, de quibus charta continebant, eo jure, quo ipse eas possidebat, vel possessurus erat, quamdiu viveret*. Non dubitamus, quin is sit Berengarius Scholasticus, quem posteà magistrum scholæ, nimirum post Adamum mox laudatum, factum legimus in litteris concordiæ, inter Canonicos S. Martini, & quosdam bonos Viros initæ super quadam terra, sita in area S. Martini: cujus rei causâ homines isti adierunt *Radulfum decanum, Raginaldum thesaurarium*, qui submagister scholæ superiùs dictus est, *Gaufridum præcentorem, Beringerium scholæ magistrum, Christianum subdecanum, Joscelinum cellerarium*, & reliquos S. Martini Canonicos: quæ charta, uti & præcedens, destituta est chronicis notis. Has omnes in quodam codice Bibliothecæ Martinianæ reperimus cum fragmento epistolæ ejusdem Beringerii ad W. thesaurarium, & alia ejusdem epistola ad Lanfrancum, de quibus mox acturi sumus. Quàm celebres fuerint hæ scholæ, poëtico more prædicat Baldricus, scilicet,

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni floruère magistro.

X Berengarii genius. Qualis fuerit Berengarius, unus omnium optimè expressit Guitmundus initio libri primi, ubi hominis ingenium & mores descripsit his verbis. *Is ergo*, inquit; *cùm juveniles adhuc in scholis ageret annos, ut ajunt qui eum tunc noverunt, elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeò curabat, condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat. Sed cùm per se attingere Philosophiæ altioris secreta non posset, (neque enim homo ita acutus erat, sed & tunc temporis liberales artes intra Gallias penè obsoleverant) novis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimiùm gaudet, singularis scientiæ laudem sibi arrogare, & cujusdam excellentiæ gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. Factumque est, ut pompatico incessu, sublimi præ ceteris suggestu, dignitatem magistri potiùs simulans, quàm rebus ostendens, profunda quoque inclusione intra cucullum, ac simulatione longæ meditationis, & vix tandem satis desideratæ diu vocis lentissimo quodam quasi plangore incautos decipiens, doctorem sese artium penè inscius profiteretur*. Hoc Berengarii specimen

ex

ex Guitmundo præmittere hoc loco visum est, ab eo, quod Hildebertus exhibuit, longè diversum, cujus veritatem sequentia ejus facta comprobabunt.

XI Ejus error quando prolatus.

Berengarium apud Turonos primùm hæresim suam propalasse, testis est inter alios Gozechinus scholasticus in epistola ad Walcherum itidem Scholasticum, suum olim discipulum; qua in epistola postquàm scaturientes suo tempore errores pestiferos luxit, de Berengario, ejusque academia ita loquitur. *Vide, si placet, quàm sana doctrinæ, quàm salubris disciplinæ Theologi de Turonensi emergant academia, cui præsidet ille Apostolus Satanæ Berengarius. Vide, inquam, quàm pestilentes, immo lethiferi scorpiones & reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniæ: qui hæresiarchæ sui musto ebrii, & veneno delibuti, de sacris sacrilegas introducunt novitates quæstionum, ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium: quorum sermo ut cancer serpit: quia scientia, quæ inflat, non ædificat, sed subvertit.* Gozechinus iste scholis præfuerat in Leodicensi academia, relictoque magisterio Moguntiam se receperat, unde hanc epistolam scripsit post mortem Henrici secundi Imperatoris, quæ anno M. XXXIX. accidit, & Liutboldi Moguntinæ Sedis Pontificis anno M. LIX. defuncti: qua in epistola sui temporis vitia & mala deplorat, ex Berengarii maximè erratis consecuta. Verùm *hæc omnia*, inquit ille, *sapienter despexit Herimannus Remensis, Drogo Parisiensis, Spirensis Huoremannus, Bavembergensis Meinhardus, & prætereà multi, & præstantes, & præcipuæ auctoritatis viri, qui, præcisis speciebus*, id est stipendiis & emolumentis, *& abdicatis laboribus, studiis vale fecerunt, & sapienti consilio usi, in theologiæ otium concesserunt*, quorum exemplo secessum itidem suum probat Gozechinus. Hi omnes scholarum insignes magistri eo tempore erant, atque uno animo à Berengariano errore cum Lanfranco, aliisque penitus abhorrebant. Hunc porrò errorem jam à duobus lustris disseminatum fuisse tradit idem auctor. *A diebus*, inquit, *domini Notgeri nostræ urbis*, id est Leodicensis, *Episcopi, eorum Pontificum, qui ei contemporales in Ecclesia florebant præcipui, usque ad hæc, quæ jam in miseria defluxerunt, duo lustra, misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Nunc autem de terra sublata est, & justitia in cælum recessit, & repentino quodam fortunæ impetu, & monstruosa rerum perturbatione inversa & perversa sunt omnia.* Itaque jam *duo lustra* seu decem anni tum effluxerant, ex quo Berengarius errorem suum resperserat, cùm Gozechinus hanc epistolam scribebat, post mortem scilicet Liutboldi Moguntini Archiepiscopi, quem anno M. LIX. decessisse jam diximus. Ex quo intelligitur id factum esse ante annum millesimum quinquagesimum, quo anno Berengarianus error primùm in Concilio Romano à Leone IX. damnatus est, occasione scilicet epistolæ, quam Berengarius paullò antè ad Lanfrancum Beccensem tunc monachum scripserat, in qua errorem suum primùm scripto prodiderat. Certè Hugo Lingonum Episcopus, qui contra Berengarii errorem primus scripsit, anno M. LI. mortuus est, ut posteà videbimus.

Analect. t. 4. pag. 383.

Ibid. p. 385.

Ibid. p. 386.

Infrà n. 54.

XII Archidiaconus factus Andegavensis.

Longè ante prædictum annum jam Archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ erat Berengarius, quo nomine litteris Theoderici Carnotensis Episcopi, anno M. XL. ipsa die Consecrationis Ecclesiæ Vindocinensis datis, *Beringerius Archidiaconus* cum aliis, qui *ex civitate Andegava erant*, subscriptus occurrit: ne quid dicam de alia charta Gaufridi comitis pro eodem Vindocinensi monasterio, cui chartæ Berengarius eodem nomine anno M. L. subscripsit. Alius eodem tempore fuisse videtur Beringerius grammaticus, subscriptus litteris Fulconis Nigri comitis & Hildegardis ejus uxoris pro Andegavensi sancti

Martini Ecclesia, cujus ille Clericus erat. Berengarius itaque, accepta Archidiaconi dignitate, nihilo minùs apud Turonos docere perseveravit: ubi Eusebium, cognomento Brunonem, qui postmodùm Andegavorum Episcopus anno M.XLVII. factus est, discipulum habuisse videtur, Berengariani erroris notâ posteà infamatum: non autem Brunonem sacri Cartusiensis Ordinis Institutorem, ut in priori hujus sæculi Præfatione dictum est, iterumque inferiùs dicturi sumus. *num. 75.*

XIII *Lanfrancus ejus adversatius.* Paullò antè quàm Berengarii error sparsus esset in vulgus, id est sub annum XL. ex Italia in Franciam accesserat Lanfrancus seu Lanfrannus, litteris apprimè instructus: quas postquàm apud Abrincas per biennium docuisset, Becci factus est monachus, ubi litterarum ac pietatis academiam instituit, Priorisque officium gessit. Illic tanto plausu ac successu litteras docuit, ut ex universis Galliæ partibus discipuli ad eum confluerent. Tunc Berengarius *desertum se à discipulis dolens*, ait Guitmundus, *ad eructuanda impudenter divinarum scripturarum arcana*, quibus *adolescens, & aliis eatenus detentus studiis, nondum adeò intenderat, se se convertit; & ea quorum novitate omnium corda permoveret, atque omnium ad se oculos traheret, studiosè perquirens, maluit esse sub aliqua hominum admiratione hæreticus, quàm sub oculis Dei privatè vivere catholicus.* *Guitm. initio lib. 1.* Hinc legitima connubia, & baptismum parvulorum impugnavit, ut idem Guitmundus cum Deoduino Leodicensi Episcopo testatur, sed maximè catholicam de Eucharistia fidem, extollendo Johannem Scottum, & respuendo Paschasium. Hoc intellecto, Lanfrancus mox errorem abhorruit, dictisque palàm improbavit: quod ubi rescivit Berengarius, litteras scripsit *Fratri Lanfranco*, tunc Beccensi Priori, directas; in quibus ait,, se accepisse, displicere ipsi, immo „ hæreticas haberi sententias Johannis Scotti de Sacramento Altaris, in qui„ bus dissentit à Paschasio. Id verò indignum esse ejus ingenio, quod Deus „ *illi non aspernabile* contulerat; nondum porrò satis versatum esse in scriptu„ ra divina, ut ita sentiret. Ceterùm optare se cum eo, tametsi adhuc ru„ di, hac de re coram arbitris disputare. Interim desineret hæreticum habe„ re Johannem, nisi Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum pro hære„ ticis habere vellet „. Ante has litteras Berengarius ad Lanfrancum alias, ut videtur, priores perferendas tradiderat cuidam nuntio, qui, Lanfranco in Normannia minimè reperto, eas aperuit, & quibusdam legendas præbuit. Hinc, ut sunt proni ad sinistra judicia mortales, non deterior de Berengario ipso, quàm de Lanfranco orta opinio, quasi hic eadem cum illo sentiret: quod prædictæ epistolæ convenire non potest, in qua Lanfrancus à Berengario dissentire apertè dicitur: adeóque necesse esse alias admittere Berengarii ad Lanfrancum priores litteras, in quibus amicè cum eo de suo errore agebat. Ita verò prævaluit hæc de Lanfranco sinistra opinio, ut Romæ coram Leone IX. hæc de re se purgare compulsus fuerit, quod is facilè præstitit.

XIV *Concilium Romanum contra Berengarium.* Id factum anno M.L. quo anno Romæ Concilium habitum est medio mense Aprili, ad quod tempus Leone Papa indictum fuerat hoc concilium in Synodo Remensi, anno superiori habita, in qua *novi hæretici*, qui in *Gallicanis partibus emerserant*, excommunicati sunt. Fortè Manichæorum, ut tunc vocabant, Aurelianensium & Atrebatensium reliquiæ, qui per hæc & subsequentia tempora his in partibus exstitisse referuntur. Nisi id intelligere malueris de Berengario, ejusque asseclis recèns exortis. Jam enim notus erat Berengarii error, contra quem Hugo Lingonum præsul jam tum scripserat. Ad hoc Romanum Concilium non parva convenit multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis, & ex diversis Regionibus religiosarum personarum,

narum, ut scribit Lanfrancus ipse, qui præsens adfuit. Tunc delatus est Berengarii error ad Apostolicam Sedem cum epistola ad Lanfrancum scripta, quam, Lanfranco fortè necdum notam, Remensis quidam Clericus Romam detulerat: Eâ lectâ, prolata in auctorem damnationis & excommunicationis sententia est, ob id scilicet, quòd Johannem Scottum extolleret, damnaret Paschasium; injunctumque Lanfranco, ut fidem suam exponeret, sicque pravi rumoris à se maculam abstergeret: quod ille palàm viva voce præstitit, assentientibus omnibus, scriptisque posteà luculenter confirmavit. *Lanfr. de Euch. cap. 4.*

In eodem Concilio indicta est Vercellas Synodus in proximum mensem Septembrem, jussusque adesse Berengarius, non tamen comparuit: adfuit verò Lanfrancus, qui *precepto ac precibus* ejusdem Leonis Pontificis usque ad ipsam Synodum cum eo remansit. Habita re ipsa prædicto anno & mense Synodus, præsidente Leone, in qua Johannis Scotti liber de Eucharistia lectus, damnatus, flammisque traditus: exposita quoque ac damnata denuo Berengarii sententia, assertaque Ecclesiæ fides, quam Lanfrancus cum Paschasio tenebat, denique duo clerici, qui se à Berengario missos dicebant, primo statim congressu defecerunt, & comprehensi sunt. Porrò hanc Synodum eodem anno, quo Concilium Romanum, id est anno M.L. habitam fuisse ex Lanfranco facilè conficitur, probatque Hermanni tunc scribentis auctoritas, ac rerum à Leone gestarum consequentia & series, qui Romam sub autumnum digressus, denuo alpes post celebratam Vercellensem Synodum trajecit, ac Tullum profectus, S. Gerardi Episcopi corpus è tumulo extulit, & in Cathedrali Ecclesia, ubi sepultus fuerat, in altari ab se consecrato reposuit. Eodem tempore privilegium sancti Mansueti Monasterio concessit, datum *Tulli in majori Ecclesia anno Incarnationis Domini millesimo quinquagesimo, indictione IV. XI. Kal. Novembris*. Hinc confirmatur epocha Concilii Vercellensis, quod alii ad annum M.LIII. differendum censent: quo anno Pontifex tota æstate usque ad reditum suum in urbem Romam, ubi usque ad mortem remansit, in Apulia contra Normannos detentus est. Non audiendi proinde illi, qui Durandi Troarnensis Abbatis freti auctoritate, Synodum Vercellensem colloquio Berengarii cum Ansfredo Abbate Pratellensi, quod anno M.LIII. habitum fuisse dicit, atque adeò subsequenti Conventui Brionensi postponunt. Nec audiendi, qui erratum putant eo loco esse vel amanuensis, vel lectoris: siquidem in codice Bigotiano, qui auctoris ætate scriptus est, annus tertius post quinquagesimum, non numericis notis, sed integris litteris, decurtatâ dumtaxat primâ syllabâ, expressus est. Verùm fortè dici possit, Durandum rerum ordinem invertisse, & colloquium quidem Pratellense, uti & Brionense, adeóque Parisiense Concilium, retulisse ad annum M. LIII. post Synodum Vercellensem, tametsi subdat, quòd post Conventum Brionensem *instabat constituta dies Concilii, postmodùm Vercellis habiti*, idque per incogitantiam subrepsisse Durando, qui longè post illud tempus librum suum scribebat, mortuus anno M.LXXXVIII. Orderico teste. Ut ut sit, præferenda est Hermanni auctoritas, cujus chronicon in anno M.LV. desinit in optima editione Canisiana, ut pote cui planè consentit Lanfrancus, qui Synodo Vercellensi interfuit. Porrò ut Concilium Parisiense, quod post colloquium Pratellense & conventum Brionensem, auctore Henrico Rege, celebratum est, referente Durando, eodem anno, quo Synodus Vercellensis, habitum existimemus, illud nos movet, quòd Deoduinus Leodicensis præsul in epistola ad Henricum Francorum Regem, in qua mentionem facit de Parisiensi

XV. Synodus Vercellensis.

Ibid.

Orderic. lib. 8. pag. 676.

risiensi Concilio à Rege indicto, suadet illud suspendi, *donec, accepta Romanæ Sedis auctoritate, illos hæreticos damnandi potestatem haberet*. Quod sanè non videtur moniturus fuisse, si Romani Concilii anno M.L. habiti notitiam habuisset.

XVI Berengarii colloquium cum Ansfredo Abbate. Durand. cap. 9. Certius itaque videtur & exploratius, Berengarium, dum causam ventilari suam à Leone Pontifice accepisset, pertentasse quos potuit viros quosque doctissimos & potentes, ut illos in suas partes pertraheret. Et primò quidem, ut Durandus scribit, Normannorum finibus irrepsit, appulitque ad Cœnobium Pratellense Diæcesis Lexoviensis, quod ante annum M.XXXV. instauratum fuisse constat; aggressus est catholicum & eruditum ejus loci Abbatem, Ansfredum nomine, quem Gradulfus Fontanellæ Abbas primum novi Monasterii Rectorem instituerat. Illic humanissimè exceptus Berengarius: ast, ubi sui erroris venenum Abbati propinare tentavit, statim ab eo, tamquam *blasphemus & perfidus* rejectus est: quod Durandus ex ore ipsius Abbatis se rescivisse tradit. Indè digressus pestilentissimus magister Willelmum Normannorum Principem adiit, quem, vix dum adolescentiæ annos prætergressum, facilè se in partes suas inclinaturum existimavit.

XVII Brionæ Conventus. Verùm assensionem suam in re tam difficili & lubrica suspendens prudentissimus & catholicus adolescens, conventum *ad mediterraneam Regni sui Sedem*, id est Brionam; (quod opidum est diœcesis Rotomagensis prope Beccum ad Riselam fluvium) convocari curavit: ubi, coactis undique catholicis & sapientibus viris, Berengarii novum dogma ventilatum, rejectum; confutatusque est ejus auctor cum alio quodam, quem secum adduxerat, clerico, in cujus eloquentia spem victoriæ reposuerat. Sic imperatum Berengario silentium, extortusque ab eo in catholicam Fidem assensus: sed, quia utrumque fictum erat, non diu promissum tenuit: nam indè Carnotum profectus, hæresim suam rursus in frequenti clericorum consessu asserere & propugnare perrexit: à quibus digressus, litteras veneni & summæ in Leonem Papam irreverentiæ plenas eis misit.

Berengarii epistola ad Ascelinum. Ubi hæc in cognitionem Henrici Francorum Regis venerunt, Concilium in proximum mensem Octobrem Parisios indixit, ad quod Berengarium adesse jussit. Intereà Berengarius epistolam scripsit *fratri Ascelino*, qui Brionensi conventui cum Villelmo Abbate interfuerat. „ In hac epistola Berengarius „ ait, se animo constituisse nullum habere cum quibusve de Eucharistia ser„ monem, priusquàm satisfecisset Episcopis, (nempe in Concilio Parisien„ si) ad quos contendebat; ideóque factum esse, ut nihil pænè opposuerit „ Ascelino, ejusque sequacibus „; nihilque consenserit in colloquio illo, ad quod illi indignè convenerant: quod de Conventu Brionensi intelligendum putamus. Dein subdit ille falsò jactitare Willelmum, *quod negare nequiverim*, inquit, *hæreticum esse Johannem Scottum*; illum verò impiè dixisse, *omnem hominem ad mensam dominicam debere in pascha accedere*. Ad has litteras respondet Ascelinus, vindicatque tum Willelmum, tum se ipsum, & Arnulfum cantorem, quem etiam Berengarius sibi quodam modo assensisse falsò asserebat. Ascelinus non est ille Monachus Uticensis, sive senior, sive junior, quos Ordericus laudat, qui ambo sæculo decimo vixêre: sed potiùs Ascelinus Beccensis Monachus, qui inter primos Herluini Abbatis discipulos recensetur: uti & Willelmus Monachus, Lanfranci amicus, qui postmodùm Cormeliensis Abbas factus est. Eidem fortè Willelmo jam Abbati scripsit epistolam illam *frater Anastasius*, quæ apud Acherium nostrum *domno Geraldo abbati, olim filio, nunc venerabili patri* inscripta est: nam in codice Joliano

Order.lib. 6. pag. 623. & seqq. Not. in vit. Lanfranc. p. 21.

hæc

hæc epiſtola inſcribitur *domino W. Abbati* &c. In hac verò epiſtola catholicam de Euchariſtia fidem adſtruit Anaſtaſius Monachus, idem, ut videtur, cujus rogatu Robertus de Tumbalenia commentarium edidit in Cantica Canticorum, quem Anſfrido Pratellenſi Abbati nuncupavit. Et fortè is eſt Anaſtaſius, ex Monacho S. Michaëlis factus Cluniacenſis, cujus vitam hoc in volumine damus. *Analect. t. 1. pag. 125.*

XIX *Deoduini epiſtola ad Henricum Regem.* Interim Deoduinus ſeu Theoduinus Leodicenſis Epiſcopus, ubi reſcivit indictum fuiſſe Pariſios Concilium ab Henrico Rege, litteras ad eum hac de re gratulatorias ſcripſit, quas Baronius perperàm tribuit Durando Epiſcopo, quem ante natam Berengarianam hæreſim, & quidem anno M.XXIV. Henrico necdum regnante, deceſſiſſe conſtat. In hac epiſtola, quæ integra edita eſt in tomo quarto Analectorum, ſcribit Deoduinus, „ quòd fama, ſupre- „ mos Galliæ fines prætergreſſa, totam Germaniam pervaſit, Brunonem „ Andegavenſem Epiſcopum, itemque Berengarium Turonenſem magiſtrum, „ antiquas renovaſſe hæreſes, adſtruendo, Corpus Domini in Euchariſtia „ non tam corpus eſſe, quàm umbram & figuram corporis ejus; eoſdem etiam „ legitima conjugia deſtruere, &, quantum in ipſis eſſet, baptiſmum parvu- „ lorum evertere „, quos omnes errores poſteà Henriciani tempore S. Bernardi denuo renovarunt. Dein Regem laudat Deoduinus, quòd ad revincendos & confutandos illos errores concilium indixerit : „ at deſperare ſe ait id „ fieri poſſe ob Brunonem Epiſcopum citra Romani Pontificis auctoritatem, „ cujus injuſſu Epiſcopum judicari ſit nefas. Quamquam hujuſmodi homines „ nequaquam audiendos eſſe; neque tam pro illis concilium convocandum, „ quam de illorum ſupplicio exquirendum : utpote qui ſanctorum Patrum „ Conciliis ac clariſſimis ſententiis apertè contraria docerent. „ *Pag. 487. pag. 596.*

XX *Adelmanni epiſtola ad Berengarium.* Eodem tempore Adelmannus Scholaſticus Leodicenſis, tunc in Teutonicis partibus degens, poſtmodùm Brixienſis Epiſcopus, Berengario ſcripſit, quem dilectum in Chriſto fratrem, conſcholaſticum & collactaneum vocat, ob commune contubernium in academia Carnotenſi ſub Fulberto Epiſcopo. In hac epiſtola ſe *ante biennium* rumore vulgato accepiſſe dicit, Berengarium ab unitate Eccleſiæ ſe divulſiſſe, *& de Corpore & Sanguine Domini aliter, quàm fides catholica tenet, ſentire* : quem ad reſipiſcentiam hortatur, & tamen ſanctum fratrem dicit : quod argumento eſt, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe ante Berengarii damnationem. Idem Adelmannus aliam ſcripſit epiſtolam ad Paulinum Mettenſem primicerium, quem vulgatus Sigebertus Paulum vocat, monens eum, ut Berengarium communem amicum ab errore ſuo revocaret. Hujus epiſtolæ & ipſius Paulini meminit Adelmannus in ſuperiori epiſtola ad Berengarium, qui, eodem Sigeberto referente, Almanno ſeu Adelmanno reſcripſit *faſtuoſo ſtilo, non agnoſcens amici corrigentis benevolentiam, ſed defendens ſuam de myſteriis Chriſti ſententiam* : quæ epiſtola ad nos non pervenit. *Sigeb. de Script. c. 153. Id. cap. 154.*

XXI *Pariſienſe Concilium.* Etſi Henricus Rex Deoduini epiſtolam ante habitum concilium fortè acceperit, celebratum eſt nihilominùs hoc Concilium XVII. Kal. Novembris apud Pariſios, ubi frequens conventus præſulum, clericorum, nec non nobilium laïcorum habitus eſt : at *Berengarius*, inquit Durandus, *malæ conſcientiæ perculſus timore, ut juſſus erat, eò venire diſtulit, ſeque cum Brunone ſuo, videlicet Epiſcopo Andegavenſi, ſub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi*. Interea abſente Berengario, in Synodo Pariſienſi præſul Aurelianenſis, ſcilicet Iſembertus, litteras Berengarii, ſcriptas ad quemdam familia-

rem

Adelman. epist. ad Bereng.

rem suum Paulinum, qui Mettensis Primicerius erat, & ab se interceptas, in conspectu omnium ipsiusque Regis protulit, ac legi curavit: quæ epistola omnibus prorsus displicuit, utpote nequissima hæresi infecta. „ Quare damnato communi sententia talium auctore, damnatis ejus erroris conseciis cum codice Johannis Scotti, ex quo ejusmodi errores sumti videbantur, Concilio soluto discessum est, ea conditione, ut, nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor cum sequacibus suis, adhibita militari manu, præeuntibus clericis cum Ecclesiastico apparatu, ubicumque convenissent, eò usque obsessi tenerentur, donec aut Fidei catholicæ consentirent, aut mortis pœnas luituri caperentur „. *Quam ob rem territi*, ait Durandus, *non multò pòst in Concilio super fidei suæ statu conventi, ita se, sicut Ecclesia tenet catholica, credere fideliter & sapere publicè professi sunt; delatisque sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos qui aderant certos facerent, Sacramentum dederunt*. Verùm eosdem posteà ad apostasiam & priorem vomitum rediisse idem auctor tradit: quod non intelligendum de Brunone seu Eusebio Andegavensi Episcopo, qui ob id in tantum suspectus quibusdam visus est, quòd faveret Berengario potiùs, quàm ejus errori, quem in prædicta sua epistola ad Berengarium quodam modo refutavit, ut inferiùs videbimus.

XXII Berengarii epistola ad Richardum. *Spicil. to. 2. pag. 510. Ibid. 509.*

Post Concilium Parisiense, adeóque post Vercellense, Berengarius scripsit epistolam *dilecto fratri Richardo*, quem rogat, ut pro sua apud Regem familiaritate eum moneat, injustissimè damnatum fuisse Johannem Scottum, injustissimè quoque assertum Paschasium in Concilio Vercellensi; Hic videtur esse R. Abbas, cujus meminit Frollandus Silvanectensis Episcopus in epistola ad Berengarium, cui plus æquo tribuit, dum morbo gravi & lethali decumbens, se ejus præsentiam avidè cupere ait, seque ejus precibus commendat. Quis verò sit ille Richardus Abbas (nam multi eo nomine tunc Abbates erant) difficile est definire. Certè ante ventilatum Berengarii errorem, adeóque ante Synodum Parisiensem, ex hac vita decesserant Richardus sancti Vitoni, & Richardus alter Corbeïæ Abbates. Quod attinet ad Frollandum Episcopum, mortuus est ante annum M.LXXIV. quo Ivo secundus, ejus successor Dedicationi Ecclesiæ sancti Quintini interfuit. Post Synodum Parisiensem, cùm Berengarius in errore contumaciter persisteret, pœnâ quâdam, fortè proventuum Ecclesiasticorum reditu, multatus à Rege est, uti colligimus ex fragmento quodam epistolæ, quod ex bibliotheca sancti Martini eruimus in hæc verba. *Domino suo W. thesaurario B. fidelia servitia. Si vos loqui cum Rege contingeret, vellem, dilecte domine, verbum aliquod pro me faceretis, si fortè humanitatis, liberalitatis, dignitatisque regiæ atque christianitatis reputatione, aliquâ munificentiâ compensaret damnum, quod mihi clerico Ecclesiæ suæ injustissimè à regia majestate indignissimè tantum intulit. Quod si facit, ab immodica culpa, se modicâ expensâ non modicum exsolvit*. Ubi *Ecclesiæ suæ* nomine S. Martini Basilicam intelligit, cujus à tempore Roberti Fortis Reges Francorum tertiæ stirpis nomen ac dignitatem Abbatis tulerunt.

XXIII Concilia contra errorem. *Lanfr. cap. 4. Guitmund. lib. 4*

Post mortem Leonis IX., quæ anno M.LIV. contigit, congregatum est anno insequente Florentiæ Concilium sub Victore II. qui decessoris sui Statuta, *sua atque omnium conciliorum suorum auctoritate firmavit*; eodemque anno alterum Turonis, præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis; in quorum præsentia ille hæresim suam ejuravit, testantibus Lanfranco, qui præsens aderat, & Guitmundo. Legati isti fuêre Gerardus Cardinalis, & Hildebrandus tunc Subdiaconus, necdum Archidiaconus, ut Guitmundus putavit, qui unius Hil-

Hildebrandi hoc loco meminit. Legatos vocat Lanfrancus : cui suffragatur Eusebius Episcopus Andegavensis in epistola ad Berengarium, in qua ait, querimoniam, *quæ in præsentia domini Geraldi tunc Legati apud Turonum tunc emersit*, sedatam fuisse; & tumultum, *qui in audientia domini Eldebranni in eadem civitate efferbuit*, sopitum. His duobus Conciliis accessit tertium Rotomagense eodem anno habitum, ut scribit Laurentius Bochellus, præsidente Maurilio Archiepiscopo, quo in Concilio actum est de castitate & ceteris Patrum institutis servandis. In eo etiam condita videtur formula professionis fidei de Eucharistia contra Berengarii hæresim, vulgata in tomo secundo Analectorum sub hac forma. *Corde credimus & ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodò esse ante consecrationem; sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis verò non ullius alterius, sed illius, quæ concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine; quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa, jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit à mortuis, & sedet ad dextram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in calice sanctificandum proponitur, verè & essentialiter converti in eum Sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemtionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc sanctam & Apostolicam fidem superbè atque hæreticè sentientes, & impia temeritate garrientes.* Hæc confessio denuo renovata fuit in altera Synodo post mortem Maurilii Archiepiscopi, ut colligimus ex eo, quod *venerabilis memoriæ* titulo honoratur in hæc verba. *Oportet etiam, fratres carissimi, ut fides vestra de Corpore & Sanguine Domini, quam præsidente huic sanctæ Sedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi assensu contra spurcissimas Berengarii, ejusque successorum voces diffinivistis, iterum recitetur. Corde credimus* &c. ut supra. Consimilem confessionem eodem tempore professi sunt piissimi quique Viri & Episcopi, ut nascentem hæresim se aversari & abhorrere palàm testarentur, quales sunt Gervasii Remorum Archiepiscopi & sancti Brunonis Cartusianorum Institutoris confessiones, de quibus inferiùs.

Analect. tom. 2. pag. 461.

Ibid. pag. 460

XXIV Concilium Romanum sub Nicolao II.

Mortuis Victore II. & Stephano IX. ejus successore, Romanam Ecclesiam rexit Nicolaus II., cujus mandato alterum Romæ Concilium centum & tredecim Episcoporum anno M.LIX. habitum est, in quo Berengarius adfuit: „ sed non ausus defensare perversam sententiam, postulavit à Nicolao Papa „ ejusque Concilio, fidei formulam sibi tradi, quam teneri oporteret. Injun„ cta hujus rei cura Humberto Episcopo Cardinali. Formulam jurejurando „ confirmavit Berengarius, eique propria manu subscripsit. Tum Nicolaus „ Pontifex admodùm lætus de ejus conversione, illius scripti exempla misit „ per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama ejus „ hæreseos pervenire potuerat „. Verùm brevis fuit hæc lætitia : nam simul atque à conspectu concilii regressus est hæresiarcha, Sacramento firmatam fidem scripto edito rursus abnegavit, multis lacessens injuriis Humbertum ejus formulæ auctorem, quem Burgundum per deridiculum ineptè vocat : siquidem non Burgundus, sed Lotharingus erat, teste Lanfranco, qui hanc fidei formulam refert in hunc modum.

Lanfranc. cap. 2.

Ibid.

Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ sancti Mauricii Andegavensis, cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ adstruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse

ſenſualiter niſi in ſolo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eam fidem tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus auctoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmavit; ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe; & ſenſualiter, non ſolùm Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri: jurans per ſanctam & homouſion Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quòd ſi ego ipſe aliquando aliquid contra hæc ſentire, aut prædicare præſumſero; ſubjaceam Canonum ſeveritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi. Et tamen perfidus ille tam ſacroſancti propoſiti violator, contra ſuum ipſius Sacramentum, *contra prædictam Synodum, contra catholicam veritatem, contra omnium Eccleſiarum opinionem*, ait Lanfrancus, *ſcriptum poſteà condidit;* quod Lanfrancus ipſe refutavit. Quo verò ſenſu hæc formula intelligenda ſit, poſteà videbimus.

XXV Alexandri II epiſtola ad Berengarium. Poſt biennium à Concilio Romano, id eſt anno M.LXI. Alexander II. Victori ſucceſſit, qui Berengarium ad officium revocare cupiens, eum litteris *amicè præmonuit*, ut à perverſa doctrina reſpiceret, nec ampliùs Eccleſiam perturbaret: *at ille ab incœpto deſiſtere noluit; hocque ipſum Apoſtolico remandare non timuit*, inquit Anonymus à Chiffletio editus.

XXVI Andegavenſis conventus. *Labbe Bibl. novæ tom. I. pag. 288.* Poſtero anno, ſcilicet M.LXII. apud Andegavos pridie nonas Aprilis dedicatum eſt monaſterium novum in honorem Salvatoris per venerabiles præſules, Hugonem Veſontionenſem Archiepiſcopum, Euſebium Andegavorum, Wlgrinum Cenomannorum, & Quiriacum Namnetenſium Epiſcopos, quo tempore id contigiſſe videtur, quod Euſebius Epiſcopus refert in epiſtola ad Berengarium, *cujus rediviva peſtis; quæ neſcio quorum improbitate exagitata caput extulerat, domini Biſonticenſis Archiepiſcopi, & Eruditorum, qui interfuerunt, auctoritate calcata eſt*, & quidem *in capellula Principis*, ſcilicet Gaufridi Martelli comitis Andegavorum. Id factum refert Euſebius poſt Concilium Turonenſe ſuperiùs memoratum, profiteturque, ſe ipſum deinceps ejuſmodi turbis & controverſiis nolle immiſcere, nec quibusvis hac de re conventibus aut diſputationibus intereſſe, quippe qui ſatis ſupérque fidem ſuam probaſſet in eadem epiſtola: in qua relatis verbis Chriſti Domini pro inſtitutione

Euſebii confeſſio. divini Euchariſtiæ Sacramenti, hanc ſubdit confeſſionem. *Hujus verbi per quod omnia facta ſunt, virtute & effectu, panem poſt conſecrantis in hæc verba Sacerdotis ſacrationem, verum Corpus Chriſti; & vinum eodem modo verum Sanguinem eſſe credimus & confitemur. Quòd ſi quis, qualiter hoc fieri poſſit, inquirat, non ei ſecundùm naturæ ordinem, ſed ſecundùm Dei omnipotentiam reſpondemus; & hoc, & omnia quæcumque voluit, fecit Deus in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis:* qua confeſſione ſe purgavit utcumque Euſebius, quem deinceps nemo Berengariani erroris ſuſpectum habuit. Hæc autem epiſtola reſpondet ad eam, quam Berengarius ad Euſebium ſcripſerat adversùs Gaufridum Martini, Clericum Andegavenſem ſibi infeſtum, rogans, ut ſe & ipſum Gaufridum *audiri faceret* ſuper libro beati Ambroſii de Sacramentis, experturus, uter meliùs hunc librum interpretaretur: quod Euſebius recuſavit, nolens ampliùs, ut mox dicebamus, his Controverſiis ſe immiſcere, Berengarium amicè monens, ut ſuæ fidei profeſſioni tandem acquieſceret.

Gervaſii Archiepiſcopi confeſſio. Poſt annos quinque, id eſt anno M.LXVII. Gervaſius Remorum Archiepiſcopus, cùm morti

ti proximus esset, *Fratres & Canonicos* convocari jussit, iisque præsentibus, *credulitatem suam aperuit, & ut verè catholicus, confessionem suam fecit, sicque postea communicavit de sacrificio altaris Domini; nobis quoque, ut ei ante Dominum testes fuissemus, quòd idem verè Corpus & Sanguinem credidisset, injunxit & postulavit.* Ita scriptum legitur in veteri codice, quem Odalricus præpositus, qui huic rei interfuit, Remensi Ecclesiæ concessit.

Alexandro II. suffectus est anno M.LXXIII. Gregorius septimus, cujus anno secundo Pictavis coacta est Synodus Episcoporum, præsidente Gerardo Cardinali & Episcopo Ostiensi, atque Gregorii legato, ubi agitata est denuo eadem causa tanto animorum æstu; ut Berengarius, qui præsens aderat, ferè interemtus sit, testante Chronographo Maxentiano seu Malliacensi, qui *Idibus Januarii* id contigisse tradit. XXVII Pictaviensis Synodus.

Post hæc Gregorius Pontifex, ut fidem facit Anonymus Chiffletianus, *iterum eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis Generalibus Romæ concessit. Sed, cùm ipse sectam suam catholicæ fidei contrariam denegare non posset; iterum sub juramento eam abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit.* Prior ex his duabus Synodis Romæ habita fuit in Ecclesia Lateranensi, seu *in Templo Salvatoris*, ut loquitur Lanfrancus anno M.LXXVIII. & quidem *in festo Omnium Sanctorum*, teste ipso Berengario, non *X. Kal. Decembris*, „ ut vult Bertholdus, qui Berengarium, ut ab hæresi „ sua resipisceret, synodaliter conventum fuisse, ob idque inducias ad pro- „ ximè futuram Synodum obtinuisse testatur „. Posterior hæc Synodus celebrata est anno sequenti M.LXXIX. ut scribit Anonymus Chiffletianus, qui huic Synodo præsens interfuit. Habitam fuisse *in Quadragesima* discimus ex ipso Berengario, hoc est *mense Februario, indictione secunda*, ex ejusdem Synodi Actis. In duabus illis Synodis singulas fidei professiones admisit, quarum priorem ipse in libello, quem post alteram Synodum composuit, retulit in hunc modum. *Profiteor panem altaris post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris; & vinum Altaris, postquàm consecratum est, esse verum Sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuncio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc sacra.* Hæc formula brevior est Humbertianâ, & non multùm dissimilis illi, quam Eusebius edidit in laudata modò epistola ad Berengarium: qui hanc ipse concinnasse videtur, tum quia nemo præter eum hujus professionis meminit, tum quia explicatiorem aliam in posteriori Synodo subscribere compulsus est, tum denique quia in prædicto libello hanc formulam suum ipsius scriptum vocat. Certè verò haud absimile est, Berengario, postquàm primam fidei formulam, ab Humberto Cardinale compositam, tam atrociter scripto lacerasset, datam fuisse ex Pontificis indulgentia potestatem suis verbis explicandi propriam de Eucharistia mentem, ut vel sic omnis causandi ac tergiversandi occasio ei præcluderetur: quod ipse præstiterit edita hac secunda formula fidei ad Eusebii Episcopi mentem, in qua subdolis *veri Corporis* ac *veri Sanguinis* verbis catholicam fidem profiteri videbatur, tametsi sub ejusdem speciosa larva hæresim suam passim occultare soleret. XXVIII Duo Concilia Romana.

Unde, cùm hæc confessio minùs sufficiens visa esset, alia in posteriori Concilio Romano formula ipsi proposita est, quam ille publicè legit, confirmavit, sed non sincerè, ac subscripsit. Sic autem à Lanfranco, & ab ipso Berengario refertur. *Ego Berengarius corde credo, & ore profiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per mysterium sacræ orationis & verba nostri Re-* XXIX Lanfranc. cap. 2.

*demtoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; & post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris; & verum Sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantùm per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intellexistis *. Sic credo; nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacra Evangelia.* Hæc fidei professio, uti & Humbertina passim occurrit in editis libris, in collectionibus Conciliorum, & in decreto Gratiani, nedum apud Lanfrancum: at media illa, quæ ab ipso Berengario fabricata videtur, non ab alio, quàm ab ipso relata est, utpote non admissa, sed rejecta. In postrema hac Romana Synodo Bruno monachus è nostris, qui posteà Signiensis Episcopus fuit, & Albericus Casinensis monachus, contra Berengarium disputarunt, de cujus hæresi Wolphelmus Abbas epistolam scripsit ad Meginhardum Abbatem, à Conrado monacho relatam in ejus vita, quæ hoc in volumine edita est.

* al. intelligitis.

XXX Gregorii litteræ pro Berengario. Absoluta postrema Synodo Romana, Gregorius ex Urbe dimisit Berengarium, quem errorem sincerè pœnitentem existimavit, concessis ei litteris salvi conductûs, *omnibus beato Petro fidelibus* inscriptis, quibus anathema intentat iis omnibus, qui eidem Berengario aliquam in ejus personam vel possessiones injuriam facturi, vel qui eum vocaturi essent hæreticum. Addit Pontifex se ei comitem adjunxisse fidelem suum, Fulconem nomine, quem Berengarius *transmontanum clericum, & domini Papæ convictorem* vocat. Alteras idem litteras scripsit Gregorius *Radulfo Turonorum Archiepiscopo, & Eusebio Andegavorum Pontifici*, quos monet suo nomine præcipere Fulconi comiti Andegavorum, ut Berengarium vexare desinat, & contra omnes ejus inimicos ei opem ferat.

De Roye pag. 76. *Ibid. pag. 15.*

XXXI Berengarii iterata perfidia. Verùm Pontificem brevì pòst fefellit homo versipellis. Vix dum enim in Galliam reversus erat, cùm fidei professionem, in ultima Synodo Romana Sacramento ab se firmatam, iterum violavit, scriptoque edito refutavit. Hoc scriptum olim invenimus in Bibliotheca Gemblacensi, quæ ante paucos annos, non levi Reipublicæ litterariæ detrimento, incendio consumta est.

XXXII Burdegalensis Synodus. Anno sequenti M.LXXX. convocatum Burdegalæ Concilium, in quo Berengarius denuo *reddidit fidei suæ rationem*, ut legitur in chronico Maxentiano. Hujus Concilii fit mentio in quodam instrumento à nobis relato in Observationibus præviis ad vitam S. Geraldi Silvæ-majoris Abbatis: cui Concilio Amatus & Hugo Sedis Apostolicæ Legati cum Goscelino Burdegalensi, Rodulfo Turonensi, & Willelmo Ausciensi Archiepiscopis, aliisque Episcopis interfuisse memorantur. Ad hoc Concilium adductus est Berengarius à Rodulfo metropolitano suo, ut in eo confessionem Romæ factam denuo confirmaret, fortè etiam ut revocaret postremum scriptum suum, si tamen jam notum erat, in quo postremam fidei professionem Romæ factam violaverat. Ab eo tempore altum de Berengario silentium; qui demum sub finem vitæ resipuisse videtur, ut certè visum est illius temporis Scriptoribus, qui ejus pœnitentiam laudant, eumque in catholica fide obiisse tradunt: quod utinam ille aliquo publico monumento Posteris testatum reliquisset.

Hoc Sæc. pag. 868. V. Diplom. pag. 587.

XXXIII Placentina. Post mortem Berengarii habita est anno M.XCV. Placentiæ Synodus, teste Bertholdo, in qua *hæresis Berengariana, jam ab antiquo sæpissime anathematizata, iterum damnata est, & sententia catholica fidei contra eamdem firmata, videlicet quòd panis & vinum, cùm in altari consecratur, non solùm figuratè,*

tè, sed etiam verè & essentialiter in Corpus & Sanguinem Domini convertantur. Hæc de rebus contra Berengarium, ejusque errorem sæculo undecimo gestis retulisse sufficiat.

§. III.

An Berengarius veram Christi in Eucharistia præsentiam sincerè admiserit.

CUm hæc omnia, quæ mox retuli, simul confero & mente recogito, dubius hæreo, utrùm ampliùs mirer, an obfirmatam Berengarii in suo errore contumaciam, an Romanorum Pontificum, aliorumque Galliæ Episcoporum ac Principum in eum indulgentiam, quos ille toties ludificavit. Quis enim non miretur, hominem per annos ampliùs triginta, toties convictum, sed non victum, post toties recantatos errores, toties ferè in eosdem relapsum, eosdem impunè defendisse, fidem Sacramento firmatam toties violasse, Pontificibus & Episcopis, totique Ecclesiæ quodammodò insultasse, ne dum adversariis suis, quos passim *erraticos* & *cum insaniente Paschasio* insanos vocat, & scriptis suis traducit? Id verò ampliùs mirandum videri possit, quòd eodem tempore, qui contra Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum malè senserant Aurelianenses hæretici, ne quid de Atrebatensibus dicam, tametsi pro sanctis à vulgo habiti, jussu Roberti Regis, statim flammis traditi sunt. Hæc, inquam, dum mente revolvo, tanti discriminis non alia mihi occurrit causa, quam quòd non ita perniciosus visus sit Berengarii in Eucharistiam, quàm illorum error, sed fortè uno saltem gradu minor: quòd nimirum realitatem admittere visus sit, solamque impugnasse transsubstantiationem. XXXIV

Utrumque verò disertè adstruit harum rerum curiosus indagator Guitmundus paullò post initium libri primi adversùs Berengarium, ubi varias Berengarianorum sectas distinguit in hunc modum. *Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum essentialiter non mutatur: sed, ut extorquere à quibusdam potui, multùm in hoc differunt, quòd alii nihil omnino de Corpore & Sanguine Domini Sacramentis istis inesse, sed tantummodò umbras hæc & figuras esse dicunt. Alii verò, rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen à stultitia recedentes, ut quasi nobiscum aliquo modo esse videantur, dicunt ibi Corpus & Sanguinem Domini re vera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodam modo, ut ita dixerim, impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt.* „ Duas alias Berengarianorum sectas refert Guitmundus, „ quorum alii non jam quidem Berengariani, sed acerrimè Berengario repu„ gnantes, putabant panem & vinum ex parte mutari, & ex parte remane„ re: alii ex toto quidem mutari concedebant, sed cùm indigni ad com„ municandum accederent, iterum in panem & vinum reverti „. Verùm, his duobus generibus omissis, ex aliis duobus prioribus censet Guitmundus, Berengarii hanc fuisse *subtiliorem sententiam*, Corpus quidem Domini in Eucharistia revera *latenter contineri, sed, ut sumi posset, quodam modo impanari*: XXXV

ut quasi nobiscum, inquit, *sentire videantur*. Et hæc sinè dubio causa fuit, ut jam dixi, quòd in Berengarium, post tot lapsus & relapsus, molliùs actum sit, quòd nimirum cum catholicis idem ferè sentire videretur, admissa præsentia corporali; videreturque faciliùs reducendus ad admittendam transsubstantiationem, quam apertè negabat contra receptam, ut ipse fatebatur, Ecclesiæ fidem. Sed ex ipsius Berengarii scriptis dispiciendum porrò est, an hæc genuina fuerit Berengarii: cùm de realitate, tum de impanatione sententia.

XXXVI Atque ut à realitate incipiam, illud maximè pro ea facere videtur, quòd Berengarius constanter verum Christi in Eucharistia Corpus & Sanguinem agnoscat, quòd solam in Eucharistia Christi Corporis & Sanguinis nudamque figuram & umbram se docere perneget: quòd nullum contra realitatem argumentum proferat, sed omnia ejus argumenta impugnandæ transsubstantiationi militent: denique quòd Christi Domini in Eucharistia adorationem, quam nostri temporis hæretici Catholicis improperare solent, nusquam objecerit. Hæc ex ordine expendamus.

XXXVII *Berengarius realitatem admittit.* Primò in secunda illa fidei suæ confessione, quam Berengarius in Synodo Romana anni M.LXXVIII. firmavit, profitetur, *panem altaris post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris; & vinum altaris postquàm consecratum est, esse verum Sanguinem, qui manavit de latere Christi*, quam confessionem si Berengarius ipse non composuit, certè ex animo professus est, nec illam umquam, ut alias duas, retractavit, aut revocavit, immo ei constanter adhæsit, eamque pro sua agnoscit in posteriori scripto, quo tertiam fidei professionem refellit.

XXXVIII Deinde in quadam ejus epistola ad Adelmannum, ubi non coactè, sed sponte suam ipsius mentem expressit, contra objectiones adversariorum, qui contrariam ei sententiam imputabant, ita se purgat. *Quod dicis audisse te, quia dixerim non esse verum Christi Corpus & Sanguinem; vel panem & vinum altaris non esse à consecratione verum Christi Corpus & Sanguinem; noveris me numquam Manichæorum admisisse sententiam*, (hic Aurelianenses & Atrebatenses hæreticos notare videtur.) *Illi enim phantasticum; ego verum & humanum corpus fuisse & tenui, & teneo. Ego certissimum video, cùm concedam dari aliquid ut corpus fiat, concedendum mihi esse omnino (cùm Christus non nisi verum corpus habuerit) ut etiam verum Christi Corpus fiat*. Nihil hoc loco expressius ad probandum quod intendimus, scilicet Berengarium verum Christi Corpus & Sanguinem, & quidem humanum in Eucharistia confiteri visum fuisse. Pergit ille. *Concedo autem panem & vinum altaris per consecrationem, secundùm scripturas, Christi fieri Corpus & Sanguinem; ac per hoc non concedere nullus possum, post consecrationem ipsum panem & vinum facta esse fidei, & intellectui verum Christi Corpus & Sanguinem*. Quomodò autem intelligat, panem esse Christi Corpus *fidei & intellectui*, in alio scripto, quo fidem suam post Romanam Synodum postremam exposuit, ita explicat, nempe esse Christi Corpus *oculo cordis, non manui vel denti*, quasi esset adspectabile & palpabile, quòd nimirum sentiret, panem & vinum cum Christi Corpore & Sanguine in Eucharistia superesse, & sub illis verum Christi Corpus & Sanguinem latere, id est *latenter contineri*, ut pro eo loquitur Guitmundus.

XXXIX Hinc est quòd in eadem epistola mox subdit, non nudam esse in Eucharistia Christi Corporis figuram, sed figuram simul & veritatem. *Corpus ergo Christi & Sanguinem res dico ipsas Sacramentorum mensæ Dominicæ, non ipsa Sacra-*

cramenta, nusquam scripturarum inveni, nusquam appellavi figuram, similitudinem. Sacramenta autem ipsa, sicut Sacramenta, ita etiam signa, figuram, similitudinem, pignusque appellari, utrum de præsumtionis meæ opinione afferam, ipse dijudica. Hic manifestè distinguit figuram à re Sacramenti, id est à Corpore Christi, uti & in prædicto scripto, ut postea videbimus, & utrumque in Sacramento altaris admittit.

Denique in omnibus scriptis suis totus est Berengarius, non ut realitatem impugnet, sed tantùm conversionem substantiæ panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem. Id patet ex ejus epistola ad Ascelinum, in qua quid in Paschasio Radberto arguat, his verbis aperit. *Sapis contra omnis naturæ rationes, contra Evangelicam & Apostolicam sententiam, si cum Paschasio sentis in eo, quod solus sibi confingit, Sacramento Dominici Corporis decedere panis omnino substantiam.* Duo præcipuè in libro suo docet Paschasius, nempe veram Christi Corporis & Sanguinis præsentiam in Eucharistia, & veram panis & vini in illa duo conversionem. Hanc dumtaxat in Paschasio carpit Berengarius: illam proinde admittere, & silentio saltem suo probare visus est. Unde cùm, teste Ascelino, Johannis Scotti commentarium in Gregorianam de Sacramentis altaris orationem *ipsa veritate constrictus improbavit*, in eo scilicet, quòd Scottus ille istius orationis postrema verba, *ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus*, ita exposuit, *specie, inquit, geruntur ista, non veritate*, quod cùm Berengario, qui Scottum illum tantopere præ Paschasio prædicabat, objectum fuisset in colloquio Brionensi, respondit, *si quid in illo* Scotto *videret non satis delimatum, facilè se improbaturum*, quibus verbis illius Scotti Glossema satis superque improbare visus est. Accedit quòd receptam Christi Corporis & Sanguinis in Eucharistia adorationem à Chrysostomo, Cyrillo, Ambrosio, Augustino, aliisque antiquis Patribus, ut eruditus vir demonstravit, assertam nusquam improbavit, quam sæculo undecimo itidem viguisse testatur Algerus his verbis. *Hac fide ipsum Sacramentum quasi divinum quiddam adoramus, quasi vivum quiddam & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei qui tollis &c. quia non quod videtur, sed quod verè est, Christum ibi esse credimus.* XL *Boileau de Adorat. Alger. lib. 2. cap. 1.*

Erunt fortasse qui Berengariani erroris gradus ac progressus quosdam distinguere velint, censeantque Berengarium primùm quidem realitatem simul & transsubstantiationem apertè negasse: postmodùm verò adversariorum scriptis compulsum & convictum, subdolè de sola transsubstantiatione litigasse. Id autem eò probabilius efficitur, quòd Lanfrancus utrumque contra eum afferat, ac pro confesso ponat, præsentiam realem, uti & veram conversionem, ab eo pernegari. XLI

Certè Lanfrancus, uti & Durandus, sub duplici hac conditione Berengarium impugnavit; sed tamen in primo illo Berengarii scripto, quod Lanfrancus refellit, non pauca occurrunt, quæ reali præsentiæ in speciem favent. Hoc scripto Berengarius refellit confessionem fidei ab ipso admissam in Synodo Romana sub Nicolao II., compositam à Cardinale Humberto, quem temerè *Burgundum* vocat. Sed vide quid in Paschasio, & in illo pseudo-Burgundo arguat hæreticus. *Erat autem Burgundus*, ait ille, *in sententia, immo vecordia vulgi, Paschasii atque Lanfranci, minimè superesse in altari post consecrationem substantiam panis atque vini.* Vides quò tendat istud convicium, in quo nihil contra realem præsentiam. Prosequitur ille. *Quam sententiam*, inquit, *superioribus suis verbis ille ipse dejecit, nec attendit.* Quo pacto? *Qui enim dicit, Panis & vinum altaris solummodò Sacramenta sunt: vel, Panis & vinum al-* XLII

altaris solummodò sunt verum Christi Corpus & Sanguis; modis omnibus panem & vinum superesse constituit. Hoc ergo unum in illa confessione arguit Berengarius, quòd *solummodò* verum Christi Corpus & Sanguinem in Sacramento altaris admittat absque substantia panis & vini, quam ille superesse contendebat, ut ratio Sacramenti simul cum ipsa veritate consisteret: quippe *per consecrationem altaris*, subdit ille, *fiunt panis & vinum Sacramentum Religionis, non ut desinant esse quæ erant; sed ut sint quæ erant, & in aliud commutentur, quod dicit beatus Ambrosius in libro de Sacramentis.* Hic apertè solam conversionem substantiæ panis & vini rejicit Berengarius: ut nimirum in ipsius sententia constet ratio Sacramenti, quod *duobus conficitur*, inquit, *visibili & invisibili, Sacramento & re Sacramenti: quæ tamen res, id est Christi Corpus, si esset præ oculis, visibilis esset.*

XLIII Video quid huic sententiæ opponi possit, „ scilicet quòd Berengarius „ subdit, Corpus Christi elevatum in cælum, sedensque ad dexteram Patris, „ cælo devocari non posse „. Unde in consequentibus Lanfrancus objicientes sibi inducit Berengarianos. *Si panis in veram Christi carnem convertitur; aut panis sustollitur in cælum, ut illic in Christi carnem transferatur: aut caro Christi ad terram defertur, ut istic in eam panis commutetur. Atqui nec panis sustollitur, nec caro defertur. Non est igitur caro vera, in quam panis convertitur.* Lanfr. c. 21.

XLIV Hanc objectionem ex Berengarianorum dictis & principiis rectè conficiebat Lanfrancus; hincque probatur, Berengarium & Berengarianos non satis sibi constitisse; Berengarius siquidem in Eucharistia verum Christi Corpus & Sanguinem, & quidem *humanum* ex dictis agnoscebat, sicque nudam in Sacramento Christi Corporis & Sanguinis figuram esse negabat, remque ipsam cum figura admitti volebat, *ut quasi nobiscum aliquo modo esse videretur*, ut loquitur Guitmundus: at in modo explicandi sententiam suam, destruebat quod adstruere velle videbatur. Etsi enim verum Corpus, verumque Sanguinem & quidem *humanum*, in Sacramento confiteretur, veram tamen ac propriam Christi carnem esse negabat, quòd scilicet caro Christi cælo *indevocabilis* esset. At quo modo verum Corpus? quòd scilicet *Christum* in Eucharistia impanari vellet, ut mox videbimus, id est Verbum substantiæ panis & vini absque anima uniri: Verbo autem mediante, panem & vinum Corpori Christi in cælo ad dexteram Patris existenti uniri; sicque, remanente utriusque elementi substantia, Corpus & Sanguinem Christi quodam modo fieri. Verùm quia hæc non ita disertè explicabat, sed speciosis veri Corporis & Sanguinis nominibus involvebat; non mirum si Pontificibus & Episcopis de realitate rectè sentire visus est, tametsi in modo eam explicandi, ut jam dixi, destruebat, quod astruere velle videbatur. Quàm rectiùs Lanfrancus, ubi præmissam sibi objectionem proposuisset, respondit, „ in tanta rerum pro„ funditate orandum esse Deum, ut aut intelligamus, quæ pro humana „ capacitate intelligi possunt; aut patienter & humiliter ferendum, & ta„ men credendum, quæ in tanto arcano humani ingenii vires excedunt, & „ intelligi in hac vita minimè possunt; idque longè satius esse, quàm litem „ movere, ab universali Ecclesia dissentire, novum schisma verbis & scriptis „ contra sanctorum Patrum scripta inferre. „ num. 38.

XLV Berengarius qui impanationem doceat. Prædictam porrò contradictionem Berengario rectè objecit Hugo Lingonensis Episcopus, qui primus in eum scripsit. *Quapropter*, inquit, *necesse est ut aut panem omnino à sua natura dejicias, aut ipsum Christi Corpus dicere non præsumas.* Idem auctor initio libri, paullò ante hæc verba, quæ ex eo retulimus, consimilem Berengario contradictionem objicit, ubi sic ejus sententiam

tiam exponit. *Dicis enim, nimis extensè loquens, in hujusmodi Sacramento Corpus Christi sic esse, ut panis & vini natura & essentia non mutetur; corpusque quod dixeras Crucifixum, intellectuale constituis. In quo evidentissimè patet, quòd incorporeum confiteris. Qua in re universam Ecclesiam scandalizas, ipsumque tuum offendis auctorem, qui palpabile obtulit, quod incorporeum affirmas.* Ex his Hugonis verbis duo inferre licet; unum, Berengarium initio suæ hæreseos, quo tempore Hugo hæc scribebat, verum Christi Corpus in Eucharistia suo modo agnovisse: alterum, negando veram conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, consequens fuisse, ut corpus tantùm *intellectuale* & *incorporeum* admitteret. Ex quo consequi ait Hugo, ut omnino *impotens* futurum esset Sacramentum, utpote constans ex egenis elementis. *Quòd si fortè dixeris,* inquit, *& suam naturam retinere, & tamen non esse impotens Sacramentum; contra rationem loqueris, si cui naturam confers, inhærentiam negas,* id est inhærentem & insitam impotentiam. Verùm ut huic objectioni occurreret Berengarius, Verbum substantiæ panis & vini intimè uniri, id est impanari, atque, ut ita dixerim, invinari posteà docuit.

Id patet ex retractatione ab eo facta ultimæ fidei professionis, quam ille in postrema Synodo Romana sub Gregorio VII. Sacramento firmaverat. XLVI Cùm enim in illa professione contestatus esset, *panem & vinum substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi*; in retractatione sua id ait se ita dumtaxat admittere, ut panis, *salvâ substantiâ suâ, fit Corpus Christi, id est non amittens quod erat, sed assumens quod non erat*, quod in eodem scripto clariùs explicat in consequentibus, ubi suam cum catholica sententiam comparat in hunc modum. *Quod autem scripserunt, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, converti in veram ac propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; non me latebat, eos ita velle accipi, sicut dixi, ut putet quis deesse in sacrificio altaris subjecta panis & vini per corruptionem sui; & adesse Carnem Christi & Sanguinem, nunc primùm instituta, per generationem subjecti sui.* Sic catholicam sententiam exponit Berengarius: quid verò ille? Ex istius confessionis verbis ait consequi, superesse panem & vinum post consecrationem. *Consecrari enim,* inquit, *panem & vinum in altari, non est destrui substantiam panis & vini per corruptionem sui. Quodcumque enim consecratur, non amittit quod erat, sed in melius quàm erat provehitur.*

Ex hoc loco manifestum est, qualis tunc temporis fuerit, ipso Berengario testante, Catholicorum de transsubstantiatione sententia: nimirum Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia fieri *per destructionem panis & vini, & per generationem sui*, quod ampliùs idem ille explicat in epistola nondum edita ad Almannum seu Adelmannum, ubi denuo suam cum Catholicorum sententia comparat his verbis. *Adversarii ergo, vulgus, & cum vulgo insaniente Paschasius, Lanfrancus & quicumque alii, ita causam intendebant, panem & vinum usque ad consecrationem constare in altari: urgente consecratione, panem & vinum per corruptionem vel absumtionem sui in portiunculam Carnis Christi sensualiter transire & Sanguinis. Mea vel potiùs scripturarum causa ita erat, panem & vinum mensæ Dominicæ, non sensualiter, sed intellectualiter, non per absumtionem, sed per assumtionem, non in portiunculam carnis, sed, secundùm scripturas, in totum converti Christi Corpus & Sanguinem.* Nihil clarius ad adstruendam Catholicorum de transsubstantiatione fidem, quæ nimirum ea etiam tunc erat, panem & vinum fieri Corpus & Sanguinem Christi *per corruptionem & absumtionem*, sive per destructionem panis & vini. At quis ex illis verbis etiam

XLVII Catholicorum sententia de transsubstantiatione.

non inferat, Berengarii eam fuisse sententiam, panem & vinum *per assumtionem* verè *in totum converti Corpus & Sanguinem*? Non itaque mirum, si speciosis illis verborum involucris Catholicos nonnullos fefellit, quasi veram Christi Corporis & Sanguinis præsentiam re ipsa admitteret, solamque negaret transsubstantiationem. Ita enim opinatus est Guitmundus, qui hanc *subtiliorem* dixit fuisse Berengarii *sententiam, ut quasi nobiscum aliquo modo esse videretur*: ita enim sensisse videtur Algerus in prologo suo, ubi ait, quorumdam, id est Berengarianorum, hanc fuisse mentem, *in pane Christum quasi impanatum fuisse, sicut Deum in carne personaliter incarnatum*.

XLVIII Verùm ingenuè fatendum est, fucatam, subdolam, & minimè sinceram fuisse hominis versipellis confessionem, nec ex animo realitatem, uti neque transsubstantiationem admisisse. Unde verum Christi Corpus in altari verbis quidem agnoscit, at re vera negat, cùm veram carnem Sacramento inesse diffitetur. Hic nimirum fuit, eritque semper hæreticorum genius, ut principio ad avitam Ecclesiæ fidem verbis quàm propiùs accedant, ne Catholicorum animos offendant, & à se prorsus abalienent: at mente re ipsa recedant. Hinc factum est, ut de verbis, verborumque sensu tanta fuerit Aurelianorum cum Catholicis vitilitigatio: quam etiam in recentioribus Arianis, uti & in aliis hæreticis, advertere licet. Verba quidem subinde mutant, sed raro mentem: quod quidem in Berengario maximè patuit, qui, mutatis pro loco & tempore verbis, quosdam, ut ita dicam, gradus ad catholicam doctrinam fecisse visus est: (quid enim propius ad realis præsentiæ fidem, quàm dicere, panem & vinum *non per absumtionem sed per assumtionem, in totum converti Christi Corpus & Sanguinem*!) at rem ipsam privatim interpretando, eumdem semper errorem mente retinuit.

XLIX Catholicorum hac de re dogma. Ex his conficitur, longè falli heterodoxos plerosque, qui novum in Ecclesia transsubstantiationis dogma esse, nec ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. invectum contendunt: cùm fatente ipso Berengario eorum antesignano, ita senserint ejus tempore fideles omnes, quos vulgi insanientis nomine impiè traducit Berengarius. Pulcrè & apposité ad hunc locum Guillelmus sancti Theoderici Abbas in epistola ad quemdam monachum, scilicet Rupertum Tuitiensem. *Panis substantiam post consecrationem in altari superesse semper horruit pietas christiana, nuperque damnavit in Berengario Turonensi, ejusque sequacibus, nam, si hoc admitteretur, jam Verbum non incarnatum tantùm, sed etiam, si dici posset, diceretur impanatum: si, sicut ille dicebat, panis sic in Corpus Domini transiret, ut tamen panis esse non desisteret*. Hic duo docet Guillelmus, nempe catholicæ Ecclesiæ perpetuum fuisse dogma de transsubstantiatione, cujus contrarium *semper horruit pietas christiana*: & Berengarium sensisse panem sic *in Corpus Domini transire, ut tamen panis esse non desisteret*; atque adeò præsentiam quamdam realem suo modo cum impanatione composuisse.

Bibl. Cisterc. to. 4. pag. 130.

L Concilii Romani formula expenditur. Quod spectat ad id, quod ait Berengarius, Catholicos sensisse, panem & vinum fieri Corpus & Sanguinem Christi *per absumtionem*, & destructionem eorum substantiæ; id ita fieri rectè docet Algerus, ut forma sensibilis panis non mutetur, sed ipsa substantia, contra nonnullos, qui formam illam panis in Corpus Christi etiam mutari autumabant: quæ opinio fuit quorumdam non modò sæculo nono, ut aliàs ostendimus, sed etiam sæculo undecimo, teste Algero, qua in sententia fuisse videtur Abbaudus ille Abbas, cujus libellum de fractione Corporis Christi alias vulgavimus, contestatus se corde credere & ore confiteri ad salutem, *quia veraciter Corpus Christi ma-*

Alger. lib. 1. cap. 7.

Analect. t. 3. pag. 444.

manibus frangitur Sacerdotis. Id nimirum ita sensit Abbaudus ob formulam confessionis Berengario in Synodo Romana propositam, & ab eo assertam, in qua damnatur illa hæresis, quæ adstruere conatur, *Corpus Christi in altari non posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri*, quod *non solum in Sacramento sed in veritate* fieri formula illa docet. Hujus formulæ duplex Catholicorum olim fuit interpretatio. Alii enim volebant, fractionem re ipsa fieri in ipso Christi Corpore, quæ sententia fuit Abbaudi; & Walteri Abbatis sancti Victoris contra Abaëlardum. Unde Petrus Pictavensis ait, plerosque sentire, idque collige- *Petr. Pictav.* re ex confessione Berengarii, *quòd ipsum Corpus Christi essentialiter frangatur*, *parte 1. c. 12.* *dentibus atteratur*. Alii verò, & rectiùs quidem, hanc fractionem fieri in spe- *& 13.* cie tantùm visibili & forma panis. Unde Jacobus à Vitriaco: *Si autem*, in- *Jac. à Vitr.* quit, *aliquando reperiatur, quòd Corpus Christi frangitur, vel in tres partes dividitur, vel dentibus atteritur, quæ notant corruptionem: non ad corporis substantiam, incorruptibilem & impassibilem referenda sunt, sed ad formam: ea verò quæ notant sumtionem, Corpori Christi propriè conveniunt. Quòd autem reperitur Berengarius dixisse coram Papa Nicolao, Corpus Christi manibus Sacerdotis tractari, frangi, & dentibus atteri; referendum est ad formam*. Porrò hæc formula ad hoc tantùm sic expressa fuit, ut fractio illa fieri non crederetur in substantia panis, quam Berengarius post consecrationem superesse volebat. Hac de re latiùs scribit Guitmundus in libro primo. *Hist. Occiden.*

LI At quid sibi voluit hæreticus, cùm tribuit Catholicis hanc sententiam, panem & vinum post consecrationem *in portiunculam Carnis Christi sensualiter transire & Sanguinis?* Nemo enim catholicorum umquam hoc dixerit. At nimirum id de suo commentus est Berengarius. Panem enim & vinum non *in portiunculam* Carnis Christi & Sanguinis, sed in totum Corpus & Sanguinem verè converti Catholici omnes semper confessi sunt: sed eorum dogma hoc modo expressit, ut id absurdum redderet, scilicet sub modica panis & vini specie totum Christi Corpus & Sanguinem contineri.

LII Ex his omnibus satis manifestum esse puto, qualis fuerit Berengarii de divino altaris Sacramento doctrina: quam etsi variis diversisque in speciem verbis & sententiis expresserit, eadem semper mente retinuit usque ad annum M.LXXX. Erunt fortasse qui malint cum Guitmundo dicere, eum rectis tandem Ecclesiæ rationibus ante id tempus saltem ex parte cessisse, & admissa realitate, solam demum transsubstantiationem negasse, aut certè pro locorum & hominum conditione verba & sententiam mutasse. Ita sit verò: at rectè illum urgebat Guitmundus ipse, cujus hæc verba sunt in libro tertio. *Diligenter sanè, si daretur locus, cum ipso Berengario discutere vellem, cùm aliquos doceat, nihil in cibo altaris Domini Corporis & Sanguinis Christi nisi umbram tantùm et figuram haberi, aliquibus verò tanquam subtiliùs quærentibus, satisfaciens, ipsum ibi Corpus Christi esse respondeat, sed impanatum latere: quid sibi in priore sententia displiceat, ut satisfacturus quærentibus transmigret ad alteram; aut quid in posteriore abhorreat, ut redeat ad priorem? Migrando enim ad secundam, priorem reprobat: redeundo ad priorem, alteram damnat: quo fit ut utramque defensando, neutram teneat. Unde consequitur, ut cùm reliquas sententias omnes oderit, de his Dominicis Sacramentis quid debeat credere penitus nihil sciat. Exinde quoque id accidit, quod certissimè novimus, quòd Berengarius & sui, si ab eruditis Catholicis de sua fide discutiantur, id quod de Corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut, si profitentur, defendere non valent*. Et post multa ibi præ-

clarè : *Quam ob rem palàm est*, inquit, *quia non sunt isti defensores veræ fidei, nec filii, sed adversarii Christi Ecclesiæ*.

LIII Hæc fusiùs fortasse prosecutus videar : sed ad id causæ non parùm, ut mihi videtur, graves me impulerunt. Prima est ut accuratior habeatur Berengarianæ historiæ ac doctrinæ cognitio ex scriptis & monumentis nondum vulgatis. Altera, ut ratio appareat, cur tam diu hæreticum hominem toleraverint, & molliùs, ut videtur, tractaverint Ecclesiæ Pastores, qui eum post tot lapsus & relapsus non cohibuerint : nimirum quòd veri Corporis & Sanguinis speciosis nominibus videretur propiùs accedere ad catholicam fidem, tametsi ab ea mens ejus longè abesset. Tertia denique est, ut ex ejus confessione constet, qualis tunc fuerit Catholicorum de transsubstantiatione fides, cujus novitatem recentiores hæretici temerè ac falsò nobis objicere non dubitarunt. Certè qui solam transsubstantiationem à Berengario negatam fuisse putarunt catholici doctores, ut Guitmundus, eum non impari zelo impugnarunt, quàm si realem quoque præsentiam rejecisset. Adeò insitum eorum animis erat, utrumque ex æquo pertinere ad catholicam fidem. In hunc porrò errorem impegit Berengarius, quòd nimiùm philosophicis ratiunculis, ut observavit Lanfrancus, tribuerit: quem ejus asseclæ infeliciter imitantur, cùm plus sensuum testimoniis & humanæ rationi tribuunt, quàm divinæ auctoritati & Ecclesiæ traditioni, qua catholica de Eucharistia fides manifestissimè continetur.

§. IV.

De propagatione Berengarianæ hæreseos, deque variis Auctoribus qui contra eam scripserunt.

LIV AD absolvendam hanc de Berengariana hæresi tractationem, de Auctoribus insignioribus, qui eam deditâ operâ impugnarunt, hoc loco disserere juvat. Hi sunt Hugo Lingonum Præsul, Lanfrancus, Guitmundus, Durandus, Albericus, Algerus, præter Jorsaldum Cluniacensem monachum, qui calamum adversùs Berengarium strinxisse dicitur in veteri catalogo Bibliothecæ Cluniacensis, præterque Wolphelmum, Goffridum Vindocinensem, Guitbertum, & Guillelmum sancti Theoderici Abbates, aliosque nonnullos. Omnes illi ut rem certam & exploratam ponunt, Berengarii de Eucharistia errorem totius orbis Christiani fidei orthodoxæ oppositum fuisse.

Hugo in fine. Unde eum monet Hugo Episcopus, ut ne præsumat *singulariter sentire, quod universitas non assentit*, immo *commune* habeat *judicium secundùm catholicos & canonicos sensus, quos extra* ipse sentiebat. *Si verum est*, inquiebat Lanfrancus ad Berengarium, *quod de Corpore Christi tu credis & adstruis; falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur & adstruitur. Omnes enim qui Christianos se & esse & dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus Sanguinem, utraque sumpta de Virgine in hoc Sacramento se percipere gloriantur. In*-ter-

terroga universos, qui latina lingua, nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenios, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos homines, uno ore hanc fidem se testantur habere. Nihil hoc testimonio luculentius & efficacius ad probandam etiam Orientalium nobiscum hac in fide consensionem, quæ invictissimis argumentis nuperrimè * dènuo asserta est. Non minùs disertè Guitmundus hanc veritatem probat. *Fides*, inquit, *quam de Corpore & Sanguine Domini semper Ecclesia universa tenuit, multis insuper Conciliis Generalibus roboravit, ex apostolica auctoritate tradita rectissimè creditur. Nam si illud, quod semper Ecclesia tenuit, nullis munitum Conciliis, apostolicum est: quantò magìs illud, quod & semper tenuit, & multis est, ut dixi, Conciliis Generalibus confirmatum, ex apostolica auctoritate traditum esse credendum est? Sed panem & vinum altaris Domini in Corpus & Sanguinem Christi substantialiter commutari, non, sicut delirat Berengarius, Corporis & Sanguinis Domini figuras tantùm esse & umbras, aut intra se latentem Christum tegere, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Secura igitur voce, gubernante Domino nostro & Salvatore Jesu Christo, id à nobis asseri potest.* Itaque absit, ut cum Durando loquar, *ut tam perversis, & à veritate ipsa tantùm aversis, pari jungamur perfidia, atque in sancta Dominici Corporis ac Sanguinis communione minus aliquid fateamur, quàm quod catholica per universum orbem prædicat Ecclesia.*

* *Perpet. de la foy.*
Guitm. lib. 3.
Durand. parte 2.

LV
Pauci Berengarii Sectatores.

Contra hanc totius orbis in una fide consensionem pauci admodùm rebelles fuère, ut novam hæresim sectarentur, Unde *Berengarianam plebeculam* vocat Guitmundus. Quippe ut idem ait, *si quis qualitatem vel flagitiosam vitam eorum, per quos utcumque pullulavit, aspiciat; si quis nullum sinceræ vitæ hominem, nullum penitus sapientem fautorem ejus attendat; si auctoris ejus perjuria; si denique non solùm Concilia suprà dicta, sed etiam totum orbem terrarum contradicentem penset: tacente nostra disputatione, quid magìs tenendum sit, ut arbitror judicabit.* Vis scire quo pacto hæc hæresis ad illam plebeculam propagata sit? audi quid de Berengario, ejusque asseclis dicat idem Guitmundus. *Aucupatis ergo nonnullis velut ratiunculis, (neque enim ulla umquam hæresis sinè aliqua veri similitudine rationis invalescere potuit) adhibitis quoque paucis malè intellectis à se capitulis scripturæ sacræ, quæ multis errantibus laqueus est mortis, per egenos scholasticos jam per alimoniam, qua sustentabat eos, & per suos dulces sermones corruptos, quaquaversum potuit, clanculo hujus tanti mali nefandissimum virus effudit. Si qui autem præterea aliquo modo receperint eum, hi sunt, qui ex apostolica sententia territi, qua dicitur. „ Qui manducat & bibit indignè, judi„ cium sibi manducat & bibit; „ communionem sacram, quam pro Ecclesiastico more sumere coguntur, mallent aut nullam, aut non tantam esse, quàm ejus metu se à flagitiis aliquatenus temperare. Ita igitur, & per tales exsecranda pestis paullulùm adolevit.*

Guitm. lib. 3.
Id. lib. 5.
Ibid.

LVI
Primus in eum scripsit Hugo Episcopus.

Non mirum itaque si nulli dignitate aut doctrinâ præstantes viri eam receperint, immo eam impugnaverint docti quique illius temporis homines. Horum primus fuit Hugo Lingonensis Episcopus, frater Waleranni, ex comite Britulìensi monachi, dein Abbatis sancti Vitoni, in Synodo Remensi anno M.XLIX. à Leone Papa ob simoniam exauctoratus: qui Papam nihilominùs Romam usque secutus, plenam Synodum, cui præsidebat Pontifex, nudus & excalceatus ingressus cum virgis, quibus cæderetur, ita Pontificem & ceteros Præsules ad commiserationem flexit, ut eum Pontifex absolverit, & in gradum restituerit, si tamen ejus Ecclesia, aut quælibet alia eum recipere vellet. Verùm ille, dum patriam repetit, in morbum incidit, habitum monachi sub nomine cœnobii sancti Vitoni, cui ipsius frater præerat, à co-

mitibus

mitibus itineris sui Monachis Cluniacensibus accepit, sicque vitâ functus fratrum sancti Vitoni defunctorum numero adscriptus est: quæ omnia narrat Laurentius de Leodio in continuatione historiæ Episcoporum Virdunensium. In necrologio sancti Benigni notatur XVII. Kal. Aprilis *depositio domini Hugonis Lingonensis Episcopi*, referenda proinde ad annum M.LI., siquidem mense Aprili anni præcedentis interfuit Concilio Romano, ut mox diximus. Cùm hæc ita sint, ante exauctorationem suam scripsit Hugo contra Berengarium, cui necdum ab Ecclesia damnato librum suum ita inscripsit: *Hugo Lingonensium Episcoporum minimus, Berengario, in quibusdam reverentissimo Sacerdoti, Deum sapere*. Ex hoc solo, ni fallor, auctore patet, Berengarium fuisse Sacerdotem, quem *in cunctis aliis* præter errorem *reverentissimum Virum* vocat. In colloquio, quod cum eo habuerat, dicere ausus est Berengarius, *se extra communes oculos* de Sacramento altaris videre. *Expertus loquor*, inquit Hugo, *audisse contigit, nam non crederem. Abjecta unitate, de parte extolleris*. De Ascelini, Deoduini, & Adelmanni epistolis superiùs egimus.

Spicil. to. 12. pag. 282. & seqq.

num. 18. & seqq.

LVII *Lanfrancus secundus.* Post Hugonem adversùs Berengarium scripsit Lanfrancus, tum Abbas Monasterii sancti Stephani Cadomensis anno M.LXIV. exstructi, cui primus rector præfectus est. Epistolam vocat Lanfrancus scribens Alexandro II. discipulo quondam suo, qui hanc ab eo epistolam petierat. *Epistolam*, inquit ille, *quam Berengario schismatico, dum adhuc Cadomensi cœnobio præessem, transmisi, paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curavi*. Hæc proinde ad Berengarium epistola scripta est ante annum M.LXX., quo Lanfrancus creatus fuit Archiepiscopus Cantuariensis; adeóque non multò post Concilium Romanum anni M.LIX. sub Nicolao II., in quo professio fidei à Berengario subscripta est, mox ab ipso refutata scripto, quod Lanfrancus edito hocce libro, quem epistolam vocat, refellit. Ejus inscriptio sic habet, *Lanfrancus, misericordiâ Dei catholicus, Berengario catholicæ Ecclesiæ adversario*. In hoc libro Lanfrancus Humbertum ut mortuum laudat, quem ante annum M.LXIII. objisse Ughellus existimat. In illo itaque temporis intervallo, quod ab eodem anno ad annum M.LXX. effluxit, hic liber scriptus est. Ex his intelligitur, ea, quæ de Concilio Romano sub Gregorio VII. in cap. 2. editionis Acherianæ dicta sunt, ab eodem Lanfranco, cùm jam Archiepiscopus esset, adjecta & inserta fuisse. Certè in veteri editione, quæ Lovanii anno M.D.LXI. excusa est, & in quibusdam aliis, capitis secundi tres illæ de Concilio Romano sectiones desunt.

Lanfr. ep. 3.

LVIII *Guitmundus tertius.* Guitmundus seu Wittmundus monachus primùm Crucis sancti Audoëni seu sancti Leutfredi in diœcesi Ebroicensi, postmodùm Episcopus Aversanus, ab Anonymo Chiffletiano Christianus dictus, & in Vita Gregorii VII., discipulus fuit Lanfranci, quem magistrum suum dicit. Nullus de eo accuratiùs scripsit Orderico Vitali, apud quem Guitmundus in Angliam jussu Wilhelmi Regis trajecisse perhibetur, & insigni constantia Episcopatum recusasse. Reversus in Neustriam cùm in Monasterio suo remaneret, defuncto Johanne Rotomagensi Archiepiscopo, in ejus locum electus fuit; ast, invidis reclamantibus, qui eum presbyteri filium esse objiciebant, ab Odilone Abbate suo facultatem peregrinandi obtinuit: quem Gregorius VII. Romam advectum benignè excepit, Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ creavit, eumdemque non multò pòst Urbanus II. Archiepiscopum Aversanum instituit. Hæc carptim ex Orderico, ex quo solvi potest Ughelli dubium, an idem sit Guitmundus Aversanus Archiepiscopus, qui factus est Cardinalis, si tamen hac in re Orderici certa est auctoritas. Libros tres contra Berengarium scri-

Guitm. lib. 2. Order. lib. 4. pag. 524. & seqq.

Ital. Sac. t. 1. pag. 550.

ſcripſit Guitmundus dialogi more, interlocutore Rogerio Monacho, medicinæ arte prædito, cujus rogatu hoc opus aggreſſus eſt. In his libris adverſarium preſſiùs urget, in quibus Baronius id carpit, quòd ſpecies Sacramentales corruptioni obnoxias eſſe negare videatur. Scripſit hos libros, dum adhuc in Neuſtria verſaretur, Gregorio VII. Pontifice, ante Synodum Romanam anni M. LXXVIII. At poſt Concilium Romanum ſub Nicolao II., de quo mentionem fecit, nemo illo accuratiùs Berengarii, ejuſque aſſeclarum varias opiniones indagavit. *Guitm. lib. 1.* *Ibid.* *Id. lib. 3.*

LIX Durandus quartus. Poſt Guitmundum Durandus in Berengarium itidem opus elaboravit, in novem partes diſtributum, quod Acherius noſter in calce Lanfranci operum unà cum libro Hugonis Lingonenſis Epiſcopi typis vulgavit. Durandus ab infantia monachus, ac demum Abbas primus Troarnenſis in Neuſtria Monaſterii, quod anno M. LIX. ab Odone Bajocenſi Epiſcopo dedicatum legitur; grandævus obiit, Orderico teſte, anno M. LXXXVIII. Hoc opus aggreſſus eſt, cùm vigeret *Orderic. lib. 8 pag. 676.*

Jam per Francorum fines & caſtra vagantum,
Schiſmaticorum hæreſis, per quos cœpit nova noſtris
Temporibus, veneranda negans myſteria Chriſti;

ut Durandus ipſe canit in verſibus operi ſuo præfixis. Mirum eſt eum nullam neque de Lanfranci, neque de Guitmundi opere facere mentionem, quos ſibi notiſſimos fuiſſe facile perſuadet locorum vicinitas.

LX Algerus quintus. Id minùs mirandum de Algero, homine extraneo. Hic quippe ab infantia in urbe Leodicenſi educatus & litteris informatus, ab Otberto Epiſcopo in majori Eccleſia ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti Canonicus factus eſt; ſub quo & ſub Friderico Epiſcopo, qui Otberto anno M.C.XVIII. ſucceſſit, annis ferè viginti pro Eccleſiaſticis negotiis multas ſcripſit epiſtolas, duoque opuſcula, unum de miſericordia & juſtitia, alterum de Sacramento altaris tribus libris: denique poſt mortem Friderici Epiſcopi, quæ anno M.C.XXI. accidit, factus Monachus Cluniacenſis ſub Petro Venerabili, qui eum mortuum luget in epiſtola ad Adalberonem II. Leodicenſem Epiſcopum, anno M. C. XLVI. fato functum: ubi eum *humilitate, puritate, vitæ totius ſinceritate* maximè præditum fuiſſe dicit: *qui & librum*, inquit, id eſt opuſculum trium librorum, *de Sacramento altaris, auctoritatibus ſanctorum Patrum invincibiliter munitum, nobis in fidei ſuæ teſtimonium, & contra quorumdam modernorum vel imperitiam vel errorem, ſingulare præſidium dereliquit.* His verbis videri poſſet Algerus hunc librum jam monachus compoſuiſſe: at Nicolaus Leodicenſis Canonicus, qui ejus elogium contexuit, hoc opuſculum, uti & aliud de Miſericordia & Juſtitia, ab Algero adhuc canonico fuiſſe compoſitum tradit: non proinde contra Petrobruſianos vel Henricianos, qui fortè necdum exorti erant, ſed contra Berengarianæ ſectæ reliquias. Adversùs alios duos, id eſt Petrobruſianos & Henricianos, inſigne opuſculum edidit Petrus Venerabilis, in quo Lanfranci, Guitmundi, & Algeri libros laudat: *quorum alter*, inquit, *Archiepiſcopus Cantuarienſis, alter Epiſcopus Averſanus, tertius autem Canonicus & Magiſter Leodicenſis, dehinc noſtro tempore monachus & presbyter in Monaſterio Cluniacenſi, ubi etiam liber ejus habetur, puræ ac devotæ converſationis exſtitit.* Jam ergo tum, cùm hæc ſcriberet Petrus, obierat Algerus, qui anno decimo ab ingreſſu in Monaſterium obiiſſe dicitur in brevi Chronico Cluniacenſi, apud Poſſevinum relato: adeóque anno circiter M. C. XXXI. deceſſiſſe cenſendus eſt. *Petr. Ven. lib. 3. ep. 2.* *Analect. t. 1. pag. 303.*

LXI Non omittendi hoc loco Guitbertus Novigenti, & Guillelmus S. Theoderici

Guitbertus & Guillelmus sancti Theoderici Abbates. derici clarissimi Abbates, ex quibus ille, scilicet Guitbertus, in epistola quadam ad Priorem & Monachos S. Nicolai in Silva, diœcesis Laudunensis, de Veritate Dominici Corporis agens: *Si umbra est*, inquit, *& non corpus, in umbram de umbra decidimus; immo in deteriora valde devenimus*, quod in

Guib. p. 283. consequentibus rectè probat. Idem argumentum denuo retractat in libro 2. de Pignoribus Sanctorum. Guillelmus verò sancti Theoderici Abbas, ejus æqualis, sed paullò junior, librum ejusdem argumenti scripsit, quem S. Bernar-

Bibl. patr. Cisterc. to. 4. pag. 138. do Abbati Claræyallensi nuncupavit. In hoc libro cùm multa præclarè dicta sunt, tum illud inprimis observandum videtur quod ait Guillelmus cap. XI., ubi expendens, cur diversæ in speciem Sanctorum Patrum de hoc Sacramento legantur sententiæ, hanc reddit rationem. *Quia ab initio sanctæ Ecclesiæ usque ad nostra penè tempora, hæc ab omnibus quæstio intacta relicta est, sancti Patres quod non impugnabatur non defendebant: nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc indè proferebant, quod res postulabat, quæ in manibus habebatur. Quod quia quæsitionibus non respondebat, quæ nondum erant; parùm modò sufficere videtur ad eas, cùm exsurgunt, compescendas. Contra quas, quia tunc non vigilabat intentio eorum; plurima de Sacramentis sanctis* (sic Sacramentum Eucharistiæ ob duas species plurali modo tum vocabant) *in scriptis suis reliquerunt, quæ suo loco, suo sensu bene dicta, & ab eis qui contendere, vel errare amant, eruta de locis suis, aliud per se videntur sonare, quàm ibi sonent unde sumta sunt, & quàm senserit qui scripsit. Sed & multa de eadem re ab eis relicta sunt, quæ bene dicta, vel obscuriùs, utpote ab eis, qui ut homines, venturas omnes errorum calumnias non poterant prævidere, malè intellecta, materiam errandi, vel contendendi perditis videntur præstare*, quod sancto Augustino in materia de gratia contigisse idem auctor rectè observat. Hunc locum, quia non levis momenti visus est, nec facilè cuivis occurrit, integrum referre quoddam operæ pretium duxi.

Ibid. pag. 130 num. 49. Idem Guillelmus alterum libellum ejusdem argumenti scripsit occasione operis Ruperti Abbatis de divinis officiis, quo ex libello insignem locum superiùs retuli. In fine hujus libelli idem Guillelmus protestatur, se haud dubi-

Ruperti Abbatis integra fides. tare *de integritate fidei* Ruperti Abbatis, nec censoriam in eum tulisse sententiam, *sed fraterna caritate & sollicitudine amica* optare, ut ejus opus exquisitum & circumspectum reddatur, *prinsquàm exiret in manus eorum, qui foris sunt: ut qui rodere illud vellet, non inveniret ubi dentem posset infigere*. Atqui Rupertus ipse fidem de Eucharistia jam satis superque vindicavit, maximè in epistola ad Cunonem, præfixa ipsius commentariis in Johannem, ubi refellit quosdam Berengarianos, qui S. Augustinum suo errori favere asserebant, quod *omnino falsum* esse dicit. *Ego autem*, inquit, *verum Corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse decerto Sanguinem, qui pro nobis fusus est, sicut Ecclesia catholica tenet*. Et infra, *Tribus essentiæ modis Corpus & Sanguis Christi est, quarto autem differt. Est etenim nomine, re & effectu; differt verò specie*. Denique ita concludit. *Credamus fideli Salvatori Deo, in eo quod non videmus: scilicet panem & vinum in veram Corporis & Sanguinis transisse substantiam; & comedentes atque bibentes vivamus in æternum*. Sed præstat legere Apologiam, quam noster Gabriel Gerbero pro Ruperto composuit.

LXII Wolphelmus Abbas & Albericus. Superest agendum de Wolphelmo Abbate, & de Alberico Monacho Casinate, qui ambo contra Berengarium itidem scripserunt. Wolphelmus, Brunwillarensis in Coloniensi pago Monasterii Abbas, qui anno M.XCI. decessit, epistolam adversùs Berengarium scripsit Meginhardo Abbati Gladbacensi, quam Conradus Monachus in ejusdem Wolphelmi Abbatis vita retulit. De Alberico Monacho ac Diacono Casinate agit Petrus Diaconus in

cun-

continuatione Chronici Casinensis, ubi eum Virum disertissimum vocat, variaque ejus scripta recenset; in his librum de Corpore Domini adversùs Berengarium, quem in Synodo Romana, cui interfuit, cùm nullus Berengario resistere valeret, *idem Albericus, hebdomadæ unius acceptâ licentiâ, adversùs eumdem Diaconum*, scilicet Berengarium, edidit, *Sanctorum Patrum testimoniis roboratum, in quo omnes assertiones ejus destruxisse, æternæque oblivioni tradidisse* dicitur. Hoc *nimis glorianter ac mendaciter* scriptum ait Baronius, id interpretans de Concilio Romano anni M. LIX. in quo Berengarius errorem suum sponte damnaverat. Et quidem Petrus nonnumquam res nimiùm effert, ut fortè hoc loco accidit: at Synodus illa, cui Albericus vocatus interfuit, non illa quæ sub Nicolao II. sed alia posterior anni M. LXXIX. intelligenda est, Romæ itidem habita sub Gregorio VII. in qua Albericus institit, ut professioni fidei Berengario positæ vox *substantialiter* adderetur. Hujus rei auctorem habemus Berengarium ipsum, qui in quodam scripto, quod præ manibus habemus, Albericum inprimis hac de re acriter reprehendit. *Si erravit*, ait ille, *qui dixit, panis sacratus in altari est panis Christi, pro eo quod non addidit substantialiter; erravit ipsa veritas, quæ dixit; Hic panis est meum corpus*. Et post multa, ubi Apostolum, Ambrosium, Augustinum, aliosque Patres pro se testes adducit, hæc subdit. *Non realiter eorum quisquam, non substantialiter, quia nec ipsa Veritas addendum esse putavit. Erravit potiùs, faciliùs planè erravit Cassinus ille non monachus, sed dæmoniacus Albericus* (hæ sunt hæretici hominis amænitates) *qui mentis acie perspicuam mecum intuens veritatem - - in veritate tamen non perstitit, --- mentitusque est errare me de mensa dominica, nisi cùm dicerem, Panis sacratus in altari est Corpus Christi, adderem substantialiter: ut in eo sibi conciliaret, & quasi victores constitueret errantes de sacrificio Ecclesiæ, si effectum daret, ut ego enuntiationi de Christi sacrificio mea demerem aliquid fortè, vel adderem*. Sic desinit scriptum illud Berengarii, ex quo intelligimus, Albericum contra eum disputasse in Romana Synodo anni M. LXXIX. in qua hæc vox *substantialiter* professioni fidei inserta est. An Albericus scriptum illud, quod unius hebdomadæ spatio composuisse dicitur, vulgaverit, an viva tantùm voce protulerit; nobis incompertum. Neque enim illud quisquam nostro tempore, aut vidisse, aut citasse invenitur. Hactenus de Auctoribus, qui contra Berengarium ejusque Hæresim scripsère: quos omnes aut ferè omnes nostri Ordinis fuisse constat. His adde Goffridum Vindocinensem Abbatem, cujus primum opusculum est Tractatus de Corpore & Sanguine Domini, *omnibus Christianis* inscriptus, in quo quid de hoc divino Sacramento credendum sit, paucis rectè explicat.

Chron. Casin. lib. 3. cap. 35.

§. V.

De Berengarii resipiscentia.

POst varios casus variamque fortunam Berengarius à sua tandem hæresi resipuisse traditur sub finem vitæ, & ex illis tempestatibus, quas temerè LXIII
& præfractè sibi ipse accersierat, ad portum silentii & quietis se recepisse erroris pænitens, quem vel serâ pænitentiâ expiare conatus est. Id factum videtur post Concilium Burdegalense, anno millesimo octogesimo, ut superiùs

vidimus, convocatum : in quo cùm fidei suæ rationem reddidisset, quam posteriori scripto suo pravè exposuerat, Romanæ tandem postremæ Synodi formulæ professionis acquievit, sicque demum convictus, & victus in communione & fide Ecclesiæ in luctu, ceterisque pœnitentiæ officiis reliquum vitæ exegit, ad annum scilicet M.LXXXVIII. quo ejus obitum reponit chronicon sancti Martini Turonensis, quod Johannes Majoris Monasterii Monachus ad annum M.CC.XXVI. produxit, sic enim in illo chronico legitur. *Anno Domini M.LXXXVIII. obiit magister Berengarius Grammaticus, fidelis & verè catholicus, super cujus tumulum tale epitaphium est insertum.*

Quem modò miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacra fidei vestigia summa tenentem.
Jani quinta dies abstulit, ausa nefas.

Hoc epitaphium pluribus versibus composuit Hildebertus, in Berengarii laudes poëtico more profusior, ubi eum *Jani quinta die*, uti habet Willelmus Malmesburiensis, non *primâ*, ut in quibusdam editis legitur, obiisse dicit, id est quinta die Januarii in sextam desinente : nam ipso die Epiphaniæ, seu VIII. idus Januarii, ferè nonagenarium decessisse constat. Hildebertus porrò de ejus beatitudine, adeóque de ejus resipiscentia (quod Baldricus etiam censuit) ita certus erat, ut non aliam sibi sortem, quàm illius optaret. Sic enim claudit ejus epitaphium.

Vir verè sapiens, & sorte beatus ab omni,
Qui cælos animâ, corpore ditat humum.
Post obitum vivam secum, secum requiescam :
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Addit Johannes Monachus, eum usque ad finem vitæ in Insula sancti Cosmæ feliciter conversatum, in claustro beati Martini Turonis sepultum fuisse : qua de re infrà.

LXIV Sanè Berengarium catholicum, & in catholica communione decessisse probant Clarius Monachus, Willelmus Malmesburiensis ejus ferè æquales : idque confirmant non modò profusæ laudes Baldrici & Hildeberti, qui ambo ejus epitaphium condiderunt, sed etiam Matthæus Parisius, Vincentius Bellovacensis, Chronicon sancti Martini, & membranæ Lauriacenses. Scribebat Clarius Monachus sancti Petri Senonensis sub Daimberto Archiepiscopo anno decimo post mortem Berengarii, de quo hæc commemorat. *Anno M.LXXXIII. Berengarius, Turonensis Magister, & admirabilis Philosophus, amator pauperum effloruit, Hic composuit orationem illam, quæ sic incipit, Juste Judex Jesu Christe. Post hæc fidelis & verè catholicus vitam finivit : super cujus tumulum hujusmodi epitaphium est : Quem modò &c.* Hoc epitaphium composuit Hildebertus tunc Archidiaconus Cennomannensis, nondum Episcopus, vivente Clario, qui præmissos ejus epitaphii versus retulit.

Spicil. tom. 2. pag. 749.

LXV Idem epitaphium retulit Willelmus Malmesburiensis, æqualis Hildeberti, qui in his versibus *laudis modum* non immeritò excessisse dicitur ab ipso Willelmo. Hic tamen Berengarii resipiscentiam & pœnitentiam agnoscit, quæ ea fuit, ut nullam suo conspectui feminam pateretur admitti. *At, quamvis ipse sententiam suam correxerit*, inquit Willelmus, *omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeò pessimum est alios exemplo vel verbo à bono infirmare : quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cùm deletum fuerit tuum.* Tum relatâ Fulberti de eo, futuraque ejus hæresi prophetiâ, hæc subdit Willelmus. *Quin & ipse die Epiphaniorum moriens, gemituque*

Willelm. Malmesb. lib. 3. de Reb. Angl.

tuque producto, recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris calore sectâ suâ infecerit : Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus, propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam : quod haud scio an acceperit Willelmus ex fragmento quodam veteris membranæ, relato in Bibliotheca Floriacensi, ubi eadem leguntur. Willelmo de pœnitentia Berengarii subscribit Matthæus Parisius in Guillelmo secundo, scribens, eum, licet primum juventutis calorem aliquarum hæresum defensione infirmaverit, ævo tamen maturiore ita resipuisse, *ut citra controversiam à quibusdam sanctus habeatur, utpote in multis operibus bonis, & maximè humilitate & eleemosynarum largitionibus approbatus*. Eadem ferè verba exscribit Vincentius Bellovacensis, qui eadem de Berengario, atque Willelmus scribit, eum videlicet conspectum feminarum omnino refugisse. *Bibl. Floriac. parte 1. pag. 518.*

Hildeberti æqualis fuit Baldricus, ex Monacho & Abbate Burguliensi Archiepiscopus, ut tum dicebatur, Dolensis, qui in epitaphio Berengarii de ejus resipiscentia & beatitudine non obscurum testimonium reddit : quod epitaphium, utpote brevius hoc loco integrum afferre lubet ad claudendum Berengarii elogium. LXVI

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguêre Magistro.
Porrò Latinorum facundia florida manet,
Invida sors Turonis ubi tantum lumen ademit.
Clauditur in Jano tibi, Doctor, janua vitæ:
Vel magis in Jano patuit tibi janua vitæ.
En tua, magne senex, jacet hoc sub fornice gleba,
Ad reditum propriæ suspirans conditionis.
Promittatque licèt veniam tibi spes meritorum.
Hanc tamen acceleret lector pia vota vovendo.

In necrologio cathedralis Ecclesiæ Andegavensis hæc de eo leguntur : *VIII. Idus Januarii obiit Berengarius istius Ecclesiæ Archidiaconus*, ubi certè locum non habuisset, si in catholica communione non decessisset. Non ergo audiendus Bertholdus Constantiensis, homo extraneus, qui Berengarium hæresim, abjuratam licèt atque anathematizatam, non tamen posteà dimisisse scribit.

Eum porrò in insula sancti Cosmæ prope Turonos supremum vitæ tempus exegisse consentiunt omnes : at de loco ejus sepulturæ non una est omnium sententia. In hanc insulam vir piissimus Herveus, Ecclesiæ sancti Martini thesaurarius, antea secesserat, ibique parvam Ecclesiam in honorem sancti Cosmæ & Damiani exstruxerat : quam post ejus mortem Martiniani Canonici sub annuo censu Majoris Monasterii Monachis gratiâ *refocillandorum fratrum* concesserant; at, lite deinde suborta, denuo receperunt. In hanc insulam Berengarius pœnitentiæ causâ se recepisse traditur : quo mortuo, Canonici regulares eam obtinuerunt, anno scilicet M. C. II. Fallunt membranæ Lauriacenses, in quibus Berengarius in illa insula *per viginti octo annos* Domino militasse dicitur. Ad summum legendum *per octo annos*, nimirum post Concilium Burdegalense, quo peracto, penitus resipuisse videtur, ut jam diximus. LXVII

Vulgaris traditio est, eum in claustro sancti Cosmæ humatum fuisse; & quidem ad ostium Capituli, sub nigro lapide, ubi Martiniani Canonici quotannis feriâ tertiâ Paschæ convenientes, psalmum *De profundis* absque collecta seu oratione recitant, sed nulla mentione facta Berengarii, quem Jo- LXVIII

hannes Monachus Chronographus in claustro sancti Martini sepultum fuisse dicit. De Berengarii vita, hæresi, & pœnitentia librum singularem edidit Franciscus de Roya Antecessor Andegavensis. *Utinam autem*, ut cum Erasmo finiam, *qui Berengarium secuti sunt errantem, sequantur & pœnitentem; atque horum etiam error Ecclesiæ cedat feliciter.*

Erasm. ep. in Alger.

§. VI.

De gestis Gregorii VII. contra investituras, & simoniam, & pro cælibatu Clericorum.

LXIX Gregorium VII. magnum virum fuisse, & magnos in exiguo corpore gessisse spiritus, etsi non consentirent omnes, certè satis superque contestarentur præclara facta, quæ pro instauratione Ecclesiasticæ disciplinæ aggressus est, & maxima ex parte perfecit. Quòd si in quibusdam videtur excessisse modum, ut difficile est eum in rebus arduis & difficillimis semper tenere; excusare ipsum debent tantorum factorum merita, quæ in rem publicam Christianam redundarunt, à nemine jure improbanda. Quid enim probabilius, quid verò difficilius, quàm Ecclesiasticarum Investiturarum abusus, tanto temporum decursu, tanta sæcularium Principum auctoritate obfirmatos, penitùs evellere; Simoniam ferè ubique grassantem exstirpare; Cælibatum Clericorum pænè ab interitu revocare? Et tamen (quod Leo IX., ceterique post eum Romani Pontifices, nullo propemodùm fructu tentaverant) hæc omnia præstitit strenuissimus Pontifex, renitentibus passim sæculi Principibus, obstrepentibus undique insultantibusque adversariis, id est Nicolaitis & Simoniacis, qui Principum animos in eum accendebant, in primis Henrici Imperatoris, cujus partibus adhærebant, ut ipsos adversùs Gregorium, ejusque decreta tutaretur. Sanè Gregorium suopte genio potiùs ad indulgentiam, quàm ad immoderatum fervorem propensum fuisse probant tum ea, quæ pro restitutione multorum Episcoporum gessit, tum litteræ, quas principio ad Henricum Imperatorem scripsit. Verùm Pontificis animum exasperavit illius pervicacia simul & inconstantia: pervicacia quidem in resistendo Gregorii piissimis ac necessariis studiis pro reformandis Clericis: inconstantia verò, quippe qui toties datam fidem fefellit. His accessit quòd Pontificem ipsum Romæ in custodiam retrusit, Guiberto Antipapa in locum ejus intruso. In his porrò aliisque ita modum semper tenere, ut in aliquo non excedatur, impossibile est. At Gregorium, si qui conviciis lacessiverunt ejus adversarii, satis superque vindicarunt illius temporis haud ignobiles auctores, ad quos lectorem remittere præstat, quàm de re trita & lubrica plura dicere.

Greg. VII. lib. 5. ep. 17. II. lib. 3. ep. 7. & 10.

LXX Jam anni ampliùs centum effluxerant, ex quo Clericorum cælibatus sacer, ad id tempus intaminatus, tot sæculorum usu, tot tantorumque virorum pudicitiâ & auctoritate consecratus, ab incontinentibus quibusdam & cor-

corruptis Ecclesiæ ministris attentatus fuerat, cùm nimirum indigni Romanam Sedem Pontifices occuparent: eóque res devenerat, ut quosdam Presbyteros publicè uxores ducere non puderet. Ejus rei unum è primis exemplum habemus in quodam presbytero Parochiæ Catalaunensis in Gallia, nomine Angelrico, qui feminam quamdam coram parœcianis suis desponsaverat. *Analect. to. 3. pag. 438.* Hanc autem cùm ducere domum pergeret, *restiterunt nequissimo conatui ejus boni & pii fidelesque homines*, qui eum apud Mantionem Episcopum accusarunt. Citatus ille ad Episcopi præsentiam in Synodo, Nonis Maii Catalaunis habita, culpam confessus est, missusque ab Episcopo ad Fulconem metropolitam, incerto ac dubitante, qua *correptione* & pœnâ novam illam ac *malam præsumtionem* multaret. Quid hac de re Fulco rescripserit, non liquet: sed tamen ex Mantionis epistola intelligimus, novum illud facinus fuisse, & ad id temporis inauditum. Verùm sensim eò processit abnormis hæc licentia, ut sæculo undecimo publicæ infamiæ meritum dedecus pænè exuisset. Tanto Ecclesiæ probro Nicolaus II. occurrendum censuit, Constituto edito in concubinarios clericos: & quia in Clero Mediolanensi maximè vigebat hæc pestis, eò direxit Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem cum Anselmo Lucensi Episcopo, ut eam emendare, simulque simoniacam labem, quæ illius Ecclesiæ ministros infecerat, tollere conniterentur. Convenêre ad Synodum Clerici coram Legatis tanto tumultu, ut vix manus ab eis abstinuerint: sed tandem Petri Damiani oratione ac prudentiâ composita seditio est, juratumque à Clericis, ut deinceps castiùs ac puriùs viverent: quæ omnia fusè prosequitur Petrus Damiani in epistola ad Hildebrandum, tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, cujus sinè dubio instinctu & consilio id factum est. Verùm ubi is Summus Pontifex evasit, rem utcumque cœptam ubique promovit, ac demum perfecit, frendentibus in eum impudicis clericis, & calumnias in ejus pudicitiam jactantibus, sed tam vano conatu, *ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret*, inquit Lambertus Scafnaburgensis. Certè adeò portentosa & extra omnem fidem visa est etiam Bennoni Schismatico Cardinali, & Gregorii hosti infensissimo hæc calumnia, ut, licèt multa in eum confinxerit, hoc crimen numquam illi objecerit. De his plura dicere supersedemus, cùm omnibus obvia sint.

Ad Investituras quod attinet, diu cum Imperatoribus luctandum fuit, ut tandem utrique Imperio, sacro & profano, sua jura servarentur. Sed tandem post multas altercationes, in quibus ad extrema non sinè utriusque partis culpa ventum est, tandem sub Callisto II. res ita composita fuit, ut Imperatores loco anuli & baculi, quos novis Episcopis dare consueverant, eos sceptro tantùm tradito investirent: quò significaretur, eos temporalia jura accipere ab Imperatore, quod ille per investituras sibi vindicare contendebat, & spiritualia non recipere, quod Pontifices meritò ipsi denegabant: quæ hujus litis componendæ ratio si ab ipso principio inita fuisset, multis & maximis scandalis, bellis ac cædibus obviam itum esset. Breve sed eruditum ac solidum hac de re opusculum edidit Goffridus Abbas Vindocinensis, in quo rectè jura Ecclesiæ, ac regni distinguit. Morti proximus Gregorius, rogantibus Cardinalibus consilium dedit, „ ut, si vellent hominem in sæculo po„ tentem, eligerent Desiderium Abbatem Casinensem, qui violentiam Wi„ berti Antipapæ infringeret: sin Ecclesiasticum & eloquentem, acciperent „ Episcopum Ostiensem Odonem „. *Ita obiit vir apud Deum felicis gratiæ, apud homines austeritatis fortassis nimiæ*, inquit Willelmus Malmesburiensis. LXXI *Willelm. lib. 3. de Reb. Angl.*

§. VII.

§. VII.

Gregorius VII. à calumnia Berengarii & Benonis vindicatur.

LXXII Gregorius VII. vindicatur. TRia accusationis in Gregorium capita suggerit Berengarii postremum scriptum, in quo ultimam fidei professionem refutavit. Unum, quòd secundam fidei professionem ab ipso Berengario, si non editam, saltem sponte admissam, qua panem & vinum post consecrationem esse verum Christi Corpus & Sanguinem Berengarius pronuntiaverat, ad fidem catholicam sufficere dixisset Gregorius. Alterum, quòd igniti ferri judicium ad probandam Berengarii fidem in postrema Synodo Romana statuisset. Tertium, quòd Religiosum quemdam virum jejuniis & orationibus operam dare jussisset, ut per eum cælesti oraculo disceret, quid de vulgata Controversia definiendum foret, „ tum ab eo homine id responsi acceptum, nihil de sacrificio Christi cogitan„ dum, nihil esse tenendum, nisi quod haberent authenticæ scripturæ, con„ tra quas Berengarius nihil sentiret„ : ac demum jussisse Pontificem, Berengarium bono animo esse : sed posteà quorumdam Cardinalium improbitate ab eo consilio dejectum, aliam à Berengario fidei confessionem, quæ numero tertia est, exegisse.

LXXIII Eadem ferè accusationum capita in Gregorium affert Benno Cardinalis Schismaticus in ipsius vita : nempe Gregorium indixisse jejunium Cardinalibus, *ut Deus ostenderet quis rectiùs sentiret de Corpore Domini, Romanane Ecclesia, an Berengarius : & misisse duos Cardinales, Attonem & Cunonem, ad sanctam Anastasiam, ut cum Suppone ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illic tribus diebus singuli per dies singulos psalterium & Missas decantarent, ut supradictum signum eis Christus ostenderet : quod minimè contigit.*

LXXIV Hinc traducendi Papæ occasionem arripientes schismatici Episcopi, numero triginta, anno M.LXXX. conventu Brixinæ apud Noricos facto, Pontificem abjecêre, „ varias in ipsum calumnias invehentes: in his quòd catho„ licam & apostolicam fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæstionem „ poneret, & hæretici Berengarii antiquus esset discipulus„. Neque verò mirum videri debet, quòd tanta Pontificis fama his injuriis obnoxia fuerit, cùm multos sustinuerit adversarios infensissimos, qui ipsum calumniis opprimere conati sunt. Causæ fuerunt, ut jam diximus, discidia cum Henrico Imperatore, statuta contra Simoniacos & concubinarios clericos, ac retinendæ Ecclasiasticæ disciplinæ invicta constantia.

LXXV Quàm verò alienus fuerit Pontifex à Berengarii errore, facilè demonstrari potest, tum ex eo quòd Gregorius ante Pontificatum Turonensi Concilio præfuit, ubi in Berengarii errorem lata sententia est : tum ex duabus Synodis Romanis eo Pontifice convocatis, in quarum posteriori, *dominus Papa*, ut Acta Concilii testantur, *Berengario præcepit ex auctoritate Dei omnipotentis & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini numquam ulteriùs cum aliquo disputaret, vel aliquem docere præsumeret, exceptâ*

ptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant; quæ de verbo itidem Lanfrancus refert: tum denique ex Gregorii epistola ad Mathildem Comitissam, in qua Pontifex de hac Romana Synodo agens, ait controversiam in ea habitam fuisse de Corpore & Sanguine Domini, multis aliter, atque aliter nonnullis sentientibus. *Maxima siquidem pars, panem & vinum, per sacræ orationis verba & Sacerdotis consecrationem, Spiritu Sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit; & Sanguinem, qui de latere ejus militis effusus est lanceâ, asserebat, atque auctoritatibus sanctorum Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò, cæcitate nimia & longa perculsi figuram tantùm; substantiale illud Corpus in dextera Patris sedens esse; seque & alios decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur adstruere. Verùm ubi cœpit res agi, priùs etiam quàm tertia die ventum fuerit in Synodum, defecit contra veritatem niti pars altera: nempe sancti Spiritûs ignis superflua palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se Concilio frequenti confessus, veniamque postulans & orans, ex apostolica clementia meruit*. Ex his manifestè confutatur putidum Conciliabuli Brixinensis convicium in Gregorium, qui neque Berengarii discipulus, neque ejus erroris sectator, sed strenuus expugnator fuit. Quamquam facilè crediderim, Pontificem in priori ex duabus postremis Synodis Romanis censuisse mitiùs tractandum Berengarii ingenium, utpote qui realitatem admittere videretur, ne homo turbulentus novas in Ecclesia factiones pergeret excitare. Quæcumque enim de Gregorii in se favore prædicat Berengarius, eò facilè reducuntur. Gregorium autem humaniùs nonnumquam in ejusmodi nocentes egisse patet ex ejus epistola 17. lib. V.

Lanfr. cap. 2.

LXXVI Quòd verò igniti ferri judicium Pontifex hæretico homini ad vomitum toties relapso indixisse dicitur; id, si verum est, eo animo fecit, non ut fidei catholicæ veritatem huic probationi subjiceret, sed ut experiretur, an confessionis Berengarianæ sincerum esset juramentum. Quippe toties aliud animo, aliud ore gerens Berengarius, datam fidem violaverat, ut quod in dubiis causis etiam tunc temporis usurpari mos erat, id etiam in Berengarii negotio adhibendum Gregorius existimaret.

LXXVII Verùm, hac probatione rejecta, ad aliud consilium se convertit, nempe ad preces, triduanumque jejunium, quod Supponi Archipresbytero & quibusdam Cardinalibus injunxit, non quasi dubius de rei veritate, sed ut futuri Concilii exitum Deo his modis commendaret, & præfractam Berengarii mentem tandem emolliret. Et tamen Berengarius ac Benno Cardinalis asserunt id eo consilio factum, *ut Deus ostenderet, quis rectiùs sentiret de Corpore Domini, Romanane Ecclesia, an Berengarius*; quasi verò aliquid insolitum hac in re fecerit Gregorius, indicendo preces & jejunium ante Concilii celebrationem, quod alii Pontifices in similibus causis non præstiterint. Sed ut videas, quàm parùm mendaces inter se cohæreant; addit Benno Cardinalis, Deum nullo signo patefecisse Pontifici, quid tenendum aut definiendum esset. Berengarius verò asserit à B. Maria id oraculo acceptum, *nihil de sacrificio Christi cogitandum, nihil esse tenendum, nisi quod haberent authenticæ scripturæ, contra quas Berengarius nihil habebat*. Sic mutua comparatione utriusque mendacium confutatur. Neque verò ulla fides habenda est sive Bennoni, Gregorii hosti infensissimo; sive Berengario, qui cùm toties fidem datam violaverit, omnino indignus fide est, dum in tuenda hæresi perseveravit. Et cer-

certè si cœlesti oraculo probata fuisset Berengarii fides, cur tamen Gregorius in subsequenti Concilio Romano Berengarium ejusque dogma damnavit, eique *præcepit ex auctoritate Dei Omnipotentis & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini numquam ulteriùs cum aliquo disputaret, vel aliquem docere præsumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant?* ut superiùs ex Actis Concilii, & ex Lanfranco retulimus.

LXXVIII Et tamen hujusmodi imposturæ à Berengario, ejusque asseclis sparsæ in vulgus, materiam conviciandi Pontificis subministrarunt, ut eum hoc nomine, tanquam Berengarii fautorem, lacesserent. Accessit & alia causa: nimirum Gregorius post ultimam Synodum Romanam, ratus sinceram fuisse Berengarii confessionem, quam homo versipellis pravo sensu, non eo quem intendebat Pontifex animo ediderat; litteras salvi conductûs ei concessit, Ecclesiasticas censuras comminatus *omnibus, qui injuriam aliquam Berengario, Romanæ Ecclesiæ filio, facere præsumerent, vel qui eum hæreticum vocarent.* Cùm enim postea Berengarius datam fidem ejurasset, testatus se in neganda panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem conversione perseverare; factum est, ut Gregorius, qui eum ab hæretico nomine absolverat, in consortionem erroris venisse diceretur, tametsi ideò absolverat, quòd existimasset hominem bona fide id credere, quod verbis, sacramento, & signo suo confirmaverat.

§. VIII.

De variis Congregationibus & Ordinibus monasticis Sæculo XI. institutis.

LXXIX Ordinis monastici divisio. POst Congregationem Cluniacensem, quæ superiori sæculo cum magno Ecclesiæ fructu & ornamento instituta fuit, duæ aliæ Ordinis nostri Congregationes in Italia hoc Sæculo XI. excitatæ sunt, Camaldulensis, & Vallumbrosana: duo quoque monastici in Gallia Ordines, Grandimontensis, & Cartusianus, qui an à principio Regulæ S. Benedicti addicti fuerint, mox disquirendum. Ex hac Congregationum & Ordinum distinctione factum est, ut Ordo monasticus, qui eatenus unum dumtaxat constituerat corpus, in diversa genera divisus sit, nec facilis esset, uti antea, ex uno in aliud translatio. Unde Stephanus, Grandimontensis Ordinis auctor, alienæ religionis Monachos admitti vetat. (Steph. Reg. cap. 40.) Hæc autem distinctio alteri divisioni longè majori viam præbuit, id est institutioni quatuor aliorum Ordinum, quos vulgus Mendicantes vocat, tanto intervallo ab aliis monasticis Ordinibus disparatorum, ut citra dispensationem Summi Pontificis ex aliis ad alios transmigrare minimè liceat.

LXXX Camaldulensis Congregatio. Verùm ut in proposito nostro sistamus, prior ex duabus illis Congregationibus censenda est Camaldulensis, quæ auctorem S. Romualdum habet, sic dicta à Camalduli seu Campi Malduli eremo, ubi Vir Sanctus sub finem vitæ

vitæ suæ eremitorium constituit. Fuit is primùm monachus apud Nigros, ut vocant, monachos in Cœnobio Classensi prope Ravennam; dein post varias tum in Italia tum in Gallia locorum mutationes, novum vitæ genus instituit sub Regula S. Benedicti, & quidem duplex, cœnobitarum scilicet ac eremitarum, quibus atrum colorem in candidum vertit. Quo præcisè anno vel tempore hæc Congregatio cœperit, non facile est definire. Si ejus exordium repetas ab eo tempore, quo Classensis Abbatis regimen abdicavit Romualdus; id factum paullò ante annum millesimum: si ab eo tempore, quo Campi Malduli solitudinem incolere cœpit; id non contigit ante annum M.XXIII. quo anno Aretinæ Ecclesiæ Sedem iniit Thedaldus Episcopus, qui primus locum illum Romualdo concessit. Hujus rei argumenta habes in Observationibus præviis ad vitam ejusdem Sancti, ex qua formam vivendi ab eo præscriptam facilè intelliges. In illa eremo, quinque tantùm cellulæ erant vivente Romualdo, quæ sensim ad quadraginta excreverunt, præter Monasterium Fontis boni, in subjecta valle situm, olim cœnobitarum, nunc eremitarum infirmorum & adventantium hospitium. Viguit ad nostrum usque tempus eremitarum absque ulla reformatione religio præ cœnobitis: ex quo intelligitur, quantum conferat ad conservandam vitæ monasticæ integritatem secessio à sæculi commercio, & accurata solitudo. Nunc tres sunt ejusdem Instituti Congregationes eremitarum, videlicet Camaldulensis, Veneta, & Montis coronæ, præter Gallicanam: Cœnobitarum monasteria non pauca. Utrisque antiquitus unus præerat Præpositus generalis, à quo recesserunt eremitæ, qui suos majores habent. In eamdem Camaldulensem Congregationem coaluit alia, Fontis Avellani dicta, quæ eodem ferè tempore exorta, maximè inclaruit per S. Petrum Damiani, qui de ejus Institutis scripsit, ut in Observationibus præviis ad ejus vitam hic dicturi sumus.

Hoc tomo pag. 277. & seqq.

Ibid. p. 245.

LXXXI Vallumbrosana.

Non multò pòst erecta fuit Congregatio Vallis-umbrosæ, auctore Johanne Gualberto Florentino, qui vitam monasticam in Sancti Miniatis monasterio, Florentiæ vicino, professus erat. Indè in Vallem-umbrosam secessit, ubi novæ suæ Congregationis fundamenta jecit. Hujus secessus causam Atto Episcopus in Johannis vita refundit in simoniæ vitium, quo Florentinum Episcopum & Sancti Miniatis Abbatem notatos fuisse dicit, quibus assentari & connivere Johanni religio fuerit. At non alia fuit Johannis secessûs causa, quàm solitudinis amor & studium majoris profectus; idque patet tum ex eo, quòd toto illo tempore, quo Johannes S. Miniatis Cœnobium incoluit, Florentinæ Ecclesiæ religiosissimi præerant Antistites: tum ex litteris Ittæ sanctì Hillari Abbatissæ, quæ Vallem umbrosam Johanni incolendam concessit, quem *vitæ meliorandæ gratiâ* illuc se recepisse dicit. Hæ litteræ datæ sunt *anno Dominicæ Incarnationis tricesimo nono post mille*, quo tempore Sedem Florentinam obtinebat Atto, *præsul æternâ memoriâ dignus*, cujus præcessores Ildebrandus & Lambertus magna cum pietate & prudentia Florentinam Ecclesiam rexerant. Non minùs religiosus fuit Gerardus Attonis successor, qui *ob rarissimas animi dotes probitatisque famam* ad Apostolicam Sedem conscendere meruit, dictus Nicolaus II., & nihilo minùs Florentinam Ecclesiam administravit usque ad annum M.LXI. quo decessit. Tunc per simoniam in illam Ecclesiam intrusus est Petrus, quem ob eam causam multùm exagitavit Johannes Gualbertus, cùm jam per annos viginti duos Vallem-umbrosam incoluisset. Ex his patet, quàm longè à vero aberret Atto ejus vitæ scriptor, cùm hanc Johannis secessûs causam affert. Quid verò Johannes cum suis ad debellandam simoniam fecerit, ex ejus Actis hic editis quivis addiscere poterit,

Ibid pag. 267

Ital. Sac. tom. 3. p. 71.

Ibid. pag. 83.

Hoc tomo pag. 282. & seqq.

rit. Novam hanc Congregationem laudat Anselmus Havelbergensis Episcopus in libro I. Dialogorum, ubi de variis Religionibus, adeoque de Camaldulensium, & Vallumbrosanorum origine agit, laudato S. Benedicto, qui *in Religione ferventissimus, Regulam suis, dictante Spiritu Santo, præscripsit, & Ordinem monasticum, jam tunc vacillantem, renovavit & firmavit: qui etiam tum per se, tum per Regulam suam multa Monachorum monasteria instauravit.* Tum subdit Anselmus. *Surrexit etiam modernis temporibus in Thuscia, in loco qui vocatur Gamaldula* seu Camaldulo, *vir religiosus nomine Johannes, (lege Romualdus) sub monasticæ professionis titulo, novo fervore novum habitum cum fratribus suis monachis induens, & multos discipulos suæ formæ sequaces habens. Nec diu est, quòd in alio loco, qui vocatur Vallis umbrosa, juxta Perusianos montes, surrexit Congregatio Monachorum valde religiosa, à ceteris, qui vocantur Monachi, novo ordine, & novo habitu differentes.* Hactenus Anselmus, qui medio sæculo duodecimo, Eugenii III. Pontificatu hos dialogos scribebat. Porrò habitus ille Vallumbrosanorum, principiò ferruginei coloris, ab uno sæculo in nigrum mutavit. His duabus Congregationibus Italicis subjicienda fortasse videbatur Hirsaugiensis in Germania, Auctore Guillelmo Abbate, qui Germaniæ pleraque monasteria reformavit, non pauca etiam nova excitavit. Verùm non tam nova censenda est illa congregatio, quàm propagatio Congregationis Cluniacensis, ex qua leges & consuetudines suas ille accepit. Idem dicendum de Willelmo Divionensi, Richardo Virdunensi, Poppone Stabulensi, & aliis Ordinis nostri per id tempus Reformatoribus.

[Marginal notes: Spicil. to. 13. pag. 112. — Hoc tomo pag. 720.]

§. IX.

De Ordine Grandimontensi, ejusque Regula & Instituto.

LXXXII *Stephani Vitæ compendium.* PRæter duas illas Congregationes, quæ in Italia sub Regula S. Benedicti institutæ sunt, duo eodem sæculo insignes Ordines in Gallia surrexêre, Grandimontensis & Cartusianus, de quorum Origine & Instituto modò nobis agendum; & primò quidem de Grandimontensi, qui novem circiter annis Cartusianum præcessit. Grandimontensis Ordinis auctor Stephanus, nobilis Arvernus, in opido inferioris Arverniæ Tierno seu Tigerno, Patre Stephano ejusdem loci vicecomite, & Candida matre natus est. Beneventum cum patre profectus adolescens, ad invisendum conterraneum suum Milonem ejus urbis Archiepiscopum, in morbum incidit, curandusque apud Milonem à patre interim relictus est. Florebat tunc temporis in Calabria quædam Religiosa Congregatio, cujus alumnos Archiepiscopus suis commendare solitus erat. Horum vitæ genus & mores imitari cupiens Stephanus, mortuo Milone, cùm Romæ quatuor annis degisset, à Romano Pontifice obtinuit, ut consimilem Ordinem in Gallia institueret: id quod anno M.LXXVI., ætatis tricesimo executus est Mureti, qui locus est pagi Lemovicensis, maximè solitarius, quatuor leucis ab urbe Lemovica distans.

LXXXIII Illic discipulis initio paucis Regulam præscripsit, in qua omnem esum car-

carnium, tam ſanis, quàm infirmis, curam ac conſortium mulierum, ſubſtantiam pecorum ſeu animalium, proprietatem quoque terrarum extra eremi ſuæ metas perpetuò interdixit, quam Regulam Innocentius IV. poſtmodùm in multis laxavit. Hunc Ordinem, qui poſteà Grandimontem Mureto vicinum migravit, multùm deprædicant Stephanus Tornacenſis, qui ejus alumnos Bonos homines, loca Bonihominias vocat; Johannes Sarebsberienſis, Petrus Cellenſis, & Jacobus à Vitriaco. Hic Ordo Clericis & Converſis conſtat; Clericis ſola ſpiritualium rerum cura; Converſis temporalium adminiſtratio commiſſa: quod rixarum inter utroſque ſeminarium fuit, ut Jacobus à Vitriaco teſtatur, propterea quòd Converſi ob creditam ſibi procurationem ſe ſe efferrent ſupra Clericos, qui hos dominos pati non ſuſtinebant. Ceterùm apud Grandi-montenſes magna ſolitudinis religio, ita ut nullis, niſi magnæ auctoritatis Viris ad eos pateret ingreſſus; at ſilentii non ita. *Silentium*, inquit idem auctor, *in Eccleſia, quamdiu divinis interſunt officiis, & in refectorio, & in dormitorio tantùm obſervantes; in aliis locis & ceteris horis, quandocumque placuerit, loqui poſſunt, invicem inſtruentes, & mutuò conſolantes, ſecundùm quod eis Dominus inſpiraverit*. De his quidam ſæculi duodecimi poëta ineditus ita luſit.

Regula ejus & Inſtitutum.

Jacob. à Vitriac. Hiſtor. Occid. c. 19.

Grandimontanam vitam cum veſte profeſſus
Si fuero, vereor aſperiora pati.
Hi cùm nil habeant, nec ſe patiantur habere,
Ex nihilo ſemper ſufficienter habent.
Abdita clauſtra colunt, & nulla ſilentia ſervant.
Neſcit ſigna manus: libera lingua manet.

Stephani tamen Regula ſilentium *à completorio uſque manè finito Capitulo* præſcribit. De iſtius Ordinis origine ſcripſit Bernardus Guidonis, qui & ſyllabum Priorum Grandimontenſium uſque ad ſuum tempus retulit. In his Petrus Lemovicanus, Mureti poſt beatum Stephanum Prior, de loco Mureti ad locum Grandimontis fratres tranſtuliſſe dicitur. Geraldus Iterii ſeptimus Prior geſta ejuſdem Stephani ſcripſit, quem in Sanctorum numerum referri curavit. Guillelmus Ungres, tertius decimus Prior, eſum carnium introduxit. Johannes Papa XXII. primum Grandimontis Abbatem inſtituit Guillelmum Pellicerii de Albenca diœceſis Caturcenſis. Annales Ordinis ſcripſit Johannes *Leveſque* Trecenſis, Prior Villamedianus.

Reg. Steph. cap. 47. Labbe tom 2. Bibl. p. 275. & ſeqq.

An Ordo Grandimontenſis ſub Regula S. Benedicti principio militaverit, non una eſt omnium ſententia. Affirmant è noſtris Trithemius, Yepeſius, Haëftenus, aliique; ex aliis Volaterranus, Azorius, Miræus, &, ut alios omittam, Choppinus. Negant alii, ex antiquioribus Johannes Sareſberienſis, cujus hæc verba ſunt: *Alii Baſilium, alii Benedictum, hi Auguſtinum: at iſti*, ſcilicet Grandimontenſes, *ſingularem magiſtrum habent Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Certè Stephanus ipſe in prologo Regulæ ſuæ, inquirentibus, *cujus profeſſionis, vel cujus Regulæ, cujuſve Ordinis* ſe dicerent Grandimontenſes, reſponderi jubet: *Chriſtianæ Religionis, primæ ac principalis Regulæ, Evangelii ſcilicet, quod omnium regularum fons eſt atque principium*. Attamen Jacobus à Vitriaco tradit, quòd *Regulam & Inſtituta Ciſtercienſis Ordinis*, adeóque Regulam S. Benedicti, *in aliis omnibus penè obſervant, excepto quòd numquam carnes, poſtquàm profeſſionem fecerunt, de cetero licet eis manducare, quantacumque ægritudine prægraventur*. Idem habet Johannes Iperius, qui Grandimontenſium habitum deſcribit. Et quidem jejunium præſcribit Stephanus ab Exaltatione ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha, omnino ad mentem S. Benedicti. Verùm,

LXXXIV An Ordinis S. Benedicti.

Joh. Sar. Policr. lib. 7. cap. 21.

rùm, quod omnem omnino dubitandi rationem excludit, Gregorius VII. in diplomate, quo novi Ordinis instituendi facultatem Stephano indulget, testatur eum postulasse *potestatem auspicandi conceptum Ordinem monasticum juxta Regulam B. Benedicti, quam diu expertus es*, inquit, *inter fratres de Calabria*; quod Pontifex indulget, cognito, quòd apud Milonem Archiepiscopum Beneventanum, *cum frequentatione filiorum & fratrum nostrorum Benedictinensium de Calabria, virtutis tirocinium sinè habitu posueris*. Ex quibus conficitur, Stephanum saltem *sinè habitu* tirocinium posuisse sub Regula S. Benedicti *cum frequentatione fratrum Benedictinensium*; eique à Gregorio VII. Regulam S. Benedicti ad novum Ordinem instituendum impositam fuisse: tametsi posteà id dissimulaverit Stephanus, qui aliam suis Regulam præscripsit, ne ipsius Ordo Benedictinis subesse videretur. Et quia hoc Gregorii diploma, needum editum, non levis hanc in rem momenti est, illud integrum hîc apponere operæ quoddam pretium est.

Gregorius servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilecto filio Stephano vicecomiti Tierneo, ejusque Fratribus regularem vitam professuris, salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam religiosam vitam instituentes apostolico oportet uti judicio & consilio, ne quidam post suum proprium sentire abeuntes, cum temeritate & inexpertis viribus aggrediantur pœnitentiæ iter, quod non possint perficere, ac deficiant in eo, ita ut à proposito resilire cogantur, ad confusionem & injuriam Ordinis Ecclesiastici. Nos verò cognito, quòd apud venerabilem fratrem nostrum Milonem Archiepiscopum Beneventanum cum frequentatione filiorum & fratrum nostrorum Benedictinensium de Calabria virtutis tirocinium sinè habitu posueris, & sumto de solido tui desiderii fervore experimento, per quatuor annos in aula pontificali sanctissimi Patris bonæ memoriæ Alexandri divinâ providentiâ Papæ hujus nominis secundi prædecessoris nostri, dum coram ipso beatissimo Pontifice Archidiaconum Cardinalem ageremus: cùm tuis viribus à natura delicatis diffideremus, non tam citò manus super te imposuimus, sicut nos cum Timotheo docuit Apostolus, ad cujus tumbam consistimus. Verùm cùm indesinenter ac indeficienter à sancta Sede, in qua sedemus, licèt indigni & inviti, postules potestatem auspicandi conceptum Ordinem monasticum juxta Regulam B. Benedicti, quam diu expertus es inter fratres de Calabria; Nos nolentes exstinguere spiritum, eò promtiùs ac benigniùs inclinati nunc tibi concedimus & annuimus, quò majori Spiritûs sancti flamma accensi desideramus agrum Dominicum tam sanctis virtutum seminariis ditari. Benedicat ergo tibi Dominus corona justitiæ, mons sanctus; adsciscat te tuosque futuros bonæ vitæ sodales in filios æternus Pater: recipiat vos in fratres æternus Filius, & porrigat tibi latus apertum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi: accendat in te tuisque æternus Spiritus-sanctus ignem sui amoris & flammam æternæ caritatis; tuque, tuique in ingressu per professionem & in egressu per mortem benedicantur à Deo virtutum ex alto: qui cœpit in te opus bonum perficiat, solidetque, confirmet illud, & corroboret amodò & usque in sempiternum; concedat tibi sanctum Angelum suum de cælis: quorum Sanctorum vitam proponis imitari, ipsorum patrociniis confortare. Adducantur tibi socii innumeri, sicut stellæ cæli, quæ præ multitudine numerari non possunt; sint docibiles Dei in solatium mortalis tuæ peregrinationis. De plenitudine itaque potestatis decernimus, ut nulli omnino hominum liceat quæ postmodùm electurus es loca tuæ pænitentiæ temerè perturbare, seu quibuslibet vexationibus te aut tuos aggravare,

sed

sed nec fatigare. Si quæ igitur sæcularis aut ecclesiastica persona contra hanc nostræ ordinationis præsentis paginam venire tentaverit, sciat se ream pro perpetrata iniquitate (quia nullo medio vos volumus ad sanctam Sedem pertinere) ipsoque suo attentatu indigno privari omni honoris sui dignitate, & divino subjacere maledicto. Agri, quos colueritis, sint agri primitiarum: beatus Pater Benedictus benedictiones pro te impetret in spiritualibus & temporalibus. Confortare & esto robustus in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen. Datum Romæ in præsentia carissimæ filiæ Agnetis Augustæ Imperatricis, & sex fratrum nostrorum Cardinalium, Kalendis Maii, Pontificatûs nostri anno primo.

Hoc diploma itaque datum est anno Christi M.LXXIII. quo Grandimontensis Ordinis prima incunabula collocant illius Ordinis Annales, tametsi ejus institutionem ad triennium differunt. Haud scio an hoc Pontificium diploma viderat Annalista, qui ad prædictum annum refert *primam apostolicam confirmationem futuri Ordinis Grandimontensis, factam à Gregorio VII. Summo Pontifice, qui S. Stephanum multis oblatis beneficiis ecclesiasticis, sibi notum retinere volebat*. Observatione dignum est, quòd Pontifex hoc diploma inscribit *Stephano vicecomiti Tierneo*: quo ex loco id confirmatur, quod Bernardus Guidonis patrem ejus Tierni vicecomitem vocat. Ex his manifestum est, non sinè fundamento sancti Benedicti Ordini à nostris adscribi Grandimontensem, quem Stephanus instruere meditabatur *juxta Regulam B. Benedicti quam diu inter fratres de Calabria*, quos Gregorius fratres nostros *Benedictinenses* vocat, *sinè habitu expertus* erat.

§. X.

De Institutione sacri Ordinis Cartusiensis per S. Brunonem.

DE sacro Cartusianorum Ordine, ejusque sancto institutore Brunone, etsi nihil ad nos propriè pertineret, nonnihil dicere suadet hic locus. Tantum enim splendoris & ornamenti toti Ecclesiæ, nedum Ordini monastico, ex eo accessit, ut, data hac occasione de eo silere penitus sit nefas. Bruno ex urbe Colonia haud obscuris parentibus natus, ibidemque clericus factus, Remos accessit adolescens, ibidemque *consedit*. LXXXV

Quem tenerum docuit mater Remensis alumnum.

ut statim post ejus obitum testati sunt sanctæ Mariæ Remenses Canonici in carmine, quo ejus funeri parentarunt. Deinde in eadem Ecclesia, Gervasio tunc Pontifice, canonicus & scholarum magister seu *magnorum studiorum rector*, teste Guiberto, atque Cancellarius factus est: quo nomine instrumento fundationis sancti Martini Gemellorum apud Ambianos anno M.LXXIII. *Bruno Cancellarius* subscripsit, idemque post tres annos quasdam litteras Manassæ Archiepiscopi, eo nomine primi, pro sancti Basoli Monasterio *Bruno Cancellarius scripsit ac subscripsit*. Biennio pòst eodem munere fungebatur Godefridus, Brunoni in scholarum magisterio suffectus. Hunc Godefridum viventem ac mortuum laudavit Baldricus Abbas, qui eum Remis genitum, lit-

Marlot. to. 2. pag. 135. *Ibid. pag. 171* *Ibid. pag. 171*

terif-

terisque institutum cum Brunone fuisse dicit. Ita enim canit ille in carmine nondum edito *ad Godefridum Remensem.*

Nobilis urbs, Romæ soror, inquam, & Roma secunda
Te genuit, peperit, promeruitque sibi.
Hac te doctrinæ totius nectare fultum
Adscivit studiis, præposuitque suis.
Gallia tunc etiam studiis florebat opimis,
Florebatque tuo Gallia plùs studio.
Ad te currebant examina discipulorum,
Et refovebantur melle parentis apes.
Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat,
Bruno Latinorum tunc studii speculum.
Ipsis temporibus studuitque senex Herimannus,
Et mundo studii clara lucerna fuit.
Tu fueras juvenis, fueras & acutior illis.
Tertius ergo venis, jam quoque primus eras.
Gervasio Princeps, Princeps tuus ille Manasses
V. Marlot. ibid. pag. 136 *Successit, qui te promovet ad studium.*

Ex his intelligitur quod in priori Præfatione ostendimus, Brunonem Remis operam litteris dedisse, non Turonis sub Berengario magistro, ut quidam ex Chronico Malliacensi malè intellecto persuadere volunt; & quidem non solùm cum prædicto Godefrido, sed etiam cum Herimanno seniore, quem *Analect. t. 4. pag. 385.* Gozechinus scholasticus primùm laudat inter illius sæculi sapientes & auctoritate præstantes, qui relictis inferioribus studiis, in Theologiæ otium concesserant. Cùm verò Bruno perversos prædicti Manassæ Archiepiscopi mores nec ferre, nec corrigere posset, de suo secessu agere cœpit cum Radulfo Viridi Ecclesiæ Remensis Præposito, postmodùm Archiepiscopo, „ vovitque „ cum eo, se quàm primùm fugitiva sæculi bona relicturum, ut æterna ca„ ptaret; ob idque monasticum habitum induturum „. Eo animo ex urbe Remorum discessit cum sociis sex, consulto in itinere magni nominis eremita, quem Stephanum Tiernensem esse puto, tunc Mureti solitariè degentem, & ad Hugonem Gratianopolitanum Episcopum se recepit, qui eis asperos Cartusiæ montes incolendos, fundum concedente Seguino Casæ Dei Abbate, assignavit. Non aliam ab ea, quam modò retulimus, Brunonis secessûs cau*Guib. lib. 1. Vitæ suæ cap. 11.* sam affert Guibertus Abbas, qui fusè & accuratè de hoc secessu, & de Cartusianorum prima institutione agit. Alii aliam afferunt causam vulgo notam ex occasione excitati apud Parisios (ut ferunt) ac damnati clerici, quam historiolam sub finem sæculi tertii-decimi vulgari cœptam fuisse colligimus ex veteri codice Cartusiæ Montis Dei, anno M.CCC.XXII. scripto, in quo hæc reperitur. Eamdem refert Johannes Iperius Abbas Sithiensis, qui eodem ferè tempore Chronicon suum scripsit.

LXXXVI Cartusiæ origo. Brunonis secessum, atque adeò Cartusiæ fundationem alii anno M.LXXXIV. alii anno M.LXXXV. alii anno insequente contigisse volunt. Baronii postrema hæc sententia est, quam Jacobus Sirmundus, vir numquam sinè laude *Sirm. tom. 4. pag. 670.* memorandus, propugnat in epistola ad Severum de Neapoli Cartusianum, qui ipsum hac de re consuluerat. Hæc sententia, uti & præcedens, fundamentum habet in libro de Vita S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi auctore Guigone Cartusiæ quinto Priore, scribente, Brunonem ad eum venisse anno sexto Episcopatûs Hugonis, quem in Concilio Avenionensi Episcopum renuntiatum fuisse constat ex Hugone Flaviniacensi. Hoc autem Concilium anno

anno M.LXXX. celebratum fuisse colligitur ex epistola Gregorii VII. Kalendis Martiis anni superioris scripta ad clerum & populum Arelatensem ad eligendum Archiepiscopum, qui in eodem Concilio designatus est. Verùm Brunonis secessum & Cartusiæ fundationem anno M.LXXXIV. contigisse antiqua Ordinis traditio est, cui multa suffragantur. In primis occurrit charta Hugonis Episcopi, ipso anno scripta presbyteris & laicis sui Episcopatûs, in qua præcipit, „ ut ne feminæ transeant per terram fratrum „ Cartusiæ, qui Deo placere cupientes mundum & turbas fugiebant; & „ ne quisquam intra terminos ipsorum possessionis piscationem aut vena- „ tionem exerceat, & sua animalia pascenda deducat „. *Datum mense Julii, anno M.LXXXIV.*, id est vix uno integro mense post Brunonis illuc accessum, quem circa nativitatem S. Johannis Baptistæ contigisse docet libellus de Institutione Ordinis Cartusiensis, desinens in Guigone Priore quinto, ubi articulo quarto de Johanne Tusco id legitur. In eodem libello sanctus Bruno decessisse dicitur *undecimo plùs minùs anno* post egressum è Cartusia, quam sex annis rexit. Itaque anno septimo decimo à primo in eam ingressu obiit, & quidem anno M.C.I. ut omnes consentiunt: quo ex numero si annos septemdecim subduxeris, annum M.LXXXIV. qui annus ejus ingressûs erit, habebis. Idem conficitur ex obitu Guigonis Prioris quinti, anno M.C.XXXVII. defuncti, *cùm ab exordio Cartusiensis eremi annus quinquagesimus tertius ageretur*, ut legitur in eodem libello, qui paullò post ejus obitum scriptus est. Denique id ipsum probat S. Brunonis epitaphium, è veteri codice descriptum in hæc verba:

Greg. VII. lib.6. ep. 21.

Labbe tom. 1. Bibl. p. 638.

Anno milleno quarto quoque, si bene penses;
Ac octogeno sunt orti Cartusienses.
His ortum tribuit excelsus Bruno magister &c.

Secundùm hanc sententiam Guigonis de annis Hugonis Episcopatûs calculus non ita rigidè, sed commodè interpretandus est. Non omittenda hoc loco præclara confessio, quam vir sanctus instante morte edidit, in qua nominatim profitetur, *quod consecratur in altari, verum Corpus esse, veram Carnem, & verum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi*. *Analect. t.4. pag. 400.*

Nunc locus postulat, ut de prima Regula Cartusiensium agamus, quam S. Bruno eis præscripsit, antequam prima illius Ordinis Statuta a Guigone in scripta redigerentur. Hanc autem Regulam S.Benedicti fuisse multis constat argumentis. Primò Guigo ipse Statuta sua edidit ad mentem hujus Regulæ, ut docet inscriptio eorumdem Statutorum in codice Portarum, in quo illa habentur sub hoc titulo: *Statuta Guigonis Cartusiæ Prioris & aliorum Patrum juxta Regulam S. Benedicti*. Unde Guigo ipse in præfatione sua hæc Statuta scribere se distulisse ait, *quòd vel in epistolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti, seu in ceteris scripturis authenticis, omnia penè, quæ hic religiosè*, inquit, *agere consuevimus, contineri credebamus*. Certè non aliam in capite 23. formulam professionis, quam Benedictinam proponit. Deinde Eugenius III. in privilegio Cartusiæ Montis Dei concesso statuit, *ut Ordo monasticus secundùm B. Benedicti Regulam, normam quoque & institutiones fratrum Cartusiensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur*. Ad hæc Paschalis II. Lanuino Squillacii, post S. Brunonem Priori, indulget, ut in quadam Ecclesia juris eremi, quæ apud Squillacium sita erat, monasterium constituat, *ut fratres, austeritatem eremi ferre non valentes, juxta B. Benedicti Regulam illic possint omnipotenti Deo deservire: quam nimirum habitationem per Præpositum & Decanum*, inquit, *gubernari, disponique præcipimus: sic tamen ut Eremi præpositus*

LXXXVII Regula S. Benedicti.

Marlot. to.2. pag. 314.

positus semper præferatur, & Major habeatur; & sicut idem monasterium eremi dispositioni subjaceat, item ejusdem loci præpositus & decanus subjiciatur magistro Eremi. Data Lateranis VI. Kal. Februarii. Ex quibus intelligitur, duplex illic Cartusiensium genus fuisse, Anachoretarum & Cœnobitarum, ut apud Camaldulenses; & utrisque Priorem Eremi præfuisse secundùm Regulam S. Benedicti, qui utrosque in Regula sua instituit. Hoc autem diploma intelligitur de Monasterio Mentauri; quod Squillacio tribus millibus distabat, ut fusiùs in Annalibus nostris exponemus, ubi utrorumque, scilicet Anachoretarum & Cœnobitarum Squillacensium, constitutiones referemus. Denique Cartusienses ante S. Brunonis Canonizationem S. Benedictum in sua confessione Patrem suum dicebant, retinentque etiam nunc dispositionem officii divini ex Regula S. Benedicti, cujus festum sollemni pro more suo ritu semper observarunt.

LXXXVIII *Guibert. lib. 1. de vita sua cap. 11.* De primariis Cartusiensium institutionibus legendus, præter Statuta Guigonis, Guibertus Abbas loco jam citato, ubi mirum est, nullam fieri mentionem de perpetua eorum à carnibus abstinentia, quam Poëta ille, cujus in superiori articulo aliquot versus retulimus, aliasque eorum consuetudines pluribus laudat, ex quibus hæc referre sufficiat.

Contenti propriis, nec divitibus, nec egenis
Esse volunt oneri cras, hodie, nec heri.
Non licet augeri numerum pecorum vel agrorum:
Taxatur certo canone quidquid habent.
Carnis in æternum cuncti prohibentur ab esu,
Præter eum, si quem tabida lepra tenet.

Ita seriò Poëta, in aliis non semper serius. *Verumtamen esus carnium, cui Ordo renunciavit, nulli nostrûm,* ait Rifferus Prior in sua compilatione Statutorum *conceditur, etiamsi sit leprosus.* *Part 1. Stat. cap. 44.* Unum addere lubet ex Guiberto, qui Cartusiensium studium in conscribendis libris deprædicat his verbis. *Cùm in omnimoda paupertate se deprimant, ditissimam tamen Bibliothecam coagerant. Quò enim minùs panis hujus copiâ materialis exuberant, tantò magis illo, qui non perit, sed in æternum permanet, cibo operosè desudant.* Unde Nivernensis comes, cujus argentea munera respuerant, *boum tergora & pergamena plurima eis transmisit, quæ penè inevitabiliter ipsis necessaria esse cognovit,* ut idem Guibertus tradit. Præclarè Guigo in cap. 28. *Libros tamquam sempiternum animarum nostrarum cibum, cautissimè custodiri, & studiosissimè volumus fieri: ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur.* Longè plura de sacro illo Ordine dicenda essent, sed hæc in præsens satis superque satis.

§. XI.

§. XI.

De origine & Instituto Fratrum Conversorum & eorum, quos Donatos & Oblatos vocant.

LXXXIX Conversi duplicis generis.

UT Ordo monasticus Sæculo undecimo in disparatos Ordines distingui cœpit, sic etiam institutus in monasteriis peculiaris Ordo Fratrum Laicorum, quos Conversos vocant. Hoc nomine donabantur olim, quotquot ex adultis *ad conversionem*, ut S. Benedictus loquitur, veniebant, quo nomine ab *oblatis* & *nutritis* pueris distinguebantur: at sæculo undecimo hoc nomine donati sunt illi, qui exterioribus ministeriis peculiari voto adstricti sunt, apud Cartusienses dicti fratres *barbati*, aliis *laïci*, aut, *illitterati*. Primis illis temporibus, etsi illiterati, nonnumquam in cœtum Monachorum adlegerentur, rebusque externis, pascendis ovibus, hortis excolendis, aliisque ejusmodi corporalibus humilibusque officiis occuparentur; non sic tamen his addicti erant, ut distinctum ab aliis vitæ genus ac statum constituerent; poterantque ad sacros Ordines, cùm litteris informati essent, promoveri: quod recentioribus Conversis passim denegatur. De utrisque egimus in Præfatione prima ad Sæculum nostrum tertium.

S. Bened. cap. 58.

XC Conversi laici.

Posterioris hujus generis Conversos primi admisisse videntur Vallumbrosani nostri, ut ex Actis S. Johannis Gualberti hoc in volumine editis colligere licet; dein nostri Hirsaugienses, tum Grandimontenses, Cartusiani ac Cistercienses. Eorum munia egregiè præscripsit Willelmus Abbas Hirsaugiensis, qui primus id genus hominum religiosorum in Germania instituit. Apud omnes sollemnem professionem ab eo tempore faciebant, qualis est *professio laïci* in Statutis Guigonis Cartusiæ Prioris, omnino eadem cum ea, quam fratres choro addicti faciebant, hoc tantùm addito, quòd si aliquando è Monasterio aufugissent, *plena auctoritate* à servis Dei requiri possent, & *coactè ac violenter in suum servitium revocari*. Hinc est quòd *Conversi professi* in Concilio Remensi sub Eugenio tertio, quod veluti Generale Concilium erat; adeò Religiosi censentur, ut, non secùs ac Monachi, si aliquando propositum transgressi essent, & uxores sibi copulare præsumsissent, eorum matrimonium nullum esse declaretur, utpote copulatio illicita, *quam contra Ecclesiasticam auctoritatem constat esse contractam*. Ad hæc electioni Abbatis intererant apud Cistercienses, & quidem apud Grandimontenses æquali numero cum Clericis, numero sex, in electione Prioris. Attamen apud Cistercienses separatum in Ecclesia locum, uti & apud Cartusianos, habebant, habentque etiam nunc, & distinctum olim refectorium.

pag. 268. Hoc tomo pag. 735. Guigo c. 73 & 74. Bernard. epist. 306. num. 2.

XCI Religiosi verè censendi.

Ex his omnibus evincitur, ejusmodi Conversos, qui sollemnem scilicet professionem emiserunt, censendos esse verè ac propriè Religiosos, quos Trithemius etiam Monachos vocat, id est monasticis votis addictos: tametsi à monachis passim distinguantur, quippe qui ex peculiari statûs sui lege exterioribus deputati & addicti ministeriis, tam accuratæ solitudini, quæ monachos decet, adstricti esse non possunt, Unde eos à monachis distinguunt Cister-

Exord. Cisterc. cap. 15. Bernard. epist. 352. sterciensés, immo & Innocentius II. in quodam privilegio Sancto Bernardo concesso. *Conversos vestros*, inquit, *qui monachi non sunt, post factam in cœnobiis vestris professionem, nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, vel Abbatum, sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat.* Hæc de Conversis laicis observare hoc loco visum est opportunum, quod Religiosorum hominum genus utilissimum esse constat, modò conditionis suæ memores humilia non aspernentur, atque ad res sibi injunctas religiosè, studiosè & fideliter se se applicent, & non ut dominos se gerant, quemadmodum contigit non semel in Ordine Grandimontensi. Quod quidem eò faciliùs exsequi poterunt, si de eorum salute & spirituali informatione solliciti sint Superiores, si eos in officio & humilitate continere, & non arbitrio eorum permittere curent, non magis rigidi operum, quàm pietatis ac virtutum exactores. Nemo itaque, nisi temerè eos religiosi status expertes, votisque religiosis haud obnoxios dixerit: (de his loquor, qui sollemnem professionem emiserint) cùm & *Conversi professi* agnoscantur, ob idque ad matrimonium contrahendum inhabiles declarentur in generali Concilio Remensi sub Eugenio III. non secùs ac Monachi; & pro veris Religiosis habeantur in Ordinibus & Regulis maximè approbatis, puta Cartusiensi, Cisterciensi, Grandimontensi, aliisque, & ab auctoribus gravissimis tales censeantur. *Concil. Remensf. can. 7. Haeften to. 1. lib. 3. disq. 8.*

XCII Donati & Oblati. Aliud hominum genus in Monasteriis etiam tunc erat, rebus quoque exterioribus omnino addictorum, qui vulgò Donati seu Oblati appellantur. Hi nulla professione facta, habitu paullulùm à Sæcularibus diversi, se suaque omnia in monasterii usus conferunt, ad omnia Superioribus obedientes, & conjugii expertes, hac in re differentes à servis, de quibus in consequentibus agemus. Præter fratres Conversos Johannes Gualbertus Vallumbrosanæ Congregationis Institutor, & Willelmus Abbas Hirsaugiensis, quorum acta hoc in volumine referuntur, ejusmodi Oblatos seu Donatos in monasteriis suis admiserunt. De his plura Cangius, vir percelebris apud litteratos memoriæ, in Glossario, ubi de Oblatis, & noster Acherius in notis ad Guibertum, ubi Donatos eos esse putat, quos Abbas ille *Deonandos* vocat. Guiberti locum ferè integrum, quia nonnulla scitu digna continet, huc afferre juvat. Erat in Flaviniacensi apud Bellovacenses monasterio senex quidam monachus, genere nobilis, totus lacrymis, orationi ac pietati deditus, qui ob infirmitatem corporis in cella infirmorum versabatur. Huic in lecto decumbenti, necdum plenè sopito, *duo dæmones instar Religiosorum illorum, quos Deonandos vulgò appellant*, assistere cœperunt. Horum primus *erat capite retecto, barbâ non promissâ, sed torsulâ rufus, & ut solent hujusmodi circumcelliones, nudipes incedens, cæno quasi recenti sordidus. Alter birro talari & nigro capite adoperto.* Talium personarum insolita specie attonitus senex, cui sæpè in capitulari conventu inculcatum fuerat, *ne quis claustralium in cellam infirmorum sinè certa ratione intrare præsumeret*; ignotas sibi personas cum grandi animadversione increpat: *cùm sitis laicæ*, inquiens, *& ignotæ personæ, unde vobis tanta temeritas, ut hac hora, hunc in locum veneritis, in quem sinè re aliquivis claustralium monachorum venire non audeat?* Illi causâ addiscendæ Religionis, quam illic florere audierant, se accessisse respondent: at senex ab iis, qui in claustro erant addiscendam esse reponit: moxque eos loco extrudit. Cetera, quæ in præsens nihil attinent, prætereo. *Deonandos* illos, quorum personam & habitum gerebant duo illi dæmones, quominùs Donatos seu Oblatos esse putem, illud obstat, quòd Guibertus *Religiosos* vocat, & religioso habitu indutos exhibet, nudipedes ac gyrovagos, quod Donatis illis competere non videtur. At quinam ejus- *Guib. lib. 2. de vita sua cap. 5.*

ejusmodi Religiosi? Conjecturam hac de re meam supprimo, dum lux mihi major affulgeat. Interim observo, servos olim vernaculâ nostrâ linguâ dictos fuisse *Dienars*, ancillas vero *Deernes*, ut Borellus in Glossario notavit: quæ quidem appellatio non malè Donatis competeret, si cetera convenirent. Borell. pag. 587.

§. XII.

Observationes quædam Ecclesiasticæ & Monasticæ.

HAs Observationes honoris causâ ordiri par est à Pontificibus Romanis, quibus electis ab hoc sæculo undecimo nomina mutari consueverunt. Id quidem jam factum erat sub finem sæculi noni in Hadriano III. qui antea dictus Agapitus; tum sæculo decimo in Sergio III. Johanne XII., & Johanne XIV. Gregorio V. & Silvestro II. At insequente sæculo undecimo res in morem vertit saltem à Benedicto IX. quo ex tempore vix quemquam reperias, qui nomen non mutaverit, præter Marcellum II. qui proprium nomen retinuit. XCIII Summis Pontificibus nomina mutata.

Altera Observatio erit de Chorepiscopis, qui ferè usque ad finem sæculi undecimi perseverarunt. In charta Widonis Remorum Archiepiscopi suo Archimonasterio sancti Remigii anno M.XL. data, mentio fit de Guntramno Chorepiscopo, qui inter subscriptos reperitur. In Necrologio Remensis Ecclesiæ, quod Odalricus tunc Præpositus scribi curavit, laudatur XIII. Kal. Febr. *Aderoldus Chorepiscopus & Canonicus*, sed quo tempore vixerit, nobis incompertum. Denique *habebat quondam Doroberensis Archiepiscopus Chorepiscopum quemdam, qui in Ecclesia S. Martini extra Cantuariam manebat: qui, adveniente Lanfranco, deletus est, sicut ubique terrarum factum audivimus*, inquit Gervasius Doroberensis monachus, qui anno M.CC. florebat. In privilegio, quod Leo IX. altari S. Arnulfi Mettensis monasterii concessit, ad Missas in eodem altari celebrandas quosdam tantùm Sacerdotes *de domo sancti Stephani* admittit, scilicet *Primicernium, Decanum, & Chorepiscopum primum*: quo nomine Primicerius cantorum designari videtur. XCIV Chorepiscopi abrogati. Marlot. to. 2. pag. 85. Meurisse pag. 355.

In Concilio Compostellano, quod anno M.LVI. habitum est, sancitum reperitur, *ut Sacerdotes omnes, Episcopi atque Presbyteri, Missam quotidie celebrarent*: quod antiquitus nonnisi pii & sancti viri facere consueverant. Hæc prima hac de re constitutio legitur. Et quidem id maximè probandum, si modò Sacerdotum omnium mores tanti mysterii dignitati ac sanctitati responderent, absitque sordidus quæstus, & lex consuetudinis, quæ in trivialem usum degenerat. Atque utinam ita comparati essent omnes Sacerdotes, qui quotidie Sacra celebrarent. Sed quàm metuendum ne pauci. Inter varia monita, quæ Petrus Damiani Desiderio Casinensi Abbati piissimo tradit, eum hortatur, ut ad dæmonem reprimendum, *sacrificii salutaris hostiam frequenter*, non quotidie, offerre satagat. Apud nostros Cluniacenses tunc non tam frequens, neque paullò pòst apud Cistercienses, Missarum privatarum usus. Apud Cartusianos una Missa diebus tantùm Dominicis & festivis. Feriales Missas de Angelis feriâ secundâ, sextâ de Cruce, Sabbato de B. Maria cum XCV Missæ quotidianæ & feriales.

ejus officio apud eremitas Fontis-Avellani, tunc institutas fuisse auctor est Petrus Damiani. Eodem etiam tempore horariæ beatæ Mariæ preces non solùm à clericis, sed etiam à laicis frequentari cœptæ ad sacram expeditionem Deo commendandam; recitata quoque ad certum numerum Salutatio Angelica, qua de re in Præfatione ad præcedens sæculum fusè actum est; & de abstinentia à carnibus in sabbato tunc quoque institui cœpta, sed fortè non ita strictè tunc præcepta, ut eam omnes rigidè servaverint. Unde Baldricus Abbas carmen edidit de quodam, qui sabbato carnem edere recusaverat, eumque carpit, quòd Judaicas leges revocaret.

num. 116 & seq.

Sabbata custodis tamquam Judæus apella,
Cùm tamen alterius legis iter teneas.

qua in re non probandus Baldricus, maximè quòd ait id factum in Conventu Fratrum seu Burguliensium suorum, qui ex Regulæ præcepto abstinentiam à carnibus servare debebant.

XCVI
Viaticum sub utraque specie.
Hoc tomo p. 399. n. 14.

Observatu dignum est id, quod in libello de Miraculis, in majori Monasterio tunc temporis editis, legitur de quodam laico converso, qui in eodem cœnobio psalmos didicit, & per annos quinquaginta in ipso Monasterio religiosè conversatus, *numquam ad cellas exteriores exire ad manendum voluit. Jacebat autem in Ecclesia, luminaria concinnans, verrensque pavimenta, parietes extergens, & quibuscumque sanctis ministeriis poterat, sedulus insistebat: psalterium ex ordine quotidie decantabat: post matutinos numquam quieti lectuli indulgebat.* Denique, facta sibi de imminente ipsius obitu per sanctum Martinum revelatione, rem Abbati narrat: qui somniis non habendam fidem respondit, sed tamen *imperat super licentiam, ut inungatur: quo facto, Dominicis etiam munitus mysteriis, sanus & incolumis cum ceteris in conventu versatus, nocte insequente circa Laudes viribus corporis cœpit repentè destitui; nec jam valens subsistere, ad manus in cellam infirmorum deducitur. Manè adveniente, pro bona iterum devotione Dominici Corporis & Sanguinis Sacramenta percepit: ubi cùm post Sanguinem vinum ebibisset, inter manus se se bajulantium exspiravit.* Ubi vides primùm unctionem necdum infirmo concessam post communionem: deinde prima luce insequente Viaticum eidem Laïco fratri sub utraque specie cum vini ablutione datum. Huc spectat, quod Petrus Damiani retulit de quodam presbytero, qui post administratum sub utraque etiam specie cuidam infirmo Viaticum, cùm *aliquantulum Dominici Sanguinis* superesset in Calice, in Ecclesiam reversus, in labrum marmoreum impiè effudit, moxque quod effusum fuerat è Calice, in Sanguineum ruborem conversum est.

XCVII
Communio sub unica specie.

De Communione sub unica specie loqui videtur Humbertus in disputatione de Azymo & fermentato, ubi Græcis ritibus Jerosolymitanæ & Latinæ Ecclesiæ consuetudines opponens, de Jerosolymitanis hæc habet: *Cochlear autem, cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minimè habent: quia non ita commiscent sanctam communionem,* id est speciem panis, *in Calice, sed sola communione,* id est specie panis, *communicant populum*: quod ampliùs in consequentibus explicans: *Si quid*, inquit, *ex sancta & venerabili Eucharistia in Jerosolimitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt; & sequenti die ex ea communicant populum, quia quotidie communicant ibi, eò quòd conveniunt illuc ex diversis Provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem Filii Dei communicari ibidem desiderant*: ubi vides reservatam Eucharistiam in communione peregrinorum, qui proinde sub unica specie saltem extra sacrificium communicabant.

De

De Latinis id non ita clarum apud eumdem auctorem. *Tenues oblatas, ex simila præparatas, integras & sanas, sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur; & tunc demum Calice meri & liquidi cruoris potamur*, an etiam cum populo, non ita dilucidè apparet. De hac sive puerorum, sive infirmorum, sub unica specie communione præclarum est testimonium Gilberti Porretani Pictavensis Episcopi in notis Acherianis ad Guibertum. *Guib. p. 564.*

XCVIII Habitus Monasticus acceptus in extremis. Ad hoc usque tempus mos obtinebat, de quo aliàs non semel diximus, ut sæculares homines, in extremis positi, habitum monasticum induerentur, cum eo, ut, si revaluissent, monasticæ professioni obnoxii remanerent. Ex his unus fuit, Roberto Francorum Rege, Ludovicus comes Alemannorum, qui ad montem S. Michaëlis orationis causâ profectus, in reditu apud Senonas morbo correptus, in suburbano S. Petri cœnobio monachus factus est, nec multò pòst è vita migravit, ut Clarius monachus refert. Multa id genus exempla non modò sæculi undecimi, sed etiam duodecimi refert Ordericus Vitalis: ex quibus Guillelmus comes Flandriæ, in prælio graviter vulneratus, *scelerum pœnitens monachatum petiit & Dominici Corporis perceptione cum confessione munitus obiit*, scilicet anno M.XXVII. ubi Viaticum sub unica specie datum videtur. Id verò etiam presbyteri, immo ipsi quoque Episcopi non rarò faciebant. Unicum huc affero ex initio sæculi duodecimi exemplum de Roberto Lingonensi Episcopo, qui gravissimo correptus morbo, à Widone Molismensi Abbate monasticum habitum accepit, & Viatico accepto vitam finivit. Hunc morem propugnat Petrus Damiani in Opusculi XV. cap. 2. *Dum ergo*, inquit, *monachum fieri hoc sit utique converti; & conversionis remedium nulla hora respuit, nullum tempus excludit: constat procul dubio, quia in ægritudine constitutus, sicut converti cùm vult, nullius auctoritatis obstaculo præpeditur; ita etiam ut monachus fiat, absque ulla refragatione jure conceditur.* Et infrà. *At forsitan, inquies, non quidem prohibetur in corporali molestia positus ad portum monachici Ordinis repentè confugere; sed licet si convaluerit, ad pristinæ conversationis habitum remeare. Sed clamat, immo reclamat ipsa Veritas tam perspicuæ falsitati, cùm dicit: Nemo mittens manum ad aratrum &c.* *Spicil. tom. 2. pag. 740. Orderic. lib. 2. pag. 886. Spicil. tom. 2. pag. 641.*

XCIX Servi Monasteriorum. Ultima observatio erit de liberis hominibus, qui se in servitutem & obsequium monasteriis perpetuò devovebant: quod maximè in iis locis fiebat, ubi Sancti insigniores colebantur, quorum gratiâ id agebant. Hæc autem obligatio variis modis ac tesseris fieri solebat. Alii enim fune signi seu campanæ cervici circumposito, alii denariis super caput impositis, alii denique capite ipso altari imposito hanc servitutem profitebantur. In chartario Vindocinensi quidam *quatuor denarios de capitagio suo, sicut mos sæcularis est talibus facere, super altare Dominicum prædicti loci gratanter imponens, funem quoque collo suo devotè circumplicavit*. In Majori monasterio exstat vetus codex traditionum de servis monasterii, in quibus Bertrannus quidam & uxor ejus Ermentrudis cum alio *in parlatorium* seu auditorium venisse dicuntur, *& ibi positis ex more quatuor denariis super capitibus suis, tradiderunt se toti tres ad servos priori nostro Domno Oddoni, & omnem posteritatem suam*. Hoc auditorium, quod sæcularium erat, situm fuit ante ostium claustri, ut ex alio consimilis traditionis instrumento patet, in quo quidam Fulcredus Dobellus & Galterius ejus frater anno ab Incarnatione Domini M.XCIII. venisse perhibentur ambo *in locutorium, quod est ante ostium claustri*, ibique recognovisse se servos esse S. Martini. Tertii generis exempla refert Arnolfus ex comite monachus S. Emmerammi, cui multi, imposito super altare capite, se ejusdem sancti Martyris ser-

servos ac censuales fore protestati sunt. Plura de his apud virum percelebris memoriæ eruditum Cangium, ubi de Oblatis.

C Reclusi & Reclusæ. Hic quædam subjicienda essent tum de Reclusis utriusque sexus, quales quàm plurimi sæculo undecimo in Monasteriis nostris exstitisse inveniuntur, exemplo sanctæ Wiboradæ, ejusque sequacium, quæ sæculo præcedente apud S. Gallum hoc vitæ Institutum amplexæ sunt: tum de Feminis devotis, quæ in cellis non clausis prope monasteria nostra eodem tempore piè degebant: qualis fuit in Flaviacensi monasterio Guiberti Abbatis mater, cujus ille pia facta tribus de vita sua libris inseruit: qualis fuit etiam nobilis ac venerabilis Matrona Hildeburgis, cujus Acta hic habentur, quæ prope Monasterium S. Martini Pontisarense tempore Theobaldi Abbatis habitabat. Verùm finienda est hæc Præfatio, quæ jam modum excessit.

Hoc tomo pag. 813.

Addenda ad Præfationem II. Sæc. IV. n. 176.

CLXXVI His omnibus adjungere licet B. Ænguffium cognomento Keledeum, Abbatem & Episcopum in Hibernia, qui Martyrologia duo, unum vetusto patrii idiomatis metro, alterum soluta oratione composuisse memoratur. Primum appellat *Festilogium*, quod ad singulos dies non continet nisi aliquot ex præcipuis Sanctis. In secundo fusiori recenset primò nomina Sanctorum aliarum gentium; & posteà seorsim adjungit nomina Sanctorum Hiberniæ. Hoc *Tamlastense*, quod conditum sit in Monasterio Tamlactensi vocat Colganus, qui Ænguffii vitam ex antiquis monumentis concinnavit, eamque retulit ad Sæculum IX. Sed quia chronologicæ notæ, quibus utitur, non usquequaque certæ sunt, de his in sequenti Sæculo differemus. Denique in hanc classem referre possem, ut Maurolycum &c.

Addenda ad Præfat. Sæc. V. n. 95.

XCV Præclara est hanc in rem Concilii Carthaginensis constitutio apud Dionysium Exiguum in cap. 80. *Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros & vias tamquam memoriæ Martyrum, constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum condita probantur; ab Episcopis qui eisdem locis præsunt si fieri potest evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: ut qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria omni modo reprobentur.* Adde Concilii Eliberitani can. 60.

DOMNI
JOANNIS MABILLONII
PRESBYTERI AC MONACHI
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI
E CONGREGATIONE S. MAURI

DISSERTATIO
DE
PANE EUCHARISTICO
AZYMO AC FERMENTATO

Ad Eminentiss. Cardinalem Bona.

Subjungitur Opusculum Eldefonsi Hispaniensis Episcopi de eodem argumento, nusquam antehac editum.

Juxta Exemplar impressum Parisiis anno 1674.

EMINENTISS. ECCLESIÆ PRINCIPI
JOHANNI BONA
S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI
Fr. JOHANNES MABILLONIUS *M. B.*

EO me adduxit, Eminentissime Ecclesiæ Princeps, Modestia tua, ut si Libellum hunc meum tibi non obtulero, ingrati animi vitium incursurus sim; si obtulero, imprudentis. Cùm enim hic libellus te monente ac praecipiente conceptus sit, te materiam suppeditante ac delineante formatus, te etiam procurante editus in lucem; indignum est, ut sub alieno prodeat nomine, qui te primarium auctorem agnoscit. At verò cùm modum tractandi argumentum de Azymo ita præscripserit Eminentia tua, ut non quod tutè sentias, sed quod è rei veritate magis esse intellexero, sincerè exponam; fit ut à tua sententia tantisper discedere cogar, reluctante observantia in te mea; eòque minùs acceptum fore libellum meritò subverear, quò ad judicium tuum minùs accesseris. Et id quidem jure timerem, si esses ex eo genere hominum, quibus id unum sapit quod sentiunt. Verùm tanta est animi tui magnitudo & æquitas, Eminentissime Cardinalis, ut cùm in scriptis tuis uni studeas veritati, in alienis unam maximè quærendæ veritatis sinceram voluntatem probes; plusque de te meriturus sit, qui à sententia tua veri studio recesserit, quàm qui tibi subscripserit fallaci assentationis obsequio. Quapropter in hoc elaborando Opusculo id in primis curæ mihi fuit, ut illud componerem, non tam ad tuæ sententiæ, quàm ad animi tui imitationem: ratus in hoc magis splendere dignitatem moresque tuos, si etiam contra sentientes benignè accipias, quàm si omnes tibi ambitiosè applauderent. Quamquam in tota hac disputatione nihil contradicendi studio à me dictum, nihil definiendi pertinaciâ assertum: sed id totum quantulumcumque est, perfeci animo tibi obsequendi, consecrandique opellam meam: ut si aliquando permittente otio idem argumentum secundis curis pertractare tibi placuerit, habeas præ manibus hoc officii mei monumentum. Nihil enim mihi felicius gloriosiusve contingere potest, quàm si quidpiam momenti contulero in subsidium studiorum tuorum, quibus Catholicam Ecclesiam atque Rempublicam litterariam mirificè illustras. Hæ sunt consilii atque operis mei rationes, Vir Eminentissime, quas si probaveris, spero etiam munusculum hoc non ingratum fore Eminentiæ tuæ: quod etiam atque etiam opto. Vale, & æternùm vive. Lutetiæ Parisiorum, in suburbano sancti Germani Monasterio, VI. Id. Octobris M.DC.LXXIII.

LECTORI.

HUc te paucis volo, ſtudioſe Lector. Ante annos duos & viginti Jacobus Sirmondus clariſſimæ memoriæ, Presbyter Societatis Jeſu, Diſquiſitionem de Azymo compoſuit, quo in libro azymorum uſum apud Latinos ab annis admodùm octingentis viguiſſe contendit. Eamdem ferè ſententiam ante hoc biennium amplexus eſt Eminentiſſimus Cardinalis Johannes Bona in lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. quo quidem tempore ego quoque cùm Acta Sanctorum Ordinis ſancti Patris Benedicti, quæ ad ſæculum ejus tertium pertinent, typis mandarem; quaſdam Obſervationes contra Sirmondi ſententiam congeſſi in Præfatione mea. His lectis Eminentiſſimus Cardinalis epiſtolâ ad me ſcriptâ non gravatus eſt promere quid ſentiret de argumentis à me propoſitis : quibus etiam reſponſiones ſuas cum eximia dignatione repoſuit. Ad hæc, ſubmiſſo Eldefonſi Hiſpanienſis Epiſcopi Opuſculo, quod eatenus inquiſieram, auctoritatem in me ſuam interpoſuit, quò totum Azymi argumentum novis commentariis explanarem. Habes inſignem ipſius hac de re epiſtolam, non minùs ornamenti quàm documenti gratiâ, in fronte hujus Operis collocata. Tum ſubſequitur Diſſertatio mea : ad cujus calcem ſubjunxi Opuſculum Eldefonſi jam dicti Epiſcopi, ante annos octingentos ſcriptum de Pane Euchariſtico. quod nuſquam hactenus editum, probationis loco erit. Hæc tota ſeries hujus operis. Perge, Lector, & vale.

EPI-

EPISTOLA
EMINENT. CARDINALIS BONA
AD DISSERTATIONIS AUCTOREM.

A. R. P.

Cum animadverterem displicuisse nonnullis, quæ de Azymo & Fermentato scripseram lib. I. Rerum Liturgicarum cap. 23., decreveram hoc argumentum accuratiùs pertractare, meamque sententiam clariùs & distinctiùs explicare: sed novis quotidie supervenientibus negotiis, quæ nec differre, nec prætermittere possum, à proposito recedere compellor, ac tibi, qui de hac re in Præfatione tertii Sæculi Benedictini copiosè & eruditè scripsisti, & sicut ex literis tuis didici, de eadem re in Prolegomenis quarti iterum acturus es, hanc spartam exornandam relinquere. Tua enim multiplici eruditione efficies, ut è suderibus antiquitatis veritas emergat & elucescat, meque tibi arctiùs adstringes, si errores meos benignè correxeris. Hoc nimirum semper optavi scire, & cognoscere veritatem; nec umquam erubescam, si quid fortè ab ea alienum incautè scribenti exciderit, expungere, & emendare. Ut tua autem petitioni morem geram, breviter indicabo, qua methodo putabam in hac Disquisitione procedendum esse.

Et primò quidem mens erat certa ab incertis, & dogmata Fidei à ritibus Ecclesiæ secernere. Certum enim est Christum Redemptorem in ultima Cœna panem azymum comedisse, & in eo Eucharistiam instituisse: idque stabiliendum adversùs Græcos schismaticos, & aliquot etiam Latinos. Verùm ex hoc facto Christi non licet inferre, quòd in solis azymis conficere oporteat; nam si hoc necessarium foret, numquam Ecclesia usum fermentati permisisset. Certum est item tam azymum, quàm fermentatum verè panem esse, & in utroque validam esse consecrationem. Certum denique est convenientius esse Christi exemplum sequi, & in azymis conficere. An verò Latina Ecclesia aliquando fermentato usa sit, res facti est ad historiam, & ad ritum pertinens, qui mutationi & novitati subjectus est; non ad Fidem, quæ inconcussa, & immutabilis semper manet. Id verò tanquam indubitatum probari debet adversùs quosdam, qui rem natura sua indifferentem in Fidei dogma convertunt. Optimè Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini cap. 10. Utrùm ex azymo an ex fermentato pane Corpus Christi confici debeat; inter Latinos & Græcos magna concertatio est, cùm tamen non sit contra Fidem Christianam seu azymum, seu fermentatum sacrificetur: tum quia utrumque panis est, tum etiam quia quamvis Christus de azymo pane Corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia cœna, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat: panem tamen fermentatum non prohibuit.

Hoc posito velut fundamento, indagandum est, quo pane in sacrificio usi sint Apostoli, & eorum successores per aliquot sæcula; azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim: & ego sanè utroque indifferenter usos, sive fermentato, qui communior, magisque obvius erat; sive azymo, qui nitidiore farina facilè parari, & sub cinere, vel in parvis clibanis statim coqui poterat, non improbabiliter opinatus sum. Etenim sæviente persecutione, quando in carceribus, in privatis domibus & in cryptis aut in speluncis terræ clam celebrabant, eo pane uti oportebat, qui tunc fortuito occurrebat. Pro usu fermentati multa ego congessi, numquam tamen, ut monui post Præfationem, usum azymi negavi. Dixi enim Apostolos panem consecrasse, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive azymum,

sive fermentatum. Tu verò pro azymis multa profers in tua Præfatione; de quibus quid sentiam, non contradicendi, sed inveniendæ veritatis studio breviter indicabo.

Num. 65. A facto Christi argumentaris, sed hæc ratio nimis probat, ut supra dixi.

Num. 66. testem producis Isidorum, qui agens de compositione panis Eucharistici, non meminit fermenti. Porrò Isidorus illam sententiam transcripsit ex epistola 63. Cypriani ad Cæcilium, sed nihil certi ex ea concluditur. Nam non excludit fermentum, & fortasse intelligitur illa voce copulatum *: cùm ait Corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam;* nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum; *quod autem copulat, adunat, & solidat, fermentum est. Epistola verò Isidori ad Redemptum procul dubio supposititia est, ut ipse agnoscis. Auctoritatem Concilii Toletani tu pro azymo affers, quâ ego pro fermentato usus sum. Quis verò mentem illorum Patrum meliùs perceperit, non est meum judicare.*

Num. 67. testimonium profers Hildefonsi Toletani ex relatione V.C. Emerici Bigotii, sed quid de eo sentiendum sit, ipse cum legeris, pronunciabis. Integrum enim tractatum ad te mitto ex codice Vaticano, quem laudabat Holstenius, accuratè transcriptum.

Num. 68. Bedæ & Paschasii testimonia usum universalem azymorum non probant: neque etiam Rabanus Maurus id evincit. Ex eo tamen constat, si non ubique, saltem, in aliquibus Ecclesiis occidentalibus, azymorum usum viguisse tempore Photii. Clarè enim loquitur, & suspicio interpolationis tollitur, quandoquidem asseris antiquissimos codices MSS. cum editis consentire. Nimis tamen probat, cùm ait oportere panem infermentatum esse.

Num. 69. ex oblatis ferro characterato impressis infers, quòd sine fermento fuerint. Et hoc etiam magni momenti est ad probandum quod sæculo nono azymi panes in usu essent in Occidente. An verò hic mos ubique viguerit, non liquet.

Num. 70. Leonem nonum testem adhibes perpetuum in Ecclesia Romana azymorum usum astruentem. At ego Sanctissimum Pontificem sic interpretabar, ut non de ritu, sed de dogmate intelligendus sit. Declamat enim adversùs hæreticos, & agit de Fide Petri quæ nunquam deficiet: tum Græcos perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem, & Christum consecrasse in fermentato, facta ultima cœna ante diem azymorum. Non igitur ad ritum qui mutationem admittit, sed ad Fidei dogmata spectare mihi videntur verba S. Leonis, si seriò perpendantur. Humbertus autem, Rupertus Abbas, & alii testes sunt suorum temporum: nec est improbabile, quòd perpetuam fuisse crediderint eam consuetudinem, quæ ipsis viventibus in usu erat. Tu verò nosti quæ fides illis præstanda sit, qui à Christo ad sua tempora morem aliquem viguisse testantur, nullo teste adhibito, qui sæculis præcedentibus vixerit. Certè Jurisperiti hujusmodi testimonia prorsus rejiciunt.

Num. 61. primum Sirmondi argumentum pro fermento diluis ex vetusto Fidelium more, qui panem offerebant, panem utique consecrandum pro communione Sacerdotis & Fidelium. Quamvis enim si quid super erat, pauperibus distribui solerct; prima tamen intentio offerentium sacrificium respiciebat. Hunc verò panem fuisse communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qualis in domibus reperiebatur, ego post Sirmondum asserui, testem advocans Ambrosium, qui de pane consecrando loquens vocat eum usitatum. *Addo nunc Justinum Martyrem, qui prope finem secundæ Apologiæ de Sacrificio Missæ sermonem habens;* Non enim, *ait,* ita sumimus ut communem panem, & communem potum: *sive ut alius interpres vertit;* ut vulgarem panem & vulgare poculum. *Similiter Irenæus lib. 4. cap. 34.* Jam, *inquit,* non communis panis est, sed Eucharistia, *Panis autem usita-*

usitati, communis, & vulgaris nomine intelligi fermentatum certum mihi videtur. Scio quidem utrumque panem Romanis, & aliis gentibus in usu fuisse. Nam Cornelius Celsus lib. 2. cap. 24. inter ea quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine fermento & capite 25. panem fermentatum stomacho nocere ait: utriusque etiam meminit cap. 28. Nihilominus communem, atque, ut ita dicam, quotidianum fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ cæteris laudat Plinius lib. 22. cap. ultimo. Et Galenus de pane agens lib. 1. de alimentorum facult. cap. 2., eum qui fermento caret, nemini esse accommodum docet. Idem pro certo ponit Ambrosius serm. 21., explicans parabolam fermenti. Si ergo panem communem offerebant Fideles, & hic fermentatus erat; hinc non leve argumentum desumitur ad probandum fermenti usum in sacrificio.

Num. 72. non constare dicis, utrum Latini, aut Græci variaverint panis materiam. Hoc utique verissimum est, & inde caligo oritur, qua obvolvimur, nescientes utrùm initio omnes Ecclesiæ unius moris fuerint, an utroque pane indifferenter, an solo azymo vel fermentato determinatè uterentur; & quis primùm veterem usum mutaverit, quo tempore, qua occasione: quando mordicus cœperint Græci fermentato, Latini azymo adhærere: an diversarum Ecclesiarum diversi mores fuerint; sicut olim erant in celebratione Paschatis: cur per annos mille inter Græcos, & Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia: cur Photius Græcanici schismatis parens, qui multò minora & etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ posteà tanta contentione inter partes agitata est: cur inter Orientales soli Armenii & Maronitæ azymo utantur, quando & qua occasione eo uti cœperint. Hæc omnia dubia discutienda diligentissimè forent & dissolvenda. Veteres Scholastici ab hujus quæstionis difficultate se facilè expediunt, asserentes utramque Ecclesiam Græcam & Latinam ab initio, & deinceps in azymis consecrasse, donec hæresis Ebionæorum exorta est, docentium legem Moysis simul cum Evangelio servandam esse, & azymum panem necessariò consecrandum, in quorum detestationem Orthodoxa Ecclesia ubique gentium fermentatum adhibuit; illa autem hæresi extinctâ Orientales fermentatum retinuerunt; Occidentales ad pristinum morem azymorum reversi sunt. Sed huic historiæ nullam fidem adhibendam esse ego in Liturgicis ostendi. Armenios azymum recepisse cùm recesserunt à Græcis, quo etiam tempore vinum aquâ miscendum non esse decreverunt, ibidem narravi: idemque constanter illarum gentium historici affirmant, & hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armenii Episcopi, & Sacerdotes à me interrogati, & aliqui etiam ex nostris rituum, & linguæ eorum periti confirmarunt. Ideo inter errores, quos abjurabant Armenii, cum redibant ad Fidem Orthodoxam, hic legitur in veteri formula, quam D. Cotelerius edidit in Notis eruditissimis ad librum quintum Constitut: Apostolicarum pag. 237. Si quis in panem oblationis non immittit fermentum, & sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit. *Maronitas credibile est usum azymorum recepisse, cùm abjurata hæresi ad Fidem Catholicam conversi sunt, quod Gulielmus Tyri Archiepiscopus, suo tempore, & se præsente contigisse scribit lib. 22. suæ historiæ cap. 8. Ipsi tamen hoc negant, & scriptores proferunt antiquissimos, asserentes gentem illam semper Romanæ Ecclesiæ adhæsisse. Vidi nuper librum de expositione Liturgiæ è Syro sermone in Latinum translatum à D. Fausto è Monte-Libano Abrahami Ecchellensis nepote, & S. Maronio adscriptum, quem vixisse ajunt sæculo quinto, vel sexto, in cujus capite 16. hæc leguntur.* Ad illud quòd petistis, an conveniens sit offerre de pane azymo, vel fermentato, respondemus quod de hoc non habemus præceptum Dominicum vel Apostolicum, quod hoc jubeat, & illud vetet. Quapropter hi in hoc, & illi in illo conficiunt juxta morem detentum. Nam qui in fermen-

mentato offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus atque Armeniis, dicentes quòd azymus non est panis. *Tum ex Scriptura probat verè azymum esse panem, & quòd Christus in azymo confecit. Verùm hic liber post exortum Grecorum schisma, & post excitatas azymorum turbas scriptus videtur, quod eruditioni tuæ examinandum relinquo.*

Num. 73. aliud argumentum solvis, notatos scilicet Ebionæos, quòd pane azymo præter morem aliorum uterentur, & auctoritatem Epiphanii adfers ad probandum usum azymorum tempore Ebionæorum, ac si illi ad imitationem Ecclesiæ in azymis sacrificium offerrent. Sed ego sub tua & aliorum Eruditorum censura, verba Epiphanii aliter intellexi, & ni fallor, ipsemet Epiphanius seipsum explicat hær. 46. dicens, Tatianum mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse. Ubi vides Ecclesiæ imitationem non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

Num. 74. ex silentio Photii nihil certi concludi ostendis, quod & ipse agnosco, tum propter rationes, & conjecturas à te allatas, tum propter ea, quæ Leo Allatius notavit initio Exercit. 28. adversùs Creygtonum pro Concilio Florentino. Scire tamen optarem, qua de causa post duo fere sæcula à morte Photii, acerrima de azymis controversia orta sit. Vellem quoque ut ea dilueres quæ pro usu fermentati à me allata sunt ex decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum. Nihil enim gratius contingere mihi potest, quàm ab amicis corrigi & emendari.

Ne quid autem prætermittam quod ad præsentem causam facere possit, moneo extare Mediolani Chronicon MS. & ineditum, S. Datio Mediolanensi Episcopo adscriptum, in quo leguntur hæc verba. Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui & sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedicebat. *At Chronicon illud supposititium esse, & recentioris ævi, jam multi notarunt. Nullius quoque momenti est Symeonis Thessalonicensis testimonium, utpote recentioris, & schismatici, qui libro de Templo & Missa apud Goar in Euchol. pag. 214. ait :* S. Gregorius auctor ille Dialogorum cum fermentato pane sacrificium offerri testatur. *Similiter Feblavius scriptor heterodoxus pag. 366. Comment. ad librum Christophori Angeli de Statu Ecclesiæ Græcæ, asserit Apollinarem primum azymorum inventorem fuisse. Sed hæc Græcorum schismaticorum adversùs Latinos scribentium fabula est, quemdam scilicet discipulum Apollinarii nomine Leucium, sive Felicem, Romam migrasse, & simulata vitæ sanctimonia ad summum Pontificatum evectum, azymum apud Latinos introduxisse. Scriptor etiam Anonymus, quem vidi in Bibliotheca Barberina inter codices Græcos MSS. num. 75., ait Carolum Magnum, cum Romam profectus est tempore Leonis tertii, viæ comites habuisse aliquos Monachos Arii & Apollinaris erroribus infectos, qui Urbem ingressi perverterunt populum, docentes Spiritum Sanctum non à solo Patre; sed etiam à Filio procedere, & oportere in azymis sacrificare, ita ut azyma è Francia prodierint. Hæc ille, cui consonant alia apud Leonem Allatium libro citato pag. 571. & sequentibus, ubi etiam prædictam Felicis fabellam ex quodam Symeone Hierosolymitano recenset. Omitto alia Græcorum recentiorum figmenta, ne tempus in nugis inutiliter prodigam.*

Hæc autem scripsi, ut studium tuum & diligentiam excitarem, sicut scriptum est : Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. *Ceterum Deum oro, ut incerta & occulta sapientiæ suæ manifestet nobis, detque idipsum sapere in alterutrum secundùm Jesum Christum, ut, sicut hortatur Apostolus, expurgato veteri fermento epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. Romæ die 14. Martii 1673.*

DIS-

DISSERTATIO
DE
PANE EUCHARISTICO,
AZYMO, AC FERMENTATO.

DISSERTATIONIS OCCASIO ET ARGUMENTUM.



UM edendo Acta Sanctorum nostrorum incidissem in quædam loca pro Azymorum usu in Ecclesia Latina; ea more meo quibusdam observationibus illustrare visum est, & conjectis iis quæ mihi pænè obvia fuere argumentis ostendere, usum hunc esse antiquiorem, quàm Jacobus Sirmondus, vir eximiæ eruditionis, existimaverat. Nota est Studiosis omnibus viri clarissimi sententia in singulari Disquisitione de Azymo, nimirum panem Fermentatum in Ecclesia Latina multis sæculis adhibitum in Missa fuisse; & Azyma Photiani schismatis tempore nondum recepta: sed tantùm medio illo intervallo, quod inter schisma Photii Pseudopatriarchæ Constantinopolitani, Pontificatu Nicolai Papæ primi; & alterum schisma Michaëlis Cerularii itidem Patriarchæ, sedente Leone Papa nono effluxit: id est medio illo tempore, quod ab anno æræ Christianæ DCCC. LXVII. ad M.LIV. intercessit. Mihi verò cùm multis, tum præcipue HRabani auctoritate persuasum erat, Azyma in rebus sacris obtinuisse ante illud schisma Photianum: nec momenta Sirmondi adeò efficacia visa sunt, ut Fermenti usum aliquando apud Latinos viguisse fateri nos cogerent.

Quapropter quod Sirmondus optaverat, ut qui sententiæ suæ de Azymorum recentiori usu non consentirent, eos saltem ad præclaram ejus rei investigationem excitaret; ad hoc ipsum me contuli, quantum & tenuitatis meæ facultas, & brevitas observationum, & rei difficultas obscuritasque permisere. Nam etsi hominem tantillum contra Sirmondum niti temerarium videbatur; mihi occurrebat illud quod Sirmondus ipse in sui excusationem attulit in Disquisitionis cap. 5. ubi de Fermento Melchiadis ac Siricii aliter atque Baronius sententiam dicturus, veritus non est, ne contra Baronii mentem votumque fecisse videretur: propterea quòd Baronius omnes ad hoc ipsum ut sua liberè promerent, invitasset: nec se ab ejus sententia discedere indignaturum quemquam putavit qui meminisset, illum pro singulari sua modestia solitum aliena haud gravatè audire; & si meliora suis cognosceret, libenter amplecti. Et hæc quidem mea de Sirmondi mente, modestia, ac sinceri studio persuasio erat; eademque facti mei excusatio.

Ubi primùm observationes meas prelo committere parabam, simul certior factus sum, Eminentissimum Cardinalem Bona, cujus virtus, doctrina & eruditio omnibus perspecta sunt, idem argumentum pertractare in Opere suo de Rebus Liturgicis, & ab Sirmondi proposito tantillum recedere. Ut opus illud eximium pervenit in manus meas, illud legi magna cum volupta-

te,

te, tum maximè locum de Azymis, in quo tota res non minus sincerè, quàm eruditè explicatur. Ejus loci summa est, jam inde ab Apostolorum temporibus ad schisma Photianum, in Ecclesia Latina promiscuum fuisse usum Fermentati & Azymi panis, nec ante sæculi decimi initium Azymum lege communi ac generali ubivis receptum apud Latinos. Qua in re Sirmondi sententiam temperavit Illustrissimus Scriptor, quòd Sirmondus non videatur admisisse Azymi usum ante Photii discidium, sed solùm Fermentatum: at verò Eminentissimus Cardinalis utrumque promiscuè usurpatum pro tempore & locorum opportunitate fateatur.

Commovit hæc sententia quorumdam in Urbe animos, rei novitate (ut sibi videbatur) ne dicam indignitate attonitos: quasi nefas esset tantisper recedere à communi Recentiorum opinione, qui Azymorum in Latina Ecclesia perpetuum usum, non secus ac dogma Catholicum, defendunt. Gliscenti querelarum rumori frenum imponere curavit modestissimus Cardinalis, edita hanc in rem admonitione, qua rationem assertionis suæ contrà sentientibus approbare tentavit. Quod ubi plenè ad votum non succederet, idem argumentum retractare, & clariùs sententiam suam explicare animo destinavit: idque brevi perfecisset, nisi hoc agitantem negotiorum turba distraxisset. At cùm intellexisset me idem consilium meditari; submissis quas ad hoc habebat litteratoriis copiis, impulit me ad id audendum, id est ad explicandum id, quod è rei veritate esse crederem, quod unum semper optavit. Non licuit operam meam negare tantæ dignitatis hortatori: maximè cùm necessarium mihi esset exponere ea, quæ vel obscuriùs, vel breviùs in Observationibus meis dicta, aliter quàm par erat, nonnulli interpretabantur.

Duo sunt quæ in Observationibus meis intendebam. Unum, Azymorum usum apud Latinos in re sacra viguisse ante schisma Photianum, quod disertè probandum suscepi adversùs Sirmondum. Alterum, argumenta à Sirmondo proposita non penitus evincere, Fermentum à Latinis aliquando adhibitum fuisse. Neque tamen hanc posteriorem partem ita demonstrandam suscepi, quasi certum ac manifestum esse putarem, Fermentum à Latinorum sacris semper abfuisse: sed tantùm eò tendebat omnis oratio mea, ut probarem id non certum esse, quod Sirmondus pro certo proponebat. Uno verbo, alteram hanc partem non tam affirmando, quàm negando, & partis adversæ fundamenta evertendo, tueri mihi visum est.

De media Illustrissimi Cardinalis sententia, deque novis argumentis ab eo pro Sirmondi opinione adductis nihil dixi: tum quia Observationes meæ jam typis subjiciendæ erant, cùm ejus Opus de Rebus Liturgicis in hanc urbem advectum est: tum quia sententia mea magis accedebat ad mentem Eminentissimi Cardinalis. Is enim non negat Azymos panes aliquando adhibitos ante Photii tempus, immo ab ipsa ætate Apostolorum: sed tamen id factum ait citra delectum; non communi lege, sed pro locorum ac temporum ratione.

Verùm quia totum hoc argumentum pro modulo meo denuo tractare mihi jam incumbit, dabo operam, ut id historico potiùs modo, quàm contentioso à me fiat: non quò difficilem controversiam secundùm tantos viros à me dirimi ac finiri posse putem: sed ut in commune conferam id quantulumcumque, quod ad eam illustrandam apud antiquos observare mihi licuit. Atque ut tota res magìs dilucidè & accuratè pertractetur, sequentibus capitulis eam explanare conabor.

IN-

INDEX CAPITUM.



CAPUT PRIMUM.

Eucharistiam in Azymis à Christo Domino institutam fuisse.



Ervatorem nostrum in extremo Paschate, quod morte instante celebravit, venerabile Corporis & Sanguinis sui Sacramentum sub vesperam Feriæ quintæ instituisse constat. Utrum Azymum panem huc adhibuerit, disputant Latini & Græci recentiores, Latinis azymum, Græcis fermentatum præferentibus. Hujus controversiæ solutio ex alia pendet, videlicet an Christus eo anno celebraverit Pascha legale, id est an Agnum cum azymis aliisque Paschalibus cibis comederit, tempore & loco lege præscriptis.

De loco nulla est dubitatio, Christum Hierosolymis, uti lege cautum erat, ultimum Pascha peregisse: de tempore, deque esu Agni gravis est controversia, non solùm inter Græcos & Latinos, sed etiam inter homines ejusdem societatis, inter antiquos ac recentiores. De utrisque agendum singillatim, ac primùm adversarum partium fundamenta præmittenda.

Qui Pascha legali more à Christo celebratum contendunt, auctoritatem sumunt ex Evangeliis Matthæi, Marci, & Lucæ. Matthæus quippe *prima die azymorum;* Marcus *primo die azymorum, quando immolabant Pascha*; Lucas *adventante die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, paratum à Discipulis Paschalis festi epulum testantur.

Alii verò, sive qui Pascha legale à Christo anticipatum volunt; sive qui agnum ab ipso comesum negant; sive qui & agnum & azyma, ceteraque id genus Paschalis festi edulia removent ab ultima Christi cœna; nituntur quam maximè Johannis Evangelistæ duplici testimonio. Unum est in cap. 13. versu 1., ubi cœnam *ante diem festum Paschæ* peractam scribit, immo, ut in versione Persica legitur, *ante duos dies Pascha*. Alterum testimonium est in cap. 18. versu 28., ubi ait Judæos Christo capto & adducto ad Caïapham, non introisse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Quod argumento est, eos vespera subsequente Agnum comedisse: nam agni immolatio atque comestio propriè Pascha dicebatur. Accedit locus ex ejusdem Evangelii cap. 19. versu 14., quo in loco Christus cruci adfixus dicitur ea die, quæ *erat Parasceve Paschæ*, in qua nimirum Judæi necessaria præparabant ad comedendum agnum sub vesperam subsequentem. Hæc fere argumenta sunt, quibus adducti cùm Latini, tum Græci, tam veteres quàm recen-

recentiores, in diversas abeunt sententias. Jam Græcorum antiquiorum traditionem consulamus, postea Latinorum. CAP. I.

In primis consideratione digna est epistola Polycratis Metropolitæ Ecclesiarum Asiæ, qui sub finem sæculi secundi exorto discidio inter Asiaticos & alias totius orbis Ecclesias de die celebrandi Paschatis, suo & aliorum Asiæ Episcoporum nomine ad Victorem Papam primum epistolam scripsit, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 24. Cùm enim omnes per Asiam Ecclesiæ quarta-decima Luna, quocumque hebdomadæ die accidisset, Paschæ festum celebrandum esse censerent, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent; aliæ verò totius orbis Ecclesiæ non alio quàm Dominicæ Resurrectionis die: Polycrates morem suum, tamquam à Majoribus sibi traditum defendit, auctores adducens Philippum Apostolum, Johannem Evangelistam, Polycarpum & cognatos sibi Episcopos septem: quos omnes ait Pascha celebrasse, *ὅταν ὁ λαὸς ἤρνυε τὴν ζύμην*, id est, *cum Judæorum populus fermentum abjiceret*, significans morem continuo fluxu à Christi exemplo descendisse. Hunc locum ita restituit vir eximiæ eruditionis Henricus Valesius, cùm aliàs in textu Græco legeretur *ἤρτυε, pararet*, omnino contra Polycratis mentem atque Rufini interpretationem, qui vocem Græcam *auferendi* verbo reddidit. Hoc unum testimonium sufficere posset ad probandum, Christum primo die azymorum ad vesperam Pascha legale explevisse; & ad explicandam mentem Johannis Evangelistæ, cujus auctoritate Asiaticorum traditio, ab ipso fonte accepta, potissimùm fulciebatur.

Asiaticorum morem eadem ratione probat Anatolius Alexandrinus, Laodicensis Episcopus, in Canone Paschali, ostendens eos rectè Johannis exemplo Pascha celebrare quotannis, *quando quarta-decima lunatio adfuisset, & agnus apud Judæos immolaretur: non acquiescentes auctoritati quorumdam, id est Petri & Pauli Successorum, id est Pontificum Romanorum, qui omnes Ecclesias in quibus spiritualia Evangelii semina severunt, sollemnitatem Resurrectionis Domini in die tantùm Dominica celebrari docuerunt*. Nulla verò causa videtur, cur Asiatici tantopere morem suum retinere studuerint, nisi quòd Christum ipsa die Lunæ quarta-decima ad legis præscriptum Pascha peregisse ex majoribus accepissent.

In eadem versatur sententia Origenes tractatu 35. in Matthæum, ubi Christum Luna quarta-decima comprehensum à Judæis fuisse tradit initio tractatus, ac proinde ratum habuit, eadem Luna celebratum ab ipso Pascha: cùm cœnam Paschalem Christi comprehensio proximè sit secuta. Hinc in progressu tractatus ait, Christum Judaico more Pascha ultimum peregisse. Et in Commentariis super Johannis Evangelium, Judæos in ipso Paschate opus scelestum fecisse interfecto Jesu.

His accedit Theophilus Alexandrinus Episcopus in epistola ad Theodosium Imperatorem de sancto Pascha his verbis: *Aliter autem quòd & Salvator noster decima-quarta quidem est traditus Luna, hoc est quinta post Sabbatum; decima-quinta autem crucifixus, die tertio resurrexit, hoc est decima septima Luna, quæ tunc in Dominica die inventa est, sicut & ex Evangeliorum notatione comperimus*. Idem docet Theodoritus quæstione 24. in Exodum, asserens Christum sub finem Lunæ quartæ-decimæ, quando immolabatur Pascha, traditum fuisse.

Johannes Chrysostomus pluribus in locis, maximè in homiliis 81., 82. & 83. in Matthæum, probat Christum legali ritu Pascha perfecisse: Judæos

 verò,

CAP. I. verò, aut saltem Principes Judæorum, contra legis præscriptum, ut scilicet animo suo Christum occidendi obtemperarent, distulisse. Ejus rei argumenta ex Chrysostomo collegit Gregorius Protosyncellus in Apologia adversùs Marci Ephesini epistolam, item Arcudius in lib. 3. de Eucharistia cap. 4. qui in capite sequenti dubia ex eodem Chrysostomo sumta dissolvit. Certè Photius in Bibliothecæ cap. 116. confitetur, Chrysostomum in ea fuisse sententia, Christum in postrema cœna Pascha legale servasse.

His omnibus adjungendi sunt duo Patriarchæ Alexandrini, quorum primus est Cyrillus. Is enim Eucharistiam à Christo institutam post esum agni probat his verbis: *Dominus autem noster Jesus Christus conjunxit in una die agnum Judæorum & verum manna, quando benedixit panem & vinum dicens: Hoc est Corpus meum & Sanguis meus.*

Alter est Proterius Cyrilli successor, qui à Marciano Augusto interrogatus de ratione celebrandi Paschatis, respondit Christum Dominum, *quinta feria, decima quarta Luna mensis primi* in cœnaculo cum discipulis Pascha typicum manducasse, paullò pòst à Juda proditore traditum. Hæc sententia Theophili, Cyrilli, & Proterii Alexandrinorum Patriarcharum hac in re eo majoris est ponderis, quòd antiqui Patres statuendi quotannis Paschalis festi *omnem curam Alexandrino Episcopo delegarunt*, referente Leonis Papæ primi epistola ad Marcianum: *Quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ sollemnitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.* Hac enim peritia facilè edocti erant, quo die incidisset Paschale festum eo anno, quo Christus extremum Pascha celebravit.

Ex his non immeritò colligimus cum Photio in Bibliothecæ cap. 116. sententiam esse non solùm Johannis Chrysostomi, sed etiam Ecclesiæ, saltem Græcanicæ, Christum antè perfecisse νόμιμον seu legitimum Pascha, quam mysticam institueret Eucharistiæ cœnam, quod etiam tradit Victor Antiochenus in Marci caput 14.

Ab hac priscorum Græcorum traditione tres aut quatuor invenio Veteres qui dissentiant, Epiphanium scilicet, Johannem Philoponum, & Anonymos duos: ex quibus Epiphanius censet, Christum quidem in ultima cœna legales cibos adhibuisse: at prævertisse tempus lege constitutum. Philoponus verò & uterque Anonymus Pascha legale à Christo perfectum negant.

Epiphanius quippe in Hæresi XXX. num. 22. contra Ebionæos agens, qui ab esu carnium abstinendum esse ducebant, eos hac ratione revincit, quòd Dominus Judæorum Pascha comederit in ultima cœna, id est agnum & panes infermentatos. At verò in Hæresi LI. Alogos arguens ait num. 26., Christum passum esse XIII. Kal. Aprilis, cùm illi vesperam unam antevertissent, hoc est Luna XIV. nocturna media. Siquidem illi ante tempus Pascha comederunt, ut Evangelium testatur. Tum subdit: ἔφαγον οὖν τὸ πάσχα πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ φαγεῖν, τουτέστι τῇ τρίτῃ ἑσπέρας, ὅπερ ἔδει τῇ πέμπτῃ ἑσπέρας. *Quare biduo ante legitimum diem epulum Paschale celebrarunt, hoc est feria tertia ad vesperam, quod quintâ fieri oportuit.* Nempe quòd quinta dies incidebat in Lunam XIV. Neque putes Epiphanii mentem esse, quòd Judæi biduo Pascha legale anteverterint. Id enim de Christo ejusque discipulis dictum constat ex sequentibus ejus verbis, ubi Christum eadem illa feria tertia sub vesperam Luna XI. nocturna, XVI. Kal. Aprilis comprehensum fuisse affirmat. Epiphanii sententia hæc niti videtur Johannis Evangelistæ auctoritate, dicentis

Chri-

Christum instituisse cœnam *ante diem festum Paschæ*. Quibus verbis intellexisse videtur ante duos Paschæ dies, quemadmodum versio Persica reddit. CAP. I.

Aliam iniit sententiam Johannes Philoponus homo sæculi sexti, in Disputatione de Paschate, quam Balthasar Corderius unà cum ejusdem septem libris in Hexaëmeron Viennæ Austriæ primus in lucem emisit. Nam Auctor iste Græcus, sectæ Eutychianæ, cetera vir doctus, contendit, tertia-decima Luna, pridie legalis Paschæ, mysticam Domini cœnam contigisse; neque Christum tunc cum Discipulis Agnum aut azyma comedisse, idque multis argumentis probare conatur.

In eamdem sententiam conveniunt Anonymi duo, de quibus agit Photius in Bibliothecæ cap. 115. & sequenti. Primus enim disputans adversùs Quarta-decimanos, asserit Christum quinta die non edisse Pascha legale (neque enim illum ejus edendi statutum fuisse diem, sed sequentem) neque agnum, neque azyma, neque aliud quidpiam eorum fecisse, quæ legale servantes Pascha, more rituque majorum observant: Itaque privatam tantùm, mysticam illam tamen, vult cœnam edisse, atque ex ea Discipulis panem & Calicem porrexisse.

Eòdem tendit Auctor incertus in cap. 116. à Photio laudatus, scribens Christum aliis adventus sui annis legale Pascha celebrasse, non item eo quo proditus est. Tum subdit Photius, id consideratione dignum esse, propterea quòd Chrysostomus immo & Ecclesia docerent, Servatorem nostrum Pascha lege præscriptum explevisse, antequam Eucharistiam institueret. Hinc dubitatio mihi suborta est, utrùm Anonymus iste alius sit ab Auctore disputationis de Paschate, quæ Johannis Philoponi nomine Græcè & Latinè à Corderio vulgata est, in quâ eadem omnino sententia deprehenditur. Tum an Philoponus verè istius disputationis conditor censendus sit: quoniam Photius qui in Bibliothecæ suæ capitibus 21., 43., 55., 75., 215., & 240. cum laudat ejusque lucubrationem in Hexaëmeron aliasque, prædictæ disputationis nusquam meminit. Mirum porrò est, Corderium qui hæc legit animadvertitque, nullam attulisse rationem, cur istam disputationem Philopono adscriberet. Verùm posteà deprehendi, hanc disputationem re vera esse Philoponi, qui sub ejus finem meminit lucubrationis suæ in Hexaëmeron, quem genuinum ipsius fœtum esse ex Photio constat. At verò mihi per quàm verisimile relinquitur, Anonymi posterioris librum de Paschate à Photio laudatum esse ipsammet Philoponi disputationem, cujus Auctorem Photius ignorabat.

Quidquid, id est, neque Epiphanii, neque Johannis Philoponi amborumque Anonymorum auctoritas præjudicare debet communi traditioni antiquiorum Græcorum, quorum testimonia superiùs adduxi. Neque Epiphanius negat, immo disertè affirmat, Christum in ultima Cœna legalibus cibis usum fuisse, Agni scilicet carne & azymis, tametsi eum Pascha biduo prævertisse opinatus est.

Multo minus admittenda est sententia recentiorum Græcorum, qui à tempore conflati schismatis per Michaëlem Cerularium in Latinos infensissimi, per fas nefasque azymi panis usum criminantur, alii aliis modis. Nonnulli enim, quorum dux Nicetas Pectoratus, Christum non quarta-decima Luna, quâ fermentum abjici oportebat, sed tertia-decima Cœnam in fermentato pane celebrasse contendunt: alii verò, testante Humberto in responsione ad epistolam Michaëlis Cerularii, *sciscitantibus nobis, unde Dominus Jesus fermentatum in Cœna habuerit, cùm in omnibus finibus Israël non inveniretur, res-*

pon-

CAP. I. *pondent : Si creditur omnipotens, potuit subitò undecumque fermentatum exhibere, aut certè ipsum azymum benedicendo fermentare.* Ast hoc miserabile effugium est delirantium schismaticorum, qui cùm rationem conviciorum suorum reddere non possint, tamquam ad aram confugiunt ad Deum, uti Cotta loquitur apud Ciceronem. Hæc de Græcis.

Ad Latinos quod attinet, uno fere ore omnes, scilicet veteres illi, consentiunt Christum Luna quarta-decima in azymis Eucharistiam instituisse. In primis occurrit Ambrosius Mediolanensis Episcopus, qui in Epistola de festo Paschali ad Episcopos in Æmilia constitutos ita scribit. *Ipse ergo qui legem loeutus est, postea veniens per Virginem novissimis temporibus plenitudinem legis consummavit, quia venit non legem solvere, sed implere : & celebravit Pascha, Hebdomada in qua fuit quarta decima Luna, quintâ feriâ. Denique ipso die, sicut superiora docent, Pascha cum discipulis manducavit : sequenti autem die, hoc est sextâ feriâ, crucifixus est, hoc est Luna quinta-decima.*

Ambrosio adhæret Augustinus in epistola 86. ad Casulanum ubi rationem reddens Jejunii feriæ quartæ & sextæ; disertè probat Judæos de comprehendendo Christo consilium iniisse feria quarta. Deinde intermisso uno die, *cuius vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui fuit finis ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati*, traditum fuisse Christum ea nocte, *quæ jam ad sextam Sabbati pertinebat*, tum subdit : *Hic dies*, nempe sexta Sabbati *primus azymorum fuit, à vespera incipiens. Sed Matthæus Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat Cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum & ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur*, inquit, *quartam Sabbati fuisse; quando ait Dominus: scitis quia post biduum Pascha fiet.* Ex his manifestum est Augustinum in ea sententia fuisse Christum Pascha celebrasse ea vespera, qua *incipiebat azymum* & ovis immolatio manducari; ipsumque cum discipulis legali more Pascha manducasse ante Eucharistiæ institutionem.

Æque perspicua est auctoritas Hieronymi in lib. 4. commentarii in Matthæum ad capitis 26. versum 17. *Prima azymorum*, inquit, *quarta-decima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & Luna plenissima est, & fermentum abjicitur.* Et in versum 26. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Pascha transgreditur Sacramentum : ut quo modo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui Corporis & Sanguinis sui repræsentaret.*

His unum addo Junilium Africanum Episcopum sæculo sexto, qui commentario in Genesim contestatur, Christum Dominum, *post esum agni typici mysteria nobis sui Corporis & Sanguinis celebranda denuntiasse*. Prætereo HRhabani & aliorum mediæ ætatis Auctorum testimonia idem sentientium.

Hæc tametsi constant apud antiquiores Patres, non tamen insuper habendi sunt Latini recentiores, qui in hac quæstione explicanda magnam diligentiam impenderunt, in varias opiniones distracti. Alii enim, quos inter Paulus Brugensis, Jansenius Gandavensis Episcopus, Maldonatus, Zegerus, & aliqui nonnulli, Christum alio die, alio die Judæos Pascha celebrasse, utrosque tamen cum legalibus cibis, contendunt. Et hi quidem etiam in duas partes dividuntur, quibusdam asserentibus Christum anticipasse legitimum tempus, aliis dicentibus ipsum statuto die Pascha peregisse : at Judæos in sequentem diem transtulisse. Hanc verò istius translationis afferunt causam:

ſam: quoniam apud Judæos conſtitutum vigebat, ut ob incommoda quædam ſuccedentium ſollemnitatum vitanda, ne umquam Paſcha ſecundo, quarto, aut ſexto hebdomadæ die celebrarent. Eo verò anno quo paſſus eſt Chriſtus, legitimum Paſcha incidiſſe in feriam ſextam; ac proinde translatum à Judæis, propter concurrentem Sabbati diem ſequentem.

Alii negant Chriſtum ultimum Paſcha legali more peregiſſe, nec azyma, nec alia id genus Paſchalis feſti edulia percepiſſe, quam ſententiam tuetur Marcus Antonius de Dominis in lib. 5. de Republica Chriſtiana cap. 6. à num. 258. ubi ait Chriſtum pridie vigiliæ Paſchalis, id eſt Luna XIII., communem Cœnam cum Diſcipulis percepiſſe, & ex communi ſeu fermentato pane Euchariſtiam ab ipſo inſtitutam.

Inter hos mediam invenit viam Hugo Grotius in Matthæi caput 26. qui etiamſi prædictam Judæorum conſuetudinem de transferendo Paſchate probat, negat tamen ullo certo conſtare argumento, diem feſtum azymorum ſeu Paſcha in feriam ſextam incidiſſe eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt. Immo etiam ſi id contigiſſet, eam legem tam juſtam eſſe, ut neque Chriſtus ab ea receſſurus fuiſſet, neque diſcipuli ipſum de parando Paſchate ante diem hac conſtitutione præfixum interrogaſſent. Quapropter Grotius ipſe cenſet, anticipatum à Chriſto Paſcha, non quidem θύσιμον plenum & ſolemne, quod mactatione agni & aliis ritibus lege præſcriptis peragebatur, id quod nefas erat extra locum ac tempus conſtitutum: ſed μνημονευτικὸν ſeu commemoratorium, quod ſolo eſu panum azymorum, & lactucarum agreſtium conſtabat, quale etiam nunc Judæi agunt.

De variis hiſce Latinorum recentiorum ſententiis judicium ferre non eſt hujus loci. Ut rem brevi expediam, duo mihi hac in controverſia certa eſſe videntur. Unum, Chriſtum, non dimidiatum, ſed integrum ac ſollemne Paſcha expleviſſe, ſive illud anticipaverit, ſive tranſtulerint Judæi. Nam cùm Diſcipuli Dominum de parando Paſcha interrogaverunt, iſque eos miſit ad illud parandum; nihil eorum excepit, quæ lex præſcribebat. Deinde mittens eos ad hoſpitem, in cujus diverſorio Cœnam paraturi erant, eis ſuggerit hæc verba hoſpiti ex ſe dicenda: *Apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*. Quod ſanè eo modo intellexit, quo vulgus & hoſpes ipſe intellecturus erat. Ad hæc, cùm ipſe in cœnaculum ſubiiſſet, omnibus de more paratis, dixit deſiderio deſideraſſe ſe *hoc Paſcha* manducare cum Diſcipulis ſuis antequàm mortem pateretur. *Hoc Paſcha*, inquit, quale ſcilicet à Diſcipulis paratum conſpiciebatur: non ut in eo ſiſteret, ſed ut umbræ ſubſtitueret veritatem. Id inquam, mihi certum & exploratum videtur, ſive Paſcha præverterit Chriſtus, ſive Judæi illud tranſtulerint. Nam Chriſtum eodem die quo Judæos omnes, illud celebraſſe, Johannis teſtimonio contrarium videtur.

Alterum eſt, ſive Chriſtus Paſcha legale ſervaverit, ſive illud prætermiſerit; ſive azymis in ultima cœna uſus fit, ſive abſtinuerit; antiquos tamen, id eſt primos Eccleſiæ Patres, in ea fuiſſe perſuaſione, Chriſtum in azymis Paſcha illud celebraſſe, & Euchariſtiam poſt eſum Agni inſtituiſſe. Quæ perſuaſio id obtinere potuit à primis Eccleſiæ Rectoribus, ut conſtituendâ Eccleſiaſticæ diſciplinæ formâ morem induxerint Euchariſtiam conficiendi in pane fermenti experte, quod abfuiſſe à Dominica Cœna perſuaſum habebant.

CA-

CAPUT II.

Exemplo Christi non imponi necessitatem consecrandi in Azymis.

ETsi Christi Eucharistiam instituentis cùm voluntas, tum exemplum pro lege sint: nonnulla tamen hinc excipi necesse est, quæ vel pro temporis, vel pro personarum inter quas degebat respectu observavit. Quòd pane triticeo, quòd vino aquâ temperato, quòd certis verbis usus est; ea prætermitti vetat religio, ipsiusque Sacramenti natura; quòd semel, & quidem in Paschate, quòd post legalem cœnam, quòd in azymo pane id fecerit; ea vel in medio relicta, vel nullo modo in exemplum trahenda esse voluit. Hinc est quòd citra Dominici exempli injuriam statuit Ecclesia, idque *placuit Spiritui Sancto*, quemadmodum docet Augustinus in epistola 118. ad Januarium, *ut in honorem tanti mysterii in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm ceteri cibi*. Etsi enim *Salvator*, ut idem sanctus Doctor paullò pòst subdit, *quò vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat; non præcepit tamen quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur; credo quòd eum morem nemo variasset*. Sed tamen, ut eodem loco monuit Augustinus, *probabilis quædam ratio delectavit, ut uno die certo per annum, quo ipsam Cænam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguis Domini*.

Idem fere de azymis contigit. Quia enim Christus azymo pane in Eucharistia instituenda usus est; eum morem observavit Latina Ecclesia, non ob exempli necessitatem, sed ad *insigniorem* Dominici exempli *commemorationem*. At quia Christus ex occasione tantùm Paschalis festi azymum panem fermentato prætulerat; Græcis visum est non teneri se hac in parte exemplo Christi, nec novæ legis libertatem Judaïco ritui subjiciendam. Utraque consuetudo legitima, utraque probabili ratione fulta: tametsi prior tum ob exemplum Christi, tum ob mysterii convenientiam alterâ potior esse videtur.

Et verò utriusque Ecclesiæ consuetudo ab alterius societatis hominibus prudentibus semper probata est, etiam post conflatum schisma Michaëlis Cerularii, qui ea de re primus Latinos in causam traxit. Humbertus Cardinalis, etsi pro ingenii sui fervore duriùs Græcis respondere solitus sit, salvam tamen reverentiam Corporis Dominici *in fermentato & in azymo* fatetur in responsione ad Michaëlem Cerularium. Hinc Gregorius Papa VII. in lib. 8. epistola 1. *Nos verò*, inquit, *azymum nostrum inexpugnabili secundùm Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec reprobamus*. Anselmus Cantuariensis Episcopus à Waleramo Nuembergensi Antistite interrogatus, quid de Græcorum fermento sentiret, ita respondit: *De sacrificio, in quo Græci nobiscum non sentiunt, multis Catholicis rationalibus videtur, quia quod agunt, non est contra Fidem Catholicam. Nam & azymum & fermentatum sacrificans, panem sacrificat - - - Non enim differunt azymus & fermentum substantialiter, ut quidam putant*. Et infrà. *Postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus, & azy-*

& azymam Christi carnem comedimus; non est nobis necessaria illa vetus figura in pane, de quo carnem ipsam conficimus. Apertissimum tamen est, quia melius sacrificatur de azymo, quàm de fermentato: tum quia valdè aptiùs, & puriùs & diligentiùs fit: tum quia Dominus hoc fecit. CAP. II.

Non minùs sincerè Guibertus Abbas de Novigento in lib. 1. de Gestis Francorum cap. 2. obliquè defendit Græcos, quòd ex panibus fermentatis Eucharistiam conficiant: Nimirum *quòd veteribus caremoniis Dominus finem ponens, postquam cum azymis agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat, nec secundùm legem quam implebat, induci tunc poterat, Corporis sui Sacramenta contradidit; azymorum illatio quæ tunc adfuit necessitati, non eis videtur ad institutionem pertinere mysterii. Sicut buccellæ intinctio, non Sacramenti peragendi, sed Judæ proditionis fuit ostensio*. Eadem est sententia omnium Theologorum cùm recentium, tum antiquorum: quibus accedit Concilium Florentinum, cujus auctoritate probata est Græcorum consuetudo.

Eodem animo affecti sunt Græci prudentiores ac moderatiores quique in Azymum Latinorum. Theophilactus in oratione ad Nicolaum Diaconum, cujus orationis fragmentum exstat in lib. 5. Juris Orientalis, intempestivum zelum suorum, qui Latinis varios ritus à Græcanicis discrepantes, in his Azymorum usum improperant, graviter reprehendit; eumque secutus Demetrius Chomatenus Episcopus Bulgarorum. Græcus Theotianus in epistola ad Sacerdotes qui in montanis degebant, ait supervacaneum esse contendere, num sacra mysteria ex Azymo, an ex Fermentato fiant. Mihi verò præ ceteris laudanda videtur modestia Barlaami Hieracensis Episcopi in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, qui cùm usum utriusque panis probasset, hæc addit. *Latinos verò in tantum prudentiores æstimo, quòd illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur.* Denique ut alios complures omittam, Gregorius Protosyncellus in Apologia adversùs epistolam Marci Ephesini, ἀδιάφορον seu indifferens æstimat Sacrificium, sive in azymo, sive in fermentato pane conficiatur.

Ex his intelligere licet, controversiam de azymo & fermentato pane Sacrificii, esse quæstionem historici facti: utrumque pro varia temporum ac locorum consideratione usurpari ab Ecclesia potuisse. Et quidem suum cuique societati morem servandum; nec inter eos qui diverso pane utuntur, lites hac de re serendas.

Quapropter immoderatum eorum zelum ferre non possum, qui nefas putant dubitare, an Ecclesia Latina alium panem adhibuerit quàm azymum, quasi aut necessaria lege azymis addicta fuerit ab initio, aut ad fidei dogmata pertineat azymorum usus. Quæ sanctior constitutio esse poterat, quam quæ ab Apostolis dictante Spiritu Sancto facta est, abstinendum esse à sanguine & suffocato? Et tamen lex illa quæ per multa sæcula in Ecclesia viguit, servari tandem desiit. Quidni etiam in azymorum usu idipsum contingere potuit? Quod si potuit, cur ea de re quæstionem movere non licet?

CAPUT III.

An Græci ab initio Ecclesiæ fermento usi sint.

ETsi Beda in historiæ suæ lib. 4. cap. 1. auctor est, Græcos *Fidei contraria admiscere solitos*; tamen Glaber Rodulfus in lib. 5. cap. 1. eos laudat hoc nomine, quòd apud eos *semper tenor Ecclesiasticus cautissimè viguerit*. Atque ut proclives fuerint ad nova dicenda; certè rituum suorum eos semper retinentissimos fuisse constat. Hinc nobis primo loco inquirendum est, an fermenti usum, quem Latinæ Ecclesiæ tanto molimine ab undecimo sæculo imponere conati sunt, ab ortu Ecclesiæ tenuerint: an verò receptis aliquando azymis, postea fermentatos panes admiserint. Varias hac de re Auctorum sententias, tum rem ipsam consideremus.

Innocentius Papa III. in lib. 4. de Missa cap. 4. existimat, Græcos, *postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temerè mutasse*, scilicet loco azymorum adhibendo panes fermentatos. Jacobus de Vitriaco in historiæ Occidentalis cap. 38. iisdem fere verbis eamdem exponit sententiam, nimirum Græcos post secessionem à Latinis, defecisse ab usu azymorum, *ne Romanorum Ecclesiam imitari viderentur*. Quo de Schismate loquantur, de Photiano, an de illo quod per Michaëlem Cerularium conflatum est, neuter explicat. Hanc sententiam amplexi sunt plerique recentiores Latinorum.

Ex Græcis Barlaamus ineunte sæculo XIV. Episcopus Hieracensis, in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, existimat fermenti usum apud Græcos ab initio invaluisse, uti azymorum apud Latinos. *Quoniam*, inquit, *Apostoli eadem nobis tradentes mysteria non distinxerunt sive fermentatum, sive azymum; Orientalis Ecclesia continuò cepit fermentatum, Occidentalis verò azymum, eo quòd gerit imaginem puritatis, sinceritatis & veritatis*. Eadem est sententia Gregorii Protosyncelli in responsione ad epistolam Marci Ephesini, ubi ait Græcos fermento ab exordio usos, eam semper consuetudinem retinuisse.

Contrà verò Cortesius Brana Mazaracenus, Græcarum litterarum Professor in publico Gymnasio Neapolitano, in libello de Græcæ & Latinæ Missæ consensu, docet cum Soto in 4 sententiarum, utramque Ecclesiam initio sacratissimam Eucharistiam in azymis confecisse: sed postea ob hæresim Hebionitarum, qui legalia servanda esse volebant, abjecisse azymos panes; tum hæresi exstincta Latinam rediisse ad azymos, Græcam verò in fermenti usu perseverasse.

Expositis Auctorum variis sententiis, observandum est, Orientalem Ecclesiam ab ipso nascentis Christianæ religionis principio habuisse ritus ab Occidentali diversos. Cui rei argumento est tum controversia de Paschate, quæ inter Asiaticos & Victorem Papam efferbuit, tum Irenæi Episcopi Lugdunensis epistola, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in historiæ suæ lib. 5. cap. 24. Scribit quippe in ea epistola Irenæus, „ beatum Polycarpum Anice- „ ti Papæ temporibus Romam venisse, atque inter illos cùm de Paschate,

„ tum

„ tum de quibuſdam aliis rebus modicam fuiſſe controverſiam : ac ſtatim „ mutuo pacis oſculo ſeſe complexos, communicaſſe ſibi invicem, & Anicetum in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris causâ conceſſiſſe „.
Etſi verò non exprimit Irenæus, quænam fuerint alia illa capita, in quibus Anicetus à Polycarpo diſſidebat; conjecturæ tamen locus eſſe poteſt, in his fuiſſe diſcrimen panis Euchariſtici, quem utraque Eccleſia diverſum adhibebat.

Hanc conjecturam juvat Origenis auctoritas in Matthæi caput 16. ad verſum 16. ubi de fermento Phariſæorum agens, ait fermentum non ſolùm ſumi pro doctrina, ſed etiam pro aliis rebus tam in veteri, quàm in novo Teſtamento. Tum ſubdit, ἆρα δὲ μήποτε ζύμη οὐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον; *An non & aliquando fermentum offertur ſuper altare?* Etſi enim non planè certum ſit, num potiùs de novo loquatur quàm de veteri Teſtamento, in quo fermentati panes nonnumquam offerebantur ex Levitici capitibus 7. & 27.; tamen potiùs de novo intelligendus videtur ex eo quòd uſus ſit verbo temporis præſentis. Accedit quod in tractatu 35. in Matthæum imperitis nonnullis occurrit, quibus in mentem venire poſſet, exemplo Chriſti Paſcha Judaico more & azymorum diem celebrandum. Quibus reſpondet ea omnia non jam re ipſa, ſed ſpiritali ſenſu exercenda eſſe. Quod etſi de tota ritus Paſchalis obſervatione dictum videri poſſit; tamen ad removendum etiam azymorum uſum extendendum videtur. Idem dicendum eſt de Johanne Chryſoſtomo, cujus conſimilia verba ſunt in homilia de proditione Judæ.

Aliud teſtimonium pro antiquo fermenti uſu apud Græcos deſumi poteſt ex Chronico MS. Datii Mediolanenſis Epiſcopi, qui medio ſæculo ſexto vixit. Quo in Chronico S. Ambroſius *Græcorum Eccleſiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus* fuiſſe dicitur, *& ſacrificium eorum, ſcilicet fermentatum, cum noſtro azymo in celeberrimis feſtivitatibus, maximè in Reſurrectione Domini benedixiſſe*. Si verò fermentati panis uſus apud Græcos receptus erat Ambroſii ætate; credere par eſt morem hunc ex primaria Græcorum Eccleſia deſcendiſſe. At quoniam de hujus Chronici auctoritate dubitant nonnulli, quibus ſuppoſiticium & recentioris ævi eſſe videtur, de eo ampliùs in conſequentibus agendum. Interim noto, Chronicon iſtud, etſi recentioris ſit Auctoris, non tamen continuò rejicienda eſſe quæcumque in eo leguntur, maximè ſingularia facta, quæ non niſi ex antiquioribus monumentis accipere potuit ille quicumque eſt auctor.

Verùm luculentum eſt de Græcorum fermento Johannis Philoponi teſtimonium in diſputatione de Paſchate, in qua, ut jam dixi, auctor probare nititur, Chriſtum in ultima Cœna non celebraſſe Paſcha legale, neque agnum aut azyma comediſſe : tum Euchariſtiam non ex azymo pane, ſed ex fermentato confectam fuiſſe. Nam propoſita ſibi objectione eorum qui dicebant, Chriſtum Euchariſtiam Diſcipulis præbuiſſe primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, ſimulque agnus comedebatur & azymum cum herbis amaris; reſpondet eos ex hoc ipſo maximè refutari, οὐδὲν γὰρ, inquit, ἐν τῷ δείπνῳ γέγονε τούτων, ὡς ἤδη εἶπον, οὐδὲ ἄζυμον ἄρτον ἀντίτυπον τοῦ ἰδίου σώματος τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἔδωκεν ὁ Χριστός. ἐγίνετο γὰρ ἂν καὶ μέχρι νῦν. εἰ δὲ ἦν πρώτη τῶν ἀζύμων ἐκείνη, ἀδύνατον ἦν ζυμωτὸν ἄρτον αὐτοῖς εὑρεθῆναι. Ideſt. *Nam nihil horum in Cœna contigit, ut jam dixi, neque azymum proprii corporis antitypum diſcipulis ſuis Chriſtus dedit. Nam & hoc etiam nunc fieret. Si autem illa fuiſſet prima dies azymorum, non potuiſſet reperire fermentatum.* Ex Philoponi verbis clarum eſt, ſuo tempore Græcos, non azymum, ſed

CAP. III. fermentatum panem in rem sacram adhibuisse, quandoquidem ait, si Christus in azymo Eucharistiam Discipulis suis porrexisset, fore ut id etiam tum in Ecclesia fieret. Ex eo verò quod secus res se haberet, infert Philoponus, Christum non legali more Cœnam in azymis peregisse. Præterea satis apparet Philoponi mentem esse, numquam in Ecclesia Græca panem alium, quàm qui tunc usui erat, hoc est fermentatum, adhibitum fuisse. Nam si mutationem aliquando factam azymi panis in fermentatum agnovisset, nihil conficeret ejus argumentum. Jam ergo Philoponi ætate, id est sub finem sæculi sexti (nam Justino secundo imperante scribebat) fermenti usus ante memoriam omnem apud Græcos invaluerat.

Hinc est quòd Latini exorto schismate Michaëlis Cerularii cùm azymum panem fermentato jure præferri posse contenderent; nusquam tamen (si bene memini) Græcos admissæ novitatis insimularunt, quasi recepto quondam azymo fermentatum posteà induxerint. Quod argumento est Latinos in ea fuisse persuasione, Græcorum fermentum a primis temporibus obtinuisse. Denique Humbertus Cardinalis in responsione ad Nicetam apertè innuit, tempore sextæ Synodi, id est sub finem sæculi septimi, quæ anno DCLXXX. habita est, Græcos alio pane usos fuisse quàm Latinos: at Romanæ Sedis Legatos morem suum utendi azymis Constantino Imperatori approbasse.

His addi possunt & aliæ conjecturæ, nimirum quòd Photius in epistola 64. agnoscit differentiam & dissimilitudinem per varias Ecclesias ἐν ταῖς μυστικαῖς θυσίαις, *in mysticis sacrificiis*, quod de pane Eucharistico etiam intelligi potest, siquidem sanctus Nicon, non integro post Photium sæculo elapso, reprehendit Armenos, quòd azymis uterentur contra morem Græcorum. Ad hæc, quòd Græci ante schisma Photianum pane eodem modo formato, scilicet denso & integro, iisdem omnino instrumentis atque ritibus utebantur in Liturgia sacra, quibus etiam nunc utuntur. Instrumenta præcipua sunt λόγχη, δίσκος, ἀστὴρ, quæ Johannes Chrysostomus in Liturgia sua & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Contemplatione sua commemorant. Porrò ex eo quòd de pane integro & denso coronulam lanceolâ demebant in sacrificium, colligo panes ab ipsis tum adhibitos fuisse crassos & inflatos, quales in usum communem cedunt, id est fermentatos. Verùm his conjecturis potiora sunt argumenta, quæ ex superiorum Auctorum testimoniis adduxi: ex quibus sola Philoponi auctoritas sufficere videtur ad probandum, fermentum apud Græcos ab initio Ecclesiæ, aut certè propè ab initio, receptum perseverasse ad sæculum septimum: quo ex tempore constat numquam intermissum fuisse.

His tamen repugnare videtur locus apud sanctum Justinum in Dialogo cum Tryphone, ubi oblatio similæ pro eis, qui a lepra purgabantur, quæ infermentata erat, *figura panis Eucharistici* fuisse dicitur, τύπος ἦν τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας. Verùm necesse non est, ut figura in omnibus rei figuratæ respondeat.

CA-

CAPUT IV.

Quali pane utantur aliæ Societates Christianæ.

Moscovitæ & Rutheni, ut Græcorum aliis ritibus, ita fermentato pane utuntur. Alexander Gwagninus in descriptione Moscoviæ observat, mulieres provectæ ætatis, & maximè viduas Sacerdotum relictas, apud Ruthenos conficere panem Sacrificii, quem *Proskura* vocant.

Nestoriani, sic dicti à Nestorio, cujus errores sectantur, *ex fermentato* itidem *divina more Græcorum conficiunt*, testante Jacobo à Vitriaco in historiæ Orientalis cap. 78., adeóque illi qui in terra Presbyteri Johannis commorantur, itidem Nestoriani, quos notat Cassander facere libum magnum aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant; & pro magnitudine crassum dimidio digito aut integro, aut etiam crassiorem magno digito.

Suriani etiam, qui in Syria degunt, Græcorum erroribus involuti, ex fermentato pane conficiunt Sacramenta, auctore Jacobo à Vitriaco in ejusdem historiæ cap. 75.

Contra Maronitæ & Armeni, seu Jacobitæ, azymo pane utuntur: in calicem verò nihil aquæ admiscent Armeni. Juverit hoc loco notare, Armenos in Eutychianorum hæresim Theodosio imperante prolapsos fuisse, ut docent nos epistolæ Procli Constantinopolitani Episcopi & Dionysii Exigui, qui Procli epistolam Latinam fecit. Ab eo tempore azymo pane & solo vino usi videntur in re sacra, uti ipsi tradunt Armeni. Certè quòd solum vinum adhiberent aquâ rejectâ, damnati sunt ab Episcopis auctoribus Canonum in Trullo editorum post Synodum sextam, ut patet ex Canone 32., in quo graviter reprehenduntur, quòd *οἶνον μόνον* in mensa sacra offerrent. Quo in loco etsi nulla panis azymi fiat mentio, tamen ipsos jam eo usos fuisse res certa videtur. Primus eos ob usum azymi arguit sanctus Nicon, natione & ipse Armenus, qui medio sæculo decimo floruit. Nam inter varios errores quos in ipsis carpit, unus est, quòd in *pane mystico utantur azymis, & in sanctum calicem aquam non immittant*. Ex quo intelligitur, Patres Trullanos azymi usum inter ἀδιάφορα reposuisse, cùm eum Armenis non objecerint. Ideóque formulam illam confessionis Fidei, quam Græci ab Armenis ad Græcorum Ecclesiam redeuntibus exigebant, prout ab eruditissimo Johanne Baptista Cotelerio edita est, conditam esse post schisma Michaëlis Cerularii. Nam inter varios anathematismos quos proferunt resipiscentes, hic legitur: *εἴ τις οὐ βάλλει εἰς τὴν προσφορὰν ζύμην καὶ ἅλας, οὐδὲ ἅγιον ποτήριον* (legendum *οὐδὲ ὕδωρ εἰς ἅγιον ποτήριον*) *μετὰ τοῦ οἴνου, ἀνάθεμα*. Id est. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit*. Hæc, inquam, formula, in qua fit mentio septimæ Synodi, condita videtur post schisma Michaëlis Cerularii; quo ex tempore Græci Latinos ob azymorum usum diris devovere cœperunt. In hac verò formula cum legitur, Armenos ad Fidem *Orthodoxorum Romanorum* revertentes, eam *Renuntiationis* formulam edere solitos; *Romanorum* nomine intelligendi sunt homines Græcæ communionis, sic dicti ab incolis novæ Romæ, quæ caput

est

CAP. IV. est Imperii Orientalis. Sic Græcos *Romanos* vocat Theorianus in dialogo adversùs Armenos, tametsi post schisma edito, & alii permulti. Denique Armenis ob sectam Eutychianam proprius non est usus azymorum, siquidem Johannes Philoponus, & ipse Eutychianus, fermenti usum in re sacra probat, ut superiùs vidimus.

Præter hos Mozarabes, sive Gothi in Hispania degentes, Mozarabes dicti, quòd postea permisti sint Arabibus Saracenis, etiam azymo pane usi sunt ab antiquo, ut fusiùs in consequentibus demonstrabo. Usi sunt etiam Hierosolymitani, ut probat Humbertus Cardinalis in responsione ad Michaëlem Cerularium.

CAPUT V.

Variæ sententiæ de Azymo Latinorum.

Mirum est quàm variæ sint opiniones de Azymorum usu in Ecclesia Latina. Quinque Auctorum classes invenio hac in re ab sese dissidentium. Prima est Græcorum quorumdam. Secunda Latinorum eorum, qui tempore aut proximè post tempus schismatis à Michaële Cerulario conflati vixerunt. Tertia est Scolasticorum veterum ac recentiorum, qui non omnes inter se conveniunt. Quarta est Martini Poloni, Platinæ & Johannis Calvini. Quinta Jacobi Sirmondi, quam Eminentissimus Cardinalis Bona aliquomodo temperavit, uti jam satis exposita est.

Græci nonnulli, quos Allatius in Exercitatione 28. in Concilium Florentinum commemorat, eam iniere sententiam, azymum in Latinam Ecclesiam introductum fuisse regnante Carolo Magno. In his Demetrius Chomatenus Bulgarorum Archiepiscopus, cùm nullum Canonem pro admittendo azymo conditum à Latinis animadvertisset, Azymi usum in Ecclesia Latina non nisi post schisma Photii invaluisse putavit, quæ est ipsamet Sirmondi sententia. At observare juvat, neminem Græcorum, qui initio schismatis Michaëlis Cerularii scripsere adversùs Latinos, recentiorem azymorum usum in Ecclesia Latina umquam causatum fuisse: quod solis recentioribus Græcis venit in mentem.

Latini è contrario qui fervente prædicto schismate Græcis azymum obtrectantibus responderunt, azymorum usum ab initio Ecclesiæ apud se viguisse aut supponunt, aut probant, nemine Græcorum (quod sciam) reclamante. In primis Leo Papa nonus in epistola ad Michaëlem Cerularium de azymis duo docet, nempe Christum in instituenda Eucharistiâ usum fuisse azymis, & ipsius exemplo hunc morem Latinis receptum ab initio tenuisse. Hoc quod posterius dixi sic urget Pontifex Michaëlem alloquens. *Illud autem quis non stupeat, quòd post tot sanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti à Passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans (in eos) quicumque participarentur ex azymis?* Hinc colligo Leonis mentem fuisse, azymorum usum in Ecclesia Latina exstitisse à passione Salvatoris ad mille annos, id est à condita Ecclesia ad suum usque tempus. Cùm enim conqueratur Leo, quòd *post mille & viginti à passione Salvatoris annos* præter Michaëlem inventus sit nemo, qui Latinos ob azymorum usum reprehendere ausus sit; consequens est eos

per

per totum illud tempus azymis usos, aut saltem Leoni ita persuasum fuisse, alias nihil valeret ipsius argumentum adversùs Michaëlem. Neque enim calumniæ occasionem præbere potuisset usus ille, si nondum exstitisset. Eam porrò esse Leonis mentem, neque de jure, sed de facto explicari posse, patet ex epistola 1. ad eumdem Michaëlem, in qua scribit, omnes quotquot ab instituta Ecclesia exstitere Martyres apud Latinos, *azymis*, id est Eucharistia in azymis consecrata, *faginatos* fuisse: & paullò antè innuit, Latinorum hunc morem ex sancti Petri institutione descendisse; *Quapropter*, inquit, *à tanta amentia jam resipiscite, & Latinos verè Catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare*.

Eadem fuit sententia Humberti Cardinalis in responsione ad Michaëlem dicentis, Ecclesiam Romanam ad suum usque tempus non cessasse ab usu azymorum: & in responsione ad Nicetam, *traditionem* esse *Apostolicæ sedis*. Consentiunt Algerus in lib. 2. cap. 3., qui omnem Ecclesiam præter Græcam ex traditione Principum Ecclesiæ Petri & Pauli in azymis celebrasse; Hugo Tuscus seu Eterianus, qui in lib. 2. de Hæresibus cap. 17. Ecclesiam Latinam azyma perpetuò immolasse; & Rupertus in lib. 2. de divinis Officiis cap. 22., qui Ecclesiam Romanam censet fermentum in sacrificio numquam adhibuisse.

Ejusdem traditionis ineunte sæculo XIII. propugnator fuit Innocentius Papa III., qui de Latinorum azymis agens, eorum perpetuum usum defendit in lib. 4. de Missa cap. 4. *Ab ipsis ergo*, inquit, *beatis Apostolis Petro & Paulo; quos & vivos habuit (Romana Ecclesia) & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolab li cultu servavit*.

Innocentio è vestigio successit Scholasticorum ætas, quorum opinio de azymo Latinorum est, ejus usum ab initio nascentis Ecclesiæ incœpisse: postea verò ingruente Ebionæorum hæresi, qui legalia observari oportere docebant, præceptum fuisse, ut rejectis azymis fermentum admitteretur, tum desinente hæresi, Latinos ad azyma denuo rediisse. Hujus præcepti Leonem Papam alii dicunt auctorem, alii non auctorem sed testem afferunt, alii nec testem, nec auctorem. In primis est Johannes Duns Scotus in 4. distinct. 11. quæst. 5. *Sub Papa Leone*, inquit, *fuit hæresis servans legem cum Evangelio. Et tunc ne viderentur Latini servare legem Judæorum, præceptum fuit conficere in pane fermentato. Sed post quando rediit Fides & invaluit, usi sunt Latini pane azymo, sicut priùs*. Idem sentit Richardus in eumdem locum.

In secundo ordine est Alexander Alensis in 4. quæst. 32. membro 3. ad ultimum: eumque secutus Bonaventura totidem verbis; & S. Thomas in prolixiori Commentario in 4. distinct. 11. quæst. 2. art. 2., qui Auctores testem afferunt Leonem Papam dicentem, imminente hæresi Ebionitarum sanctos Patres præcepisse, ut sacrificium ex fermentato conficeretur ad tempus.

Denique Durandus in 4. distinct. 11. quæst. 4. in corpore ait, Apostolos in primitiva Ecclesia usum azymorum tenuisse, & ab iis hunc morem accepisse Ecclesiam Romanam. Posteà incidente hæresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, sanctos Patres ne eis consentire viderentur, voluisse ad tempus hoc Sacramentum ex fermentato confici: at cessante hæresi Ecclesiam Romanam ad pristinum rediisse morem, Græcos verò noluisse redire. Hæc de placitis Scholasticorum veterum, quibus recentiores plerique, alii aliis pro sua quisque secta, adhærent. Johannes Ger-

CAP. V. Gerson in tractatu de Communione censet, Latinos quondam Sacerdotes confecisse Eucharistiam in fermentato; at quo tempore, quave occasione, non exprimit.

Aliam iniere viam Historici quidam recentiores, nimirum Martinus Polonus, & Platina, quibus Johannes Calvinus adstipulatur. Ex his primus ad annum C.XXXII., ubi de Alexandro Papa agit, hæc habet. *Hic etiam statuit ut vino aqua misceretur .... & ut oblatio fieret ex azymo & in modica quantitate, dicens: Hæc oblatio quanto potior, tanto rarior.* Nescio an ex eodem fonte Barlaamus Hieracensis Episcopus, Martini fere æqualis, idem tradit in epistola de unione utriusque Ecclesiæ. Platina id ab Alexandro statutum dicit, *ut Ebionitis Hæreticis calumniandi occasio auferretur.* Et Calvinus in Institutionum lib. 4. *Fermentum*, inquit, *& vulgatum panem fuisse ante tempus Alexandri Romani Episcopi narrant historiæ, qui primus azymo pane delectatus est. Qua id ratione, non video, nisi ut plebis oculos novo spectaculo in admirationem traheret magis, quàm ut animos proba religione instrueret.* Eidem sententiæ accedit Radulfus Tungrensis de canonum observantia cap. 23.

Tam pugnantes hominum sententias retulisse huc saltem juverit, ut intelligant omnes, quam intricata sit controversia de azymo, quantis ambagibus involuta: tum quantum intersit, non ex trivio falsarum traditionum, aut ex suppositiciis auctoribus, sed ex optimis antiquitatis monumentis eruere veritatem. Quam viam quicumque non tenuerunt, in supinos & insignes errores delapsi sunt. Ætate veterum Scholasticorum circumferebantur nescio quæ scripta seu decreta Leonis & Alexandri, spuria certè, sed nondum notæ falsitatis: quibus adducti Auctores superiores, varias de azymo sententias tenuerunt. Forsan etiam qui dixere occasione Hæresis Ebionicæ cautum fuisse ut cessaretur ab azymo, huc inducti sunt auctoritate sancti Epiphanii. Cùm enim apud Epiphanium legerent Ebionæos erroris notatos, quòd mysteria offerrent ex azymo & aqua sola; putaverunt azymorum usum ea occasione rejectum ab Ecclesia fuisse. Et quia persuasum habebant, morem utendi azymis apud Latinos à Christi exemplo descendisse; hanc demum invenerunt conciliandæ difficultatis viam, ut azymum propter Ebionæos ab Ecclesia rejectum seu intermissum dicerent: posteà verò cessante hæresi prædicta restitutum. Verùm de Epiphanio postea.

CAPUT VI.

Quædam testimonia dubiæ fidei pro Azymo Latinorum expenduntur.

IN omni controversia, ut vera à falsis, sic certa ab incertis & dubiis secernere juvat. Hinc est quòd minùs peritis morem gerens, qui ad hæc tractanda rudes & imparati accedunt, hoc loco seorsim institui agere de nonnullis testimoniis aut falsis, aut dubiis, quæ pro azymo afferri possunt: ne si ea tacitus prætermisero, fiat ut incauti vel dubiis plus æquo fidem adhibeant, vel falsis seducti in errorem labantur.

In dubiis primum occurit Chronicon quod sub nomine Datii Mediolanensis Episcopi in Bibliotheca ejusdem Ecclesiæ adservatur: quo in Chronico

nico hæc de sancto Ambrosio leguntur. *S. Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui & sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maximè in Resurrectione Domini benedicebat.* Si de hujus Chronici auctoritate constaret, luculentum haberemus testimonium ad probandum, Latinam Ecclesiam tempore Ambrosii in azymo consecrasse. At viri docti nonnulli Chronicon istud recentius esse putant Datio Episcopo, qui Vigilio Papa sedente, hoc est ante medium sæculum sextum, Mediolanensem Ecclesiam regebat. Causam cur istud Chronicon Datio abjudicaretur, sedulò inquisivi, tum scriptis ad amicos litteris, tum petito ejus exemplo ex Mediolanensi Bibliotheca, ut lectione Chronici rei veritatem expiscari possem. Verùm nihil aliud ea de re mihi rescire licuit præter ea, quæ mox adducam, neque hactenus exemplum expetitum accipere. Quo fit, ut de hujus Chronici auctoritate mihi certò pronuntiare non liceat.

Illud in primis suspectum reddit Opus istud, quod refert Antonius Possevinus de hoc Chronico, in quo scilicet ait „ scriptum exstare, Canticum „ *Te Deum laudamus* à sanctis Ambrosio & Augustino statim à baptismo ejus„ dem Augustini alternatim & ex tempore cantatum fuisse, atque inde ab „ universa Ecclesia frequentari cœpisse „. Quæ res nonnullis suspecta, ne dicam falsa videri possit, & ab recentiori quodam auctore inventa. Quamquam in MS. libro Psalmorum, quem Carolus Magnus ad Hadrianum Papam misit, cujus autographum exstat in Cæsarea Bibliotheca, habetur Canticum istud cum hoc titulo: *Hymnus quem S. Ambrosius & S. Augustinus invicem condiderunt.* Quod ut parum certum sit, hinc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius Cantici non esse admodum novam & recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paullò post receptam.

Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum, ubi de hoc Cantico agit, duobus movetur argumentis ad Chronicon istud Datio subtrahendum: nempe & quòd Augustini conversio in eo Chronico aliter, quàm à Possidio & ab ipso Augustino referatur: & quòd Chronicon à nullo auctore citatum legatur. Verùm ut prius ita sit, non raro Auctores etiam æquales in unius ejusdemque facti narratione discrepant. Posterius inde refellitur, quòd Chronicon istud sub nomine Datii citatum videatur, tum apud Paulum Diaconum in historiæ Miscellæ libro 16., tum apud vulgatum Anastasium de Gestis Pontificum in Silverio Papa, ubi tempore hujus Pontificis fames ingens sæviisse memoratur *ex relatione Datii Episcopi Mediolanensis*. Quæ res si in prædicto Chronico legatur, fatendum est, aut Datium ejus esse auctorem, aut certè aliquem alium Paulo Diacono, id est octavo sæculo superiorem; ejusque persuasionem fuisse, azymorum usum ævo Ambrosii viguisse apud Latinos.

Demum etiamsi Chronicon istud ævi sit recentioris, non tamen continuò respuendum est quidquid in illo continetur: tum quia Auctor, quisquis tandem ille sit, id ex veteribus monumentis accipere potuit: tum quia hoc ipsum quod de azymo in eo legitur, ex Missa Ambrosiana pondus habere videtur. In hac enim ubi de oblatione panis agitur, orationi præmittitur hic titulus apud Pamelium: *Oblatio panis azymi cum patena*. Porrò Missæ hujus quæ Ambrosiana dicitur, Auctorem agnoscit S. Ambrosium Walafridus Strabus in lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. *Ambrosius*, inquit, *Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quàm cæterorùm dispositionem Officiorum suæ Ecclesiæ & aliis Liguribus ordinavit, quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Neque verò

rò facile dicendum est titulum prædictum à recentioribus insertum fuisse, nisi id probetur idoneis argumentis.

Inter suppositicia pro azymo testimonia censendum est fragmentum epistolæ sub nomine Gregorii Papæ, partim à sancto Thoma Aquinate relatum in Summæ 3. parte, fusiùs verò in ejusdem Catena super Matthæum his verbis : *Gregorius in registro. Solet autem nonnullos movere, quòd in Ecclesia nonnulli offerunt panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine ulla commistione suscepit carnem. Aliæ verò Ecclesiæ offerunt fermentum, pro eo quod verbum Patris indutum est carne, & est verus Deus & verus homo. Nam & fermentum commiscetur farinæ. Sed tamen tam azymum quàm fermentatum dum sumimus, unum Corpus Domini Salvatoris nostri efficimur*. Neque enim hæc verba reperiuntur in registro sive Gregorii Papæ primi, sive Gregorii septimi. Exstat quidem apud Gregorium primum, cognomento Magnum, epistola quædam, nimirum 64. lib. 7. Indictionis secundæ, qua in epistola sanctissimus Pontifex agit de variis ritibus Ecclesiæ cùm Græcæ tum Romanæ, at ne verbum quidem de azymo. Quapropter ex prædicto fragmento nihil certi conficere possumus.

Aliud ejusdem generis argumentum nobis suppeditat epistola quædam Isidori Hispalensis Episcopi ad Redemtum Archidiaconum, in qua hæc verba leguntur. *Innotuisti nobis in animo tibi versari scrupulum, quòd Orientalis Christi Ecclesia ex fermentato pane, Occidentalis ex azymo sacratissimi Corporis Sacramentum conficere consuevit : & quia ipsi Orientales Latinos super hoc reprehendere non verentur*. Tum Auctor Romanæ Ecclesiæ morem approbare, & Græcorum objectis satisfacere conatur. Atqui hæc epistola meritò suspecta videtur, ne dicam spuria. Etsi enim Isidorus Hispalensis Episcopus Redemtum Archidiaconum habuerit, tamen in ea epistola, sicut etiam in præcedenti, multa sunt quæ persuadent commentum esse recentiorum temporum. Nulla enim (ut cetera dissimulem) Orientales inter & Occidentales controversia fuit de azymo ante sæculum XI., ut constat testimonio in primis Leonis Papæ noni, qui Michaëlem Cerularium novum Latinorum ob azyma calumniatorem post mille & viginti à Christi passione annos exstitisse affirmat.

Inter dubia item argumenta pro azymo, recenseri debet id quod Humbertus Cardinalis in responsione ad Nicetam Pectoratum refert ex quibusdam actis sextæ Synodi, in quibus legebatur, Legatos Apostolicos peracta Synodo a Constantino Imperatore interrogatos, *qualiter Romana Ecclesia de sacrificio Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi ordinem teneret*, „ inter alia „ respondisse, Oblationem quæ in sacrificium altaris offertur, nullam com- „ mistionem aut corruptionem fermenti habere debere, sed debere esse mun- „ dam, juxta quod in gestis Pontificalibus legimus esse statutum „. Tum subdit Humbertus : *Tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis*. Hoc quidem testimonium validum esset ad probandum antiquum usum azymorum apud Latinos ante Synodum sextam, si de horum actorum veritate constaret. Verùm suspecta videntur hæc acta, tum quia in vulgatis sextæ Synodi actis nulla ejus rei mentio reperitur, tum quia in gestis Pontificalibus nihil de azymo à Silvestro Papa statutum legitur, sed tantùm de linteo, quod lineum esse præcepit.

Verumtamen Hilarion Monachus in oratione de pane Græcorum mystico & Latinorum azymo, his Actis nonnihil auctoritatis conciliare videtur, cùm ait, Legatos peracta Synodo Deo gratias acturos, in templo sanctæ Sophiæ sacra ex præscripto Latinorum celebrasse, Græcis omnibus modum sa-

cri-

crificii Latini collaudantibus, Ἐν τῷ ναῷ, inquit, τῆς ἁγίας Σοφίας τοῦ Θεοῦ χαιρομένους ἑορτάζειν λατινικῶς, ἐπαινούντων ὅλων τῶν ἑλλήνων τρόπον τῆς θυσίας λατινικῆς. Id forsan hausit Hilarion ex vulgato Anastasio, qui ita in Agathone Papa loquitur: *Tanta autem gratia divina Omnipotentis concessa est Missis Sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi vel sancti Concilii, qui in regia urbe erant, Johannes Episcopus Portuensis Dominico die Octavarum Paschæ in Ecclesia beatæ Sophiæ Missas publicas latinè celebraret coram Principe & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes & victorias piissimorum Imperatorum eo die Latinis vocibus acclamarent.* Ex quibus verbis intelligimus, Missam ab Legatis Latino more celebratam fuisse: an verò in azymis inde non constat. Hæc de dubiis & falsis argumentis.

CAPUT VII.

Proponuntur conjecturæ & argumenta quædam pro antiquo usu Azymorum apud Latinos.

ANte omnia considerandum est silentium Patrum Latinorum Photii ætate superiorum, qui Eucharistiam ineunte vespera Azymorum, ac proinde in azymis institutam docent, qui cùm facto Christi Domini inhærendum esse in istius Sacramenti confectione dicant; atque in nonnullis ritibus, sicubi obvenit mutatio, rationes factæ mutationis inquirant, nullam tamen de mutato azymo quæstionem movent. Sic ex Patribus antiquioribus complures sollicitè causam indagant, cur à jejunis Eucharistia percipiatur, cùm ab cœnatis Apostolis percepta sit: nullus verò inquirit, cur Ecclesia neglecto azymo prætulerit fermentatum. Quod sanè si contigisset, non omissuri fuisse videntur omnes: cùm magis ad rem Sacramenti accedat fermentum, quàm jejunium aut cœnatio percipientis.

Dices, Patribus antiquis id fuisse exploratum, scilicet Christum tantùm ex occasione & propter morem gentis, azymum ad Eucharistiam adhibuisse: ideóque etsi fermentato pane usi sint, non visum fuisse necessarium inquirere factæ mutationis causam, quæ omnibus aperta erat.

Ad hoc repono etiam Christum ex occasione tantùm & ob morem Judaïcum aquam in calicem immiscuisse. Nam ut Jacobus à Vitriaco observat in historiæ Occidentalis cap. 38. *Vino puro nemo utitur in partibus illis.* Et tamen veteres Patres, Cyprianus in primis in epistola ad Cæcilium, tanta cum religione admistionem aquæ in calicem tuentur exemplo Servatoris, ut secus factitantes pro hæreticis habuerint. Si ergo antiquis illis Patribus persuasum fuit (ut certè constat apud illos) Christum in instituenda Eucharistia usum azymis fuisse; non video cur si aliter id tum fecisset Ecclesia, nemo ejus rei causam aut inquisisset, aut exposuisset.

Affine huic argumentum est quòd iidem illi Patres, qui in primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, cùm agunt de pane sacrificii, ejusque compositionem describunt, nusquam fermenti faciant mentionem. Ex his Cyprianus in epistola ad Cæcilium, & post eum Isidorus Hispalensis Episcopus in lib. 1. de Offi-

CAP. VII. Officiis Ecclesiasticis cap. 18., loquitur in hunc modum : *Sic verò calix Domini nostri Jesu Christi non potest esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur : quomodo nec Corpus Domini potest esse simila sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum , & panis unius compage solidatum* . Eadem verba præter Isidorum repetit Amalarius in lib. 3. de Officiis Ecclesiasticis cap. 19. Sanè cùm Cyprianus hoc loco agat de compositione panis Eucharistici, ejusque partes distinctè explicet; non omisisset fermentum, si panis azymus suo tempore in usu non fuisset.

At, inquis, satis fermentum exprimit cum ait, Corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam; *nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum*. Quod enim copulat, adunat, & solidat, fermentum est.

Verùm huic responsioni obviat Augustinus in sermone 83. de diversis : ubi recens baptizatis exponens mensæ Dominicæ Sacramentum, & singula quæque traducens ad mores, non solùm fermenti non meminit, sed etiam granorum seu pollinis conjunctionem & copulationem non nisi per aquam fieri docet his verbis : *Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent separata erant : per aquam conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem exorcismi Sacramento quasi molebamini. Accessit baptismus & aqua : quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quod ergo significat ignis, hoc est Chrisma*. Augustinus his aliisque verbis accuratè singula distinguit; granorum contritionem, conspersionem & conjunctionem per aquam solam, & coctionem. Altum de fermento silentium satis innuit illud eo tempore inusitatum fuisse. Adde sanctum Doctorem uti vocabulo *conspersi*, quo massam sine fermenti admistione aquâ conglutinatam significari constat, ut inferiùs demonstrabo.

Eodem modo alii Patres loquuntur de compositione panis Eucharistici, quos inter Gaudentius Brixiensis Episcopus in tractatu 2. de Paschate, venerabilis Beda in Lucæ cap. 22., & alii, nulla facta mentione fermenti.

Præterea nulla lex, nullum decretum, nullum legis aut decreti vestigium exstat apud veteres de recipiendo in Ecclesia azymo, neque de mutando fermento, nec de transferendo azymi & fermenti promiscuo usu in azymi communem ritum; quod sanè mirum esset, si aliquando in Ecclesia Latina obvenisset mutatio in pane Eucharistico. Cùm enim sancti Patres tam solliciti fuerint de iis quæ ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent; cùm tot decreta condiderint de altaribus tam fixis quàm mobilibus, de vasis sacratis, deque linteis in Sacrificio usitatis, de Eucharistia piè ac religiosè tum conficienda, tum porrigenda, tum percipienda, tum adservanda; cum tot statutis decreverint retinendam aquæ admistionem in calicem; mirandum certè fuerit, si Latini aliquando abjecto fermento admiserint azymum, id communi consensu factum sine lege fuisse, nemine reclamante aut referente.

Ad hunc locum revocare juvat id quod superiùs observavi ex Missa Ambrosiana, in qua *oblatio panis azymi cum patena facienda præscribitur*. Pamelius quippe hæc verba legit in codice MS. quo usus est in editione istius Missæ, quæ ab antiquis Ambrosio tribuitur : nec facile crediderim mentionem azymi à recentioribus adjectam, quibus dubitatio de offerendo azymo nulla suboriri poterat.

In-

Insuper argumenta quæ inferiùs pro stabiliendo azymorum communi usu ante schisma Photianum adducentur, huc recurrunt. Qui enim azymum probant Auctores illi, id ante omnem memoriam usitatum ostendunt.

CAPUT VIII.

Aliæ probationes ex forma & conditionibus hostiarum, ubi explicantur Canones duo, unus Concilii secundi Turonensis, alter Toletani XVI.

OBlatas seu hostias minutas ac tenues sæculo nono fuisse, quales fere modò adhibemus, hinc patet, & quòd *rotulæ* appellantur apud Isonem Monachum Sancti-Gallensem, & quòd intra ferrum characteratum conficiebantur. Modicas verò atque exiles longè ante istud tempus fuisse colligo tum ex Concilio Toletano XVI., tum ex figuris nonnullis, quæ in antiquis numismatibus hactenus supersunt. Tres nobis exhibet Claudius Boterovius, de republica litteraria bene meritus, in collectaneo veterum numismatum Francorum, omnes Chariberti Francorum Regis, qui regnare cœpit anno D.LXI. in annos sex. Prima figura exstat in pag. 247., ubi pingitur calix ansatus in lunulæ cornua duo eminens, in quorum medio apparet exiguus circulus ad hostiam (ut Boterovio visum est) designandam, adjectâ per circulum hac inscriptione, *Gavaletano*, qui locus est cusæ monetæ: ex alia verò parte effigies Regis sine inscriptione.



Habentur aliæ duæ in pag. 252., quarum prima superiori omnino similis est: altera tres circulos, quos Boterovius itidem hostias esse putat, nobis exhibet cum eadem inscriptione, eademque Regis effigie; at sine nominis designatione omnes.





Ut autem Boterovius eas Chariberto Regi tribuat, duobus movetur argumentis. Primum est quòd plura alia numismata ab ipso exhibita, ex una par-

CAP. VIII. parte præferunt calicem ansatum cum cruce superposita & designatione loci ubi cusa est moneta, *Banniaciaco* scilicet, qui locus itidem in tribus aliis jam memoratis, tribus dumtaxat prioribus litteris exprimitur, una cum verbo *Gavaletano*; ex alia verò parte Regis effigiem repræsentat cum hac inscriptione, Charibertus Rex. Alterum argumentum est, quòd Chariberto regnante atque curante celebratum est Concilium secundum Turonense anno D.LXVI. quo in Concilio Patres Canone 3., statuêre *ut Corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Quo ex loco vir antiquariæ rei studiosissimus colligit Chariberto placuisse, ut in memoriam hujus statuti se procurante conditi, monetæ regiæ calice ansato cum hostiis insignirentur, eo scilicet modo, quo Eucharistiam in calicibus ansatis ab eo tempore adservatam fuisse Boterovius probare intendit. Quæ omnia si certa sint, inde probabile habemus argumentum, oblatas sæculo VI. tenues ac modicas, quales fere modò habemus; ac proinde infermentatas fuisse.

Verùm ut hac de re dicam quod sentio, certum mihi videtur primò quidem calices antiquitus fuisse ansatos, ut multis probat Boterovius, tum ex Anastasio vulgato in gestis Pontificum Romanorum, tum ex aliis, qui mos inde forsan promanaverit, quòd calix quo Christus Dominus in ultima cœna usus est, *ansatus* fuisse perhibetur apud Adamnanum Hiiensem Monachum in lib. 1. de locis sanctis cap. 8. Locum huc adscribam in gratiam studiosorum. *Inter illam quoque Golgothanam basilicam & martyrium, quædam inest exedra, in qua est calix Domini, quem à se benedictum propria manu in cœna pridie quàm pateretur, ipse conviva Apostolis tradidit convivantibus, qui argenteus calix sextarii Gallici mensuram habens, duasque ansulas in se ex utraque parte altrinsecus contenens compositas*. Hæc Adamnanus ante annos fere mille retulit ex narratione Arculfi Gallicani Episcopi, qui calicem istum conspexerat.

Secundò certum mihi videtur, numismata à Boterovio exhibita verè esse Chariberti Regis, quandoquidem alia plura ejusdem generis ipsius nomine signata videntur.

Tertiò æque exploratum puto, in illis numismatibus re verâ calices ansatos repræsentari, maximè quia plerique signum crucis superpositum habent, & unus quidem cum monogrammate Christi adjuncto.

Quartò persuasum etiam mihi est, Canonem tertium Concilii Turonensis de adservanda Eucharistia interpretandum esse.

At verò non ita perspectum habeo, an minimi illi circuli, qui calicibus ansatis superponuntur, sint veræ oblatæ. Non quòd id mihi omnino veri simile non videatur, sed quòd artificis imperitia non planè rem oculis exhibeat. Neque enim animus est plus ponderis dare argumentis, quàm ea præse ferant.

Deinde nonnullis etiam dubium videri possit, an Eucharistia in calicibus aliquando sit adservata. Nam aut in turricula, aut in columba argentea reponi solebat. Legimus quidem apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 47., calicem crystallinum qui fractus fuerat, Diaconi oratione restauratum, jussu Episcopi *suspensum super altare* fuisse, ejusque rei memoriam annua festivitate quotannis celebratam. An verò Eucharistia in eo adservaretur, non liquet. Clarior est locus in gestis Gregorii Papæ tertii qui *calicem unum argenteum qui pendet*, inquit Auctor, *in apside Oratorii*, dedisse perhibetur, non alium ut videtur ad usum, quàm ad Sacratissimam Eucharistiam conservandam.

Ex-

Explicatur Canon 3. Concilii II. Turonensis. CAP. VIII.

Et quandoquidem huc devenit oratio, quædam observare juvat ad interpretationem Canonis tertii Concilii Turonensis, quo præcipitur, *ut Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Canon iste eruditos viros jamdudum torquet, versatque in varias partes: de quo ut nonnihil dicam, notandum est in nonnullis codicibus abesse præpositiones *in* & *sub*. Deinde imaginarium ordinem eum esse, qui Imaginibus sacris vulgo tribuebatur, quo in sensu *imaginaria pictura* dicitur apud Anastasium in versione secundi Concilii Nicæni.

Jam in hoc Canone explicando diversæ sunt sententiæ tres. Prima Severini Binii dicentis hoc decreto prohiberi, *ne Corpus Domini inter sacras Imagines super altari poni solitas, sed potiùs collocetur sub ipsa cruce, quæ in meditullio ipsius altaris poni consuevit*. Altera est Jacobi Sirmondi in cap. 4. Disquisitionis de Azymo, censentis nihil aliud statui hoc Canone, quàm *ut panis in Corpus Domini consecrandus, non aliter pro cujusque arbitrio, quàm impressa cruce formetur*. Tertia est viri doctissimi, qui existimat hunc Canonem intelligendum esse de componenda oblatione cum calice tempore sacrificii è regione Crucis in medio altari positæ, non verò ad dexteram aut ad sinistram è regione Imaginum.

Sed ut ingenuè mentem meam aperiam, videtur Canon ille, neque de compositione panis Eucharistici, neque de ordine quem tempore sacrificii oblatio tenere debet, explicari posse. Nusquam enim, si non fallor, Eucharistiæ nomen apud veteres, nisi pro hostia consecrata usurpatur. Et antiquitus oblata sacrificii tempore, non ordine recto è regione crucis componi solebat, sed ad sinistram partem calicis, seu potiùs calix *ad dexterum latus oblatæ, quasi sanguinem Domini suscepturus, quem de latere Dominico profluxisse credimus*, ut ex Ordine Romano scribit Micrologus, & cum eo Johannes Episcopus Abrincatensis. Quapropter præferendam existimo sententiam primam: in qua tamen scrupuli quidam mihi restant, quos hîc discutere conabor.

Duæ sunt difficultates, quæ hunc Canonem primo illo modo explicatum implicant. Prima, quo in loco prostarent tunc temporis Imagines in Ecclesiis. Altera quo ritu Eucharistia *sub crucis titulo in altari* componeretur.

Ad primam, crediderim totis decem Ecclesiæ sæculis Imagines sacras aris non fuisse impositas. Testatur Leo Papa quartus in homilia quadam his verbis: *Super altare nihil ponatur, nisi capsa & reliquiæ, aut fortè quatuor Evangelia, & buxida cum Corpore Domini ad viaticum infirmis: cetera in nitido loco recondantur*. Eadem verba repetit Ratherius Veronensis Episcopus in Synodica oratione ad Presbyteros suos. Flores tamen etiam *super altare* positos probat Venantius Fortunatus in lib. 8. carmine 8. Et crux super altare pendere solebat, teste Gregorio Turonensi, præter alios. Etsi verò scrinia quibus Sanctorum reliquiæ includuntur, Imaginum loco haberi possint; constat tamen reliquias sacras, ac proinde reliquiaria ipsa, super altare positas vix fuisse ante sæculum nonum, uti alias demonstravi in Præfatione Sæculi secundi Benedictini. Ex quibus intelligitur, tempore habiti Concilii Turonensis Imagines in altaribus non habuisse locum. Ubi ergo? inquis. Certè in baptisteriis, in secretariis seu sacristiis (quas vocamus) in porticibus, in parietibus & laquearibus Templi. Imagines in baptisterio collocatas à Severo fuisse docet sanctus Paulinus Episcopus in epistola 12. ad ipsum scripta. Statuam Christi Domini, quæ à muliere sanguinis profluvio liberata erecta fuerat, à gen-

CAP. VIII. gentilibus mutilatam, Fideles in Diaconicum seu Secretarium Basilicæ intulerunt, competentem ei curam atque observantiam deferentes. Philostorgius auctor in Historiæ lib. 7. De Iconibus sacris in porticibus & in laquearibus depictis aut affixis, testis est idem Paulinus in prælaudata epistola: testis item venerabilis Beda in lib. 1. de vita Biscopi Abbatis sui, ubi ait, Biscopum Româ detulisse *Picturas Imaginum sanctarum, quas ad ornandam Ecclesiam beati Petri Apostoli construxerat, Imaginem videlicet beatæ Dei genitricis Mariæ, simul & duodecim Apostolorum: quibus mediam ejusdem Ecclesiæ testudinem, ducto à pariete ad parietem tabulato, præcingeret*. Si autem reliquiaria (quæ vocamus) Imaginum loco censeantur, hæc recondebantur eo tempore subtus aut intra ipsum altare: cujus rei argumenta retuli in Præfatione sæculi secundi. Ergo ut ad sensum Canonis revertar, cùm prohibent Patres, ne Eucharistia *in imaginario ordine* ponatur; eorum sententia esse videtur, ut ne in baptisteriis, aut in secretariis, aut denique sub altari, prout nonnullis in locis fieri consueverat, cum Imaginibus sacris adservaretur. Quæ pars negans est Canonis prædicti.

Eucharistiam si quidem aliquando in Secretariis servatam fuisse colligi potest ex Gregorio Turonensi Episcopo in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. ubi Diaconus quidam impurus adventante Sacrificii tempore, *acceptam turrem, in qua ministerium Dominici Corporis habebatur*, tulisse dicitur *ad ostium*, quo scilicet ex secretario in interiorem Basilicam, seu ad locum altaris aditus erat: *ingressusque templum ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aëra*. Quo enim ex loco *ministerium Corporis Dominici* detulisse dici potest, nisi ex secretario? qui locus in exedra (destinam vocabant nonnulli) Basilicæ exteriori innixa continebatur, ad dexteram scilicet partem altaris, testante Paulino in præcitata epistola ad Severum: ubi loquitur *de Secretariis duobus juxta apsidem* (locus altaris erat) utrimque positis: refertque versus indicantes *officia singulorum*. Et quidem *ad dexteram* hi erant.

Hic locus est veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

Ad sinistram erant libri sacri cum alio disticho. Quamquam non immeritò dubitari potest, an his locis *ministerium Corporis Dominici* pro Eucharistia sumi debeat: cùm potiùs de sacra supellectile ad sacrificium deputata intelligendum videatur. Quod etiam dici potest de *turri* Felicis Bituricensis Episcopi, quam laudat Fortunatus in lib. 3. Carmine 23. Dubitandi ratio petitur ex eodem Gregorio in lib. 2. de gloria Martyrum cap. 8. cujus hic titulus: *De interitu eorum qui ministerium Basilicæ exportaverunt*. Ubi *ministerii* nomine intelligit *patenam & urceum, qui anax dicitur*, inquit, quæ a nefariis quibusdam prædonibus sublata scribit. Et versus Fortunati de calice auro constante rectè explicari possunt, cum ita canit in carmine de Turre Felicis Episcopi.

Quàm bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant Chrysolitis Salomonia vasa metallis.
Ista placere magis ars facit atque Fides.

Denique in MS. Sacramentorum libro, qui in Bibliotheca S. Theoderici prope Remos adservatur, chrismal (quod corporale vocamus) *ministerium Corporis Christi gerulum* appellatur in oratione, qua in usum sacrum benedicitur. Ex quibus dubitare licet, ut jam dixi, an Paulinus, Gregorius & Fortunatus in prædictis locis de Eucharistia loquantur. Non desunt ta-

tamen apud Veteres, qui Gregorii locum de Eucharistia explicent. In his CAP. VIII. est sanctus Odo Abbas Cluniacensis in Collationum lib. 2. cap. 32., ubi agit de infami illo Diacono apud Gregorium memorato, *qui dum capsam cum Corpore Domini deferret, de manibus elapsa est, & per aërem super altare reversa*. Ad hæc, in Chrismali, quod *Ministerium Corporis Christi gerulum* superiùs dicitur, Eucharistia servabatur, ut colligo ex Glabri Rodulfi lib. 5. cap. 1. Ibi enim agens de chrismali, *quod à quibusdam Corporalis appellatur*, ait multa per istud remedia præstari, *si fides petentium exigat. Nam contra incendia*, inquit, *sæpiùs elevatum, aut exstinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, aut in partem alteram retorsit*. Tum rem gestam refert in Monasterio Reomiensi *tempore Venerabilis Willelmi Abbatis* sub initium videlicet sæculi XI. nempe cùm *incendium circumjacentia Monasterii* depopularetur, Fratres ejusdem loci *accipientes chrismale conto impositum*, elevasse illud *contra incendii flammas dirè flagrantes. Statim verò*, inquit, *idem ignis in se se retorquens, minime amplius quam invaserat, arripere valuit*. Tum subdit id quod ad propositum nostrum facit. *Panis tamen ille Dominicus aura flante à contulo elapsus, plus minus duobus milliariis avolavit usque ad villam cui Tivalgas vocabulum est, ibique super domum cujusdam veniens sedit. Quo profecutus, ad Monasterium dignanter est delatus*. Hinc patet Eucharistiam in chrismali seu corporali illo (quod ad *sinistrum cornu altaris semper jacere, ut ad manum possit esse contra periculum ignis*, tradit Udalricus in Consuetudinum Cluniacensium lib. 2. cap. 30.) aliquibus saltem in locis Eucharistiam repositam fuisse. Quare nihil vetat, quin *ministerii Dominici Corporis* nomine intelligamus supellectilem & vasa sacra, in quibus etiam Eucharistia servabatur, vel in secretario, vel in baptisterio, vel super altare *sub titulo crucis*.

Non tamen prætermittenda est alia hujus canonis lectio, ubi pro *in imaginario ordine* scribitur, *in armario, vel in imaginario ordine*. *Armarium* glossematis vice additum existimo, non ad designanda tabernacula nostra recentiora, sed ad explicandum *imaginarium ordinem*. Nam Imagines ad parietes altaribus adjacentes appendi & depingi solebant, ibique ad latus Evangelii seu ad aquilonarem partem habebantur quibusdam in locis armaria, in quibus Sanctissimum Sacramentum recondebatur. Et quidem mos iste hactenus perseverat in quibusdam Ecclesiis, puta Romæ in Ecclesia sanctæ Crucis in Hierusalem, in Gallicanis nonnullis, ut Paronæ in parochiali Ecclesia sancti Johannis Baptistæ, & ante annos decem in Basilica Furseana, atque in Belgicis plerisque. Hunc usum abrogare videtur canon Turonensis, definientibus Patribus, ut Eucharistia super altare componeretur *sub titulo crucis*.

Hæc est alia difficultas, quæ modò examinanda est, quo pacto scilicet sæpè dictus canon præcipiat, ut *Eucharistia in altari sub titulo crucis componatur*. Titulus crucis significat crucem ipsam, quæ super altare pendere solebat, testante Gregorio jam laudato in lib. 2. de miraculis sancti Juliani cap. 43. *Pendebat*, inquit, *super ipsum altare crux holocrysa eleganti opere facta*. At quo in loco, quove modo crux super altare penderet, adhuc obscurum est. Quocirca operæ pretium est scire apud antiquos morem fuisse, ut super altaria sancta erigerentur Ciboria, seu turriculæ, quatuor minimùm columnis innixæ, quæ transversis in medium lineis adunatæ sustinebant crucem altaris medio respondentem: ex qua pendebat Eucharistia sacra, vasculis seu columbis argenteis aureisve inclusa, nonnunquam etiam lapillis, quem certè modum præscribere videtur Concilium Turonense. Non tamen recedit à mente Concilii mos hactenus usitatus in nonnullis Ecclesiis, in quibus è stipite crucis su-

CAP. VIII. per altare in altum defixæ producitur instrumentum ad medium altaris porrectum & incurvatum, ex quo divina Eucharistia in vasculo pendet.

Hæc sunt quæ pro intelligentia prædicti canonis mihi venerunt in mentem, nescio an studiosis nonnihil profutura; quæ dicta sunt occasione hostiarum, quas exhibent veteres monetæ.

Explicatur canon 6. Concilii XVI. Toletani.

Aliud argumentum pro veteri usu Azymorum apud Latinos inde sumitur, quòd antiqui Patres Ecclesiæ Latinæ utebantur pane studiosè confecto, candido supra communem, rotundo ac tenui, non spisso neque denso. Quæ omnes simul conditiones azymo pani magis quadrant quàm fermentato, qui inflatus ac densus esse solet. Porrò has omnes Eucharistici panis circumstantias exigit Concilii XVI. Toletani canon sextus, in quo Patres reprehensis Sacerdotibus nonnullis, qui panem *usibus suis præparatum* in sacrificium adhibebant, decernunt, *panem non nisi integrum & nitidum, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modicam tantùm oblatam*, pro veteri consuetudine offerendam esse. Si ergo probare potuero, canonem istum, non de fermentato, ut Jacobo Sirmondo visum est, sed de azymo pane intelligi oportere; nemo non concedet, sæculo septimo, quo desinente habitum est Concilium, eam fuisse Hispaniensium Episcoporum persuasionem, Latinam Ecclesiam numquam alium panem quàm azymum in rem sacram admisisse.

Age verò jam videamus, an de alio pane quàm de azymo possit explicari canon iste, quem integrum hìc præmittere juvat. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantùm oblata, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat.*

Omnia præjudicia exigere videntur, ut canon iste explicetur de pane infermentato. Primò quòd veteres Mozarabes seu Gothi in Hispaniis cum Arabibus degentes, (quod etiam de superioribus Gothis ejusdem Regni incolis dicendum) ab antiquo azymis in sacrificio utebantur. Deinde quòd centum annis post Concilium Toletanum cum aliis Latinis in azymo conveniebant, ut posteà demonstrabo. Præterea quòd ex opusculo Eldefonsi Episcopi perspectum sit, eumdem usum anno DCCC.XLV. viguisse apud Hispanos.

At non minus favent verba ipsa Concilii. In primis siquidem panis Eucharisticus, ut patet, alius tum ab eo esse debebat, qui usibus mensæ communis paratus erat, alius inquam ab usitato. Qua igitur ratione Sirmondus infert ex Ambrosio, qui panem Eucharisticum *usitatum* vocat, eum fuisse fermentatum; eadem quoque ego infero Patres Toletanos censuisse, panem sacrum alium esse oportere ab usitato, id est à fermentato. Expendenda sunt Sirmondi verba, qui relato Ambrosii testimonio ex lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ubi dicitur, *Tu fortè dicis, Meus panis est usitatus &c.* hæc subinfert: *nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubiè non significat.* Ergo ex Sirmondi mente, qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem à sacrificio excludunt ac removent Patres Toletani, azymum haud dubie significant.

Neque

Neque hæc argumentatio in me regeri potest, qui in eo Ambrosii loco ufitatum panem non pro fermentato usurpatum contendo. Nam si constaret eo in loco agi de duplici pane materiali, uno usitato, altero minus communi; usitatum panem azymo opponi ultro concederem. At verò hic usitatus panis non pani minus usitato, sed pani consecrato, id est Corpori Christi opponitur, ac proinde non valet comparatio in sententia mea: valet autem in sententia Sirmondi hunc in locum, & in mea pro canone Concilii Toletani: cum utrubique panis usitatus azymo opponi concedatur. CAP. VIII.

Secundò Patres Toletani arguunt Sacerdotes illos Hispanicos, quòd *non panes mundos* offerrent. tum præcipiunt ut *panis nitidus* offeratur. Panis mundus prout opponitur usitato, alius intelligi non potest quàm panis expers fermenti, quod corruptionis effectum ac symbolum est. Rectè hunc in locum Humbertus Cardinalis in responsione ad Michaëlem Cerularium: *Sicut sententia vulgi exstat, fermenti origo fit, cùm aut spuma musti seu fex cujusdam rustica potionis, qua apud Gallos Cervisia dicitur; vel certè jus elixati hordei aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum, iniicitur conspersa farinæ. Cùm ergo spuma, fæx, elixatum leguminum & lac fieus vel pecorum corruptum, apud homines computentur inter sordida; constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicumque fermentum iniicitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus: Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Eodem tendit Algerus in lib. 2. de Sacramento cap. 10. Cum ergo Patres Toletani ad sacrificium exigunt panem *mundum ac nitidum*, (quod idem hoc loco forsan esse videbitur) secretum volunt ab omni sorde & fermento corruptionis.

Si tamen *nitidi* panis nomine intelligi putes hoc loco panem candidum præ communi, non repugno; nam & hoc potiùs azymo convenit quàm fermentato. Udalricus in lib. 3. Consuetudinum Cluniacensium cap. 13., agens de confectione hostiarum secundum morem Monasterii sui; *Conspergunt*, inquit, *cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores*, qui ritus servari non potest in pane fermentato, ad cujus confectionem aqua calida necessaria est. Panis ejusmodi nitidi meminit Beda Historiæ lib. 2. cap. 5. Nam Seberti Christiani Regis Orientalium Saxonum filii tres Idololatræ, cum viderent Pontificem Mellitum celebratis in Ecclesia Missarum sollemniis Eucharistiam populo dare, dicebant ad eum barbarâ inflati superbiâ: *Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri nostro Saba dabas?* Ubi panem nitidum eum vocant, qui præter morem candidus erat. Non tamen eò spectat oratio mea, quasi probare velim, hoc nomine ubique intelligi panem infermentatum. Certè fermentatum eo vocabulo designatum lego in Annalibus Fuldensibus ad annum D.CCC.LXX. Verùm cùm Toletani Patres *nitidum* panem opponant usitato, intelligendi sunt de pane azymo, qui fermentato seu usitato longe candidior est.

Tertiò præcipiunt Patres, ut panis sacrificii sit *studio præparatus*. Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitularis art. 5., *Panes*, inquit, *quos Deo in Sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè ac studiosè fiant*. Qua religione formarentur panes ad usum sacrificii apud Monachos Cluniacenses, docet Udalricus in lib. 3. cap. 13. Siquidem *frumentum granatim electum* magna cum reverentia à Monacho albis induto ad farinarium delatum molebatur; tum cribrata simili ritu farina, *cum aqua frigida* conspergebatur. Deinde ferramentum in quo coquendæ erant hostiæ tenebat Conversus, manus chirotecis indutas habens. Longe ante Cluniacenses, ho-

CAP. VIII. hostiæ *cum laude psalmodiæ* formabantur apud Andaginenses seu Cœnobii sancti Hucberti in Arduenna Monachos, uti legitur in libro de miraculis sancti Hucberti Tungrensis Episcopi cap. 8. ubi Monachi *panes suis manibus cum laude psalmodiæ formatos accumbenti* Odoni Comiti anno DCCC. XLI. obtulisse perhibentur. Erant hæ eulogiæ seu hostiæ benedictæ, quæ singulis diebus ante communes cibos Monachis non communicatis in refectorio præbebantur, ut patet tum ex libello supplici, quem Monachi Fuldenses Carolo Magno porrexerunt, in quo Eulogiarum perceptionem vocant *communicationem fracti panis*; tum ex Synodo Aquisgranensi anni DCCC. XVII., tum ex Udalrico in lib. 2. cap. 30. Quippe eulogiæ, seu panis benedictus, ex eodem tunc pane fiebant quo materia sacrificii, nempe ex reliquis hostiis non consecratis, quas Monachi ad Missam offerebant omnes.

Id genus oblatæ, seu *obliæ*, non rarò etiam fiebant ad usum communem, testante Udalrico in lib. 1. cap. 40. ubi ait *in quinquagesima solere apponi ea, quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissima fiunt, & ab hominibus Romana lingua, Nebula, à nostratibus*, inquit, *appellantur Oblatæ*. Idem attestatur Burchardus monachus in libro de casibus Monasterii sancti Galli, agens de Norperto Abbate, qui *in hebdomada Paschali, in meridie vinum & oblatas dari constituit*. De hujusmodi oblatis intelligenda videtur Eginhardi epistola 52., qua Vicedomino aliisque fidelibus suis præcipit, *ut eulogias præparari faciant secundùm consuetudinem, sicut solet homo ad opus Dominici facere, tam ad opus Domni HLudovici, quàm N. conjugis ejus*. Ex quo apparet *oblias* ejusmodi eodem modo formatas fuisse, quàm panem ad usum sacrificii Dominici confectum, ac proinde tempore Eginhardi, qui regnantibus Carolo Magno ejusque filio Ludovico vixit, hostias intra ferrum characteratum confectas atque infermentatas fuisse.

Itaque ut ad id unde digressus sum me referam, longe ante Cluniacenses *studiosè*, idest piis quibusdam ritibus, hostiæ conficiebantur, non solùm apud Monachos, sed etiam apud Clericos, ut præcipit Theodulfus Episcopus jam laudatus, qui hanc curam *Presbyteris* aut ipsorum *pueris* seu ministris imponit. Idem suo tempore factum probat Humbertus in epistola ad Michaëlem Cerularium his verbis: *Romana & Occidentalis Ecclesia à ministris sacri altaris* (idest ut alibi dicit, *à Diaconis cum Subdiaconis ipsisque Sacerdotibus, sacris amictis vestibus*) *in secretario offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida limpha fuerit præparatum*. Neque tamen ita hæc cura Presbyteris & ministris sacris competebat, quin aliquando matronæ piæ seu devotæ, quas Sanctimoniales vocabant, id officii in se susciperent, etiam eo tempore quo hostias infermentatas fuisse constat. Nam in lib. 2. de miraculis sancti Wandregesili Abbatis cap. ultimo legitur, quamdam sanctimonialem seu devotam feminam, quæ meritis sancti viri anno DCCC. XCI. sanata fuerat, *oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formasse*; tum accessisse ad ignem, *& ferrum quo imprimenda ac decoquenda erant oblata* (*oblatorium* vocat ferrum istud Auctor ejus temporis) arripuisse. Eadem religione sancta Radegundis Regina sæculo sexto (quod etiam patet de matrona quadam Romana in vita Gregorii Magni) jam facta *Sanctimonialis, more sancti Germani in Quadragesima* frumentum sua manu commolebat: & exinde *oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat*, teste Venantio Fortunato in ipsius vita. Germanus iste Parisiensis erat Episcopus, qui proinde etiam ejusmodi operam, molendi scilicet frumentum ad panem sacrificii componendum, non refugiebat. Ex quibus apparet, quanta fuerit apud veteres Latinos

nos

nos religio in parando Eucharistico pane. Non sic apud Græcos, quibus Humbertus in prædicta epistola suam ipsorum hac in re incuriam exprobrat in hunc modum. *Vos aliquando pretio fermentatum à quocumque viro seu femina præparatum habetis, in tantum ut nonnumquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emtum panem ad Dominicam mensam transferatis, quem tractatum illotis & sordidis manibus negare non potestis*. Hinc conficitur, azymo pani maximè proprium esse, ut sit *studio præparatus*.

Ne quis verò eamdem pænè religionem in præparando fermentato pane facile servari posse dicat, idque postulare Patres Toletanos; occurrit id quod quarto loco in eorum decreto animadvertendum est, nempe quòd *panem integrum, non tamen grande aliquid, sed modicam tantùm oblatam* offerri volunt. His enim verbis omnino designant oblatas exiles ac tenues, quales in ferris characteratis componi solent. Nec vacat quòd *integrum panem*, non tamen grande aliquid, sed modicam tantùm oblatam exigunt. Ita enim declarant mentem suam non esse, ut modica illa ac tenuis oblata ex crasso pane decerperetur, sed ut sit integer panis; quod sanè fermentato pani convenire non potest. Etenim qui fermento constat, non adeò tenuis ac gracilis confici solet, sed crassus ac densus, aliàs frustra fermentum adhiberetur, quod non nisi ad inflandam & subigendam massam commiscetur. Certè Humbertus ex eo quod Hierosolymitani non nisi *tenues oblatas integras & sanas* offerebant, non ex solido pane lanceolâ pro Græcorum more detractas, eas fuisse azymas probat in responsione ad Michaëlem. Denique Concilium Coïacense quod anno M.LXXXVIII. celebratum est, panem azymum non aliis verbis definit cap. 3. quàm istis: *Hostia sit ex frumento sana & integra*. Nemo non videt, definitionem Patrum Toletanorum signantiùs omninò designare panem azymum omnibus illis conditionibus, quas superiùs explicavi, nempe ut panis alius sit, quàm qui *usibus* mensæ communis *præparatus* est; *ut sit mundus ac nitidus, studio præparatus: panis*, inquam, *integer; non tamen grande aliquid, sed modica tantùm oblata*, quæ sanè descriptio longe accuratior est ad designandum panem infermentatum, quàm illa Concilii Coïacensis: cujus tamen decreto azymum panem significari constat, cùm celebratum sit Concilium istud post schisma Michaëlis Cerularii.

Et tamen hunc canonem Concilii Toletani, quem azymo tam signanter convenire ostendi, ad fermentatum panem trahit Sirmondus his verbis. *Quid hoc tandem est quod Concilii hujus Antistites in his Sacerdotibus reprehendunt? An quòd azymum panem non consecrarent? Minime gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, si azyma requirebantur: quia panes ipsorum usibus præparati quos immolabant, azymi non erant, sed fermentati. Quo ergo nomine reprehenduntur? quia panes hi quibus utebantur, nitidi non erant nec studio in eam rem parati, quod consuetudo poscebat. Porrò cùm æra DCC.XXXI., hoc est anno Christi DC.XCIII., celebratum hoc Concilium titulus doceat; quis hinc confici non videt, Latinam Ecclesiam ad id saltem usque tempus azymis abstinuisse?*

Hoc Achilleum est Sirmondi argumentum, ex quo si conficitur id quod intendit; eadem ego quoque ratione conficiam, initio sæculi XII. etiam Latinos, saltem in Gallia, azymis abstinuisse. Hoc argumentum deduco ex epistola 44. Hildeberti Cenomannensis Episcopi ad Andegavensem, in qua scribit se ad prædictum Episcopum remittere Sacerdotem latorem epistolæ, qui *dum sacris altaribus ministraturus in hoc præparatum panem non invenerat, de communi pane obtulerat sacrificium. Qua in re*, inquit Hildebertus, *licèt potiùs consuetudo quàm Fides impugnetur, nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus,*

at-

CAP. VIII. *arbitrantes graviùs puniendum esse Ecclesia scandalum quàm delictum*. Quid hoc tandem est, ut Sirmondi verbis utar, quod Hildebertus in hoc Sacerdote reprehendit? An quòd azymum panem non consecrasset? minimè gentium. Quo ergo nomine eum reprehendit? nempe quòd non *de pane ad hoc præparato*, sed *de communi* sacrificium obtulerat, eum ad modum quo Patres Toletani reprehendunt Sacerdotes Hispanicos, quòd de *panibus* non *studio præparatis, nitidis ac mundis*, sed de *panibus suis usibus præparatis* oblationem facerent. Concedat ergo Sirmondus necesse est, aut Canonem Concilii Toletani de pane azymo interpretandum esse, sicut epistolam Hildeberti: aut si prædictum canonem de fermentato pane explicare pergat, consequens est ratio, ut etiam Hildeberti epistolam de fermentato intelligendam esse fateatur. Quod cùm neque Sirmondus ipse, nec quivis alius fateri possit; neque etiam ex Concilii Toletani verbis conficitur, fermentatum panem in usu tum fuisse, sed potiùs azymum. Hactenus de Canone Toletano.

Postremò panis sacrificio deputatus, quem integrum esse oportebat, in modum coronæ compositus erat; non decerpto frusto per modum corollæ, ut apud Græcos; sed factâ integrâ oblatâ, quæ rotunda erat. Quæ circumstantia si cum prædictis omnibus simul comparetur, oblatarum nostrarum recentiorum formam pæne ob oculos repræsentant. Atqui Gregorius Magnus loquendo de pane sacrificii, *oblationum coronas* vocat in lib. 4. Dialogorum cap. 55. Et Iso Sancti-Gallensis Monachus in lib. 1. de miraculis sancti Othmari cap. 3. agens de elevatione corporis ejusdem Sancti, quæ anno DCCC.XLIV. facta est post annos centum & quinque ab ejus obitu; *Sub capite*, inquit, *& circa pectus viri Dei quadam panis rotulæ quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsa atque ab omni corruptione extranea ab eodem Episcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ. Quo verò ordine, quove tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem manifestum. Hoc tamen omnes pro certo scimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium ejus sepulcrum aperuit, antequam præsens Episcopus ministerii sui fretus auctoritate, ejusdem Congregationis Fratribus hoc faciendum injunxit. Idem tamen Episcopus venerabiliter eas assumens, sacro corpori apposuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolutum in lectica honorifice commendavit*. Hunc locum fusiùs retuli, tum quia insignis est in præsentem materiam, tum ut haberem occasionem observandi id quod Iso ignorasse videtur, nempe morem fuisse aliquando, ut cum defuncti Sacerdotis corpore oblatæ una cum aliis nonnumquam instrumentis vestibusque sacerdotalibus tumulo componerentur. Id colligo ex Anonymo quodam æquali in lib. 4. de vita S. Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi; cujus Anonymi hæc verba sunt in libro 4. *A navigantibus in insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, Oblatis super sanctum pectus positis, vestimenta sacerdotalia indutus, in obviam Christi calciamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus: animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile, requiescens & quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in Basilica deposuerunt*. Hæc appositè Anonymus, cujus verba hic relata, venerabili Bedæ perperam tribuit Amalarius, quæ maximè illustrant superiorem Isonis locum. Ad hæc Iso agens de alia sancti Othmari translatione post triennium facta, hæc de iisdem oblatis scribit in lib. 2. cap. 1. *Illas quoque oblatas, quas narratione superiori in ejus tumulo retulimus fuisse repertas, eatenus incorruptas, atque omnimodis illæsas perdurasse miratur, & quasdam ex eis involutas sacro itidem corpori superposuit: alias verò pyxide recondens, super-*

perventuris temporibus pro sanctitatis ejus testimonio conservari praecepit. Ex his duobus Isonis locis, ut ex Gregorio Magno & ex Canone 6. sæpè dicti Concilii Toletani intelligimus, tenues ac rotundas *rotularum* in morem fuisse oblatas ante annos mille, adeò ut forsan non satis considératè Ordinis Romani Expositor vetus apud Cassandrum plus æquo invehatur in formam oblatarum tenuissimarum, quæ suo tempore ad imaginem nummorum redactæ erant, quas per contemtum *minutias nummulariarum oblatarum* appellat, *indignas panis vocabulo* pro sua tenuitate, & à prisca Ecclesiæ consuetudine maximè diversas. Crediderim certè priscas oblationes non tam fuisse tenues quàm nostras recentiores, sed paullò crassiores instar *nebularum*, quas Uldaricus ait ad usum communem fieri solitas: tametsi æquè ac nostræ intra ferrum characteratum coquebantur, ut in Præmonitu ad Opusculum Eldefonsi fusiùs explicabo. Quidquid sit; ex iis quæ toto hoc capite disputavi, non obscurè (si non fallor) conficitur, ante annos mille azymum in Ecclesia Latina usitatum, eamque persuasionem fuisse Patrum Toletanorum, numquam & nusquam apud Latinos contrarium usum extitisse. CAP. IX.

At, inquis, hæ conjecturæ sunt. Nego meras esse conjecturas. Nam meo quidem judicio Synodi Toletanæ Patres non potuerunt apertiùs ob oculos ponere azymum panem, quam describendo eo modo quem supra exposui. Et sint sanè meræ quas attuli conjecturæ; quid ampliùs quam conjecturæ pro fermentato afferuntur? Atqui conjecturæ, etsi utrubique sint æquales, longe tamen præstant in azymorum causa: quorum certè usus antiquus est, & initium post conditam Ecclesiam demonstrari non potest. Et sufficit ad probandam usitatæ rei antiquitatem refutare argumenta quæ proponuntur in contrarium. At verò ad probandum fermenti usum apud Latinos, non sufficiunt conjecturæ, sed vera, manifesta, ac necessaria argumenta proferenda sunt. Denique si ea quæ hactenus dixi ad probandum id quod intendo non sufficiant; evincent, ut spero, quæ sequenti capite adducam.

CAPUT IX.

Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii discidium.

Ad demonstrandum azymorum generalem usum apud Latinos, nemo est qui exigere velit, ut singulas recenseamus Latinorum Ecclesias: sed satis esse puto, si vel id probetur de qualibet regione, vel talia proferantur argumenta, quæ id universim demonstrent. Utroque modo hoc in capite rem conficere conabor.

Principio Alcuini auctoritas non solùm pro Britannia insula in qua natus est, atque pro Gallia in qua moratus, sed pro Romana, immo universali Ecclesia valet plurimum ad probandum azymorum usum universim suo tempore fuisse receptum ante omnem hominum memoriam. Locus est in epistola 69. editionis Chesnianæ, ubi Alcuinus, quem initio sæculi IX. obiisse constat, Hispanos quosdam arguit censentes miscendum esse salem *in sacrificium*, id est in materiam panis Eucharistici. *Quam consuetudinem*, inquit, *nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas*. Tum singillatim enu-

CAP. IX. enumerat ea, quæ in sacrificium adhibere licet. *Tria sunt*, inquit, *quæ in sacrificio offerenda sunt, panis & aqua & vinum*. Qualis panis? *Panis*, ait; *qui in Corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus*. Atqui fermentatus panis non est absque fermento *ullius alterius infectionis*, non est *mundissimus*, nam fermentum corruptionis effectum ac symbolum est, ut jam dixi. At quibus tandem rebus constare debet panis iste? *Ex aqua & farina*, inquit, *panis fit qui consecratur in Corpus Christi*. Jam aliquot Patrum loca retuli quæ idem ferunt. At illud inter eos & Alcuinum discriminis interest, quòd Patres illi de pane Eucharistico loquuntur ad componendos Fidelium mores: Alcuinus verò agit hoc loco adversùs corruptores panis sacri, qui res alienas in materiam sacrificii admiscebant. Erat proinde ejus muneris accuratè tradere modum & partes panis conficiendi. Cùm ergo panem duabus tantùm partibus constare dicat, *aqua* scilicet & *farina*, ab eoque removeat *omne fermentum ullius alterius infectionis*; eum fermenti expertem fuisse tunc temporis fateri necesse est.

Dices fermentum panis genus esse, satisque expressum aquæ & farinæ nomine, quibus utique constat. Concedo fermentum constare farina: at constat etiam aliena specie, quæ fermenti propria est, nempe, ut ait Humbertus, aut spuma musti, aut cervisiæ fæce, aut lacte corrupto: quæ species ab Alcuino commemoranda erat, si tum in usu fuisset. Ad hæc, si aliquâ ex his speciebus panis ille tum constitisset, non potuisset dici *absque omni fermento ullius alterius infectionis mundissimus*, qualem exigit Alcuinus. Denique illud proprium est panis azymi, ut expers salis sit: at Panis fermentati sacrificio deputati, ut cum sale. *Azymæ (oblationes)* inquit Michaël Cerularius in epistola contra Latinos, *neque sal neque fermentum habent*; quod etiam Humbertus & Latini omnes in epistola Nicetæ Pectorati fatentur. At verò fermentatus panis Græcorum, teste Humberto in responsione ad Michaëlem, uti fatentur ipsi Græci, *quinque substantiarum particeps est, id est fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis*. Certè Græci tam severè ac rigidè salis commistionem in pane Eucharistico exigunt, ut secus facientes diris supponant. Id patet tum ex formula renuntiationis, quam profitentur Armeni ad Græcorum societatem reversuri, tum ex Isaaco Catholico in invectiva contra Armenos. Neque dubitem quin Hispani illi quos arguit Alcuinus, salis miscendi commentum ex Græcis acceperint, quod etiam dicendum de Sacerdotibus illis, qui panes suis usibus præparatos offerebant, quos Patres Toletani reprehendunt.

Atque ut amplius constet Alcuinum eo loci exigere azymum panem, demonstrandum est etiam tum Hispanos azymum adhibuisse. Qua ergo de causa eos arguit Alcuinus? Nempe quòd aliqui eorum salem in ipsum panem azymum immittebant. At quo, inquis, argumento constat azymorum usus apud Hispanos ante schisma Photianum? Certè Eldefonsi Hispanici Episcopi testimonio qui anno DCCC.XLV. de pondere & inscriptione panis Eucharistici ex divina (ut præfert) revelatione agens, admittit eum infermentatum & intra ferrum coctum fuisse. Libellus iste quem suggerente V. C. Emerico Bigotio indicaveram in Observationibus meis, è MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ exscribi curavit, mihique transmisit Eminentissimus Cardinalis Bona, qui nihil prætermisit, quo panis azymi in Ecclesia Latina antiquitas illustraretur. Libellus iste in apographo quod quingentorum annorum esse videtur, hunc habet titulum: *Revelatio quæ ostensa est venerabili viro Hispaniensi Eldefonso Episcopo in Spiritu sancto, in mense septimo*. Tum incipit. *Anno octingentesimo*

ſimo quadrageſimo quinto Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, calculus iſte, ideſt menſura trium digitorum anguli, in rotundum panis azymi ſic compoſita eſt. Et ſub finem: *In uno nempe ferro, tamen magno, poſſunt quinque ſimul hoſtiæ formari tali modo, ut major ſit media.* Auctor iſte etſi in re non neceſſaria revelationes adhibeat; tamen ejus temporis eſt quod præfert inſcriptio, ut poſtea dicam in præmonitione ad editionem ejus opuſculi, quod huic libello ſubjicere viſum eſt. Tota verò ejus revelatio eò ſpectat, non ut azymum panem eſſe oportere, aut coquendum eſſe intra ferrum definiat; ſed ut pondus, inſcriptiones, & numerum hoſtiarum, quæ in qualibet feſtivitate offerendæ erant, majori cum auctoritate præcipiat. Erat igitur, ut ex hoc Auctore manifeſtum eſt, apud Hiſpanos uſitatus panis infermentatus ſæculo nono, iſque intra ferrum coquebatur. Hinc etiam patet Alcuinum in præcitata epiſtola loqui de pane azymo, à quo ſalem removere jubet: eumque tum fuiſſe morem Romanæ & univerſalis Eccleſiæ.

Et certè Mozarabes, ideſt Hiſpani & Africani Arabibus permiſti, (quod etiam dicendum de Gothis antiquioribus in Hiſpania degentibus) tametſi ritus peculiares habebant, nihilo minus *conſtituebant Sacramentum altaris de pane azymo, quemadmodum alii Latini*, ut Jacobus à Vitriaco tradit in hiſtoriæ Occidentalis cap. 81., ubi hunc ritum apud ipſos eatenus perſeveraſſe dicit; qui Auctor tametſi ſæculo dumtaxat XIII. vixerit, ejus tamen auctoritas hac in re ſpernenda non eſt, maximè cum Eldefonſi teſtimonio aliiſque fulciatur. Cùm enim Mozarabes Hiſpani ritibus ſuis ita ſemper addicti fuerint, ut cum ſæculo XI. agente per Legatos Gregorio Papa VII., favente Aldefonſo Rege, Officium ſuum Eccleſiaſticum Gallicano Romanove mutare compellerentur, non conſenſerint, niſi res duello dirimeretur, teſtante Ruderico Toletano; credere par eſt azymorum hunc uſum ab Auctoribus rituum Mozarabicorum deſcendiſſe, eumdemque apud Gothos viguiſſe ante adventum Arabum ſeu Maurorum in Hiſpaniam: unde & Gothicum Officium dictum eſt.

Horum Auctorem rituum Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum præferunt editi libri, afferuntque fere Hiſpanici ſcriptores recentiores: quibus ſuffragatur Guitmundus in lib. 3. adverſus Berengarium. *In quodam Miſſali Hiſpano*, inquit, *quod dicunt ſanctum dictaſſe Iſidorum &c.* & longè ante Guitmundum Elipandus Toletanus Epiſcopus in epiſtola ad Albinum ſeu Alcuinum, quamdam orationem in vigilia Paſchæ cani ſolitam *beato Iſidoro* tribuit. Verùm idem Elipandus in ſuperioribus Toletanos ſanctos Patres agnoſcit Miſſarum Mozarabicarum auctores. Qui ſint illi Patres Toletani, explicant Hiſpaniarum Epiſcopi, aut fortè Elipandus ipſe in libello quem confutant Patres Concilii Francofurtenſis, in hæc verba: *Item Prædeceſſores noſtri Eugenius, Hildefonſus, Julianus, Toletanæ ſedis Antiſtites, in ſuis dogmatibus ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini &c.* Ex quibus intelligitur, non unum, ſed plures, horum rituum & officiorum conditores; & quidem Iſidorum amplificatorem fuiſſe. Porrò ſi Bracarenſis Metropolis eoſdem ritus ſervabat atque Toletana; ritus iſti, non quidem omnes, ſed plerique à Romana Eccleſia profecti erant, quos ſcilicet Profuturus Bracarenſis Antiſtes Eccleſiæ ſuæ præſcripſerat, teſtante Concilio primo Bracarenſi, quod anno D.LXIII. celebratum eſt, in Canone 4. *Item placuit ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.* Hæc obiter de ritu Mozarabum, quos azymo pane ante ſæculum nonum uſos fuiſſe hactenus oſtendi.

Idem etiam de Britannia inſula patet, tum ex Alcuini epiſtola jam re-

CAP. IX. lata, qui hunc morem universalis Ecclesiæ suo tempore fuisse dicit, tum ex libello de miraculis sancti Wandregesili cap. ultimo superiùs jam delibato, ubi agitur de quadam femina transmarina, ideft Anglicana, quæ à sancto Wandregesilo sanata, cùm in vigilia Nativitatis Domini sodales suas sanctimoniales feminas rogitaret, *ut oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formarent, ignique cui appropinquare non audebat, decoquerent, & minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque quo imprimenda ac decoquenda erant oblata arrepto, mox nervi ejus manus dextra contracti sunt; ac Oblatorium quod sponte susceperat, invita vi agente divina retinuit*. Id contigit anno DCCC. XCI. Ex his patet oblatas tum coctas fuisse intra oblatorium seu ferramentum characteratum, (sic illud vocat Udalricus il lib. 3. cap. 13.) ac proinde fermenti expertes fuisse. Neque enim umquam fermentum adhibetur in panibus illis qui hoc modo formantur. Et quidem hic mos usitatus tum erat non solùm in Gallia, ubi id factum est, sed etiam in partibus transmarinis seu Anglicanis, unde mulier hæc recens advenerat, De pane azymo intelligendus videtur Egbertus sæculo VIII. Eboracensis Episcopus, Alcuini præceptor, qui in Exceptionum suarum cap. 98. laudat probatque Canonem quem vocat Sanctorum in hæc verba: *Sacerdotes Dei diligenter procurent, ut panis & vinum & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura & munda fiant*. Ubi *panis puri* nomine azymum intelligi puto. Certè Auctores Canonum qui sub Eadgaro Rege anno DCCCC. LXVII. (quo tempore azymorum usus vigebat) conditi sunt, non alio vocabulo panem azymum explicant Canone 39. *Docemus etiam, ut ne vel umquam Sacerdos adeò temerarius sit ut Missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia, scilicet oblationem puram, vinum purum & aquam puram*. Hæc de Anglia.

Eamdem traditionem saltem pro Germania comprobat HRabanus Moguntinus Archiepiscopus, Alcuini discipulus, qui biennio ante Photium intrusum, hoc est anno DCCC. LVI. è vivis excessit. Is enim in lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 31. declarat panem sacrificii azymum esse oportere. Namque relato Levitici loco, qui panem veteris sacrificii sine fermento esse præcipit; & Christi exemplo, qui ejusmodi panem in cœna adhibuit, sic infert. *Ergo panem infermentatum & vinum aqua mistum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sanctificari oportet*. Ita HRabanus in libris cùm editis, tum manuscriptis, ut fidem faciunt exemplaria duo Bibliothecæ Regis Christianissimi, quorum unum est annorum fere sexcentorum, alterum octingentorum. Porrò hoc testimonio luculentius nullum in præsentem controversiam afferri potest. Duo sunt in præmisso testimonio, ratio scilicet & auctoritas. Ratione azymorum necessitatem probare videtur HRabanus: ejus verò auctoritas de ritu sui temporis testimonium reddit. HRabani rationem nihil moror; una mihi sufficit auctoritas, ex qua evidenter conficitur, qualis eo tempore fuerit panis sacrificii, id est infermentatus.

Neque dici potest, HRabani testimonium valere solùm pro Germania, in qua receptus erat eo tempore azymorum usus. HRabanus siquidem in præfatione istius operis pollicetur acturum se *de Officio Missæ secundùm morem Romanæ Ecclesiæ*. Et in lib. 1. cap. 33. relatis omnibus rei sacræ ritibus, postquam de azymorum usu egerat hæc subdit: *Istum ergo Ordinem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totum pane Occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant*. Ex quibus manifestum esse puto, azymos non tantùm in Germania, sed etiam *in Ecclesia Romana & per totum pane Occidentem* in usu fuisse anno DCCC. XIX. quo istud opus condi-

tum

tum est, neque recens fuisse inventum, sed id *ab Apostolis & ab Apostolicis viris* creditum permanasse. CAP. IX.

Jam de azymorum usu ante sæculum nonum recepto res constat de Hispania, Anglia, Germania & Romana Ecclesia speciatim, & universim de toto pæne Occidente: superest ut id etiam singularibus argumentis probem de Gallia: tametsi quæ superiùs tum ex Alcuino, tum ex facto mulieris Anglicanæ in Gallia constitutæ retuli, ad id evincendum sufficiunt. Unum argumentum mihi suppeditat Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis, HRabani æqualis. Is in libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 20. Sacrificii partes explicat refertque ad componendos mores in hunc modum. *Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus inquam, sinceritatis & veritatis: si tamen sumus azymi, id est absque fermento malitiæ & nequitiæ, ut dignè panem de hac aqua conspersum accipere possimus.... Idcirco, ò homo, serva conspersionem gratiæ: quia licèt triticum sis, nisi doctrina & virtute Spiritus sancti ad hanc unitatem & conspersionem fueris bene in farinam attenuatus; deinde conspersus gratia, & igne caritatis excoctus; non poteris ad soliditatem fidei firmari*. In his notandum primò est, Panem Eucharisticum vocari *conspersionem*, & *panem aqua conspersum*. Deinde enumerando partes quibus panis iste constat, mentionem fieri tantùm farinæ, aquæ & coctionis, excluso etiam fermento. Et certè vocabula, *conspersio* & *conspersum*, massam farinæ expertem fermenti significant. Testis est Haimo Halsberstadensis Episcopus in caput 5. epistolæ primæ ad Corinthios, cum scribit Filios Israël egressos de Ægypto non detulisse inde *fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam*. Et Johannes Genuensis in Catholico: *Conspersio est farina per aquam conglutinata sine fermento*. Denique ante hos duos Gregorius Turonensis Episcopus in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 16. *Mulier conspersâ Dominica die farinâ panem formavit, quem segregatis prunis cinere ferventi contexit decoquendum*. Id placentæ infermentatæ genus: quale à Latinis in sacrificium adhiberi falsò calumniatus est Michaël Cerularius.

Agmen claudet Amalarius, qui in lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis cap. 24., relato Cypriani loco, *ut in Sacrificio Missa eadem quæ Dominus fecit, & ipsi faciamus*; hæc subdit. *Quamvis hoc ille de commistione vini & aquæ conclusisset, tamen de tota institutione Dominica intelligere possumus adimplendum: in quo suum mandatum est & Apostolorum observatio*. Hæc sine dubio intellexit Amalarius, non de tempore factæ cœnæ, non de cœna præmissa ante Eucharistiæ institutionem, non denique de esu agni; sed de pane sacrificii, quem ejusdem generis atque eum quo Christus usus in cœna est, adhibendum esse censet, id est infermentatum.

Hæc argumenta, quæ toto præsenti capite adduxi ad probandum generalem azymorum usum apud Latinos, omnes veritatis numeros habere mihi videntur: tum quia desumta sunt ab Auctoribus fide dignis, ut pote doctis & ejusdem ætatis: tum quia clara, perspicua, atque necessaria videntur ad evincendum id quod intendo. Si verò ex his generalem apud Latinos azymorum usum ante schisma Photianum probari concedatur; concedi etiam necesse est, eumdem usum tum creditum fuisse necessarium, ab Apostolis Apostolicisve viris profectum; ac proinde receptum ante omnem hominum illius temporis memoriam. Præter ea si eadem fuit Patrum Toletanorum persuasio sæculo septimo desinente, fatendum est morem hunc aut ab ipsis, aut prope ab ipsis Apostolorum temporibus ad ea tempora promanasse: nisi talia proferantur in contrarium argumenta, quæ

 fer-

CAP. X. fermenti usum aliquando in Ecclesia Latina viguisse manifestè ac necessariò conficiant.

CAPUT X.

Expenduntur argumenta pro usu Fermenti apud Latinos.

PRimum ex eo sumitur, quòd Eucharistia primis atque etiam subsequentibus Ecclesiæ sæculis ex populi oblationibus consecrabatur apud Latinos. Nam certum videri, populum non azymos panes, sed communes & usitatos, id est fermento de more temperatos, obtulisse.

At quid vetat Fideles ex præscripto Ecclesiæ, & consuetudine docente, confecisse atque obtulisse panes infermentatos? Sanè id factum posterioribus sæculis, quibus azymorum usus certò vigebat, probat exemplum illius feminæ Anglicanæ superiùs memoratæ, quæ in oblatorio seu ferramento characterato coquere voluit oblatas infermentatas, *quas oblatura Domino in crastinum erat*. Et Armoricanæ mulieres communicaturæ hactenus suam quæque oblatam azymam offerunt teste Sirmondo; quod singulis diebus actitabant Cluniacenses ex Udalrico lib. 2. cap. 30. Priscum illum offerendi morem in sollemnibus sacris hodie quoque repræsentat major Ecclesia Mediolanensis, quæ ritus peculiares hactenus retinet non minus antiquitate, quàm religiosa pompa insignes. In ea siquidem decem viri totidemque matronæ provectæ ætatis (*Veglones & Veglonissas* appellant) ab Archiepiscopo instituti, sacrificii materiam offerre solent hoc modo. Oblationis tempore instante procedunt Veglones duo aliis succedentibus, antiquo more induti, deferentes hostias tres & vasculum vini: quæ, chorum ingressi, Sacerdoti mysteria celebranti offerunt. Idem præstant Veglonissæ item duæ cum veteri matronarum apparatu, aliis comitantibus, extra chori cancellos consistentes: ubi eamdem oblationem ab eis accipit Sacerdos Missam celebrans; aut certè Archipresbyter, si Pontifex sacris operetur. Hi decem viri, totidemque matronæ totam civitatem repræsentant, & funguntur officio, quod olim toti populo incumbebat, ut legitur in Cæremoniali Ambrosiano, quod Federicus Cardinalis Borromæus & Mediolanensis Archiepiscopus ex antiquis ejus Ecclesiæ ritibus adornari curavit. Atqui ejusmodi hostiæ, quas ex vetusto ritu offerunt Mediolanenses, fermenti expertes sunt. Quidni ergo tam facile promptumque fuit antiquis Christianis offerre panes azymos, quos vel ipsi parassent, vel ab aliis paratos accepissent? Certè longe ante Concilium XVI. Toletanum, panis sacrificii *studio præparatus* esse debebat, id est piis quibusdam ritibus & cæremoniis. Quidni ergo azymus confici poterat, si id modò poscebat mos & consuetudo Ecclesiæ? cum videamus id nostra ætate rectè fieri ab operis pretio conductis.

Nec obstat quod Cyprianus in libro de opere & eleemosynis divitem feminam, quæ *Sacrificium*, id est hostiam non obtulerat, graviter increpat his verbis: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis?* Hoc, inquam, nihil obstat, aut enim de oblatione quæ fiebat ad convivium insti-

institutum post Eucharistiæ perceptionem intelligendum est, (agapas appellant;) aut si de pane Eucharistico; id magis pro pane studiosè confecto seu azymo juvat, quàm pro communi ac fermentato. Nam si panis communis & usitatus in rem sacram adhibitus fuisset, vix concipi potest commissurum fuisse quemquam, ut ad mensam Domini sine oblatione sua accederet. Facile quippe & obvium erat, aut panem communem integrum, qui numquam in ædibus divitum deest; aut certè frustum ex eo accipere in oblationem. At quia panis Eucharisticus religiosis quibusdam ritibus ac studio præparatus esse debebat, hinc facilè contingere potuit, ut divites incuriâ parandi ejusmodi panis non haberent aliquando quem offerrent; communicarentque ex pane quem pauperes obtulissent. Eadem hæc responsio valet ad locum Auctoris incerti ex sermone qui 215. numeratur inter Augustinianos, ubi ait. *Oblationes quæ in altario consecrarentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.*

Quapropter observandum est, integras hostiarum formulas, quales scilicet in ferro characterato pro quinque sexve hostiis imprimebantur, non rarò à singulis Fidelium oblatas fuisse: quæ non singulæ pro singulis communicandorum, sed pro numero eorum integræ etiam nonnumquam consecrabantur. Id colligere mihi videor tum ex Ordine Romano, tum ex Humberto Cardinali, tum ex more usitato in consecratione Episcoporum, Sacerdotum, ac Virginum. In Ordine quippe Romano præcipitur, ut Archidiaconus accipiens oblatas, quas scilicet Fideles obtulerant, *tantas super altare ponat, quantæ possunt populo sufficere*. Tum facta consecratione, ubi tempus communionis instat, *Acolythi parant sinus sacculorum Archidiacono ad ponendas oblationes*: quas deinde *frangunt*: ut sua cuique portio ex integris hostiarum formulis habeatur. Ideo autem in sacculis franguntur, ne micæ seu particulæ inter frangendum in terram aut in locum minus decentem deciderent. Idipsum apertè declarat Humbertus in responsione ad Michaëlem. *Tenues*, inquit, *oblatas ex simila, integras & sanas, sacris altaribus nos quoque superponimus: & ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur*. Denique in consecratione Episcoporum, Sacerdotum, ac Virginum, una oblatæ formula consecrato in plures dies præbebatur: nempe Episcopo & Sacerdoti in dies quadraginta, ut de Episcopis constat ex Ordine Romano, & de Presbyteris ex epistola secunda Fulberti Carnutensis Episcopi ad Einardum; aut certè Sacerdoti in dies octo, ex Ordine Romano; itidemque Virgini recens consecratæ, ut in MS. Pontificali Bibliothecæ nostræ Remigianæ apud Remos legitur in hæc verba: *Virginem Episcopo parentes cum oblatione offerant, & ille involutam manum ejus in palla altaris recipiat ..... Postquam communicaverint, reservent de ipsa communione in diem octavum, & tunc communicent*. Legendum forsan *in dies octo*. Nam Presbyteri quotidie decidebant ex reservata oblatione particulam, ex qua communicabant, teste Fulberto in epistola jam memorata, quæ in MS. codicibus *Einardo*, mendosè in editis *Finardo* inscribitur.

Quid ergo, inquis, fiebat ex aliis oblatis quæ non consecrabantur? siquidem singulas formulas offerebant, quarum una pluribus sufficiebat. Respondet Auctor libri de Ordine Romano *Apportante Archidiacono oblatas in patena à nullo immolatas, accipiat ex illis, quantum sibi sufficere videtur: & alias Archidiacono restituat, quas ille Custodi Ecclesiæ ad observandum committit*. Postea verò usui erant, si quando nemine offerente Missa celebranda erat, quod maximè fiebat diebus privatis; aut in eulogias benedicebantur: quod

quo-

CAP. X. quotidie apud Monachos actitabatur. Certè non singulis diebus, sed *Dominicis* tantùm oblationes à viris & mulieribus faciendas exigit Concilium Matisconense cap. 4., quod anno D. LXXXV. celebratum est. Denique non offerebant omnes, saltem Hincmari tempore, sed tantùm familiæ cujusque capita, ex Hincmaro infra.

Oppones ministros Ecclesiæ, viduas, pauperes & egenos, quos matricularios vocabant, ex reliquis oblationum alitos: ac proinde usitatum ac fermento temperatum panem oblatum fuisse.

Ad hoc repono duplicem antiquitus in Ecclesia factam oblationem, unam ante Missam, aut ante Evangelium: alteram post lectum Evangelium, ad Offertorium, ut vocamus. In prima offerebant Fideles panem, vinum, ceram, & aliud quodcumque in supplementum Sacerdotum, viduarum, pauperum & egenorum: in altera panem & vinum ad consecrationem. Hunc locum egregie illustrat Hincmarus Remensis in Capitularis primi articulo XVI. *Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter; aut ante Missam, aut inter Missam, antequàm Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad oblationem autem unam tantummodo oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit, in buticula vel canna, aut plures oblatas; aut ante Missam, aut post Missam Presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulobias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat.* Præterea panem communem à Fidelibus offerri solitum diserte etiam ab oblatis consecrandis distinguit Concilium Namnetense, cum statuit cap. 9., *ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt; vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant.* Erat ergo alius panis oblatus ad consecrationem, alius *ad Ecclesiam*, id est ad alendos Ecclesiæ ministros. Ex alterutro fiebant eulogiæ, qui panis benedictus modò appellatur. Lege sis Capitulare primum Hincmari articulo 7., & Consuetudines Cluniacenses in lib. 2. cap. 30., ubi præscribitur, *ut in privatis diebus hostia non consecrata portentur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt distribuantur*, nempe illæ ipsæ, quæ etiam à non communicaturis oblatæ fuerant in Missa sollemni: in qua tametsi omnes singulis diebus offerebant, tres tantùm hostias diebus ferialibus pro communicaturis ex alterutro vicissim choro consecrari mos erat, Dominicis quinque.

Aliud objectum petitur ex Epiphanio in hæresi 30., ubi notat Ebionæos, quòd δι' ἀζύμων, id est panibus azymis, mysteria celebrarent.

Hæc objectio prima fronte mihi aliquando validissima visa est: ast integrum locum legenti non ita. Epiphanii hæc verba sunt. Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν δι' ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. Idest, *Mysteria verò scilicet perficiunt ex imitatione Sanctorum qui sunt in Ecclesia quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua sola.* Ex illis verbis non injuria quis hoc modo argumentari poterit. Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quòd Sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ saltem Latinæ: eos verò hoc tantùm nomine arguit isto loco, quòd pro altera Sacrificii parte aquam solam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia ex pane azymo sacrificium conficiebat. Certè interpretatio hæc Epiphanii verbis nullam affert vim, quin immo ipsius menti consentanea esse videtur: cùm eorum

rum morem laudet ob Ecclesiæ imitationem, quam in offerendis azymis sitam esse non immeritò quis contendat. Accedit quòd Epiphanius qui errores fere omnes quos recenset, impugnare solet; Encraticas quidem qui aquâ solâ in re sacra utebantur, refutat: nusquam verò azymorum usum reprehendit. Et sanè quis putet Epiphanium erroris damnasse Ebionæos ob usum azymorum in mysterio sacrosancto, quod in azymis à Christo Domino institutum fuisse confitetur, ut superiùs præmissum est.

Unum hic remoram injicit, quod scilicet Epiphanius ipse in hæresi 46. Tatiani errores enumerans ait, eum instituisse mysteria quædam κτ̀ μίμησιν τ̀ ἁγίας Ἐκκλησίας, *ad Ecclesiæ sanctæ imitationem*; sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuisse. Ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed oblationem ipsam respicere, quod etiam dicendum de priori testimonio.

Et quidem hoc argumento rectè colligitur, ex priori illo Epiphanii loco nihil certi confici posse pro usu azymorum: & ego de industria istuc illum non retuli in superioribus, ubi actum est de fermento Græcorum, sed tamen hinc non evincitur, Epiphanium statuere utrubique Ecclesiæ imitationem in ipsa oblatione, non in re oblata. Nam imitationem magis expressam agnovisse potuit in Ebionæis, quàm in Tatiano. Præter ea, etiamsi azymorum usum non referat ad imitationem Ecclesiæ, non tamen inde certò eruitur eum usum ab ipso inter errores deputari: maximè cùm, ut jam dixi, agnoscat Epiphanius Eucharistiam primitus in azymis à Christo institutam. Fac enim Græcos fermentatum panem in rem sacram tum adhibuisse, Latinos verò infermentatum. Certè Epiphanius non retulisset azymorum usum ad imitationem Ecclesiæ universæ: siquidem Græca fermentatum panem adhibuisset, nec tamen erroris damnaturus esset usum azymorum, quem in Latinis non improbasset. Ad hæc, si erroris arguit Ebionæos quòd azymis uterentur; ideò istud fecit, quòd azymum adhiberent eo animo, ut Legalia cum Evangelio servari oportere traderent. Uno verbo, si nihil facit pro azymorum usu prior iste locus, certè non magis favet fermentato: sed rem in medio relinquit, quæ proinde aliis argumentis dirimenda est.

Ad extremum ut rem paucis tandem conficiam, probato Græcos eisque adhærentes Ecclesias fermento, Latinos verò azymis ab initio usos fuisse; admisso etiam Ebionæos ab Epiphanio notatos, quòd in sacris azymum adhiberent: Respondeo Ebionæos ab Epiphanio reprehensos, non quòd censeret Epiphanius cuivis Ecclesiæ azymo uti non licere: sed quòd Ebionæi cùm essent Græcanicæ communionis, eo uterentur præter morem suæ societatis. Pari enim jure si qui modò Latinorum fermentum azymo in re sacra præferrent, à Latinis arguerentur, non quasi Græcorum fermentum reprobet Latina Ecclesia; sed quòd Latinis hominibus nefas sit morem Latinum in re sacra violare. Responsio hæc aptari etiam potest Armenis, quibus eamdem ob causam sanctus Nicon azymorum usum sæculo decimo exprobravit.

Tertium momentum pro fermentato desumitur ex lib. 4. Ambrosii de Sacramentis cap. 4. *Tu fortè dicis, Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Ex quo Sirmondus arguit: *Nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubiè non significat.*

At neque fermentatum. Etenim *usitatum* panem vocat Ambrosius, non quatenus azymo, sed quatenus consecrato, idest Corpori Christi opponitur, ut lectio verborum ipsa persuadet.

Porrò azymus panis etiam communis seu usitatus dici potest, cum ejusdem

CAP. X. dem materiæ fit cum pane fermentato. Certè Rupertus Abbas Tuitiensis in lib. 3. de Spiritus sancti operibus cap. 21., eodem fere modo, quo supra Ambrosius, loquitur de pane azymo, quem Christus in ultima cœna consecravit. *Panem*, inquit, *communem accepit : sed benedicendo longe in aliud quàm fuerat transmutavit*. En panis *communis* dicitur à Ruperto is, quo Christus in ultima cœna usus est : qui sine dubio in Ruperti sententia fuit intermentatus.

Quartum argumentum ex canone sexto Concilii XVI. Toletani petitum, non modò nihil pro usu fermenti, sed maximè pro azymo valere superius ostendi.

Quintum suppeditant Melchiadis, Siricii & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. Et de Siricio. *Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum quod nominatur fermentum*. Innocentius denique in epistola ad Decentium ita scribit cap. 5. *De fermento quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ : quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta : nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam*.

De hoc fermento variæ sunt sententiæ, aliis Eucharistiam esse negantibus, probantibus aliis. Baronio non assentior qui Eucharistiam esse negat, sed tantùm eulogias in signum mutuæ communionis à Pontifice missas. Nam fermentum istud & *panis consecratus*, & *Sacramentum* dicitur; & solis Presbyteris ejus conficiendi jus atque licentia tribuitur. Denique *panis consecratus* dicitur: quo nomine Eucharistia vocatur à Justino in Apologia prima, ab Irenæo citato apud Eusebium in lib. 5. cap. 24., tum in libro 5. contra hæreses cap. 11., & apud Clementem Alexandrinum in Stromate primo pag. 117., uti Henricus Valesius vir clarissimus in Eusebium adnotavit. Et quidem Eucharistiam in signum Ecclesiasticæ communionis antiquitus mitti solitam, testes sunt Justinus in Apologia prima, Eusebius in lib. 5. cap. 24. tametsi id fieri per Paschalia festa vetuit Laodiceni Concilii canon 14. Nec quemquam movere debet, quòd per Acolythum Eucharistia transmitti dicatur : cùm per puerum ad Serapionem senem directa perhibeatur apud Eusebium lib. 6. cap. 44. Duplicem verò ob causam Pontifex per Titulos Urbis Eucharistiam mittebat, nempe in signum tum auctoritatis, tum Ecclesiasticæ communionis. Ignatius Antiochenus Episcopus in epistola ad Smyrnæos ratam jubet Eucharistiam haberi, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Et Leo Magnus in epistola ad Galliæ & Germaniæ Episcopos, ait non licere Episcopo præsente, nisi ipsius jussu, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere. Itaque Pontifex ut testaretur se Presbyteris Titulorum urbis Romæ potestatem facere Eucharistiæ conficiendæ, Eucharistiam ipse mittebat, quæ etiam symbolum mutuæ unionis erat. Id à Melchiade & Siricio sancitum dicitur, explicatum ab Innocentio. Postea loco Eucharistiæ missæ sunt eulogiæ seu oblatæ inconsecratæ. Hinc in vitæ Johannis Papæ tertii constitutum legitur, *ut oblationes & amulæ vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas*

de

de Lateranis ministrarentur, & in vita Gregorii tertii, *ut oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas*, oblationes inquam panis & vini, quales Gregorius Secundus Ecclesiæ sancti Pauli quotidie mitti constituit. Verùm etiamsi Pontifex Eucharistiam mittebat ad titulos Urbis, aliam tamen Presbyteri sine dubio consecrabant. Nam & Missas celebrabant; & ut sibi id liceret per Pontificem, Eucharistia mittebatur, tum verò ex utraque oblatione, & ex ea scilicet quæ à Pontifice, & ex ea quæ ab ipsis consecrata erat, Presbyter & populus communicabant. Simile quid faciebant Presbyteri recens ordinati, qui Eucharistiâ de manu Episcopi die Ordinationis suæ acceptâ in dies quadraginta reficiebantur: & tamen Missam quotidie celebrare poterant, & Eucharistiam à se consecratam simul percipere, teste Fulberto Carnutensi Episcopo in epistola 2. ad Einardum.

Sed ut ad fermentum Melchiadis aliorumque Pontificum revertar, cur hoc nomine Eucharistia dicta sit inquirimus. Sirmondus, tametsi locus pro fermenti usu, quem asserere volebat, facere videbatur, ita dictam probat, non quòd ex fermentato pane constaret; sed quòd ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicuti fermentum massæ cui commiscetur. Et quidem si bene perpendantur verba relata ex vita Melchiadis & Siricii, tantum abest ut Eucharistia dicta videatur fermentum ex eo quòd fermento constaret, ut contra hoc nomen ipsi adscititium, & aliunde quàm ab ipsa re petitum esse appareat. De Melchiade legitur: *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. In Siricio, *quod nominatur fermentum*. Mihi verò legenti hæc verba, *quod declaratur, quod nominatur fermentum;* statim subiit cogitatio extraneum hoc esse vocabulum, non ab ipsa rei substantia petitum. Certè mihi persuasum est nihil certi inde confici posse pro fermento.

At inquis, Si panis azymus fuisset cur contraria appellatione dictus esset fermentum? Non facilis responsio, ubi vocabulorum, cur una quæque res ita appellata sit, causas explicare incumbit. Unam rationem sanè perquam probabilem attulit Sirmondus. Ego verò Eucharistiam etiam hoc vocabulo appellatam puto, ut nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium. Nam per ea tempora mos erat Patribus, ut non nisi obscuris verbis Eucharistiam exprimerent. Notum id ex Augustino passim, Theodorito in Dialogo Eranistæ, & aliis. Hinc ergo factum puto, ut Melchiades, Siricius & Innocentius adscititio fermenti nomine Eucharistiam designaverint, ne rem sacram gentilibus propalare viderentur. Accedit quòd Cæsarius Græcus parabolam fermenti de Eucharistia interpretatur, non sensu litterali sed morali, in Dialogo his verbis: *Quod si aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur venerandum & divinum Corpus Dei, quod in utero intactæ Virginis Mariæ sibi circumdandum formavit, absque semine contextus, & unitus tam animæ quàm corpori*. Quid si ob hanc similemve rationem prædicti Pontifices Eucharistiam fermenti nomine donaverint, non habita ratione materiæ, sed Corporis Christi in sensu morali? Adderem etiam panem azymum Latinorum à Niceta Pectorato vocari ἄζυμων ζύμην, *azymum fermentum*, nisi id exprobrando & subsannando dixisse videretur.

Sextum pro fermento momentum desumitur ex silentio Photii, qui cùm criminandi Latinos in omnibus, in quibus à Græcorum moribus ac ritibus discrepabant, occasiones corrogaret omnes, numquam tamen azymorum usum objecit; quam objectionem, si usus ille tum viguisset, non videtur omis-

CAP. X. surus fuisse. Et certè eam non omisisse Græcos recentiores qui pontificatu Leonis Papæ noni discidium conflarunt cum Ecclesia Romana. Id argumento esse azymorum usum medio illo, quod inter utrumque schisma effluxit, intervallo apud Latinos incœpisse.

Ad hæc respondeo, Photium Latinis non objecisse azymorum usum, propterea quòd cum morem ex Christi exemplo profectum esse docuerat Johannes Chrysostomus, persuasumque habebat suo tempore Ecclesia etiam Græca, uti ipse fatetur in Bibliothecæ cap. 116., ut superiùs retuli. Deinde ipsum non exprobrasse Latinis, quòd Alleluja non canerent in Quadragesima; nec Monachis Occidentalibus vitio vertisse, quòd infirmi carnibus vescerentur ex concessu Regulæ Sancti Benedicti; quòd femoralia in itinere constituti gestarent, quæ omnia Latinis tempore Leonis noni objecta sunt à Græcis. Denique Photium multa id genus alia omisisse, in quibus tum Latini à Græcis discrepabant, qualis erat tonsura capitis, (tametsi de menti detonsione vitiligavit,) qualis erat manuum impositio in Confirmatione, interdictum baptizandi in Epiphania, & alia ejusmodi, quæ Photius prudens dissimulavit. Ceterùm nihil penitus efficit Photii silentium adversùs certa ac necessaria argumenta, quibus azymorum usum generalem apud Latinos ante Photium viguisse demonstravi.

Ultimum argumentum inde petitur, quòd ante Photii ætatem nulla de azymorum usu lex condita legitur. Hoc argumentum cum Demetrio Chomateno Bulgariæ Archiepiscopo in responsis ad Episcopum Dyrrachii, urget Sirmondus in Disquisitionis cap. 3.

At si hoc argumentum quid efficeret, probaret utique azymos panes in re sacra non fuisse adhibitos etiam post schisma Photianum. Nullum enim, si bene memini, sive de abjiciendo fermento, seu de azymis recipiendis decretum, constitutio nulla, nullusve canon post illud tempus invenitur ante discidium Michaëlis Cerularii, cujus tempore universim azymorum usus vigebat in Ecclesia Latina. Atqui cùm ejus rei nulla exstet lex neque ante, neque post Photium ante Michaëlis ætatem, dicendum est morem istum ab ipso Latinæ Ecclesiæ exordio receptum fuisse. Et certè Græcis promtum fuisset Latinis exprobrare hujus rei novitatem, si usus iste tantùm à schismate Photiano invaluisset. Nec porrò Leo Pontifex aliique Latini eò perfrictæ frontis, vel turpis ignorantiæ processissent, ut morem illum ab Apostolorum temporibus repetere ausi essent, si tam recens fuisset.

CAPUT XI.

Epilogus & conclusio præmissorum.

HActenus quidquid de antiquo usu azymorum apud Latinos observare licuit subsecivis horis, pro modulo meo exposui, nulli sententiæ pervicaciter addictus, sed solo veri agnoscendi & demonstrandi studio adductus. Si quid profeci, id totum supremæ Veritati tributum volo. Si quid incautè scribenti excidit, aut falsum, aut dubium pro vero obtrusum, cupio refelli. Poteram quidem longiùs progredi, si conjecturis plusculum indulgere voluissem: at ejusmodi inventis modum ponere satius mihi visum est, qui historico modo rem persequi principio institui. Reliquum est, ut

ut brevi oratione colligam quod sparsim in superioribus fusiori modo explicavi. CAP. XI.

Eucharistiam à Christo Domino in azymis institutam fuisse probavi: nec tamen ex ejus facto atque exemplo incumbere necessitatem consecrandi in azymis. Hinc & Græcos fermentato, & Latinos azymo ab initio Ecclesiæ uti potuisse, & quidem usos esse citra periculum necessitudinis Christianæ. *Nec* enim *nos offendit observantiæ diversitas, ubi Fidei non scinditur unitas*, inquit Fulbertus in epistola secunda.

De Apostolis nihil dixi, propterea quòd, quid hanc in rem egerint, silet omnis antiquitas, si tamen excipias testimonia Leonis Papæ noni & aliorum sequacium, qui Latinum morem ab exemplo Petri & Pauli Apostolorum derivant. De aliis verò Apostolis nihil pronuntiant, quos certo pani in re sacra fuisse addictos non facilè conficere poteris. Habes in superiori epistola Eminentissimi Cardinalis Bona conjecturas ea de re admodum probabiles, quibus nihil addendum videtur.

Ab Apostolorum tempore constitui cœpit ecclesiastica Disciplina, cujus primarii auctores apud Latinos azymorum usum præcepisse non immeritò videntur. Ad hanc disciplinam sanciendam conditi sunt Canones, quos vocamus Apostolorum, in quorum tertio decernitur: *Nihil aliud in sacrificio, præter id quod Dominus statuit, offerendum*. Quæ verba non sinè fundamento etiam de azymorum usu explicari possunt: quandoquidem apud antiquiores illos Patres persuasum erat, Christum in Cœna azymum obtulisse.

Oppones probabile videri, Fideles tempore persecutionum (ut loquuntur) quæ primis illis sæculis grassabantur, fermentato pane usos in re sacra, qualis scilicet magis obvius erat. Sanè id verò non absimile prorsùs est. Quamquam non ita difficilis paratu est azymus panis, ut vel confici non possit citra periculum vulgandi auctores; vel temporis illius Christianorum diligentiam ac pietatem superaverit. Certè Leo Papa IX. testatur, Martyres nostros, id est Latinæ Ecclesiæ, azymis fuisse saginatos. Et multa alia longè difficiliora fiebant parabanturve illa tempestate, ut ritus pœnitentiæ publicæ, amplissimus Ecclesiæ thesaurus, aurea & argentea rei sacræ supellex, & cetera id genus non pauca. Denique etiam his nostris temporibus Latini Catholici qui apud Infideles vel Hæreticos delitescere coguntur, tamen à parando in rem sacram azymo nullatenus deterrentur. Hæc de primis illis temporibus magis probabilia & veri similia videntur, nullo quidem certo ac necessario argumento, sed conjecturis tantùm fulta, in quibus sistendum putavi, dum certiora suppetant. Exstat quidem locus pro azymo Latinorum in Sermone de Cœna Domini apud Auctorem libri de cardinalibus Christi operibus, qui liber sub nomine Cypriani vulgatus est. At Auctor iste recentior est, scilicet Ernaldus (ut certis constat argumentis) Abbas Bonævallis in agro Carnutensi, sancti Bernardi Abbatis Clarævallensis æqualis & amicus, totis nongentis annis Cypriano posterior.

Magis explorata sunt quæ de quarto & subsequentibus sæculis occurrunt. At verò certa & perspecta videntur ea, quæ de universali azymorum usu ante sæculum nonum apud Latinos recepto superiùs exposui: qui mos cùm ante omnem illius temporis hominum memoriam invaluisse creditus sit; fatendum est eum aut ab ipsis, aut prope ab ipsis Latinæ Ecclesiæ primordiis receptum fuisse.

CAP. XI. Argumenta verò quæ pro fermento Latinorum adducuntur, etsi pro summorum virorum, qui ejus sententiæ auctores sunt, dignitate & gravitate magni apud me sint ponderis, non tamen adeò necessaria mihi videntur, ut id fateri nos cogant; nec certè validiora, quàm quæ à contrariæ sententiæ assertoribus reponi possint. Quapropter de primis illis sæculis remanet quidem plurimum obscuritatis, quæ dubitandi materiam præbere potest: at fermenti usum apud Latinos asserendi (quod cum bona contrà sentientium venia dictum velim) mihi sufficiens causa non videtur.



PRÆ-

PRÆMONITUS
IN SEQUENS OPUSCULUM
ELDEFONSI.



TSI non dubito, quin parum fidei apud nonnullos habitura sint Revelationis nomen, ac modus tractandi rudis & mysticus, quibus Auctor usus est in Opusculo sequenti; non tamen visum est penitus rejiciendum, tum ob Auctoris antiquitatem, tum ob quasdam res singulares, quæ in eo explicantur; tum denique ob inopiam veterum Auctorum, qui de hoc argumento scripserint.

Antiquitatem probat annus Incarnationis DCCC.XLV., quo Revelatio contigisse perhibetur. Confirmante ritus celebrandi Missas tres in Paschate, Pentecoste & Transfiguratione; ac modus explicandi libræ pondus per viginti & quinque solidos, *qui mos ævo Caroli Magni apud Francos maxime usitatus erat. Auctoris verba sunt in fine Opusculi:* Et trecenti tales nummi antiquam per viginti & quinque solidos efficiunt libram. *Huic expendendæ libræ rationi consonat id quod in Synodo Aquisgranensi anni DCCC.XVII. statutum est capite* 57. de libra panis, ut triginta solidos penset antequam coquatur, *sic enim præfert capituli inscriptio, tum sequitur contextus,* ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur. *Nempe uti libra numerica etiam nunc apud nostrates, ita olim ponderalis viginti assibus constabat. At verò quia propensam crudi panis libram Synodus Aquisgranensis definivit ad mentem Regulæ sancti Benedicti; hinc factum est, ut triginta solidos ad libram exigeret. Cur verò Eldefonsus viginti quinque solidos ad libram antiquam exigat, illud forsan in causa est, quòd libra tum Hispanica quindecim unciis constaret. Ex hac, inquam, computandæ per asses libræ ratione colligitur, Eldefonsum eo vixisse tempore, quod ipse designavit. Denique annos fere quingentos præfert membraneus codex Bibliothecæ Vaticanæ, ex quo sequens Opusculum exscribi curavit E. Cardinalis Bona, mihique liberaliter transmisit.*

Cujus loci Episcopus fuerit Eldefonsus, mihi est incompertum. Ducentis ferme annis vixit post magnum Hildefonsum Pontificem Toletanum. Vacui sunt Hispaniensium Episcoporum indices apud Tamaïum medio sæculo nono, quo Eldefonsus vixit, grassante nimirum vexatione Maurorum. Plurimos recenset Rudericus Toletanus Episcopus in historiæ lib. 4. cap. 18., qui post medium sæculum nonum dedicationi Ecclesiæ Ovetensis interfuerunt. at nullus inter eos Eldefonsus. Hæc de Auctore.

Septem omnino sunt res, quæ in hoc Opusculo explicantur, nempe Hostiarum inscriptio, quantitas, numerus, pondus, rotunda figura, azymi qualitas, & coctio intra ferrum. Quatuor priores conditiones sub Revelationem cadere videntur; non verò tres posteriores. Ex quo intelligitur, Revelationem non eò spectare, ut induceretur azymorum usus: sed ut jam receptus, certis titulis, quantitate, numero ac pondere definiretur.

De Hostiarum pondere agit Auctor in fine Opusculi sui, aitque majorem Hostiam adhuc crudam, tantum pondus habere, quantum tres nummi appensi in statera; *& igne decoctam minui* parte sexta: *minorem verò hostiam,* non amplius quàm

quàm unius nummi *pondus habere. Deinde trecentos nummos unam libram efficere. Adeò ut qualibet libra viginti quinque solidis constaret; solidus duodecim nummis, sicut apud Francos etiam veteres duodecim denariis. Ex quibus tria colligo. Primum est, Sacerdotum majores hostias; Communicantium minores, uti modò, etiam tum fuisse. Alterum est, hostias crudas appendi ac ponderari potuisse; ac proinde ex solida massa tum fuisse confectas, tametsi intra ferrum coquerentur. Sic apud Cluniacenses* unus farinam conspergebat, & vehementissime compingebat super tabulám nitidissimam, habentem limbum in circuitu aliquantulum superficie altiorem, ne aqua effluere posset, *ex lib. 3. Consuetudinum Cluniacensium cap. 13. Tertium, ex una libra centum majores Hostias crudas confici potuisse, à quo pondere non parum differunt Hostia nostra majores. Cujus rei experimentum facturus, appendi majores hostias nostras triginta coctas, quarum pondus solidâ unciâ constare deprehendi. Auge quater hunc Hostiarum numerum atque pondus: habebis hostias centum viginti, earumque pondus quatuor unciarum. Detrahe sextam partem hostiarum pro rata coctionis: remanebunt hostia centum, qua cruda uncias quatuor appendent: cùm Eldefonsi hostia centum unam libram, id est uncias duodecim, aut forsan quindecim appenderent. Ex quibus intelligas, pondus Hostiarum nostrarum duabus minimùm tertiis partibus ab eo tempore decrevisse, si non fallit calculus Eldefonsi.*

De quantitate seu magnitudine Hostiarum, illud nobis ex Eldefonso constat, unâ ferri majoris impressione formatas fuisse hostias quinque, unam scilicet majorem, & quatuor minores. Et majorem quidem habuisse mensuram trium digitorum anguli in rotundum panis azymi, *hoc est (si bene capio) trium digitorum à centro in orbem: cùm hostia nostra majores, quibus Parisiis utimur, vix constent uno digito & decem lineis, uti experimento didici. Unde patet, quantum etiam in hac parte decreverint hostia nostra recentiores. Porrò apud Cluniacenses* in ferramento simul hostiæ sex poni poterant *sæculo undecimo, teste Udalrico superiùs laudato.*

Ad numerum hostiarum quod attinet, Eldefonso varius est pro ratione solemnitatum. Quinque nimirum in Dominicis & festis diebus, in Paschate quadraginta quinque per singulas tres Missas, totidemque in Pentecoste: at in singulis tribus Missis Natalis & Transfigurationis Domini, ac in Adscensione decem & septem; in ferialibus unica. Hoc loco dubitatio animum pulsat, an iste ritus Eldefonsi alius fuerit à ritu Mozarabum: ex cujus præscripto hostia consecrata dividitur in novem portiones, quæ vocantur Corporatio, Nativitas, Circumcisio, Apparitio, Passio, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum, *quæ omnes à Sacerdote sumuntur, binis, quæ* Gloria *&* Regnum *appellantur, in calicem missis.*

Ceterùm in hostiis repræsentandis habita est ratio, non tam proportionum geometricarum, quæ in MS. codice non sunt accuratæ, quàm figurarum, quæ hostias exprimunt. Hæc monuisse sufficiat de præsenti Opusculo, cujus inscriptio in MS. Vaticano se habet ut sequitur.

RE-

REVELATIO

QUÆ OSTENSA EST VENERABILI VIRO HISPANIENSI

ELDEFONSO EPISCOPO,

IN SPIRITU-SANCTO, MENSE septimo, (in textu, *decimo*.)



ANNO octingentesimo quadragesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, calculus iste, idest mensura trium digitorum anguli, in rotundum panis azymi sic composita est, scripta sub quantitate ista, per revelationem Dei summi, in mense X., feriâ VII. diluculo, jam opere consueto expleto, in visu apparuit mihi.







Igitur istæ duæ rotæ duobus ferris incisæ ad unum panem pertinent semper, inter utramque partem factæ. Si valens ubique discurrit moneta terreni Regis, cur non melius prævalens semper discurrat ubique moneta cælestis Regis? Ecce puncta quæ in rotis sunt picta retro quinque acta, & rotæ, & puncta ostendunt, quòd nec initium, nec finem habeat Deus in medio consistens, sicut nec puncta nec rota per gyrum. Intuemini juxta fluvium Chobar Ezechielem Prophetam colluctantem, & colloquentem apud quinque rotas, & quatuor animalia. Unumquodque animal habens per quadrum quatuor facies in unoquoque capite, dum esset rota in rotis consistens loco medio. Infra tria etenim puncta, intra quæ sunt duæ quasi præ omnibus rebus columnæ, est Trinitas infra se habens omnia, quamquam in medio sedeat dum omnes in circuitu sunt offerentes munera. Si est via pedum in terris, est veritas capitis in cœlis, vita pectoris est in medio manens reddenda Sanctis. Reminiscamur paulisper quid in pectore Aaron superiùs quæsivimus, dum azymos panes effectos esse vitæ sempiternæ affirmavimus. Si fuerint Andreas & Jacobus socii in terris, & sunt consociati, sicut sunt Petrus & Paulus cum altissimo Deo omnipotenti & Sancti omnes in cœlis. Quatuor Evangelistæ dant testimonia Jesu cum omnibus Sanctis undique. Sicut enim pollex hominis totum debet nummum operire; sic tres nummi, hac Trinitatę

Deo

Deo regente, invicem se tangentes, tot tres sic triangulati, debent totam panis hostiam infra se ita cooperire, ut nec ullum nummum ex toto possit ulla tribus ex aliis partibus discoopertis capere in se, in tantum, ut nec angustior sit panis infra, nec latior extra, tantum, quantum est albus hominis ungulæ circulus.




Et quid plura? *Qui me erubuerit & meos sermones*, dicit Dominus, *hunc Filius hominis erubescet*, subauditur tribulantem audire, aspicere, adjuvare, cum venerit in majestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum. *Et qui vos spernit, me spernit: & qui vos audit, me audit: & si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt*. Et ego voluntatem amantium ac timentium me faciam. Redeamus jam ad ordinem. In Natale verò Domini, in prima Missa & secunda ac tertia, offerendi sunt panes æquali numero & figura, semper duodecim per gyrum, hoc est in rotundum, ad significandum Angelicum chorum; & in medio quinque in crucis modum ad significandos Evangelistas, & unicum Dei Filium, quem testantur quasi sustinentes utique pro redemptione generis humani olim crucifixum. Divide ipsos per decem & septem simul mixtos, quia novem sunt ordines Angelorum, invenies quòd semper septiformis Spiritus sanctus est. Decimus Homo-Deus generando carne creatus, & creando in Maria Virgine specie humana formatus. De officiis verò ternis junge panes simul omnes, fiunt quadraginta & unus. Invenies autem, amice Dei, in deifica significatione, quod si unus est Deus, omnem significat plenitudinem in Deo numerus quinquagenarius, sicut centenarius; & denarius insuper, sicut millenarius. Hoc ipsum decimo mense Natalis Domini significante, in quo Deo Christo & homine corporaliter est non habitans, sed semper manens omnis Divinitatis plenitudo testante idipsum Apostolo Paulo. In Pascha scilicet Dominica Resurrectionis, de qua fit sermonis ratio, centum triginta & quinque panes sunt offerendi in crucis modum per trium Missarum officia, videlicet quadraginta & quinque in unaquaque Missa, ita.



In Domini Jesu Christi Ascensione, & ipsius manifestâ quibusdam discipulis in monte excelso Transfiguratione, quæ fit * sexto Kal. Augustas quinto in mense, ita sunt uno eodemque numero & figura panes offerendi. Similiter omnino & in Natale Domini, ut ostenditur.

* Et tamen modò celebratur octavo Idus Augusti, qui mensis antiquis dictus est Sextilis, seu sextus.




Intuentes mente consideremus de significatione facta in piscibus centum quinquaginta tribus. Vel aliter per Athanasium altiùs intuendum: Non tres, sed unus. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Et ecce omnis plenitudo & latet & patet, significata in Patre & Filio & Spiritu sancto à Johanne in cælis. Neque Filius sine Patre & Spiritu sancto videtur in flumine Jordanis. Neque Spiritus sanctus sine Patre & Filio aspicitur volans per spatium hujus aëris, teste Christo, dicente Philippo Apostolo, qui quærebat videre Patrem: *Qui videt me*, inquit, *videt & Patrem: quia Pater in*

me manens ipse facit opera. Intellige ergo, homo, qui habes ipse tres personas in te dissimiles inter se; animam viventem, carnem apparentem. Spiritum sine intermissione exeuntem à te: quia Pater est ipsa vita sempiterna; Filius ipsa locutio sempiterna, Spiritus-sanctus ad instar solis radii exiens & revertens splendor lucis æternæ. Idcirco ne putes ipsum altissimum Deum Patrem esse confusè ipsum unicum Filium proprium. Definit sanctus Sedulius mirabiliter dicens:


Non quia qui summus Pater est, & Filius hic est:
Sed quia quod summus Pater est, & Filius hoc est.

Dicamus de mysterio. In Pentecoste etiam sub quadrata, cum cruce tamen in medio, civitatis figura cælestis Hierusalem, tot panes offerendi sunt per omnia, subaudis Missarum officia, quot in Resurrectione Dominica, prout videtur in subsequenti figura.




In diebus autem Dominicis & Dei Sanctorum Festis amplius non sunt offerendi panes, nec minus maximè, quàm quinque in crucis forma. Ille etenim panis medius sæpè debet esse potiùs major, & honestior aliis omnibus: de quo legitur in quodam loco: Agnus in medio significatus.

Quo-




Quotidianis autem diebus nec amplius, nec minus, nisi unus tantùm; quia unus est Deus; qui est semper supra omnes unus.



Et quoniam in sic parvo libri spatio hujus, nisi sit ut latissima Bibliotheca, ipsos panes integrè factos & litteris pictos, sicut esse debeant, & super altare poni, nec ipsas figuras sollemnitatum ipsarum, prout est scriptum supra, seu quantitates, hoc est magnitudines ostendere possum; saltem velut per puncta hoc velim demonstrando significare; & sicut supra præfigurando denotavimus, iterum ob memoriam cordis replicamus. In Natale Domini, sicut audistis, decem & septem per tres vices. In Resurrectione Domini quadraginta & quinque panes tribus vicibus. Sic in Pentecoste XL & V. panes tribus vicibus. Sic in Transfiguratione, quæ est supra scripto tempore, decem & septem panes tribus vicibus, similiter ut in Natale. In Dominicis autem diebus & Sanctorum festivitatibus semel tantùm, hoc est vice una, quinque panes sic. Si cui videtur fortè impossibile, nauseâ repletâ mente, sic tantos panes omnes æquali magnitudine Deo simul offerre; saltem unus medius ex his quintus, ille scilicet Dominicus, sit sic magnus, & ita scripturâ utrâque perornatus, prout in rotis duabus demonstratum est superius. Ceteri alii habeant unusquisque tertiam partem magnitudinis, & unum nomen tantùm ex his tribus nominibus scriptum, aut X̄P̄C, aut IH̄C, aut DS: aliud nomen ullum nemo assumat, solùm volens in Hostia scribere illum,

 nisi

nisi unum ex his tribus : quia non solum unum sine altero, sed etiam verè sine aliis pluribus cetera pænè nomina, sicut mihi revelatum est per Spiritum sanctum, non debent in Hostiis scribi ; nisi unum ex his tribus, quale vis, aut XPC, aut IHC, aut DS. Non DNS, non REX, non PAX, non OMNIPOTENS, non VITA, non PANIS, ut quidam Apocryphi putant ; nisi tantùm in una parte XPC, in alia Crux cum duabus litteris, ita.



In uno nempe ferro, tamen magno, possunt quinque simul Hostiæ formari tali modo, ut major sit media, quæ primo est superiùs scripta ; & quatuor aliæ minores, partem ejus tertiam quippe habentes, per quatuor angulos ipsius ferri : ita ut in uno habeat scriptum XPC sursum, in altero IHC deorsum, & ad lævam REX. Sed numquam est solus offerendus absque ullo maximo, aut sine ullo ex aliis tribus, & in quarto loco ad meridiem DS.

Ut autem scire possis, Dei fidelis, certam Hostiarum talium mensuram, quæ te non sinat ullatenus errare : audi cujus sit ponderis ostensus panis primò superius in rotis majoribus, audi, & in minoribus perspice ; prout revelante ac regente individuâ simul sanctâ Trinitate in spiritu didici verissimè. Tres nummi moderni tantum pondus habent, quantum C.LIII. maxima cerulei grana, quod triticum dicitur : & major illa Hostia adhuc cruda tantum pondus habet, quantum tres nummi appensi in statera ; & igne decocta, minuitur pondus parte sexta. Minor etiam Hostia non ampliùs quàm unius nummi habeat pondus, aut unius nummi unaquæque sint minores Hostiæ, aut trium nummorum tres simul pondere, hoc ipsum non sine magno mysterio sancta Trinitate regente. Cùm enim considero de numero piscium, centum videlicet quinquaginta trium, & de tot similiter granis tritici in pondere datis in tribus nummis, & de Hostia panis, quæ non est major, nec minor, si fuerit justissimè ponderata, nisi (prout scriptum est) mensura trium anguli digitorum, ut nummorum trium spatio superius est ostensum ; admiror stupefactus nimis verè deificam dispensationem & præordinationem & dispositionem. Hoc enim non sit alicui dubium, quòd Hostiæ, quamvis habeant diversas & dissimiles in libro formas, id est illic major, istic minor., cùm fuerit certè uniuscujusque ponderis in ferris expressa, absque ambiguitate statim cognoscetur in gyro certissima forma. Dicamus de pondere. Et ecce tres tales nummi, quorum pondus non amplius nec minus, quàm major continet Hostia, si justissimo fuerit pondere factum, nec plus, nec minùs, secundùm consuetudinem antiquam, suscipiunt pondus, nisi quantum habent in se centum quinquaginta tres magnitudinem tritici majoris. Et trecenti tales nummi antiquam per viginti & quinque solidos efficiunt libram : & duodecim tales libræ, quæ fiunt per

tria

tria millia ſexcentos nummos, ſextarium tritici efficiunt unum: ex quo ſeptem panes formari poſſunt, de quibus per totam hebdomadam homo vivere unus poteſt; aut ſeptem in una die. Etenim modius æquus & juſtus debet eſſe per decem & ſeptem tales ſextarios æquos, qui poteſt in una, Domino protegente, centum decem & novem homines die paſtui conductos ſuſtentare.

Hactenus de pondere, & forma, & menſura, adjuvante Chriſto & operante, diſputavimus, & ſicut auditum eſt ſuperiùs, prout potuimus, ſcribendo definivimus,





EUSEBII ROMANI
AD
THEOPHILUM GALLUM
EPISTOLA
De Cultu SS. Ignotorum.

NOVA EDITIO RECOGNITA,
emendata, & aucta.

Juxta Exemplar impressum Parisiis anno 1705.

O ter, quaterque & ſepties
Beatus Urbis incola;
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat oſſuum:

Cui propter advolvi licet;
Qui fletibus ſpargit locum;
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.

Prudent. hymn. de S. Laurentio.

FR. JO: MABILLON
ADMONITIO
In novam hanc editionem.



CUM animadverterem quam plurimos pios homines ambigere & inquirere, an veri martyres habendi essent illi, sive anonymi, sive obscuri nominis, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur : tum quibus indiciis eorum sanctitas & martyrium discerni possint : quo denique cultus genere Sancti illi incogniti sint honorandi : visum erat mihi, dum Romæ ante annos fere viginti versarer, his de rebus viros Romanæ Ecclesiæ peritos consulere, & subterranea Urbis cum reverenter, tum accuratè lustrare cœmeteria, ut ejusmodi quæstionibus aliquid lucis afferre possem.

Quam ob rem ubi primùm ex Urbe reversus sum, statui, scriptis committere, quæ hac de re didiceram : tum ut piorum hominum desiderio satisfacerem : tum ut cavillos refellerem hæreticorum, qui Romanam Ecclesiam ea de re traducunt & infamant, quasi Sanctos personatos Fidelibus venerandos exponat; approbetque profusos illos cultus, qui ejusmodi reliquiis impenduntur nonnullis in locis. Quod utrumque quam à mente & instituto Romanæ Ecclesiæ alienum sit, manifestè probant tum præscriptæ ab ea regulæ ad Sanctos illos discernendos; tum Decretum sacræ Rituum Congregationis, fel. record. Innocentii XII. nomine & auctoritate vulgatum, quo profusi id genus honores, quos nonnisi celeberrimis & receptissimis Sanctis decernit Ecclesia, incognitis illis interdicuntur.

Huc spectat EPISTOLA EUSEBII ROMANI AD THEOPHILUM GALLUM, ab annis sex edita, cujus quidem me auctorem esse haud quaquam diffiteor. Hanc verò sub alieno nomine vulgare mihi visum est, non quasi me ejus auctorem profiteri suppuderet; sed quia honestius & modestius videretur nomen dissimulare meum, ne aperta ac directa fronte eos impetere viderer, quibus fortè hæc epistola displicitura esset. Etsi enim neminem lædere, aut conviciari hac lucubratiuncula permaxime cuperem ; lubricum tamen & invidiosum esse argumentum haud nesciebam. Quod sanè tractandum minimè umquam aggressus essem, nisi me sincerum sanctioris disciplinæ studium, & propensa in Romanam Ecclesiam reverentia ad id audendum impulisset. Etsi verò huic epistolæ alienum præfixerim nomen, nihil hac in re peccatum à me puto contra regulas sacro-sancti Concilii Tridentini. Sufficit quippe, ut verum auctorem agnoscat librorum censor, vel magistratus, qui imprimendi facultatem concedit: quod quidem in hujus epistolæ editione à me observatum est.

Hæc porro nova editio non temere, nec proprio arbitrio à me facta est, sed ad ejus nutum & imperium, penes quem residet summa præcipiendi auctoritas. Id monere hoc loco necessarium duxi, ne quis me rixas denuo serere velle existimet repetita hac editione, quæ potiùs eò tendit, ut emolliam, si quid durius; ut explicem si quid obscurius; denique ut emendem & corrigam, si quid secus quàm par sit, à me hac in epistola scriptum nonnullis videatur.

Insuper unum aut alterum hic monitum Lectorem velim, nimirum, si qua in sacrorum delectu corporum errata aliquando contigerint; id nequaquam imputandum Cardinali Vicario, vel pontificii Sacrarii Præfecto Episcopo, quibus maximè hæc dispensatio competit, sed potiùs secundariis eorum ministris, extractioni corporum Præpositis, qui præscriptas sibi regulas non satis accuratè ac religiosè observaverint.

Ad hæc si qua hac in editione duriuscule quibusdam fortasse scripsisse videbor circa cultum ejusmodi Sanctorum; id tantùm intelligi velim, vel de immoderato illo cultu, qui eis tribuitur, ut dixi, quibusdam in locis contra Decretum sacræ Rituum Congregationis, à fel. recordationis Innocentio XII. approbatum, quo publica de illis Sanctis officia fieri prohibentur: vel de illis corporibus seu reliquiis, quæ certa non habent indicia martyrii, sive sanctitatis. Neque verò in posterum obscurum esse poterit, quænam illa sint indicia, postquam sacra Congregatio super reliquiis instituta declaravit, vitrea vascula sanguine tincta cum palmis habenda esse pro certissimis martyrii indiciis, ceterorum signorum examine in aliud tempus rejecto. Cùm itaque sacra illa corpora cum hoc indicio reperta & accepta fuerint, (dummodo saltem litteris suis id exprimat Cardinalis Vicarius, ut in sollemni formula exprimi solet, qualis est ea quæ de S. Felicissimo in Appendice hic legitur) venerationi publicæ exponi poterunt, sed *absque officio & missa*, sub pœnis in Constitutione Pii V. contentis, ut prædicto Decreto hic subjuncto cautum est. An verò corpora hoc indicio destituta venerationi publicæ exponi possint, aut debeant, facilè est ex præmissis definire.

Certè ad Palmæ signum quod attinet, quòd, secundùm vitrea illa vascula, præcipuum martyrii indicium videri possit, hanc paganis & Christianis communem olim fuisse Bosius *a* fatetur. Unde consultissimè sacra illa Congregatio Palmam, non solitariè sumtam, sed cum sanguineis conjunctam phyalis, pro certissimo martyrii signo agnoscit. Quamquam vix crediderim, Palmam, gentilium tumulis umquam impressam fuisse, sed potiùs cypressum, ut ex Plinio, aliisque profanis auctoribus constat. Sanè Palmam Christianorum sepulcris propriam esse credere malim, & fere inclinat animus, ut eam probabile saltem martyrii symbolum existimem ad denotandam martyrum de peccató & tyrannis victoriam. Et hæc quidem fuisse videtur eorum persuasio, qui corpus S. Dorothei, tamquam martyris, e Romano cœmeterio extulerunt, postea translatum Remos, concessumque Virginibus sacris Congregationis S. Mariæ cum lapide sepulcrali, cui hæc inscriptio grandioribus litteris, subjuncta Palma, insculpta est.

DOROTEUS D. IN P.

hoc est, *depositus in pace.* quæ pacis mentio Martyribus convenire potest, ut ex sequenti epistola patebit.

Ceterùm quæ sive in prima, sive in secunda hac editione à me scripta sunt, hæc omnia citra cujusquam offensam dicta velim, & cum intima observantia in sanctam Romanam Ecclesiam & Apostolicam Sedem, cujus judicio, ut alia omnia scripta mea, ita & hanc epistolam, prout à me recognita & aucta est, ea qua par est animi demissione subjicio.

S Y-

SYNOPSIS
EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Numeri sunt interlineares.

APPENDIX.



E U

EUSEBII ROMANI
AD
THEOPHILUM GALLUM
EPISTOLA
DE CULTU SANCTORUM IGNOTORUM.



UÆRIS à me, amantissime Theophile, quid sentiam de duabus duorum tumulorum inscriptionibus, quarum altera in agro Vesontionensi, altera apud Ambianos nuper reperta est; deque corporibus in illis tumulis inventis, sintne Christianorum, an paganorum; &, si quidem Christianorum, an sanctorum dicenda sint, iisque cultus impendi possit, qualis corporibus Sanctorum Româ advectis in quibusdam Gallicanis ecclesiis impendi solet. Tum pergis inquirere de cultu ejusmodi Sanctorum, an satis moderatus sit, atque purioribus Ecclesiæ regulis accommodatus. Moveri te quippe ais, quòd eorum corpora, è Romanis eruta cœmeteriis, non modò sollemni pompa in ecclesias inferuntur, verùm etiam eorumdem festa, quibusdam in locis, summo cultu, qualem vix nominatissimis & præcipuis Sanctis concedit Ecclesia, quotannis celebrantur per octo consequentes dies. In his sacra pulpita eorum laudibus & elogiis personare, quorum non modò facta, sed vel ipsum etiam nomen sæpè ignoratur; &, ne quid ad sacram pompam desit, sanctissimi & augustissimi Eucharistiæ Sacramenti per hosce dies ostensionem permitti, ut sic divina & humana omnia ad ejusmodi Sanctorum cultum adhiberi videantur. Sciscitaris de his quid sentiam; cunctantem urges, hominem, inquis, Romanum, quippe qui Romam olim profectus sim, & Romana illa cœmeteria curiosè lustraverim.

Petis itaque ut primò de his cœmeteriis agam, utrùm omnes, qui in eis sepulti sunt, martyres, an saltem sancti habendi. Quod si non omnes, an certis notis & indiciis sancti ac martyres ab aliis secernantur. Ad hæc an sanctos illos, sive proprio nomine præditos, sive anonymos, quos ob inditum recens nomen Baptizatos appellari mos est, profuso isto cultu honorari velit Romanus Pontifex, cujus hac in re summa est auctoritas. Hoc quasi præstructo fundamento jubes, ut de prædictis duabus inscriptionibus, duobusque tumulis apud Vesontionem & Ambianos repertis, disseram, meamque his de rebus sententiam sincerè exponam.

Rem verò lubricam & difficilem postulas, mi Theophile, quæ vereor ut quibusdam grata & accepta futura sit. Sed quia id ad Religionis integritatem, quæ ceteris ante ponenda est, pertinere existimas; voluntati morem geram tuæ, sic meam propositurus sententiam, nihil ut afferam, nihil temerè definiam: sed id totum Ecclesiæ judicio ac censuræ lubens submittam. Quod si

qui

qui erunt, quibus hæc offendiculo sint; meminerint, quæso, nihil à me per contentionem, nihil per cujusquam injuriam dictum velle: sed ex Religionis amore, quæ immoderato non minus cultu, quàm parco & remisso dehonestari potest.

I.

Hier. lib. 12. in Ezech. c. 4 INcipio à Romanis cœmeteriis antiquis, quorum reverentiæ qui detrahere volet, adversarium habebit in primis S. Hieronymum, qui dum esset Romæ puer, & liberalibus studiis erudiretur, „ solebat cum ceteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum impleatur: *Descendant ad infernum viventes;* & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putes. Rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur „ :

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Quibus verbis subterranea illa Romæ cœmeteria, quæ vulgus *Catacumbas* vocat, designari nemo qui viderit, negare; simulque iis locis venerationem auctore Hieronymo conciliari, nullus qui attentè hæc legerit, infitiari possit.

In his verò locis Christianos omnes, etiam martyres, primorum temporum sepeliri solitos fuisse ex eodem testimonio colligitur. Neque enim tanta cum religione ea frequentasset Hieronymus, nisi hanc venerationem sepulta Sanctorum martyrum corpora ipsius, ceterorùmque ejus sodalium animis impressissent. Hieronymo succinit Prudentius in hymno de S. Laurentio.

Vix fama nota est, abditis
Quam plena sanctis Roma sit:
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

I I.

NUllos porrò alios quàm Christianos in his cœmeteriis humatos fuisse fidem facit mutuum Fideles inter ac paganos odium, mutuus horror, quorum neutri mortuos suos aliis consepeliri passuri fuissent. Quod maximè de

Cypr. ep. 68. Christianis constat ex Cypriano, qui Martiali Hispano Episcopo exprobrat, „ quod præter gentilium turpia & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata, filios in eodem collegio, exterarum gentium more „, *apud profana sepulcra depositos, & alienigenis consepultos* contestatus sit. Martiali illo multò religiosior Gamaliel, Abibam filium suum, qui secum baptismo Christi initiatus fuerat, suo etiam tumulo *juxta domnum Stephanum*, ut Lucianus presbyter loquitur, sepeliri curavit: „ at cavit, ne filius alter uxorve, quod fidem Christi suscipere noluissent, eodem sepulcro donarentur, sed in alia villa: *quia indigni habiti sunt*, inquit, *societate nostra* „. Ita Lucianus Jerosolymitanus presbyter in epistola de revelatione S. Stephani reliquiarum, ex versione Latina Aviti presbyteri Hispani. Non minor erat apud Romanos cura, ne promiscua esset Christianorum cum paganis sepultura. Certè pagani nobiles in apertis & magnificis ad vias publicas monumentis humari solebant; me-

mediocres in ædiculis: plebeiis autem & infimis commune conditorium erat in locis publicis extra portam Exquilinam. Huc ſpectat Horatius ſatyra VIII.

Ut prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.

Idem Horatius portam Exquilinam huc deſignat Epodon lib. 5.

Poſt inſepulta membra deferent lupi.
Et Exquilinæ alites.

Ad quem locum Porphyrius notat, *extra portam Exquilinam ſolita fuiſſe pauperum corpora, vel comburi, vel projici*, ſcilicet in puteos, quem locum *Puticulos* appellatum Sextus Pompejus, A. Gellius, aliique teſtantur; ſive quòd illic in puteos vilia mancipia projicerentur, ſive quòd ibi putreſcerent. Magnam ejus loci partem emit Mæcenas, ibique hortos condidit.

At longè diſpar erat Chriſtianorum ſepultura, qui in ſubterraneis extra Urbem ſpecubus, in longa porrectis ſpatia, diſpoſitis hinc inde ſingulis loculis, honorificè humati ſunt. niſi ſi quando tyranni Martyrum corpora in profana loca deportari curabant. Sic ſancti martyres Vitalis & Agricola, teſtante Ambroſio, *ſepulti erant Judæorum ſolo inter ipſorum ſepulcra*. Sic Julianus apoſtata Sanctorum reliquias cum oſſibus contemtiſſimis per ludibrium permiſceri juſſerat: qua de re conqueritur Gregorius Nazianzenus in oratione ſecunda contra ipſum Julianum. Sic denique reliquias Neſtabi & Zenonis cum oſſibus camelorum & aſinorum commiſtas fuiſſe auctor eſt Sozomenus. *a* Sed aliter res habebat, cum ſepeliendorum Martyrum facultas Fidelibus concedebatur, quibus conditoria peculiaria & diſtincta in præcipuis ſaltem urbibus erant. qualia Romæ permulta ſunt, quale etiam Neapoli inſigne cœmeterium in extra murana Baſilica S. Januarii.

a Soz. lib. 5. cap. 8.

Verùm communia omnium Fidelium hæc cœmeteria erant, etiam primorum hominum, quibus tamen ibidem inſigniora ſubinde arcuata monumenta erecta cernuntur. Itaque in illis cœmeteriis non modò ſancti martyres vel confeſſores, ſed fideles omnes, nullo meritorum delectu humabantur; iſque mos in ſex minimùm priora Eccleſiæ ſæcula perſeveravit. Ex his facilè intelligas, mi Theophile, certis notis & indiciis diſtinctos eſſe oportere eorum loculos, quorum corpora tamquam Sanctorum martyrum, ex illis cœmeteriis eruuntur, & in diverſas transferuntur eccleſias: ac proinde quænam ſint illæ notæ, quæve indicia, operæ pretium eſt inveſtigare.

I I I.

Multa ſunt in illis cœmeteriis indicia, quæ Chriſtianos illic humatos eſſe probant, videlicet ſacrarum hiſtoriarum picturæ, varia ſymbola, puta columbarum, ovium, palmæ, vitis, olivæ, cypreſſi, anchoræ &c. ad hæc chriſimon ſeu Chriſti monogramma, coronæ, ampullæ, inſcriptiones: ex quibus quænam Martyres vel ſanctos Confeſſores ſignanter denotent, inquirendum eſt.

Hiſtorias ſacras primorum chriſtianorum, ſanctorumque virorum tumulis apponi ſolitas fuiſſe tradit Gregorius Turonum antiſtes, qui agens *b* de baſilica ſancti Venerandi in urbe Arvernorum, ait multa ex marmore Pario ſepulcra illic ſculpta eſſe, *in quibus nonnulli virorum ſanctorum ac mulierum religioſarum quieſcunt. Unde non ambigitur*, inquit, *eos eſſe Chriſtianos, quia ipſæ hiſtoriæ ſepulcrorum de virtutibus Domini & Apoſtolorum ejus expoſitæ ſunt.* Neque verò

b Greg. Tur. de Glor. Conf. c. 35.

verò tantum Christi Domini & Apostolorum, aliasque novi Testamenti, sed etiam veteris historias Fidelium sepulcris insculptas fuisse insignis Romæ subterraneæ liber docet. Non omittendum id, quod subdit idem Gregorius de sarcophago cujusdam puellæ in illa Basilica quiescentis, quæ, effracto ejus tumuli operculo, cum vestibus integra reperta est, *ut dormiens potiùs, quàm mortua putaretur*; lumenque reddidit Gregorii Vellavorum comitis uxori oculis orbatæ, quæ ipsius tumulum novo lapide reclușerat. *Unde non ambigitur*, ait Gregorius, *esse eam nobilis meriti, quæ talia præstare potuit ægrotanti*. Nec tamen illius puellæ corpus è tumulo sublatum est. Ea erat majorum nostrorum religio!

Verùm sacras illas, cum veteris; tum novi Testamenti historias omnibus indiscriminatim Christianis communes fuisse haud dubium est; nec proinde ex illis quidquam confici potest, ad probandam eorum, quorum tumulis appositæ fuerint, sanctitatem. Idem dicendum de præmissis symbolis columbarum, ovium, vitis, olivæ, palmæ, cypressi, anchoræ, aliisque similibus: quæ quidem singula quamdam virtutem christianam, aut viventium in mortuos affectum designare possunt, non verò sanctitatem: de quorum mysticis significationibus consulat qui volet Bosium & Aringhum, illustres Romæ subterraneæ auctores. Restant chrisimon, coronæ, ampullæ, & inscriptiones, de quibus singillatim agendum.

Christi monogramma priscis tumulis Christianorum passim impressum cernitur, quod imperitè nonnulli sic explicant, quasi is, qui sepulcro ejusmodi continetur, *pro Christo* passus significetur. Nec ampliùs valet ad id significandum adjuncta chrisimo palma, quæ in tumulis etiam gentilium nonnumquam efficta est, sed longè alio apud Christianos significatu, qui hoc symbolo victoriam de peccato, de morte per Christum, & similia alia designabant. Non sic æquivocæ & ambiguæ sunt Græcæ litteræ A & Ω, chrisimo non rarò adjunctæ, quæ Christum Dominum, principium & finem, significant, sed non martyrium.

Coronam tumulis appositam, martyrii probabile indicium esse Bosius censet, maximè cum alia martyrii signa adjuncta sunt. Unde Fabrettus, Marciam quamdam Romanam, quæ jacens circa cœmeterium B. Tertullini reperta est, martyrium subjisse probabile existimat *ex adjuncta in margine corona, & ultima linea ejus* epitaphii, ubi SUB MAXENTIO legitur, *subaudito verbo* PASSA, inquit Fabrettus [a]. Ubi laudanda est Fabretti hoc in loco moderatio, qui probabile tantùm illud indicium, non certum & indubitatum agnoscit.

[a] Fabr. inscript. cap. 8. pag. 588.

Eadem cautione ibidem utitur in alio græco epitaphio, ubi *Sanctus Dei cultor Eutropus in pace* obiisse dicitur, qui piissimus Eutropus *inter martyres*, inquit Fabrettus, *videtur adscribendus ex vasculo illo, quod tamquam sanguine pro Christo effuso repletum ostentat*. Quàm multa hic concurrunt ad Eutropi sanctitatem & martyrium afferendum! Græcum epitaphium, in quo, *Sanctus Dei cultor Eutropus*, ἅγιος θεοσεβὴς Ευτροπιος dicitur; *vasculum* in ejus manu, *tamquam sanguine pro Christo effuso repletum*. Et tamen Fabretto satis est dicere, quòd *piissimus hic Eutropus inter Martyres* ex his indiciis *videtur adscribendus*, non decretorio, sed probabili tantùm judicio. Sic decet eos, qui, uti Fabrettus, eruendorum è Romanis cœmeteriis sanctorum corporum curam habent, sacra hæc religiosè tractare.

IV.

I V.

„ IDem auctor *a* observat, ampullas vitreas, sanguinea & purpurea crusta *a* Ibid. pag. 555. & seq.
„ obductas, frequentissime in sacris cœmeteriis juxta Martyrum loculos,
„ quà capita recumbunt, reperiri, certissimo effusi pro Christo sanguinis
„ argumento: quo præcipuo, immo & unico usum se fuisse dicit, dum sa-
„ crarum reliquiarum extractioni & custodiæ præfuit. Ubi testem adducit
„ Aringhum, qui hanc probationem præoccupavit. Tum quemdam ex he-
„ terodoxis refellit, qui rubedinem illam non a sanguine, sed à colore ter-
„ ræ, per quam humor pluvius percolatur, contractam contendit. Denique
„ eidem heterodoxo opponit judicium clarissimi viri Gregorii de *Leibniz*,
„ qui, quamvis à Romana religione alienus, physica observatione phyalæ
„ vitreæ, ex cœmeterio Callisti allatæ, sibi natam *merito* suspicionem fate-
„ tur, *sanguineam potiùs materiam esse* in illa phyala, (quod de aliis simili-
„ bus itidem dicendum) quam terrestrem seu mineralem. „

Unde merito laudandum, probandumque est Decretum Congregationis super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis Romæ constitutæ, quæ de his ampullarum ac palmarum indiciis consulta censuit, *palmas*, eisque junctum *vas sanguine tinctum habenda* esse *simul pro signis certissimis* verarum reliquiarum: aliorum verò signorum examen in aliud tempus rejecit. Quod Decretum, referente Papebrochio ad vigesimum Maii, anno M. DC. LXVIII. die 10. Aprilis conditum est.

Mihi verò numquam venit in mentem alias negare, ejusmodi ampullas sanguine tinctas Martyrum, adeóque sacrarum reliquiarum certissima indicia esse; immo id *prudenter ac sapienter* à sacra illa Congregatione *decretum* fuisse disertè asserui. Verùm, quia in nonnullis etiam Christianorum loculis alterius generis vascula & ampullæ quandoque reperiri possunt, quæ fortè ad continendos suffitus, aliumve id genus usum appositæ sint; laudato hoc Decreto, mox subdidi, ejusmodi vascula pro signis certissimis verarum reliquiarum habenda esse, *si modò constet ejusmodi vasa sanguine tincta esse, non ad continendos suffitus, aut odoramenta, aliaque id genus, apposita fuisse*. Quod nequaquam derogat prædicto Decreto, cui ex animo, ut par est, subscribo. Certè in antiquis Christianorum tumulis non rarò reperiuntur vascula figulina, carbonibus oppleta, quæ ad thus suffumigandum apposita fuisse nemo negaverit. Aliam quidem rationem esse constat de vasculis vitreis, quæ nonnisi ad sanguinem conservandum adhibita fuisse videntur. Verùm, quia non modò in vasculis illis vitreis, sed etiam in figulinis sanguis concretus asservatus fuisse à Bosio, aliisque dicitur: quale erat vasculum illud, quod Petro Amoragæ nobili Hispano ab se concessum fuisse Bosius ait; hac distinctione utendum putavi, ut vasa illa *pro signis certissimis* verarum reliquiarum habeantur, *Si modò constet ejusmodi vasa sanguine tincta esse*.

Quanta autem cura ac religione sanguinem sanctorum Martyrum collegerint primorum illorum temporum Christiani, varia probant veterum testimonia, quæ Bosius in lib. 1. cap. 20. retulit. Hunc sanguinem vel panis seu linteaminibus excipiebant, vel spongiis exceptum in ampullis reponebant. Ejus generis est ampulla sanguinis sancti Januarii Episcopi & Martyris Neapoli asservata. In eamdem urbem S. Gaudiosus Episcopus ampullam beati Stephani sanguine plenam attulisse traditur. Qualis etiam ampulla Biturigas à B. Ursino allata, cujus meminit Gregorius Episcopus Turonensis in libro de

Gloria Martyrum cap. 34. Insignis hac de re locus est apud eumdem auctorem in ejusdem libri cap. 12. ubi matrona quædam è Galliis, „ cùm Jerosolymis adesset eo tempore, quo B. Johannes Baptista decollaretur, datis muneribus percussori supplicasse dicitur, ut *sanguinem defluentem colligere ipsi permitteretur*„. *Illo autem percutiente, matrona concham argenteam præparat, truncatoque Martyris capite, cruorem devota suscepit : quem diligenter in ampulla positum in patriam detulit, & apud Vasatensem urbem, ædificata in ejus honorem ecclesia, in sancto altari collocavit*. Non omittendum id, quod in lib. 1. de miraculis S. Stephani, cap. 1. apud Augustinum *a* legitur de ampulla sanguinis ejusdem sancti Protomartyris, de cujus veritate cuidam famulæ Dei dubitanti *per somnium ampulla quædam demonstratur. intra se habens sanguinis quamdam adspersionem*. Denique exstabat jam dudum in Mettensi ecclesia sancti Stephani ampulla sanguinis, cujus portionem vel modicam sibi dari postulavit Hildiwardus Episcopus Halberstadensis in epistola *b* ad Adalberonem Mettensem Episcopum : cujus sanguinis virtute Mettensem urbem Hunnorum vastationi subductam fuisse idem Hildiwardus scribit : cui Gregorius Turonensis antistes suffragatur in Historiæ lib. 1 t. cap. 6. Denique in detectione corporum S. Placidi ejusque sociorum anno M.D.LXXXVIII. inventa sunt in eorum tumulis vascula sanguine referta, ut in historia istius inventionis italicè tunc scripta legitur. Sed hæc satis de ampullis sanguine tinctis, quas pro certissimis martyrii signis habendas esse non dubito, etiamsi palma eis adjuncta non sit.

a Aug. tom. 7. App. p. 26.

b Labbe tom. 1. Bibl. pag. 783.

Antequam hinc manum subducam, juvat hoc loco referre id, quod Marlotus in Metropoli *c* Remensi testatur de quibusdam corporibus in urbe Remorum inventis circa basilicas sanctorum Timothei, Agricolæ & Sixti, ubi communia primorum urbis Christianorum conditoria erant. Effossa humo inventæ quorumdam cadaverum compages, quorum ossa ferreis clavis transfixa erant, non dubio, ut videtur, martyrii indicio. Nam ferreis ejusmodi clavis, maximè apud nostrates Gallos, transfixa fuisse Martyrum corpora, multis veterum testimoniis constat, ab eodem auctore prolatis. Et tamen ea Marloti religiosa prudentia est, „ ut disertè testetur se nolle pro certo persuadere hos martyres fuisse, quod Deus hactenus occultum esse voluit. *In iis enim*, inquit, *quæ ad cultum Sanctorum pertinent, fides tardior esse debet*. Complura quidem esse Sanctorum corpora humi defossa tempore persecutionis, quæ postmodum revelatione aut miraculis cognita fuere : at cùm nihil tale in prædictorum corporum inventione contigerit, se de eorum martyrio judicium Deo committere, nec quidquam certi velle hac de re pronuntiare „. Quæ religiosa cautio nemini non probanda haud dubie videbitur.

c Marlot. tom. 1. p. 76. & seqq.

V.

JAm veniendum est ad inscriptiones, quæ primæ ætatis Christianorum tumulis appositæ fuere. Quibusdam eorum monumentis insculptæ sunt siglæ, D. M. quæ apud ethnicos usitatissimæ erant pro *Diis Manibus*, ut omnibus notum est. Retuleram in Itinere *d* Italico Leopardi Christiani epitaphium cum hoc ipso litterarum in fronte compendio in hunc modum.

d Iter Ital. p. 73. & seqq.

D. MA.

D. MA. SACRUM XL.
LEOPARDUM. IN. PACEM.
CUM
SPIRITA. SANCTA.
ACCEPTUM
EUMTE * A BEATIS.
INNOCENTEM
POSUER. PAR. Q. [VIX.]
AN. VII. MEN. II.

* *f.* Eumdem.

Ubi manifestum de Confirmationis Sacramento locum esse dixeram, referendumque ad prima illa tempora, *quo cruda adhuc quorumdam in cordibus Christiana religio aliquid de paganici ritus superstitione retinebat*; ratus scilicet his figlis, D. MA. *Diis manibus* significari, uti in quadam alia inscriptione apud Smetium. Huc etiam referri potest epitaphium Ludovici II. Imperatoris apud Puricellum *a*, ubi inter duas cruces, medio chrismo, præmittitur D.M.

a Puricell. Ambr. pag. 220.

Contra jam laudatus Fabrettus *b* superiorem de Leopardo locum, aliaque similia sic interpretatur, DEO MAGNO, vel MAXIMO. Quod, quamquam rariusculum est, admittere malim, quàm contentiosus esse. Idem dico de sensu horum verborum, SPIRITA SANCTA ACCEPTUM, quibus Baptismum *c* potiùs, quàm Confirmationem ei subjunctam significari contendit. Quod mihi perinde est. Certè quod priori loco me arguit, quasi promtior fuerim, ut paganici ritus suspicionem admitterem in templo ac tumulo sanctæ Constantiæ seu Constantinæ, in cujus vase, atque in fornice ex musivo *exhibentur genii uvas demetentes, ferentes, & calcantes*; meque monitum vult, *vitem, vindemiamque ipsam inter præcipua & frequentiora Christianorum monumentorum ornamenta locum habere*; quamquam hac in re monitore non indigebam; gratiam tamen monenti habeo: an verò genii uvas metentes & calcantes sacris symbolis tribuendi sint, alii viderint. Sanè his quoque postremis temporibus, non pauca ex prisco gentilium ritu penes quosdam residere, testis est vetus illa jurandi formula, *mehercule*, aliæque similes, quas etiam nunc nonnulli, qui Ciceronianum stilum affectant, non rarò usurpant, qua ratione Fabrettus *d* ipse *Manium importunam*, ut ipse vocat, *usurpationem* in duobus Christianorum epitaphiis, à Grutero relatis, admittere cogitur. *Facile siquidem erat tunc*, inquit ille, *ex inexstincta gentilitatis phrasibus, poëtico præsertim stilo, aliqua imitari inconsideratè potiùs quàm impiè, quæ adultæ jam veræ religionis temporibus resecata sunt*. Verùm, quæ in prædicto Itinere Italico dixi, multis persuasum esse, Bacchi sepulturam seu monumentum & fanum illic esse, etsi hoc referendo improbaverim, mihi modò non placet; idque & quidquid incautè à me eo loci & alibi dictum est, pro non dicto esse velim.

b Fabr. pag. 564. & seqq.

c Ibid. pag. 575.

d Fabr. pag. 112.

V I.

UNum his adjicere lubet de quibusdam aliis notis, quæ tumulos Christianorum à paganicis distinguunt. In his censenda videntur vocabula seu formulæ, *depositus, depositio, quiescit in pace, dormit in pace, bonæ memoriæ*, quæ numquam paganis tributa fuisse puto. His adde *reddidit*, hoc est *defunctus est*, verbo inter Christianos usitato, ut Fabrettus *e* exemplis probat. Idem censendum videtur de notatione kalendarum, nonarum & iduum in epitaphiis, quæ in tumulis gentilium numquam legere memini. Hæc fere

e Fabr. pag. 558.

omnia expressa habes in quodam epitaphio, quod in Nicia illustrata Petri Joffredi refertur, inserto subinde corde transfixo, in hunc modum.

☧ HIC REQUIESCIT BONAE
MEMORIAE
SPECTABILIS. ℣. EXPECTATUS.
Q. VIXIT. ℣.
ANNIS. PL. M. VII, ℣. CUJUS. DP.
EST. SUB. ℣.
DIE VIII. KAL. JUNII. DN.
LEONE. JUNRE.
V. C. SS.

Sub Christi monogrammate sculptus est piscis, Christum Salvatorem designans apud antiquos Patres: ex quibus Tertullianus Ιχθῦς *nostrum Jesum-Christum* vocat initio libri de Baptismo. Quam vocem explicans inter alios Optatus a Milevitanus: *Hic est piscis*, inquit, *qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut, quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen, secundùm appellationem græcam, in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet.* Ιχθῦς *enim latine est* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. Redeo ad Expectatum, qui pro martyre habetur in Nicia illustrata, non satis idoneo, ut videtur, fundamento: siquidem Leone juniore imperante ulla fuisse martyria veri simile non est. Idem censendum videtur de Victorino, cujus corpus Turonicis sancti Martini canonicis concessum est cum hoc epitaphio:

a Optat. lib. 3. in Parm.

FLAVIIS LUPICINO ET JOBI
NO CONSS. VII. IDUS JUNIAS
DECESSET DE SECULUM
PUER VICTORINUS QUI
BIXIT ANNUS XXXVII. M. X.
D. X. ET CUM UXSORE
FECIT ANUS II. M. III.
DP. V. IDUS JUNIAS VENE
MERENTI IN PACE.

Adjuncta est epitaphio columba. Lupicini & Jovini consulatus incidit in annum vulgaris æræ christianæ CCC.LXVII. imperante Valentiniano seniore, cujus tempore nulla erat Romæ persecutio, nulla martyria. In hoc epitaphio notandum est Victorini obitum distingui ab ejus depositione, quæ post biduum successit.

V I I.

NUnc inquirendum est, utrùm formula *in pace quiescit*, aliæque similes, Martyribus umquam tributæ sint, quæ quibusvis aliis Fidelibus, in pace ecclesiæ defunctis, potiùs assignatæ fuisse nonnullis fortasse videbuntur. Verùm Martyribus etiam tributas fuisse constat ex hoc Marii militis & martyris epitaphio, apud Bosium relato in lib. 3. cap. 23.

TEM-

TEMPORE ADRIANI
IMPERATORIS.
MARIUS ADOLESCENS DUX
MILITUM. QUI SATIS VIXIT
DUM VITAM PRO CHO
CUM SAN
GUINE CONSUNSIT IN
PACE
TANDEM QUIEVIT BENE
MERENTES
CUM LACRIMIS ET METU
POSUERUNT ID. VI.

Appoſita hinc palma, inde monogramma Chriſti. In actis Martyrum ſinceris ſæpe ſit mentio de pace, ubi de Martyrum agone agitur. Sic in actis S. Saturnini Epiſcopi Toloſatis unus è codicibus *a* ſic habet: *Gratias Deo omnipotenti, qui coronavit Martyrem ſuum in pace*. Nihil itaque præjudicant ejuſmodi formulæ, *quieſcit* vel *dormit in pace*, quo minus cenſeantur martyres, ubi hæ formulæ in eorum epitaphiis leguntur, modò certa aliunde martyrii indicia adſint.

a Ruinart. Acta. Mart. pag. 112.

VIII.

NOn modò in epitaphiis Paganorum, ſed etiam Chriſtianorum adſeribi ſolent anni, menſes & dies, quibus quiſque vixiſſet: nec in ſolis gentilium tumulis invenias, tametſi rarius, adjectas horas, immo ſemihoras, & ſcrupulos horarum. qualis eſt hæc inſcriptio inter alias Piſis reperta:

BENEMERENTI. IN. PACE
SILVANA. QUAE. HIC.
DORMIT
VIXIT. ANN. XXI. MENS. III.
HOR. IV. SCRUPULOS. VI
DEPOS. IX. KAL. JULIAS...

Hanc inſcriptionem cum multis aliis ejuſdem argumenti retulit Fabrettus *b* cap. 11. ubi de ſcrupulis horarum plura differit.

Mitto formulas dimenſionum per pedes IN FRONTE, & IN AGRO, Paganorum monumentis adhiberi ſolitas; nuſquam, ſi non fallor, tumulis Chriſtianorum. quæ formulæ iis ſolis competebant, qui ſecus vias publicas, ut pagani, ſepulti erant. Idem dicendum de formula illa, SUB ASCIA DEDICAVIT, quam nonniſi ethnicorum monumentis adhibitam fuiſſe conſtat. De hac formula plura inferiùs.

b Fabr. p. 96. & pag. 182. 185.

IX.

AD hanc de Chriſtianorum tumulis tractationem pertinet id, quod Fabrettus, *c* aliique ante eum obſervarunt, nimirum primos Chriſtianos Paganorum memorias, „ tituloſque ſuffuratos eſſe, & ſuis loculis cœmete„ rialibus claudendis applicuiſſe, propriis nominibus inſculptis, & profano„ rum abſconditis, aut abraſis „. Id variis chriſtianarum inſcriptionum exemplis patet, quorum nonnulla in Itinere noſtro Italico *d* retulimus. Atqui inter ipſos etiam paganos id ſeverè prohibitum erat. Certè quod ex eorum

c Fabr. pag. 307.

d Iter Ital. pag. 136.

rum monumentis lapides revellerent Christiani ad ornandos Martyrum tumulos, non omnibus probabatur. Hujus rei argumentum nobis præbent anonymi cujusdam Poetæ versus græci, quos vir humanissimus & eruditissimus Johannes Boivinus cum versione Latina ex codice regio mihi communicavit, scriptos *in eos, qui gentilium sepulcra effodiunt prætextu Martyrum sepeliendorum*. Hos versus hic referre non ab re fuerit.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ἈΝΟΡΥΤΤΟΝΤΑΣ ΤΑ'ΦΟΥΣ ΠΡΟΦΑ'ΣΕΙ ΜΑΡΤΥ'ΡΩΝ.

Τρισθανέες, πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματ' ἀνάγνων
Τοῖς ὁσίοις. Τύμβοι δὲ θυηπόλον ἀμφὶς ἔχουσι.
Δεύτερον αὖτε τάφοις τοῖς μὲν διεπέρσατ' ἀθέσμως,
Αὐτοὶ σήματ' * ἔχοντες ὁμοῖα. τοῖς δ' ἀπέδοσθε,
Πολλάκι καὶ δὶς * ἕκαστον. ὁ δὲ δίπον. ἱεροσυλεῖς
Μάρτυρας, οὓς φιλέεις. Σοδομίτιδες ἔξατε πηγαί.

* f. σώματα
* l. δύς

IN EOS [QUI GENTILIUM]
SEPULCHRA EFFODIUNT
PRETEXTU MARTYRUM
[SEPELIENDORUM.]

Ter morte digni, primùm quidem miscuistis corpora profanorum
Sanctis; & sepulcra [Profanorum]
Sacerdotem [Christianum in medio [stantem] habent.
Deinde verò tumulos [gentilium,] alios quidem evertistis nefariè,
Ipsi sepulcra habentes similia : alios autem vendidistis,
Sæpe & bis unumquemque : aliquis & ter [vendidit.] Sacrilegio lædis
Martyras, quos amas. [prosilite] fontes Sodomitici.

Id est fontes sulphurei, quibus Sodoma subversa est.

Alios ejusdem argumenti versus prætereo. Ex hac porrò sepulcralium lapidum transmutatione factum est, ut epitaphia gentilium in Christianorum cœmeteriis quandoque inveniantur, ex adversa verò parte Christianorum inscriptiones. Ad hunc modum Innocentius II. teste Romano S. Petri canonico, apud Lateranum sepultus est in porphyretico Hadriani Imperatoris loculo, *cujus coopertorium*, inquit, *est in paradiso* seu atrio *S. Petri super sepulcrum præfecti*; & Guillelmus Fliscus Cardinalis, Innocentii IV. ex fratre nepos, in atrio basilicæ S. Laurentii extra muros humatus hodie quoque cernitur in præclaro nobilis cujusdam Pagani mausoleo, in quo duorum conjugum hymenæus repræsentatur. Nihil itaque Martyrum sanctitati officiunt ejus generis mutuata sepulcra, dummodo certa indicia eorum martyrium probent.

X.

EX his, quæ hactenus dixi de notis & signis, quibus Christianorum, & in his Martyrum tumuli à paganicis secernuntur; facilè intelligitur, alia indicia esse certa, alia dubia & equivoca. Christianorum tumulos distinguunt

guunt sacræ historiæ eis impressæ, Crucis signum, Christi monogramma cum A. & Ω. Palma & corona, Christianis magis propriæ, quàm paganis, quibus si aliquando, certè rariùs eas tributas invenias. Ad Martyres quod attinet, ampullas sanguine tinctas cum palmis pro certissimis martyrii signis merito agnoscit sacra Congregatio super Reliquiis instituta: alia in ulterius examen prudentissimè rejecit. Cui Decreto, ut jam dixi, ultro ac reverenter subscribo.

Quod spectat inscriptiones, illæ Christianos designant, in quibus hæ formulæ habentur, *bona memoriæ*, *quiescit* vel *dormit in pace*, *depositus*, *Kalendarum*, *Nonarum & Iduum* notationes, quæ omnes etiam Martyribus communes sunt, at peculiares & propriæ, si eorum martyrium disertè exprimant. Hæc omnia patent ex dictis; indeque facile intelligitur, merito pro Sanctis habendos illos, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur, modò de eorum martyrio constet, sive ex vitreis ampullis sanguine tinctis, sive ex eorum epitaphiis, quæ eorum martyrium clarè testentur; adeóque coli posse, si eorum cultum Romanus Pontifex præscribat, aut saltem permittat.

X I.

Atqui de publico cultu ejusmodi Sanctorum, sive nomen proprium habentium, sive anonymorum, quos uno vocabulo ignotos seu incognitos deinceps appellabimus, nihil præscribit Pontifex, seu Cardinalis Vicarius, aut pontificiæ Capellæ æditiuus Episcopus Augustinianus, quorum alteruter Sanctis istis nomina solet imponere. Tantum in eorum litteris permittitur, ut *venerationi fidelium in ecclesiis exponi possint*. Quæ formula est earum litterarum, quibus ipsorum testimonium de ejusmodi Sanctis eorumque reliquiis exprimi solet. Hæc verò formula non eo spectat, ut ecclesiastica de iisdem Sanctis officia, multo minus ut de iis Missæ celebrentur, aut eorum elogia publicè in ecclesiis prædicentur. Quod cum secus fieri quibusdam in locis animadverterent sacrorum rituum præpositi Romani; hos, quos vocant, *abusus Decreto generali* proscribendos censuere, idque sua auctoritate Pontifex approbavit. Quod Decretum ad calcem hujus epistolæ, ne ejus interrumpatur series, integrum leges.

Hoc Decreto manifestum est notari eosdem *abusus*, quos non modò in quibusdam Gallicanis ecclesiis, sed etiam in Belgicis ac Germanicis, immo & Italicis, vigere comperimus. Ab hoc numero excipiendæ sunt Gallicanæ cathedrales, & quædam aliæ nobiliores ecclesiæ, quæ novos illos cultus nondum admisere, ut multæ aliæ, in quibus Sancti illi ignoti publicis officiis ac Missarum celebrationibus honorantur, contra præscriptum hujus Decreti, & institutum illius rubricæ, qua permittitur, *posse in ecclesia recitari officia & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora & reliquiæ insignes in ea asservantur*. Quod intelligendum esse *de Sanctis dumtaxat in martyrologio Romano* descriptis ex hoc Decreto patet; aut de iis, quibus a sancta Sede fuerit specialiter concessum. Hoc autem Decretum omnino probandum ac laudandum est; ac proinde ex ejus præscripto cultus ille immodicus, qui Sanctis illis in quibusdam ecclesiis impenditur, vel temperandus, vel omnino proscribendus; & inter abusus censendus videtur, ut certè visum est rituum sacrorum Præpositis, quorum Decretum hoc loco propugnandum aggressus sum contra inductos ejusmodi abusus.

XII.

XII.

Cultus iste, Sanctis illis incognitis impensus, sanctioribus oppositus videtur Ecclesiæ regulis, quibus religiosi honores legitimis Sanctis decernuntur.

Prima regula est, ut Sancti illi nequaquam dubii sint, sed certi & indubitati, ut pote certis & indubitatis recogniti argumentis. Id enim ad religionis sinceritatem spectat, ut nonnisi certa fidelibus sanctioris vitæ exempla proponantur.

Secunda est, ut ex certis & indubitatis Sanctis (de confessoribus loquor) illi tantùm colendi toti Ecclesiæ proponantur & imitandi, qui inter eos illustriores exstiterint; idque præclaris & heroïcis gestis consecuti sint, ut eorum vita fidelibus omnibus in speculum & exemplum proponatur. Alias quicumque, sive pueri, seu adulti, qui statim accepto baptismate ex hac vita decedunt, sollemni cultu honorari possent.

Tertia regula est ex prædictis consequens; ut eorum nomen & facta perspecta sint, aut ex traditione majorum, aut ex indubitatis posterorum testimoniis; &, si quidem pro Martyribus habeantur, ut de eorum passione pro Christo tolerata constet, non vanis & æquivocis conjecturis, sed certis argumentis, de quibus modò actum est.

Quarta denique regula est, ut omnibus Sanctorum factis & virtutibus, miraculis, eorumque circumstantiis attentè consideratis & expensis, de eorum cultu statuat Ecclesia, vel summus Pontifex, cui maxime credita est harum rerum definitio. An verò hæ regulæ novis illis Sanctis aptari possint, paulisper examinemus.

XIII.

Primo ejusmodi Sancti certam & indubitatam martyrii, vel sanctitatis notam præferre debent, nimirum ampullam sanguine tinctam, vel inscriptionem id attestantem. quod certè non omnibus competit. Omnia quidem illa corpora eruuntur è veteribus Romanis cœmeteriis, quæ solis Christianis propria fuisse persuasum habeo: at solis Sanctis, sive Martyribus, seu Confessoribus, concessa omnino negaverim. Communia hæc omnium fidelium conditoria erant, ut superius dixi, jam inde à primis Christianæ Religionis cunabulis, à fidelibus maximè frequentata religionis causâ, ob Martyrum corpora, quæ in illis sepulta jacebant. Neque verò sancti erant, etiam primis illis temporibus, fideles omnes; neque soli ibidem humati sunt nascentis Ecclesiæ Christiani. In usum communem hæc cœmeteria fuerunt in longa posthac tempora, id est, ad prima quatuor aut quinque minimùm Ecclesiæ sæcula, ut inscriptiones probant cum à Bosio in Roma subterranea, tum à Grutero, aliisque relatæ. Quis autem dixerit totis illis sæculis nullos nisi sanctos obiisse, nullos nisi sanctos in illis cœmeteriis fuisse depositos? Non ergo satis est ad asserendam ejusmodi Sanctis venerationem, quòd eorum corpora è vetustis illis cœmeteriis effossa sint, sed alia exiguntur ad id probandum indicia & argumenta.

Duplicis generis corpora ex iis locis eruuntur: alia absque ullo nomine aut inscriptione, alia cum alterutro, vel etiam utroque.

Primi generis Sanctis nomina indi solent à Cardinale Vicario, vel ab Epi-

Episcopo, qui Capellæ pontificiæ præest, ob idque Sanctos ejusmodi Baptizatos appellant. Quæ res magnam Sanctis authenticis confusionem persæpe affert, dum horum nomina novis illis sanctis tribuuntur. Quod tamen evitare student, imponendo ea tantùm nomina, seu epitheta, quæ nominatissimis Sanctis non competunt. „ In secernendis ejusmodi Sanctis maximè valent „ ampullæ vitreæ, sanguinea & purpurea crusta obductæ „ : *quo præcipuo, immo unico* indicio usum se fuisse dicit supra laudatus Fabrettus. Quod ita semper observatum fuisse pervelim, ut nulla exempla in contrarium afferri possint.

X I V.

Secundi generis tumuli, qui humatorum nomina & inscriptiones habent, magnæ videntur auctoritatis, immo certæ, si Martyris titulum præferant, secus si hoc titulo destituantur. Verùm si ejusmodi inscriptiones sincerè expendamus, paucissimæ sunt, quæ vel martyrium, vel sanctitatem eorum, qui in illis tumulis jacent, disertè exprimant, aut saltem utcumque innuant. Liceat mihi, salvo cujusque honore, cum ea qua par est reverentia, quædam exempla proferre & examinare.

In capella domestica ædis abbatialis sancti Martini prope Pontisaram, videtur subtus aram corpus quoddam Româ istuc delatum, cum hac inscriptione, lapidi marmoreo insculpta:

URSINUS. CUM. COJUGE
LEONTIA
VIXIT. ANNIS XX. M. VI. ET. FUIT
IN. SECULO. ANNIS XLVIIII. M.
IIII. D. III. KAL. JUN.

Qui hæc legerit, non facilè ullum sanctitatis, nedum martyrii, indicium, sive in Ursino, sive in Leontia ejus conjuge (*cojugem* veteres scribere amabant) in his verbis deprehendet. Christianum dumtaxat Ursinum esse probant, tum adjunctæ kalendæ, tum Romanum Christianorum cœmeterium, ex quo ejus corpus erutum est. An verò ampulla sanguine tincta cum eo reperta sit, mihi incompertum.

Qualem fidem mereatur inscriptio corporis Attiani, Theatinis Parisiensibus pro sancto Martyre recens concessi, tu ipse, mi Theophile, expende.

AURELIA. CALISTE
BENE MERENTI
ATTIANO COJUGI
TITULU. POSUIT.

Hanc inscriptionem christiani hominis esse non alio argumento suaderi potest, quàm quod ejus corpus in Romano Fidelium cœmeterio inventum est. Sed multæ ejusmodi etiam paganorum inscriptiones in cœmeteriis Christianis repertæ sunt, quarum lapides, ut mox dicebam, ex propriis locis christiani revellebant ad occludendos suorum loculos, ex adversa quandoque parte aliam inscriptionem christiani hominis apponentes. Sic ex una parte paganorum inscriptiones aliquando leguntur, ex alia Christianorum; & conversa ad interiorem tumuli partem paganica inscriptione, sola exterior, quæ hominem christianum designat, apparet. Ejus rei complura exempla liber supra laudatus Romæ subterraneæ suppeditat. Nihil simile observare licet in præmisso epitaphio, in quo nullum certum christiani, nedum sancti hominis indicium

est, nisi quod erutum sit ex cœmeterio Christianorum. Certè alia sanctitatis indicia hic desiderantur.

Longè minor fides aliis, quæ sollemnem D. M. Inscriptionem præferunt, qualem gentiles sepulcris suis adhibere solebant. Etsi enim rudes quidam primorum temporum christiani, paganicis assueti ritibus, hunc morem aliquando retinuerint; hic mos nihilo minus magis paganum redolet, quàm christianum. Et tamen Juliam Evodiam Martyrem vulgarunt Augustiniani Tolosani ex subjecto epitaphio D. M. inscripto, quod Romæ in cœmeterio Callisti nuper cum corpore sibi concesso repertum est.

D. M.
JULIA. EVODIA. FILIA. FECIT
CASTAE. MATRI. ET. BENE
MERENTI
QUAE. VIXIT. ANNIS. LXX.

Qua in re duplex erratum est, & quòd Julia Evodia ex hoc epitaphio Martyr dicatur: (neque enim inde Martyris titulus erui potest) &, siquidem posset, non Juliæ Evodiæ, sed ejus matri Castæ tribuendus esset.

Erit fortè qui reponat, his siglis, D. M. significari DEO MAGNO, ut supra ex Fabretto retulimus, ubi de S. Leopardo Martyre actum est. Verùm, ut id locum habeat in Leopardo, quem martyrem fuisse ejus epitaphium docet; certè hic non valet, ubi nullum vel christianismi indicium est, nisi quòd in cœmeterio Callisti hoc corpus inventum est. An verò cum ampulla sanguine tincta, alii viderint. Saltem Juliæ Evodiæ nomen, quod paganicæ mulieris est, ei tribui non debuerat.

Ex his nemo non videt, quàm graviter in ejusmodi rebus contra religionem peccetur, dum sancti Martyres asseruntur, quorum nonnullos christianos fuisse vix, ac ne vix quidem demonstrari potest. Simili errore Tolentinates Caterviuum patronum olim sibi adscivere, tamquam Sanctum martyrem, quem Baronius Romano martyrologio adscribere noluit lecto ejus epitaphio, quod Caterviuum christianum quidem fuisse probat, sanctum aut martyrem fuisse non probat. Hujus Catervii & Severinæ ejus uxoris epitaphium ex typis Puteanis retuleram in Itinere Italico: sed accuratius profert Fabrettus *a* in capite X. inscriptionum, ubi FL. JUL. CATERVIUS V. C. EXPRAEF. PRAET. legitur, rectiùs quàm in aliis editis, uti & alia, quæ sequuntur.

a Fabr. pag. 740. & seqq.

Hinc facilè cuivis perspicere licet, paucos esse ex illis incognitis Sanctos indubitatos; cùm nulli, aut certè rarissimi sint, qui vel Martyris titulum in epitaphiis præferant; pauci, qui vitrea vascula sanguine tincta, quod patrati Martyrii certum indicium est, adjuncta habuerint.

X V.

VErùm etsi pro Sanctis indubitanter habendi essent, non continuò publici illis honores tribuendi essent, absque legitima auctoritate; nec in exemplum universis Fidelibus proponendi, nisi id vel martyrio certo, vel præclaris & heroicis virtutibus consecuti essent. Quis verò de Sanctis illis incognitis hoc asserat? Si de vita eorum vel martyrio quæritur; silet antiquitas. Si majorum de illis testimonium; nullum est. Si facta & actiones; nullæ, perinde ac si numquam illi exstiterint. Si vel nomen; plerorumque penitus ignoratur; &, si quod sepulcris eorum appositum est, nullum ferè discrimen à profanis. Quid ergo ædificationis ex illis elici potest, ut in exemplum & cul-

cultum toti Ecclesiæ proponantur? *Quid super illis agam*, aïebat olim in simili argumento Guibertus *a* Abbas, *quorum nec initia, nec media ulli patent, & in quo omnis laus cantatur, finis penitus ignoratur? Et quis illos, ut se juvare debeant, deprecetur, quos nescit, utrùm quippiam apud Deum mereantur?* *a* Guib. de Pag. sanct. lib. 1. cap. 1.

At vitæ quorumdam scriptæ sunt: quales sancti Ovidii, sancti Felicissimi, sancti Victoris. At bone Deus! quales vitæ, quales libelli! li certè, qui meritò in indicem libellorum prohibitorum referendi essent, quod vel falsis commentis, vel vanis conjecturis toti respersi sint; aut certè vera Sanctorum illustrium acta ignotis & apocryphis tribuant, in magnam ecclesiasticæ historiæ, ne dicam Religionis, confusionem. Ita sancti Felicissimi, diaconi sancti Sixti vulgo crediti, facta tribuuntur novo Felicissimo nuncupato; sancti Victoris Mediolanensis martyris Victori nuper Parisios allato. Quid verò de sancto Ovidio? verba & voces, solidi nihil. Laudatur quidem in libello *b* de ejus vita plumbea lamina, in qua nomen ejus, senatoris dignitas cum anno martyrii expressa fuerint. Sed cur inscriptio ipsa non refertur? cur saltem martyrii tempus accuratè non exprimitur? Passus est, inquiunt, sanctus Ovidius sub finem secundi sæculi. Hoccine est annum ipsum martyrii definire? Non sic enimverò, non sic annos exprimebant veteres, nec incertum sæculum pro certo anno habebant. Quam vereor ut hæc lamina satis authentica sit! At vitreum vasculum ad tumulum ejus repertum, palma eidem insculpta, cranium martyris hasta incisum. Bene: hæc martyrem sanctum Ovidium probent: sed hæc non satis ad asserendam ejus vitam, qualis in lucem edita est. *b* Pag. 103.

X V I.

Sint verò Sancti illi, sint Martyres. Ast id non sufficit, ut ipsis primarii Ecclesiæ honores tribuantur. Non satis est esse martyres: *vindicatos* quærimus, ut cum Optato Milevitano Episcopo loquar, id est agnitos ab Ecclesia martyres ac probatos. Hinc est quod Lucilla matrona à Cæciliano tum Archidiacono Carthaginensi correpta est, quòd ante spiritalem sacræ Eucharistiæ potum os nescio cujus martyris libare dicebatur, *etsi martyris, sed nondum vindicati*. Vindicatos igitur tantùm colebat Ecclesia, id est ab Episcopis agnitos & probatos. V. Conc. Elib. can. 60.

Quæris quomodo probarentur? attende & expende factum magni illius sancti Martini Turonensis Episcopi in discernendo falso illo martyre, cujus aram subvertit, & vide quibus momentis inductus sit ad factum inquirendum, quibus modis ad falsum retegendum. „ Primò rem incertam videns, non „ temere adhibuit incertis fidem. En viri sanctissimi religio. Deinde grandi „ se scrupulo permoveri sensit, quod nihil certi constans sibi majorum me- „ moria de illo tradidisset „. Vide quàm accurata oculatissimi antistitis prudentia, quem fortè multæ simplicitatis, ut sic loquar, virum esse opinabaris. „ Postremò ab his, qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis, flagi- „ tabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi „.

Age, has regulas Sanctis illis incognitis adhibeamus. Incertum est plerique an sancti, an martyres fuerint. Id probatum. Deinde nihil non dico certi, sed nihil omnino de illis, ne quidem incerti, tradidit majorum memoria. Denique si majores natu Romanos, sive presbyteros, sive clericos, interroges; nullus nomen martyris, nullus tempora passionis ostenderit. Hæc ubi animadverterint sanctissimi Ecclesiæ Præsules, eos ejusmodi Sanctis publicum

illum cultum facilè concessuros non puto: ne, si hoc fecerint, id tandem in superstitionem, quod Martinus verebatur, & nos vereri debemus, convalescat. Illud eò majori religione observandum, quòd sancto Martino longè potior erat retinendi falsi Martyris cultus ratio, propterea quod altare ibi *à superioribus Episcopis* constitutum habebatur: quale nihil de Sanctis illis incognitis habemus. Et tamen id sanctissimi Præsulis scrupulum non tollit aut relevat, maximè quod nihil certi constans sibi majorum memoria de pseudomartyre illo tradidisset. Hæc cautela si erga Sanctos illos incognitos adhibebitur; non tam facilè in publicum Fidelium cultum deinceps exponendi erunt.

Observatione digna est hanc in rem sancti Gregorii Episcopi Lingonensis cautio & religio. Is, referente Gregorio altero Turonensi ejus pronepote, cum sanctum Benignum martyrem Divionensem in magno sarcophago conditum, atque a fidelibus cultum & honoratum animadverteret; ejus cultui magno molimine restitit, putans cum aliis aliquem ibi sepultum esse gentilem: dum tandem revelatione factus est de veritate certior, ubi historiam passionis ejus ex Italia allatam accepit.

Greg. Tur. de glor. mart. cap. 52.

At, bone Deus! quanta olim Romanæ Ecclesiæ in his cautela erat! quæ, teste Gelasio, gesta sanctorum martyrum, non modò incertorum, sed nec verorum, in divinis officiis legi patiebatur, propterea quòd scriptorum nomina ignota essent, & auctoritas. Quantò magis incertorum Martyrum cultum prohibuisset? Et verò prohibet etiam nunc, ut patet ex illo generali Decreto jam laudato.

XVII.

VErùm si quarta regula incognitis illis Sanctis adhibeatur, eorum fortasse cultum non tam facilè permissuri sunt Ecclesiæ Præsules. Quot & quantæ cauteræ in canonizandis novis Sanctis, quàm morosa diligentia, quam accurati & prolixi ritus adhibeantur, nemo nescit, ut eos singillatim percensere superfluum videatur. In summa, ut aliquis sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, ait Gregorius IX. in bulla canonizationis sancti Antonii de Padua, *duo sunt necessaria: virtus morum, & veritas signorum; merita videlicet & miracula: sic ut hæc & illa sibi invicem contestentur. Cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis*. Præiverat concilium Francofordiense, Carolo Magno regnante habitum, cujus canone 42. sancitum est, *ut nulli novi sancti colantur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt*. Et hæc quidem in accensendis numero sanctorum confessorum novis Sanctis accuratè observantur: cur non etiam in illis incognitis?

At Martyres fuerunt. Verùm quibus id demum probatur testimoniis? ut de plerisque dicam, fere nullis. Esto verò, hi martyres fuerint: interest scire quam ob causam cæsi fuerint. Non enim quosvis martyres agnoscebat olim Ecclesia, quæ temere in media pericula irruentes rejiciebat, teste Mensurio Episcopo in Collatione Carthaginensi. Ubi verò miracula ad cultum illum eis deferendum? nulla certè prærequiruntur in Sanctis illis incognitis.

V. acta S. Polycarp.

Totum negotium hoc fere modo ac ritu conficitur. Præmissis nonnullis precibus, si quis tumulus in Romanis illis antiquis cœmeteriis nondum reseratus occurrit cum Christi monogrammate, cum signo palmæ, columbæ, pastorisve, aut aliquo consimili; tumulus ille detegitur, &, siquidem certum mar-

martyrii aut sanctitatis in eo apparet indicium, puta vasculum sanguine intinctum, hominis conditi ossa è tumulo efferuntur. Dehinc lavanda traduntur certis ministris ad hoc deputatis, quibus lotis Cardinalis Vicarius, vel Episcopus sacrarii Apostolici præfectus Augustinianus nomen Sancto imponit, si nullum habet, & in cistam obsignatam reponit. Hæc illa est sanctorum illorum incognitorum recognitio, &, ut ita dicam, canonizatio: qui ut sancti, martyresve fuerint, hoc nomine in loco decenti asservari quidem possunt; ut verò pro sanctis publicè habeantur, colanturque profuso illo Ecclesiæ cultu, Episcoporum est, & maximè summi Pontificis dispicere, an id gravitati ecclesiasticæ conveniat. „ Duo quippe, ut ex Gregorio nono mox di„ cebamus, ad decernendum publicum ejusmodi cultum sunt necessaria: vir„ tus morum, & veritas signorum, ita ut nec merita sine miraculis, nec „ miracula sine meritis apud homines sufficiant. Hæc saltem pro confessori„ bus„. Utrumque supplere potest martyrium, si passio martyrum sit comperta, & approbata causa. Hæc fere desunt sanctis illis incognitis. Quid superest, nisi ut ex Romani Pontificis sententia, nedum ex Romano Decreto, publicus ille cultus eis abrogetur? Missæ, inquam, divina de eis officia, laudatoriæ orationes, Sanctissimi Sacramenti expositio seu ostensio, quam nonnisi ægrè in celebrioribus illustrium Sanctorum festis permittunt episcopi quique religiosiores. Certè olim sacra Eucharistia statim post consecrationem palla tegebatur, immo etiam ante consecrationem, ut patet ex Gregorio *a* Episcopo Turonensi; idque in usu erat usque ad sæculum duodecimum, quo ineunte Guibertus Abbas *b* testis est, statim *post elevationem demitti Sacramentum* a sacerdote solitum, *& operiri sindone*, quod modò corporale vocamus: uti hodie quoque ferè in usu est apud Cartusianos. Nempe ut hoc ritu testaretur sacerdos, se conspectu tanti Sacramenti omnino indignum esse. Unde rejectum traditur à sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo quoddam *coopertorium Sarmaticum*, *quia rarum* erat ac tenue: *quia non exinde c plenè tegebatur mysterium corporis*, *sanguinisque Dominici*. Quam longè tunc aberant à nostris moribus, qui quibusvis oculis passim divinum illud Sacramentum exponimus! Verùm quod tunc abscondi suadebat religiosa pietas, hoc nunc exponi pia Fidelium devotio fortè exigit, quæ varios usus inducit pro locorum ac temporum varietate. At concedatur hic honor insignioribus Sanctis: an verò etiam dubiis aut incognitis concedendus sit, malim id sanctorum ecclesiæ præsulum judicio relinquere, quàm temere negare videri.

a Greg. Tur. lib. 7. cap. 22.
b Guib. de pign. Sanct. lib. 1. cap. 2.
c Greg. Tur. de vit. Patr. cap. 8.

XVIII.

AT miracula ejusmodi Sanctorum quanta! quot & quanta ad eorum loculos appensa anathemata in signum miraculorum! quot abortivi infantes excitati ad percipiendum baptismum! Verùm illa miracula velim nobis præstari a testibus fide dignis; nec in ea inquirere mihi privato homini convenit. Episcoporum id officium est, ea auctoritas. Ceterùm de abortivis illis parvulis grandem cujusdam mulieris animo scrupulum immissum fuisse scimus, quòd falso excitationis testimonio baptismum parvulo suo abortivo procuraverit. Unde ad præcavendos ejusmodi abusus tales baptismos jam pridem interdixit Ecclesia, ut ad calcem hujus epistolæ patebit ex statutis Guidonis Episcopi Lingonensis.

Verùm fac ista miracula vera & certa esse. Sanè hæc præcessisse debuerant, quo Sancti illi pro veris ac certis haberentur & colerentur; nec subsequen-

quentia miracula factum præcedens comprobant. Deinde præter miracula Gregorius nonus exigit vitæ meritum, quale certè in sanctis illis incognitis nullum nobis compertum est. Neque certum in omnibus martyrium, quod vitæ meritum adæquat.

Insigne est hanc in rem factum Gregorii Magni. Erant in quadam Anglorum ecclesia reliquiæ quædam, quas sancti Sixti martyris esse vulgus credebat, easque hoc titulo venerabatur. Augustinus contra eas pro incertis ac suspectis habebat. Hæc causa ipsi fuit rogandi Gregorium, sibi ut sancti Sixti veras reliquias submitteret ad corrigendam, si qua esset, superstitionem. Quid ad hæc Gregorius? *Fecimus*, inquit, *quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam sancti Sixti martyris corpus dicitur venerari (quod tua sanctitati nec verum, nec veraciter certum videtur) certa sanctissimi & probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quod si corpus, quod à populo cujusdam martyris esse creditur, nullis miraculis coruscat; & neque aliqui de antiquioribus exsistunt, qui se à parentibus passionis ejus ordinem audiisse fateantur: ita reliquiæ quas petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.*

Incertos itaque sanctos & incognitos coli prohibet Gregorius, nimirum qui nullis miraculis coruscant, & de quorum passione à majoribus tradita nulla cognitio habetur; ut certè nulla de sanctis illis incognitis ad nostram notitiam pervenit.

Neque verò sola miracula, etiam vera, sufficiunt ad probandam alicujus sanctitatem, nisi aliunde sanctitas comperta sit, aut ex insigni vitæ integritate, aut ex certo & approbato martyrio. Fieri enim possunt vera miracula ad falsas reliquias, ob fidem ac pietatem eorum, qui eas veras esse credant. Hanc sibi quæstionem olim proposuit Guibertus [a] Abbas: *Utrùm Deus simplices quosque exaudiat, cum per eos invocatur, quos esse sanctos non constat? Cui respondendum est*, inquit, *quia sicut Deum, qui eum, de quo est incertus, exposcit, irritat; ita eum, si fideliter sanctum illum credens, qui non est sanctus, exoret, placat.* Et infra: *Planè si sanctum quis æstimet, quem sanctum quidem dici audiat, sanctum verò esse non constet; si eum præcordialiter & secundùm fidem interpellet, apud Deum, qui causa & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocumque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur; & quod sub spe boni honoratur, numquam à boni remuneratione cassatur.* In his itaque Fidelium pietas ac simplicitas apud Deum supplet quodam modo sanctitatem eorum, quos sanctos bona fide credunt, & invocant.

[a] Guib. lib. 1. de pign. in fine.

An verò, inquis, dubitare licet Romana cœmeteria Sanctorum corporibus referta fuisse? Ego verò adeò id non infitior, ut contrà initio hujus epistolæ ex Hieronymo & Prudentio præstruxerim. Verùm omnes, quotquot in illis cœmeteriis conditi sunt, sanctos esse, nedum martyres, uti jam dixi, indubitanter nego. Delectu itaque utendum est in veris sanctis secernendis, & certa hanc in rem proferenda indicia, ut quis pro Sancto in Ecclesia habeatur & colatur.

XIX.

At innumeros illis in cœmeteriis Martyres sanctos olim exstitisse docet idem Prudentius in hymno undecimo de Coronis, additque nomina eorum soli Deo nota esse. Cur ergo, inquis, coli vetas, quos sanctos martyres

tyres habebat antiquitas? Absit ut repugnem. Sed audi quibus indiciis Prudentius probari sanctos Martyres velit.

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer;
Incisos tumulis titulos. Tu singula quaeris
Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troïa Roma deos!
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quae solum significant numerum.
Quanta virûm jaceant congestis corpora acervis,
Nosse licet, quorum nomina nulla leges.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum;
Quorum solus habet comperta vocabula Christus.

Fateor itaque innumeros fuisse illis in cœmeteriis martyres, quorum nomina, de plerisque loquor, soli Christo nota erant. Hoc certè probat Prudentius: sed vide quibus indiciis sanctos martyres illos designet. Primò incisi erant tumulis tituli. Non ergo absque titulis Martyres agnoscendi. Tituli illi erant Martyris nomen, aut aliquod epigramma. Proferantur nobis tales tituli, & ego Sanctos illos pro veris martyribus agnoscere paratus sum. Si nomen martyris deesset, saltem marmora illorum claudentia tumbas, numerum sanctorum martyrum, qui illic jacerent, suppressis licèt nominibus notabant. Si quid simile nobis in argumentum afferatur ad incognitos illos nostri temporis Sanctos approbandos, benè habet.

Neque verò infitiari velim, quin corpora cum ejusmodi notis è Romanis cœmeteriis extrahi possint, & re quidem vera etiam nunc quandoque extrahantur, & ad remotas transferantur ecclesias. Antiquum hunc esse morem testis est Paulinus Nolanus antistes in Natali XI. sancti Felicis recens edito a V. Cl. Ludovico-Antonio Muratorio, ubi vir sanctissimus sacrarum reliquiarum in varias christiani orbis plagas translationes ita describit.

Inde igitur, suadente fide, data copia fidis
Tum comitum studiis, quaedam ut sibi pignora vellent
Ossibus è sanctis merito decerpere fructu,
Ut quasi mercedem officii, pretiumque laboris
Praesidia ad privata domum sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitae,
Diversis sunt sparsa locis; quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic gratia fontes,
Et fluvios vitae generavit gutta favillae.

Hactenus sanctissimus praesul. Ea verò erat primis illis temporibus in Sanctorum reliquias veneratio, ut pallae, panni, lintea, sacris eorum loculis imposita, immo etiam pulvis ex eorum monumentis collectus, pro sacris reliquiis haberentur, & ad ecclesiarum, altariumque consecrationem sufficere crederentur, ut ex Gregorio M. & Gregorio Turonensi Episcopo, aliisque manifestum est.

Singulare mihi videtur id, quod idem Gregorius Magnus olea ex omnibus

bus ferè Sanctorum, qui tunc Romæ insigniores erant, reliquiis ad Theodelindam Reginam misit. Id nos docuit authenticus index earum reliquiarum, in charta Ægyptiaca exaratus fugientibus jam litteris, & in museo clarissimi viri Francisci Septalæ, ecclesiæ S. Nazarii apud Mediolanum canonici, asservatus, ex quo exemplum olim transtulimus, à Muratorio nuperrime vulgatum in tomo secundo Anecdotorum. Hæc olea an ex Sanctorum corporibus profluxerint, an ex lampadibus ad eorum reliquias ardentibus accepta sint, non liquet. Quamquam posterius longè mihi probabilius videtur. Nam ampullas oleo plenas ex lampadibus ad Sanctorum tumulos ardentibus olim efferri solitas fuisse, & salutem multis attulisse, auctor est in primis Gregorius Episcopus *a* variis in locis. Notum est quod Paulus Warnefridi in lib. 11. de gestis Langobardorum cap. 13. scribit de Venantio Fortunato, ejusque socio Felice, qui ambo, cùm oculis male affecti essent, Ravennæ in basilica sanctorum Pauli & Johannis, accepto è lampade, quæ ad S. Martini altare ardebat, oleo, & oculis admoto, illico sanati sunt. Itaque vix dubito, quin olea illa ad Theodelindam missa ejusdem generis fuerint. Denique Gregorius *b* ipse gratias agit Leoni ex consuli ob acceptum ab eo *oleum sanctæ Crucis*. Ubi miranda majorum nostrorum pia simplicitas, à moribus nostræ ætatis longè diversa, qui ejusmodi olea pro veris reliquiis habebant.

a Greg. Tur. lib. 4. hist. c. 36. lib. 8. c. 15. & lib. de mirac. S. Martini c. 2.

b Greg. lib. 7. ep. 34. ind. 1.

Eadem eorum religio erat in brandea seu pannos, quibus ex contactu sacrorum lipsanorum virtutem inesse haud dubitabant. Qua de re insignis locus est apud Gregorium Turonensem in lib. 1. de miraculis sancti Martini cap. 11. de legatis Chararici Gallicæ regis Ariani, qui pallium sericum, S. Martini tumulo impositum, pro reliquiis sacris in patriam retulerunt.

Verùm, ut ad Romanos redeamus, præclarus est hanc in rem locus apud eumdem Gregorium *c* de sepulcro S. Petri in Basilica Vaticana. Illud tunc temporis positum erat sub altari, quod quatuor columnis ornatum erat, præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentabant. Quisquis autem orandi gratia illuc ibat, reseratis cancellis, qui locum illum ambiebant, accedebat super sepulcrum; & parvula fenestella, quæ illic erat, patefacta, immisso introrsum capite, preces pro sua necessitate suggerebat. Tum immisso, si vellet, linteo sive panno, priùs ad momentanam seu stateram appenso, jejunus in precibus illic subsistebat; &, siquidem ejus fides id merebatur, votorum compos fiebat. Cujus rei hoc indicium erat, si pannus inde pondere gravior efferretur. Ejusmodi panni sacrati à Gregorio Magno *brandea* vocantur, qui ea pro sacris reliquiis etiam ad Principes mittebat, nec alias facilè dari sustinebat. Porrò non unica, sed duæ ad beati Petri sepulcrum ejusmodi fenestellæ erant, superior & inferior, *cataractæ* appellatæ in altera suggestione legatorum Germani & Johannis Episcoporum, nomine Justiniani comitis missorum ad Hormisdam pontificem, petentium, ut *sanctuaria* (sic ejusmodi reliquias vocant) *ad secundam cataractam* ipsis concederentur. Major quippe prærogativa censebatur, si ex secunda fenestella panni super S. Petri sepulcrum seu loculum inferrentur: propterea quod ex ea propior esset sacri corporis contactus, atque adeò virtus major haberetur.

c Greg. Tur. lib. 1. de gl. mart. cap. 28.

Similis fenestella erat ad *memoriam* seu loculum reliquiarum beati Stephani in urbe Uzalensi, auctore Evodio in lib. de miraculis S. Stephani, capite 12. ubi civis quidam Uticensis, paralysi linguæ, pedumque affectus, recuperato pedum officio, exuta tunicæ suæ manica, eo quòd orarium non haberet, eam per fenestellam *memoriæ* ad interiorem locum sanctarum reliquia-

quiarum manu injecta immisit; indeque manu reducta manicam ori suo admovens & linguæ, loquendi facultatem recuperavit.

Ea igitur erat Fidelium illis temporibus pietas ac devotio, ut ejusmodi pannos pro sacris reliquiis haberent. quo in genere in Parisiensi S. Germani seu Pratensi Basilica id genus *brandea* ex dono Gregorii Magni asservantur.

Quin etiam terræ Jerosolymitanæ portiones longius efferebantur, teste Augustino in lib. 22. de civitate Dei cap. 8. cui adstipulatur Gregorius Turonensis Episcopus in lib. I. de Gloria martyrum cap. 7. ubi ait, terræ ejuscemodi particulas aqua solere conspergi, & ex iis *tortulas parvulas formari, ac per diversas mundi partes transmitti*, ex quibus *plerumque infirmi sanitates hauriant*. Hinc Donatistæ terram ex Oriente, si eis afferretur, *adorabant*, ut scribit Augustinus in epistola 52. Denique Helena Augusta, Constantini M. parens, ex eadem terra magnam copiam attulisse Romam dicitur, ex qua sacellum sanctæ Crucis in Jerusalem constratum, & ferme repletum fuisse testantur Onufrius Panvinius & Severanus. Eadem religione adducti Pisani, magnam quoque ejusdem terræ copiam in suam urbem Jerosolymis retulerunt, exque ea amplissimum cœmeterium, quod *Campum-sanctum* appellant, constraverunt.

Hæc idcirco refero, ut nemini mirum videatur, quod Fideles quovis tempore reliquias sacras quascumque ex urbe Roma, quæ secundùm Jerosolymam sancta & sanctissima semper, & merito quidem, habita est, obtinere studuerint. Unde quivis facilè intelligat, quanti intersit, ut hæc reliquiarum transmissio maximo cum delectu fiat, ne quid tam sanctæ Urbis & Ecclesiæ reverentiæ, quod absit, detrahatur.

X X.

ETsi verò quovis tempore Sanctorum reliquiæ inde quæsitæ sint, id tamen præcipuè usitatissimum fuit a sæculo octavo & nono: quo tempore Chrodegangus Mettensis Episcopus, Hilduinus Abbas, Eginhardus, Rabanus, aliique Sanctorum corpora ex Urbe acceperunt. Eodem desiderio animatus Otgarius Moguntinus archipræsul, quoddam corpus sanctum petiit à Gregorio IV. qui ei rescripsit in hunc modum. *De corpore sancto, quod nobis humiliter vestra quæsivit prudentia, quod dirigeremus non habuimus: quoniam cuncta Sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter detulerunt, & unumquodque eorum ecclesiis noviter dedicatis summa veneratione condidimus. Proinde benevolentiam vestram precamur, ut nobis spatium inquirendi diligentiùs prabeatis: quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram complendam petitionem: & si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim quod petistis faciemus. Modò illud non misimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.* Hæc epistola inter Bonifacianas à Serario primum edita fuit, ad calcem hujus libelli integra referenda: ex qua id tantum colligitur, insigniorum Sanctorum corpora non facilè tunc in Romanis cœmeteriis reperiri potuisse, utpote à præcedentibus Pontificibus in urbanas translata Ecclesias. Sanè paullo ante Paschalis I. teste Anastasio, *multa corpora Sanctorum* in illis cœmeteriis perquisierat, atque inventa *intra civitatem recondiderat*. Quapropter multa diligentia opus erat, ut aliquod insignioris Sancti corpus, quale sine dubio expetebat Otgarius, de novo inveniretur. Adde non omnia Romæ sacra cœmeteria tunc detecta fuisse: quale est cœmeterium illud, quod Castuli esse existimant, novissimè retectum ad portam Majorem, propè aquæ-

ductum Sixti V. quod, nonnisi adhibita ſcala, cum Fabretto ingredi potuimus, cum Romæ anno 1686. verſaremur. Et fortè Otgarii tempore necdum uſus invaluerat, ut Baptizatorum, quos vocant, ſanctorum corpora pro ſacris reliquiis in exteras regiones ſubmitterentur.

Haud ſcio cujus generis fuerit corpus illud, quod in novo Claſſenſi Ravennæ monaſterio à ſe viſum fuiſſe teſtatur vir fide digniſſimus Daniel *a* Papebrochius, cujus ipſa verba hic attexere non gravabor. „ Cùm anno 1660. „ inquit, veniſſemus Ravennam, & 20. die Novembris ingreſſi ornatiſſimum „ templum novi Claſſenſis intra urbem monaſterii adoraviſſemus ſub majori „ ara quoddam corpus ſacrum, illic depoſitum & decentiſſimè conditum à „ quodam Cardinali Legato, admoniti eſſe *ſanctæ Argyridis matronæ & mar-* „ *tyris græcæ*, cujus ibi feſtum quotannis ageretur die 24. Aprilis; ducti fui- „ mus poſt altare, ut ſpectaremus marmor tres aut quatuor pedes longum, „ altum verò unum, quod cum corpore illo pariter allatum fuerat, his in- „ ſcriptum notis „ :

a Maii to. 5. pag. 225.

ΓΛΥΚΙΤΑΤΗ. ♥ ΓΥΝΑΙΚΙ
ΑΡΓΥΡΙΔΙ. ♥ ΤΡΟΦΙΜΟϹ
ΑΝΗΡ. ♥ ΕΤ. ΕΣΗ ♥ Λϛ.

„ Rogabant adſtantes, ut ipſum ſibi latinè redderemus. Hanc ergò inter- „ pretationem eis ſcriptam reliquimus : *Dulciſſimæ mulieri Argyridi Trophi-* „ *mus maritus. annis vixit XXXVI.* monuimuſque removendum a templo vide- „ ri ſaltem lapidem, qui natus eſſet ſcandalum parere intelligentibus, & mu- „ lieri forſan ethnicæ poſitus, ac deinde à Chriſtianis fuiſſet allatus in cry- „ ptam, ut alicujus Martyris loculo claudendo ſerviret pro latere. Nam il- „ la corda (iſtic enim, ubi nos littera ♥. poſuimus, notula quædam erat, „ aliquam ſpeciem præbens transfixi cordis) ſi vera ſunt corda, ſolùm eſſe „ indicia doloris, quem maritus hauſerit ex jactura tam caræ conjugis. „ Quod in aliis pluribus ethnicorum epitaphiis videre erat „. Pium ſanè Papebrochii conſilium : ſed audi piiſſimum factum Archiepiſcopi Ravennatis. quod utinam ceteri antiſtites in ſimilibus rebus imitarentur. Sic enim quibuſdam interpoſitis pergit Papebrochius. „ Cum Ravennati Archiepiſcopo in- „ notuiſſet noſtrum de lapide iſto judicium, prædictam Congregationem, „ quæ ſcilicet ſuper indulgentiis, ſacriſque reliquiis Romæ inſtituta eſt, „ conſuluit; & reſponſum accepit, non ſolùm amovendum lapidem, ſed „ ipſum quoque illud corpus, quod martyris eſſe nullo jam certo argumen- „ to patebat, reſtituendum domino Cardinali, qui ipſum donaverat „. Quod exſecutioni mandatum fuiſſe non dubitat Papebrochius. O dignum certè Romana gravitate judicium ſacræ illius Congregationis! à qua ſine dubio eadem omnino ſententia in ſimilibus factis ſperanda eſt, ſi de his pariter conſulatur.

Ceterùm ſi qua ſimilia facta quandoque occurrerint, ea nequaquam imputanda ſunt Romanæ Eccleſiæ, quæ ſumma diligentia & circumſpectione hæc examinari cupit; ſed miniſtris ſecundariis, qui aliquando in his non ſatis accurate & conſiderate agunt.

XXI.

UNum his quæ hactenus dixi, cum nonnullo colore opponi poteſt, nempe non paucos ex illis Sanctis, quos colit univerſa etiam Eccleſia, itidem veris actis deſtitui, nec fere quidquam certi & explorati de illis à majoribus

bus traditione acceptum haberi. Quod de sancto Gregorio, de sancto Christophoro, aliisque similibus dici potest: quos tamen ab Ecclesia temere coli, nemo catholicus dixerit. Verùm magna est inter utrosque distantia, magnum intervallum. Horum siquidem cultus auctoritatem habet à primæva Ecclesia, cui compertum erat saltem eorum martyrium, tametsi nulla nobis de eorum actis supersit certa notitia.

At illorum incognitorum sanctitas plerumque haud satis explorata est, neque martyrium ipsum: quod nequaquam dubium, sed indubitatum esse debet, aut certè indubitata sanctitas, ut publici Ecclesiæ honores eis legitimè decerni possint. Si ergo dubium sit eorum martyrium, vel incerta sanctitas; non colendi sunt, sed ad summum honesto habendi loco; immo eorum corpora e loculis non eruenda: si quid certum de eorum vel sanctitate, vel martyrio habeatur; venerandi quidem, non profuso & immodico illo cultu, sed moderato, prout summus Pontifex statuerit.

Opponunt nonnulli esse in antiquis etiam ecclesiis reliquias haud satis authenticas, quas examinare æquè operæ pretium esset, quàm novas istas, quæ e Romanis cœmeteriis de novo eruuntur. Et id quidem ultro concesserim, si id facilè fieri posset. Verùm sæpè desunt argumenta, quibus id legitimè fiat ob antiquiorum temporum obscuritatem; & longè facilius est novis occurrere, quàm vetera errata abolere; nec decet nova augere, pretexendo vetera, quæ vix, ac ne vix quidem emendari possunt.

Mihi hoc loco in mentem venit recordatio facti, quod sæculo nono contigit in Divionensi ecclesia beati Benigni ad quasdam reliquias, „ quas duo „ gyrovagi, *qui se monachos esse dicebant*, vel ex urbe Roma, vel ex nescio „ quibus Italiæ partibus se sustulisse affirmabant, *cujus tamen sancti nomen se* „ *oblitos esse impudenter* aïebant. Nihilominus ejusmodi reliquiæ, à tam vili- „ bus delatæ personis, & nullo veritatis testimonio approbatæ, *velut causa* „ *honoris*, juxta sepulcrum gloriosi martyris S. Benigni reverenter locatæ fue- „ rant. Tum verò in eadem Basilica, non sanitatum, sed percussionum & „ elisionum miracula fieri cœpta: quibus miseræ mulierculæ subito in ipsa „ orationis domo cadere, collidi & vexari visæ sunt „. His stupefactus in primis ejus loci abbas Ingelramnus, & ipse chorepiscopus, rem ad Theodboldum diœcesanum seu Lingonensem Episcopum retulit: Episcopus verò Amolonem metropolitanum ea de re consulendum censuit per eumdem Ingelramnum. Amolonis sententia hæc fuit, *ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nescio cujus sancti esse dicebantur, omnino de sacris adytis & de loco celebri tollerentur, & nequaquam intra ecclesiam, sed foris in atrio, aut certè sub pariete, vel circa ipsam, vel, quod utilius existimabat, circa aliam, secreto in loco, apto & mundo, sub paucorum conscientia sepelirentur: ut; quoniam & sancta esse dicebantur, aliquid eis reverentiæ deferretur; &, quia esse penitus nesciebantur, nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis existerent. Nec metuere debemus*, inquit Amolo, *ne fortè ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta praceptum Apostoli dicentis: Omnia autem probate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. & iterum*: NAM *& ipse satanas transfigurat se in angelum lucis*. Hæc summa est responsionis Amolonis, qui his subjungit exemplum S. Martini superiùs adductum, quod accuratè observare studuit Amolo, *nec derogans religioni, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret*, ut Sulpicius de S. Martino scribit.

In hac epistola quatuor maximè notat Amolo, nempe quòd reliquiæ illæ ab hominibus dubiæ vel nullius fidei allatæ essent : quòd nullo legitimo approbatæ testimonio; quòd nullo nomine præditæ essent : & quòd non sanitatum, sed collisionum miracula ad illas fierent. Ex his tertium præcipuè urget, nimirum quod illi, qui eas attulerant, illius *sancti nomen se oblitos esse mira impudentia dicerent.* quod multis capitibus arguit.

Hinc fortè quis inferat, non probatum iri Amoloni, quod Sanctorum anonymorum, quos baptizatos vocant, corpora e Romanis cœmeteriis ad exteras ecclesias transferantur. quod recens inventum esse alii fortè reputabunt. Verùm non eò tendit Amolonis sententia. Urget quidem nominis in illis reliquiis defectum, sed conjunctum cum aliis defectibus, qui eas auctoritatis omnino expertes esse probabant : scilicet quòd à vilibus & nullius momenti personis allatæ essent, quòd nullo idoneo testimonio assertæ, & quòd veris miraculis carerent. Absque his esset, nominis defectus illis non obfuisset.

Certè recens inventum non est, Sanctis martyribus, quorum nomina ignota essent, adscititia imponere nomina, modò ut de vero ac legitimo eorum martyrio constaret. Exemplo sit S. Adauctus, qui cum S. Felice martyre colitur III. kal. Augusti; cui, quòd ejus nomen ignoraretur, Adaucti nomen tributum ab Ecclesia est. Ita sanctis Quatuorcoronatis, ita multis aliis veris ac indubitatis, quos ab antiquo colit Ecclesia, aliena nomina imposita sunt, ut ab aliis distinguerentur. Non ergo recens inventum est, (tametsi fortè id rarius olim fiebat,) quod Sanctis anonymis, quales sunt plerique illi, quorum corpora e Romanis cœmeteriis eruuntur, subditiția imponantur nomina, modò cum Sanctis receptis & authenticis non confundantur. quod Romani vitare student : Et certè iniquum videretur, innumeros martyres, qui simul uno in loco, unaque die passi sunt, quales fuere quadraginta-quatuor millia in Ægypto, qui ex edicto decimi-noni anni Diocletiani martyrio coronati sunt, teste Ignatio Patriarcha Antiocheno; iniquum, inquam, videretur, tot martyres debito fraudare cultu, eo tantùm prætextu, quod nomina eorum ignorata sint.

Scalig. de emend. temp. lib. 5.

Ex his illustrari potest Nicolai I. epistola, nondum edita, ad Tadonem Archiepiscopum Mediolanensem. Hic Pontifici scripserat, in diœcesi sua, id est in Augustana, quæ tunc sui juris erat, ecclesia, *non esse sanctorum corpora, nisi Christi martyris Affræ, matrisque ejus Hilariæ, seu puellarum earum,* scilicet Dignæ, Eunimiæ, & Eutropiæ : *esse tamen plura quæ specialibus indiciis ac nominibus minimè clareant : quorum nonnulla nimirum integra manere feruntur :* quæ quidem *auctoritate apostolica, præmissis jejuniis & orationibus, aliorum Sanctorum aptatis nominibus in basilicis recondere* in animo habebat, si modò ei per Pontificem liceret. Ast id non probavit Nicolaus, immo fieri vehementer inhibuit. „ Sufficere quippe ait invocationem Sanctorum nominato„ rum, etiam ubi corpora desunt, fidelibus ad salutem; indignumque esse „, *nondum divinitus per gloriosos agones corporibus revelatis, sanctorum imagines, nominaque aptari. Quæ licèt fortè sanctorum sint, opera pretium est tamdiu in incerto suæ conditionis manere, quamdiu eos Dominus more solito revelando, ad summam sanctorum provexerit libertatem.*

Verùm his non improbat præcisè Pontifex, ignota illa corpora in basilicis *honorabiliter recondi*, quòd nominibus careant ; sed *quod specialibus indiciis* sanctitatis aut martyrii *minimè clareant*. Et hæc etiam nunc mens est circa illos Sanctos anonymos & sententia Romanæ ecclesiæ, quæ id honoris tribuit

buit iis tantummodo Sanctis, qui *specialibus indiciis clareant*, quales sunt ampullæ illæ sanguine tinctæ, quas pro certis martyrii indiciis sacra Rituum Congregatio merito agnoscit. In hac autem epistola maximè suspicienda est religio, tum Nicolai Papæ, qui ejusmodi corpora, etsi *integra manere* dicerentur, negat tamen intra ecclesiam *honorabiliter recondi* debere, quippe quæ *specialibus* sanctitatis aut martyrii *indiciis minimè clareant*: tum Tadonis Archiepiscopi, qui id sibi non licere putavit absque *auctoritate Apostolica*. Quod maximè pro illo tempore observatu dignum mihi videtur. Ceterùm hanc reliquiarum apud Augustam raritatem, etiam post S. Udalricum Episcopum, supplere conati sunt Sæculo XI. nostri Benedictini, Sighardus scilicet Abbas, cœtusque monasterii S. Afræ & S. Udalrici, qui, missa Gerundam legatione, S. Narcissi primi sui Apostoli apud Gerundam passi, aliorumque ejus sociorum reliquias impetrarunt, ut fidem facit epistola Berengarii Gerundensis Episcopi eisdem scripta, quam apud Velserum in commentario ad conversionem S. Afræ videre licet.

Videar fortasse progressus longiùs, mi Theophile, quàm tu ipse postulabas. Verùm scopum nostrum tenes; eoque tantùm spectat hæc epistola, ut immodicus ejusmodi cultus, qui ignotis illis Sanctis in multis ecclesiis tribui solet, corrigatur & emendetur ex Romano illo Decreto sacræ rituum Congregationis, mox referendo; & major in posterum cautela in probandis & admittendis ejusmodi reliquiis adhibeatur. Cetera ad hunc scopum religata, & ex sincero religionis cultu & Ecclesiæ catholicæ amore à me dicta, benignè, ut soles, interpretaberis.

XXII.

JAm tempus est, ut de duabus istis inscriptionibus, quæ huic epistolæ occasionem præbuerunt, paucis edisseram.

Prima ante triennium reperta est in agro Vesontionensi, nempe in vico sancti Ferreoli. Illic tumulus magnæ molis defossus, in quo loculus plumbeus (quod insolitum mihi videtur) cadaver continens habebatur. Lapidi insculpta erat litteris Romanis, quarum nonnullæ detritæ, hæc inscriptio.

AVE. EUSEBI
CASONIAE. DONATAE
QUAE. VICXIT. ANNIS
XXXXVII... D. XI. HORIS
IIII. CANDIDUS. AUG.
PII. VERNA. EX. TEST.
CONJUGI. BENE MERENTI
POSUIT. EUSEBI
HAVE. ET. VALE
LOC. LIB.

Appositum erat quatuor in locis quoddam signum, quod crucem referre videbatur. Parum abfuit, quin ex delectorum Ecclesiasticorum testimonio ossa cadaveris in locum sacrum efferrentur: verùm Abbas Boisotus, vir doctus ac pius, qui nuper excessit e vivis, intercessit. Hic omnibus diligenter inspectis, non christianum, sed gentilem quemdam hominem isto loculo contineri, eaque inscriptione designari non dubitavit. Signum verò, quod Crucis

esse



esse credebatur, hoc modo efformatum, fabrorum lignariorum esse instrumentum, quod illi vulgari nostra lingua *erminette*, veteres *asciam* appellant. Ita unius viri judicio impedita est hominis fortasse, immo certò, profani in locum sacrum translatio.

Sanè hæc affectuum vocabula, *Ave* seu *Have* & *Vale*, vix crediderim reperiri in aliis, quàm ethnicorum epitaphiis, qua de re consule Brissonii Formulas sub finem libri VIII. Asciæ quoque instrumentum solis paganorum tumulis appositum fuisse puto, nec fere alibi, quam apud Gallos, maximè Celtas. Hujus rei plurima exempla referuntur à Paradino, & in Consulari Historia Lugdunensi: ubi sollemnis hæc legitur formula, SUB ASCIA DEDICAVIT. De cujus interpretatione nondum convenit inter eruditos. Varias eorum sententias affert, refellitque Fabrettus inscriptionum capite 3. suamque non tam sententiam, quàm conjecturam profert, haud scio an aliis probandam: scilicet asciam istam non eam esse, qua fabri lignarii ad ligna utuntur, sed aliam, quæ eodem nomine, eademque figura, longiori tantùm hastæ infixa, ad macerandam & subigendam calcem arenæ commistam hodie-dum inservit. Calcem enim ita *asciari*, & à suis calculis & scabritie purgari tradit Vitruvius. Verùm ejusmodi instrumentum non benè referunt asciæ figuræ, quales in tumulis Lugdunensibus, aliisque inveniuntur sub hac forma. Forte sollemni illa *sub ascia* sepulcrorum dedicatione *Diis Manibus* facta nihil aliud volebant veteres, quàm ut ejusmodi monumenta magis inviolata redderentur sub pœna asciæ seu capitis, quam violatoribus sepulcrorum intentarent. Eadem ratione aram insuper quandoque adjiciebant, ut in hac inscriptione Viennensi:



SERVI. SEVERI. FL. CASSIA
MISERA. MATER. FILIO
INCOMPARABILI. ANN.
XXIIII.
ARAM. POSUIT. ET. SUB.
ASCIA. D.

Unum tantùm addo: scilicet non semper asciæ figuram imprimi solere illis monumentis, in quibus sollemnis hæc formula legitur. Certè nulla asciæ figura apparet in insigni magnæ molis monumento, quod in Ambroniacensi agri Lugdunensis abbatia visitur cum hac inscriptione:

D. M.
ET. MEMORIAE. AETERNAE
LAETINI. VERI. QUI. ET
LEONTIUS
QUI. VIXIT. ANNOS. XVIII.
M. III.
DIES. XXV.
LAETINIUS. LAETUS. PATER
FILIO. DULCISSIMO
SUB. ASCIA. DEDICAVIT.


Ubi vides duplex nomen *Latini Veri, qui & Leontius*: cujus monumentum, ex rudi & impolito lapide, sex pedes cum dimidio longitudinis, quatuor altitudinis, duorum latitudinis cum uno quadrante habes. Hæc referre visum est, ne cui fidem faciant in posterum ejusmodi asciarum notæ, quasi signa sanctæ Crucis in tumulis exhibeant.

XXIII.

XXIII.

AT longè venerabilior eſt alia inſcriptio, quæ cum aliis fere obliteratis anno M. DC. XCVIII. ineunte detecta eſt Ambianis in ſuburbana ſancti Acheoli martyris Baſilica, quam occupant Canonici Regulares reformatæ Congregationis Gallicanæ. Illic, dum ad novi altaris fundamentum humus erueretur, detecta ſunt quinque ſepulcra, prope tumulum ſancti Firmini Epiſcopi & Martyris, qui ponè vetus altare poſitus erat. Duo ex illis hinc & inde poſita: unum ad latus Evangelii abſque inſcriptione, & alterum ad latus Epiſtolæ cum inſcriptione, quæ Eulogii Ambianorum ſecundi Epiſcopi & proximi ejus ſucceſſoris ſancti Firmini confeſſoris eſſe creduntur. Ante altare tres alii tumuli reperti, unicus cum inſcriptione, nempe Fauſtiniani, ut ex inſcriptionis fere deletæ relictis veſtigiis non ſine fundamento conjiciunt. Hunc verò Fauſtinianum Senatorem vocat Anonymus in libello de vita ſancti Firmini, primi Ambianorum Epiſcopi & martyris, qui *ad opidum Ambianenſium decimo die menſis Octobris* cùm adveniſſet, *exceptus* fuiſſe dicitur *à Fauſtiniano Senatore*, quem cum tota ejus familia baptizavit. Firmino caput in carcere amputari juſſit Sebaſtianus præſes ob conſtantem pro Chriſto confeſſionem: cujus corpus noctu e carcere *tacite* ſublatum Fauſtinianus *in ſuo cimeterio, quod Abladana dicitur*, cum aromatibus & linteaminibus pretioſiſſimis ſepelivit. Fauſtiniano unicus erat filius, cui Firmini nomen dedit: qui poſt Eulogium Firmini martyris ſucceſſorem Ambianorum Epiſcopus factus, eccleſiam in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ conſtruxit, poſtmodum ſancti Acheoli dictam, ubi ſanctus Firminus Epiſcopus & Martyr conditus fuiſſe traditur: ibidemque ſanctus Firminus confeſſor ſepeliri voluit. Hæc ex veteri libello de vita ſancti Firmini Martyris: cujus reliquiæ inde jamdudum ſublatæ ſunt. Prædicta monumenta cum magno pietatis ſenſu luſtravi: at Fauſtiniani, ut creditur, tumuli inſcriptionem vix legere potui. Hæc inſcriptio in antica ſeu exteriori lapidis ſive operculi parte ſic habere nonnullis viſa eſt.

Appo-



Appoſitum ſignum crucis in medio duarum hinc inde columbarum. In averſa ejuſdem lapidis parte legitur epitaphium cujuſdam Thoribii, ſive is cum Fauſtiniano ſepultus ſit, ſeu potiùs hic lapis, ut fit, ex alio antiquiori tumulo revulſus ad operiendum Fauſtiniani tumulum, converſo ad interiorem ejus partem Thoribii epitaphio, quod hoc loco, prout jacet, exhibendum.

Chriſti Domini monogramma cum A & Ω, duabuſque hinc inde columbis, hominem Chriſtianum primorum indubiè temporum indicat. Relicta in tumulo ejus oſſa, ſive Fauſtiniani, ſive Thoribii illa ſint: quibus ſat honoris tributum viſum eſt, quòd in loco tam ſacro recondita ſunt: dum eorum fortè ſanctitas, aliis indiciis haud ambiguis ſe prodat.



Hæc ſunt, amantiſſime Theophile, quæ ad quæſtiones tuas reſpondere ſubſecivis mihi horis licuit. Tuum erit ea vel cum amicis noſtris communicare, ſi quid tua exſpectatione haud indignum in his inveneris: vel omnino ſupprimere, ſi qua Religioni tantiſper adverſa, aut incommoda deprehenderis. Mihi certè unum propoſitum fuit, cum deſiderio tuo facere ſatis, tum maximè Religionis integritatem illibatam, ac legitimum Sanctorum cultum pro modulo tueri. Ceterùm, quod jam initio profeſſus ſum, hæc omnia ſubjecta eſſe volo Eccleſiæ judicio, & Sedis Apoſtolicæ cenſuræ. Vale. Kal. Novemb. an. M.DC.XCVII.

AP.

APPENDIX I.

De Ritu humandi Sacerdotes, veteri & novo.

PÆNE exciderat alia quæstio, quam mihi absolvendam etiam proposuisti, cariſſime Theophile, nempe de Ritu ſepeliendi Sacerdotes, haud ubique nunc uniformi, dum converſis alii ad orientem, alii ad occidentem capitibus, eorum cadavera in tumulis componunt. Uter modus ſit antiquior, rogas; uter præferendus. Ut paucis hanc quæſtionem abſolvam, inſpice vetera Epiſcoporum in Cathedralibus, & Abbatum in monaſticis eccleſiis monumenta; & vide, an vel unum converſum ad orientem caput exhibeat ante noſtrum, aut fortè patrum noſtrorum ſæculum. Brevis hæc probatio, nec quæſitu difficilis, ſed tamen certa & indubitata ad demonſtrandam hujuſce ritus antiquitatem. Atqui in ejuſmodi rebus præferendum videtur id, quod univerſim bona probat antiquitas, etiamſi inſtitutionis rationem fortè ignoremus. Rectè ad propoſitum in conſimili argumento Johannes Diaconus in epiſtola ad Senarium virum illuſtrem: *Illud firma mente teneo, quod non à majoribus tradita cuſtodiret Eccleſia, niſi certa ſui ratio popoſciſſet: nec ea poſſumus dicere inania videri ac frivola, quia eorum minimè rationem accepimus.*

Verùm non deeſt ratio, quæ veterem illum morem probet. Vis ſcire qualem? Nimirum ea, quæ petitur ab exemplo Chriſti Domini, quem capite ad occidentem, pedibus ad orientem converſis ſepultum fuiſſe tradunt veteres, probantque ex deſcriptione illius monumenti. Audi quid ſuper hac re ſcribat Haimo Epiſcopus Halberſtadenſis, vir inter ſæculi noni ſcriptores haud incelebris, in homilia pro die ſancto Paſchæ. Is, deſcripta ex antiquorum relatu ſpelunca, in qua Chriſti ſepulcrum excifum erat, hæc ſubjit. *Oſtium verò ſpeluncæ patulum eſt ad orientem. Unde introeuntibus locus dominici corporis in dextris habetur: quia dominicum corpus ita in monumento jacuit,* UT CAPUT ILLIUS AD OCCIDENTEM, ET PEDES AD ORIENTEM RESPICERENT: *dextera quoque manus ad meridiem, ſiniſtra ad aquilonem.* Nihil clarius ac luculentius ad demonſtrandum Chriſti exemplum; nihil efficacius ad veterem illum ritum aſſerendum. Idem porrò colligere licet ex deſcriptione Chriſti monumenti, quam exhibet Adamnanus in libro primo de Locis ſanctis, & poſt eum Venerabilis Beda, ex relatu Arculfi Epiſcopi Gallicani, qui hæc ante annos fere mille & centum oculis contemplatus fuerat. Hinc facilè intelligas, veterem illum ſepeliendi ritum ab exemplo Chriſti Domini petitum fuiſſe. Ne dubita, aſſerente idipſum Haimone mox laudato. *Ex quo tempore,* inquit, *conſuetudo excrevit, Chriſtianorum corpora ad hanc ſimilitudinem ſepeliri.* Idem atteſtatur prædictus Adamnanus in libro ſecundo de locis ſanctis, ubi obſervat, Patriarchas veteris teſtamenti alio modo ſepultos fuiſſe: *quorum plantæ,* inquit, *non* SICUT IN ALIIS ORBIS REGIONIBUS AD ORIENTEM HUMATORUM CONVERTI MORIS EST, *ſed ad meridiem verſæ, & capita contra ſeptemtrionalem plagam converſa.* Itaque ante annos mille & centum jam mos obtinebat, teſte poſt Arculfum Adamnano, ut plantæ humatorum, nullo diſcrimine ad orientem converterentur. Cur ergo Sacerdotes ab hac conſuetudine recedant, quæ Chriſti Domini exemplo firmata eſt? At Sacerdotes ſunt, & in benedicentium morem compoſiti; ideóque converſi in tumulis ad populum, quaſi benedictionem impertituri. Verùm ceſſant in ſepultis hæ Sacerdotum prærogativæ, unaque ſors omnium mortalium in ſepulcris. Quidni ergo prævaleat noviciis

illis ritibus antiquitas, in omnibus olim uniformis? Quidni Sacerdotes, ut ceteri homines, exemplum Christi sepulti imitentur?

Quod si ad antiquitatem & exemplum tam sacrum rationes morales adjungi cupis; orientem spectant Christiani orantes, orientem sepulti, in spem resurrectionis, cujus oriens symbolum est. Mihi itaque consultius videretur, ut antiquitatem, sicut ceteri, retinerent Sacerdotes, sequerenturque exemplum Christi Domini, qui unam cum ceteris resurrectionis spem habent.

Quo tempore hæc antiqui ritus mutatio facta sit, operæ pretium fuerit hic observare. Omnes, quotquot vidi, veteres libri rituales, (vidi autem plurimos, maximè apud PP. Minimos Parisienses) nullum discrimen ponunt ante sæculum decimum septimum inter sepulturam Sacerdotum & aliorum. In Rituali Ord. Prædicatorum, typis Alfonsi Ciaconii Romæ edito anno M. DC. VII. tantum præscribitur, *ut deponatur corpus, & collocetur supinum, positis pedibus ad orientem, vel ad meridiem secundùm fossæ dispositionem*, nulla Sacerdotum facta distinctione. Rituale Genevense à sanctæ memoriæ Francisco Salesio ordinatum, anno M. DC. XII. editum, in quo omnia, quæ ad sepulturam pertinent, ex antiquitate accuratè repetuntur, nullam præscribit Sacerdotes inter & laïcos diversitatem. Prima hujusce distinctionis mentio facta videtur in Rituali Romano, Pauli V. jussu vulgato Romæ anno M. DC. XIV. In capite enim de exsequiis hæc leguntur: *Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versùs altare majus; vel, si conduntur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria: quod etiam pro situ & loco fiat in sepulcro. Presbyteri verò habeant caput versùs altare*, scilicet in sepulcro. Ab illo haud dubie tempore hæc mutatio facta est, ut in Rituali Carnutensi, quod Leonorius *d'Estampes* anno M. DC. XXVII. imprimi curavit. tametsi quædam Ecclesiæ veterem usum retinuerunt, in his insignis ecclesia Remensis, ut patet ex novo Rituali Illustrissimi Caroli-Mauricii Tellerii Archiepiscopi-ducis Remensis, in quo disertè præscribitur, ut Sacerdotes non alio modo, quàm laici in tumulis componantur.

Porrò hæc mutatio ex eo initio duxisse videtur, quòd corpora Sacerdotum in ecclesia, antequam sepelirentur, ut erant nudo vultu, & sacerdotalibus induta vestibus, verso capite ad altare principio posita sunt, ut populo spectabilia essent, quod ex vetustis quibusdam ritualibus libris discimus; deinde verò eadem positio in ipso quoque sepulcro sensim observata est.

Ceterùm quæcumque hactenus hoc de argumento dixi, non eo animo à me allata sunt, quasi novum ritum improbem (quod absit ut mihi arrogem, scio enim id esse disciplinæ mutationi obnoxiæ) sed ut antiquum illustrarem ritum, quem nonnullæ hactenus ecclesiæ retinent non sine fundamento, ut ex dictis manifestum est.

APPENDIX II.

De Probatione reliquiarum per ignem.

AD superiorem de sacris Romanorum cœmeteriorum pignoribus tractationem referri potest Reliquiarum probatio per ignem, qua veteres nonnumquam usi sunt ad Reliquias veras à falsis secernendas. Ex multis ejus rei exemplis, quæ nobis suppeditat antiquitas, duo tantùm ex initio sæculi XI. proferre satis fuerit.

Unum nobis suggerit Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 2. cap. 33. ubi


IC
XC
ΕΦΗΦΟΡΟΣ

ubi Monachi quidam Jerosolymis venientes, particulam lintei, quo Christus Dominus pedes Discipulorum extersit, secum detulisse, & Casinatibus obtulisse dicuntur. *Sed cùm à plurimis*, inquit Leo, *super hoc nulla fides adhiberetur, illi fide fidentes protinus prædictam particulam in accensi turibuli igne desuper posuerunt: quæ mox quidem in ignis colorem conversa, post paullulum verò, amotis carbonibus; ad pristinam speciem mirabiliter est reversa*. Sed ne fortè quis reponat, ejusmodi linteum ex genere incombustibilium fuisse, aliud de solido corpore exemplum proferendum est.

Illud autem præsto nobis adest ex libro de vita S. Meinwerci Episcopi Paderbornensis, ubi agitur de constructo ab eo monasterio in suburbio ejusdem urbis, missoque ad eumdem à Wolfgango Aquileiensi Patriarcha corpore S. Felicis cum duobus palliis, in eodem monasterio reponendis. Verùm Meinwercus *experiri volens*, ait vitæ scriptor æqualis, *an sibi, suoque succurrere posset populo, rogum maximum in medio claustri sub divo fieri præcepit: in quem cum tertiò corpus misisset, totiensque in favillam redactus ignis exstinctus fuisset; cum maxima omnium exsultatione & laudum jubilatione, corpus manibus propriis excipiens, super principale altare detulit, & omnium venerationi sollemnem sanctum illum deinceps haberi instituit*.

Verùm ne quis putet, hanc probationem posteriorum temporum inventum esse, & privato quorumdam arbitrio, non legitimam factum auctoritate; occurrit hac de re decretum Concilii Cæsaraugustani II. Gregorio M. Summo Pontifice habiti, scilicet anno D.XCII. cujus Concilii canone II. *statuit sancta synodus, ut Reliquiæ in quibuscumque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ à Sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur*. Ex quo intelligitur, veterem hunc usum esse, & ab Episcopis jam inde à sæculo saltem sexto probatum & usurpatum.

His addo experimentum recens factum in veræ Crucis particula, quæ encolpio Emmanuelis Comneni inclusa est. Hoc encolpium Pratensi nostræ S. Germani basilicæ testamento legavit Serenissima Princeps Anna Gonzaga Cliviensis, conjux quondam Eduardi Principis Palatini Rheni, quæ hanc ipsam sanctæ Crucis particulam se præsente in flammas conjectam, & ab eis illæsam fuisse asserit his testamenti sui verbis: *Je leur donne encore ma Croix de pierreries, avec la sainte vraye Croix, que j'atteste avoir veuë dans les flammes sans brûler*. Hæc Crux duplicata est instar Jerosolymitanæ, cui insculpti sunt à tergo hi versus Græci, præmisso JESU-CHRISTI sacro-sancto nomine in hunc modum.

Ἰησοῦς Χριστὸς
Σταυρῷ παγεὶς ὑψώσας ἀνθρώπων φύσιν
Γράφει Κομνηνὸς Μανουὴλ στεφηφόρος.

Id est, *Jesus-Christus cruci suffixus exaltavit humanam naturam*
Scripsit Commenus Manuel imperator.

Ejusdem Crucis effigiem hic exhibere visum est in folio adjuncto in gratiam lectorum. Ceterùm etsi hoc de Cruce experimentum sit recens, non tamen canonicè factum est. Nam hic probandarum Reliquiarum ritus jamdudum in desuetudinem abiit, nec modò in usum revocandus est, nisi nova Ecclesiæ accedat auctoritas.

Neque verò antiquus ille ritus temere olim fiebat, sed cum sollemni precum formula, quam ex codice Remigiano in lucem protulit noster Theodericus Ruinartus in Appendice ad Gregorium Turonensem, prout sequitur.

Ora-

Oratio ad probandas Reliquias.

DOMINE labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. III.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina, *cum* Gloria Patri, *& cum* alleluja. *tribus vicibus*.

Psal. Exsurgat Deus, *usque* Cantate Deo, psalmum dicite. *tribus vicibus cum* Gloria Patri.

Hymnus. Veni creator, *&c. Or.* Deus qui corda fidelium.
Antiph. Justus Dominus. *Psal.* In Domino confido.
Antiph. Sanctis qui in terra sunt. *Psal.* Conserva me Domine.
Antiph. Igne me examinasti. *Psal.* Exaudi Deus.
Antiph. Hæc est generatio. *Psal.* Domini est terra.
Antiph. Deus exaudi orationem. *Psal.* Deus in nomine tuo.
Antiph. Beati quos elegisti Domine. *Psal.* Te decet.
Antiph. Veritas de terra. *Psal.* Benedixisti Domine.
Antiph. Credidi propter. *Psal. id ipsum*.
Antiph. Laudate Dominum de cælis. *Psal.* Laudate Dominum in sanctis ejus.
Antiph. Trium puerorum. *Psal.* Benedicite.
Antiph. Te gloriosus. *Psal.* Quicumque vult salvus esse. Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Johannem. In principio erat Verbum. *Tunc Letania*, *usque* Omnes sancti orate pro nobis. Kyrie eleison III. Christe eleison III. Kyrie eleison. *ter*. Pater noster. Et ne nos inducas. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum.

ORATIO.

DOMINE Deus Jesu Christe, qui es Rex regum & Dominus dominantium, & amator omnium in te credentium, qui es justus judex, fortis & potens; qui Sacerdotibus tuis tua sancta mysteria revelasti, & qui tribus Pueris flammas ignium mitigasti; concede nobis indignis famulis tuis, & exaudi preces nostras, ut pannus iste, vel filum istud, quibus involuta sunt ista corpora Sanctorum, si vera non sint, crementur ab hoc igne; & si vera sint, evadere valeant: ut justitiæ non dominetur iniquitas, subdatur falsitas veritati, quatinus veritas tua tibi declaretur, & nobis omnium in te credentibus manifestetur, ut cognoscamus, quia tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum amen.

Pater noster. *Tunc antiphona*. Igne me examinasti. *Et dum incipitur, in ignem Reliquiæ ponantur, tamdiu donec ter finiatur ipsa antiphona cum psalmo*: Probasti Domine cor meum. *& cum* Gloria Patri. *Sicque faciens Reliquia utrùm vera sint, an falsa reperies*.

DECRETUM GENERALE
Sacræ Congregationis rituum, ab Innocentio XII. approbatum.

Contra nonnullos abuſus, qui in cultum quorumdam Sanctorum irrepſerunt.

Ad pag. 623. CUM ſacrorum rituum Congregationi innotuerit quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem officii ſub prætextu decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630. & in Breviario Romano impreſſi, in quo permittitur poſſe in Eccleſia recitari officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora, aut reliquiæ inſignes in ea aſſervantur: Eminentiſſimi Patres eidem ſacræ Congregationi præpoſiti, iiſdem abuſibus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis alias in ſimilibus editis, declararunt prædicta officia Sanctorum ratione corporis, ſeu inſignis reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate corporis, ſeu reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à ſancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum; officia recitari, & Miſſas celebrari vetuerunt, non obſtante, quod ipſorum corpora, vel inſignes reliquiæ in eccleſiis aſſerventur; Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus ſervatum eſt) exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed abſque officio & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium, aliiſque in conſtitutione beati Pii V. contentis. Die 11. Auguſti 1691.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo per me Secretarium relatione, Sanctitas ſua ejuſmodi decretum approbavit, ac, ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum eſſe præcepit. Die 19. Octobris ejuſdem anni 1691.

A. EPISC. OSTIENS. CARD. CYBO.

Loco † ſigilli.

J. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1691.

LIT-

LITTERÆ TESTIMONIALES

ibidem.

EM. DD. CARDINALIS VICARII,

De corpore sancti Felicissimi.

GASPAR tituli sanctæ Pudentianæ S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo attestamur, quòd dono dedimus Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Ludovico tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali Porto-Carrero nuncupato, sacrum corpus sancti martyris Felicissimi, de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ ex cœmeterio Prætextati extractum CUM VITRO SANCTI MARTYRIS SANGUINE TINCTO: eidemque, ut supra dictum corpus apud se retinere, aliis donare, extra Urbem transmittere, & in quacumque ecclesia, oratorio & capella publicæ venerationi fidelium exponere valeat, facultatem concedimus &c. *a* Romæ die decima Julii anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo.

a Ita in editis. Supple ex similibus formulis; *In quo nos fidem &c.*

Aliæ Litteræ testimoniales Episcopi, Sacrarii Apostolici Præfecti.

ibidem.

UNIVERSIS & singulis præsentes litteras nostras visuris fidem indubiam facimus, qualiter nos ad majorem omnipotentis Dei gloriam, Sanctorumque suorum venerationem, sacras reliquias de mandato SS. D. N. PP. è cœmeterio N. extractas, & à sacra Congregatione Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum recognitas & approbatas, inclusas in capsula.... bene clausa, nostroque parvo sigillo obsignata, ad effectum apud se retinendi, & alteri donandi, extra Urbem mittendi, & in qualibet ecclesia, vel oratorio publicæ fidelium venerationi collocandi ac exponendi, dono dedimus & consignavimus. N. in quorum fidem has præsentes litteras, manu nostra subscriptas, & nostro sigillo firmatas expediri jussimus. Datum Romæ &c.

EX STATUTIS SYNODALIBUS

Ad pag. 636.

GUIDONIS EPISCOPI LINGONENSIS, EDITIS ANNO 1479.

Contra Baptismum abortivorum.

CONSTITUTIONEM domini Philippi nostri prædecessoris renovantes, damnamus & penitus reprobamus abusum illum, quo passim & indifferenter temporibus retro actis fuerunt infantuli ex utero matrum suarum suffocati, qui vulgariter dicuntur mortui-nati, quorum etiam aliqui fuerunt ad ecclesiam delati, certis diebus ac noctibus coram imaginibus Sanctorum appositi, à principio frigidi & tamquam baculus rigidi, sed per ignem carbonum, & quandoque cereorum & lampadum accensorum molles effecti, in quibus color rubeus ad tempus & sanguis fluens a naribus apparuit, quorum etiam aliqui sudare super orificio stomachi visi sunt, & venas temporales & fron-

Sanctae Paulinae,
Sanctae Luci..ae,
Sancti Processi,
Sancti Martiniani,
Sancti Crisanti,
Sanctae Dariae,
Sancti Mauri,
Sancti Jasonis & alii sancti multa milia,
Sancti Saturnini,
Sancti ...nionis

Videtur legendum. Tipinionis aut Tiginionis.

Sancti Systi.
Sancti Laurenti,
Sancti Yppoliti,
Sanctorum Johannis & Pauli,
Sanctae Agnetis & aliorum multorum martyrum;
Sancti Y...ion,
Sanctae ...eris,
Sanctae Spei,
Sanctae Sapientiae,
Sanctae Fidis,
Sanctae Caritatis,
Sanctae Ceciliae,
Sancti Trecicii,
Sancti Cornili & multa milia Sanctorum,
Sancti Johannis, sancti Liberalis,
. . . .
Sanctus Blastro & multorum Sanctorum.
Sed & alii sancti, id est CCLXII. in unum locum, & alii CXXII.
Alii XLVI. quos omnes sanctus Justinus præsbyter, collega sancti Laurenti martyris sepelivit,
Sanctae Felicitatis cum septem filios suos,
Sancti Bonifaci,
Sancti Hermetis,
Sancti Proti,
Sancti Jacynti,
Sancti Maximiliani,
Sanctus Crispus,
Sanctus Herculanus,
Sanctus Bauso,
Sancta Basilla,
Oleo de Sede ubi prius sedit sanctus Petrus,
Sancti Vitalis,
Sancti Alexandri,
Sanctus Martialis,
Sanctus Marcellus,
Sancti Silvestri,
Sancti Felicis,
Sancti Philippi, & aliorum multorum Sanctorum.
Sancti Sevastiani,
Sancti Eutycii,
Sancti Quirini,

Sancti Valeriani,
Sancti Tiburti,
Sancti Maximi,
Sancti Orbani,
Sancti Januari,
Sanctae Petronillae filiae sancti Petri Apostoli,
Sancti Nerei,
Sancti Damasi,
Sancti Marcelliani,
Sancti Acillei,
Sancti Marci.

† Quas olea sancta temporibus domni Gregorii Papae adduxit Johannes *a* indignus & peccator domnae Theodelindae Reginae de Roma.

a Johannes iste non alius videtur à Johanne Abbate, quem Gregorius M. ad Theodelindam Reginam misit, uti discimus ex Registri lib. 3. ep. 4.

Monitum in sequentes Inscriptiones.

Ne sequentes pagellæ maneant vacuæ, subjuncta excerpta ex libris Inscriptionum Sebastiani Maccii hic apponere visum est, cujus integrum opus olim vidimus Romæ in Bibliotheca Chigiana.

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM

SEBASTIANI MACCII DURANTINI

Volumen primum, Romanum nuncupatum.

Observatio Lucæ Holstenii.

DIVISERAT Sebastianus Maccius totum hoc Inscriptionum opus in tria volumina, quorum primum continebat inscriptiones Romanas sive Urbicas: secundum Italicas, quod duobus hisce tomis comprehenditur: tertium volumen nuncupat Transalpinum, cujus particula tomo 2. pag. 374. habetur, & Lugdunenses inscriptiones complectitur ac Græcas. Ad colligendum hoc opus auctori nec ingenium, nec industria defuit, sed ad edendum atque publicandum favor obstetricius patroni, aut mecænas aliquis defuit, qualem frustra in Cardinale Burghesio speravit.

Ceterùm ut homines humana patimur, ita & Maccius humani quid se expertum prodit voce *Durantes*, ubi ad inscriptionem M. Accii, viri sua ætate suis dignitate conspicui, notat complura de familia Accia, ex qua Macciam suam deducere videtur &c.

Auctores præcipui, ex quorum scriptis opus suum congessit, sunt Martini Smetii inscriptiones antiquæ cum auctario Justi Lipsii, Wolfgangi Langii commentarii Reipublicæ Romanæ, Aldi Manutii Nepotis Orthographia, quos tres auctores Janus Gruterus postea transcripsit, Onuphrii Panvinii Fasti, ejusdem Civitas & Imperium Romanum, Fulvius Ursinus de familiis Romanorum, Bartholomæi Marleani antiquitates Romanæ, ejusdem Fasti triumphales, Johannes Baptista Fontejus de prisca Cæsiorum gente,

te, cum appendice Julii Jacobonii, Francisci Robertelli emendationum libri, Leandri Alberti descriptio Italiæ, Gabrielis Simeonis Dialogi, Celsus Citadinus de origine linguæ Etruscæ, Laurentii Abstemii opuscula varia mss. Johannes Tacuinus in opere rerum diversarum.

Citat præterea varios auctores, qui peculiarem civitatum Italiæ historiam scripsere, ut Petri Gritii historia Æsina, Bartholomæus Castiglione lib. de Insubribus in 8°. Philiberti Pingonii historia Augusta-Taurinorum fol. Pierii Valeriani antiquitates Bellunenses 8°. Bernardini Scardonii antiquitates Patavinæ fol. Torelli Saraynæ Antiquitates Veronenses fol. Philippi Antonii liber de antiquitate & inscriptionibus Sarcinæ 4°. Johannis Bonifacii historiæ Tarvisinæ.

AUCTORIS CARMEN

ad Cardinalem Burghesium.

ANTIQUI monumenta ævi, memoresque tabellas
Heroum, & claras factis ingentibus urbes
Eduxi è tenebris, mediaque ex morte recepi:
Sed tandem optatæ revocata ad lumina vitæ,
Ut ventura ætas veterum miretur avorum
Virtutem insignem, & magnarum præmia laudum,
Sæpe fatigatus precibus, votisque benignis
Ausonidum, & studiis cunctorum & vocibus actus,
Jamdudum è nostro dimittere carcere cogor.
Verùm ne Ausonidum rursus bene facta parentum
Exitium casumque ferant, æterna sed annis
Omnibus in terris ventura in sæcula vivant;
Has urbes clarosque viros, hæc marmora priscis
Exsculpta atque inscripta notis, hæc sancta vetustæ
Imperia Italiæ, & magnarum symbola rerum
Nunc humeris impono tuis, impono potenti
Cervici capitique tuo, sanctæque tiaræ,
Qua tu Burghesi in Patribus, sanctoque Senatu
Sub Vaticano decoratus murice præstas.
Nec tibi tantarum pondus spectabile rerum
Vel grave, vel nimii pænè pro mole laboris.
Hæc namque exigua & nullius ponderis extant,
Si ingentem spectes æquato pondere molem,
Quam modò tu juxta Patrum terræque Parentem
Paullum, Christiadum pro Christo, sceptra tenentem
Alter Atlas valido solus molimine fulcis &c.

Cicero Act. 5. in Verrem.

Omnia exempla quæ reperiuntur & videntur adnotata in marmoribus & scriptis historiarum antiquarum, plena majestatis atque vetustatis, habent nescio quid auctoritatis ac virtutis persuadendi, ut res vera cognoscatur; atque præterea maximam delectationem iis afferunt, qui de illis veteres loqui audiunt.

Ubi in epitaphiis *ob honorem*, V. Alciat. parergon lib. 10. c. 12.

In sancto Laurentio.

D. M.
EVENTIUS. PUER
VIXIT. ANNIS. VIII. ZE
BUS. III.

Notandum in hac inscriptione scribi *Zebus* pro *diebus*; ut olim *Zabulus* pro *diabolus*, *Hippozaritos* pro *Hippodiarritos*. L. Holst.

P. Actilio. Ruffo. &. Actiliæ. Beronicæ
Ux. vixerunt. ann. XXIIII. sed Publi. mens.
x. ante natus. est. & eadem. hora. fun-
gorum. esu. ambo. mortui. sunt. ille. acu
Ista. lanificio. vitam. agebant. nec ex
eorum. bonis. plus. inventum. est
Quam. quod. sufficeret. ad. emendam
Pyram. &. picem. quibus. corpora. cre
marentur. &. præfica. conducta
Et. urna. empta. atque. indulgentia
Pontificum. locus. datus. est

Wolfgan. Laz. lib. 3. cap. 11. pag. 400. ubi agit de loco sepulturæ à Pontificibus assignando ex Strabone lib. 5. & Svetonio in Domitiano.

Aquilejæ

DOMUM. ÆTERNAM. Julia. A
gra. posuit. obsequenti. ma
rito. Sex. L. Antoniano. &
Juliae. Felicis. fratribus
Pientiss.

DIS PEDIBUS. Saxum.
Cuiciae. dorsiferae. & cluniferae. man
suetae. &. pesuetae. ut. insultare. &
desultare. commodetur. P. Crassus. mulae
suae. Crassae. bene merenti. suppedaneum
hoc. cum. risu. posuit. vexit. annis XI.

Thomas Porcacchius Libro funeralium pag. 3. ponit hoc epitaphium, ut antiquum, legitque pro P. CRASSO. PUBLIUS. CRASSUS. Verùm, ut retulit Annibal de Grassis Bononiensis, Episcopus Jaccentiæ, factum fuit à Paride de Grassis, sculptumque in marmore, ac ejus jussu sepultum in quadam ejus vinea. Post hæc fingens se velle quasdam arbores plantare, jussit foveam & scrobem eo in loco fieri, ubi marmor erat sepultum. Cùm verò fodiendo illud esset inventum, ille inquit: Videte quæ prædicta dicuntur de mea mula. Res verò cùm esset acta per jocum, multis annis marmor ut derelictum, effossum ibidem mansit. Vide Concionatorem Panigarolæ particula 81. pag. 475. ubi hanc eamdem inscriptionem paullò variam ponit, & dicit eam esse Romæ. In Collectaneis Alexandri VII, dicitur reperta prope S. Petrum.

Siri-

Siricæ in marmore inedita.

D. M.
A. TULLIAE
FAUSTINAE
FILIAE. DULCISSI
MAE. QUAE. VIXIT
ANNIS XVIIII. MENS.
V. DIEB. III. A. TULLI
PRIMITIVUS. ET. VICTO
RIA. CONTRA. VOTUM
B. M.

In numiſmate æris antiquo.

S. P. Q. R
L. CRISTAE
PRAEFICAE
SEXQ. LIBE
RIS. EIUS
TUDERTI
BUS.

EX. S. C.
OB. STRE
NUE. FACT
UM B. M. M.
E. F.

Camerini.

ꓱIꓱAM. QUAE. ME. HOC. CONDO. MO
NIMENTO. NE. OBRITIS. DOMOS. LA
PSU. FILIIS. QUOS. SCIPIO. PATRIIS. CA
MERTIBUS. A. SALO. ET. LYBIA. INCO
LUMES. PETIVERAT. IN. DESOLATA
ORBITATE. SUPERSIM. MISERA. ꓱIXI
AN. L. MEN. I. HOR. SCIT. NEMO
QUIETEM. POSTERI. NON. INVIDEANT
QUI. SECOS. MANES. SENTIAT. IRATOS
ꓱALE. ꓱITA.

Antonius Cerrius Satyr. Schol. Satyra 2. Sat. 79.

Foroſempronii, vulgo *Foſſombrone*, inedita.

LOC. SEPULT. DON
G. VALGIUS. FUSCUS. CON
LEGIO. IUMENTARIOR.
PORTAE. GALLICAE
POSTERISQ. EORUM. OMNIUM
ET. UXORIBUS CONCUBINISQ.

Repertus hic lapis anno 1603. menſe Octobri à colonis, dum ſementes facerent in agro dicto *della barca* Epiſcopatus Foroſempronii, ſequi milliari à civitate juxta viam Flaminiam. Erat verò ſub terra erectus, ſpectans aquilonem, juxtaque in eodem agro erant complures urnæ terreæ cineribus plenæ. Octavius Accorombonus Epiſcopus in ædes Epiſcopales deferri lapidem juſſit. Ex hoc patet, unam Foroſempronii portam fuiſſe, *Gallicam* dictam, versùs Fanum, ubi olim Gallia togata erat; alteram Romanam, Romam versùs. Multa olim collegia erant in Italiæ opidis, urbibus, & civitatibus, ut latè oſtendit Volfgangus Lazius commº. Reip. Rom. lib. 10. cap. 4. Sed collegia *jumentariorum* neque in hiſtoriis, neque in lapidibus forſan ulla memorantur. Ejuſmodi collegia modò *Societates*, modò *Corpora* appellabantur. *Corpora* fuerunt ignobiliorum, atque inferiorum artificiorum: cujuſmodi erant

erant ſutores, ſoleatores, lecticarii, piſtores, ſpiculatores, caupones, vinarii, cavernarii, collectores, ſartores, bajularii, diatracharii, in ſumma omnes mercatores. Vide Livium lib. 26. ubi de Capua: Lampridium in vita Alexandri Cæſaris, ubi hæc leguntur. „ Corpora omnium inſtituit, vi„ nariorum, lupanariorum, caligariorum, & omnium artium &c. „ Et Symmachus lib. 1. epiſtola ad Theodoſium meminit corporis mercatorum, laniorum, cauponum, macellarum, tabernarum, ſalinatorum, & aliarum ejuſmodi viliſſimarum & ſordidiſſimarum artium. Collegia verò erant majorum artificiorum, videlicet architectorum, figulorum, tinctorum, coriariorum, dendroptirorum, centonariorum, nautarum, fabrorum aurificum & aurariorum, atque bracteariorum, qui monetam ſignabant. Figulorum collegium inſtitutum fuit à Numa Pompilio 2°. rege Romanorum, ut refert Plinius nat. hiſtoriæ lib. 35. cap. 12. ubi hoc collegium *ſeptimum* dicit,

Explicit Editio Pariſiorum.



F. JO-

F. JOHANNIS MABILLON COMMONITORIA EPISTOLA

AD D. CLAUDIUM ETIENNOT

Procuratorem Generalem Cong. S. Mauri, in Curia Romana, super Epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum.

PRodiit nuper in lucem, ut ſcis Reverende Pater, *Epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum ſub nomine Euſebii Romani ad Theophilum Gallum*, quam à me ſcriptam credunt omnes, nec ego ſanè diffiteri velim. In hac Epiſtola agitur de immodico cultu, qui baptizatorum, ut vocant, Sanctorum corporibus in quibuſdam locis impendi ſolet: hunc verò juxta decretum ſacræ Rituum Congregationis, approbatum à Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XII. moderandum, ac temperandum eſſe hac Epiſtola demonſtrare aggreſſus ſum. Ob id traducunt me nonnulli, religioſi ſcilicet homines, quaſi reum imminutæ in Sanctos, eorumque reliquias venerationis, & violatæ reverentiæ in Summum Pontificem, qui corpora illa pro inſigni munere principibus perſonis ſæpe concedit.

Editus eſt hac de re gallicus abſque nomine Auctoris libellus, quem nec dum mihi videre licuit, ob rara in his partibus ejus exemplaria, quæ Romæ potiſſimùm, ubi hanc Epiſtolam ſuſpectam reddere, meque infamare conantur, magnis clamoribus venditant homines illi, non minùs fortè de privato commodo, quàm de Religione ſolliciti. Duas ejus libelli eſſe partes accepi ab iis, qui hunc legerunt. Unam, ut ſic loquar, recriminationis, in qua multas id genus reliquias in noſtris quoque Benedictinis Eccleſiis coli ajunt: alteram, in qua non levia in Religionem incommoda ex mea Epiſtola derivari contendunt. Nempe hinc detrahi reverentiæ Summo Pontifici debitæ, qui ejuſmodi corpora è Romanis ſcilicet eruta cœmeteriis, publicæ Fidelium venerationi exponenda diſtribuit, aut diſtribui permittit: Fidelibus offendiculum, & ſcrupuli materiam præberi, cùm eorum ſanctitas in dubium revocatur, quos pro certis, & indubitatis ſanctis hactenus habuerunt; anſam exhiberi hæreticis calumniandi Eccleſiam Romanam, quaſi ſuperſtitioſum dubiorum Sanctorum cultum inducat; denique imminui debitam Sanctis, eorumque reliquiis venerationem, quas publico ſemper honore venerata eſt Catholica Eccleſia.

Hæc in me ſpargi ſi impunè ſivero, vereor ne falſæ criminationes pro confeſſis habeantur, tandemque apud vulgus ejuſmodi rumores invaleſcant, mea periclitetur fides & obſervantia in Summum Pontificem, & in Romanam Eccleſiam, cui me ſemper addictiſſimum, ut par eſt, & obſequentiſſimum fuiſſe, & ſcripta, & facta teſtantur. Quapropter hæc paucis in anteceſſum refellere viſum eſt, & priori libelli parte quæ futile argumentum continet in aliud tempus rejecta, poſterioris tantùm partis in præſens objecta diluere. Ejus rei causâ hanc commonitoriam epiſtolam tibi mi Stephanoti inſcribere in animum induxi, ut habeas in promptu, quod ad me purgandum pro tua in me benevolentia afferre poſſis, ex tua eruditione ſuppleturus, quæ huic Epiſtolæ deerunt.

In

I.

IN primis qui meam de ejusmodi Sanctorum cultu sententiam uno verbo expressam *a* volet, vel unum locum Epistolæ meæ advertat, in quo assero
a pag. 6.
meritò colendos esse Sanctos illos, quorum corpora ex illis Romanis cæmeteriis eruta sunt, modò de eorum martyrio aut sanctitate certis constet argumentis, eorumque cultum Romanus Pontifex permittat aut præscribat. Quid in hac sententia non catholicum, & orthodoxum? Quid non sanctioribus Ecclesiæ regulis accommodatum? quid legitimo Sanctorum cultui magis congruum, quàm postulare ut eorum martyrium, aut sanctitas certis constet argumentis, ne superstitiosus cultus videatur! quid denique reverentius in Summum Pontificem, quam solum ejus permissum, aut præscriptum exigere ad hujusmodi cultum decernendum!

Jam verò si totius Epistolæ scopum, & institutum diligenter expendas; in id unum tendit, ut summi illi honores, ecclesiastica scilicet officia, missæ, panegyrici, sermones, expositio Sanctissimi Sacramenti, quos honores insignioribus dumtaxat Sanctis concedit Ecclesia, ignotis illis abrogentur ex authoritate illius Romani Decreti, quod ipse Summus Pontifex approbavit. Huc spectant omnia Epistolæ meæ argumenta, ut Lectori cordato, & absque præjudiciis universa, & singula expendenti perspicuum erit. Si qua ulteriùs
b pag. 9.
progredi videntur, ad hunc scopulum omnia *b* religata me velle professus sum.

At quædam, inquis, argumenta eò pertinent, ut ejusmodi Sanctorum reliquiæ venerationi Fidelium, quod tamen ipsum etiam Decretum concedit, in Ecclesiis exponi non debeant, nisi certiora, quàm quæ vulgò afferuntur, eorum sanctitatis indicia habeantur. Quod qui sentit, reverentiæ, & auctoritati detrahit Summi Pontificis, à quo hæ reliquiæ pro veris ac sinceris concedi solent.

Ut ingenuè fatear id quod res est, non satis certa, & explorata mihi visa sunt quædam id genus indicia, crux nimirum, palmæ, Christi monogramma, quæ hominem certè christianum designant, sanctum non satis probare videntur: secutus sum hac in re modum sacræ Rituum Congregationis,
c ibidem.
quæ palmas, eisque junctum vas sanguine tinctum *c pro signis certissimis verarum reliquiarum habenda censuit*, aliorum verò signorum examen in aliud tempus rejecit. Et quidem palmas cum Christi monogrammate non omnino
d ibidem.
valere ad probandum martyrium exemplo constat *d* à Baronio allato, multisque aliis, quæ afferre singula prolixius foret.

Atqui tamen Româ deferuntur, uti Martyrum, Sanctorum reliquiæ; quæ nulla alia habent quàm priora illa indicia, easque Romanus Pontifex passim pro insigni munere tribuit: peccat igitur in Summum Pontificem atque in Romanam Ecclesiam qui de illis indiciis aliter sentit.

Ad hæc primùm respondeo non omnes ejusmodi reliquias ab ipso Summo Pontifice impertiri, sed aliquando à Cardinale Vicario, si integra corpora sint: aliquando ab Episcopo Sacrarii Apostolici præfecto, si tantùm particulæ. Deinde hæc indicia passim non ab ipso Pontifice, non etiam à Cardinali Vicario, aut Sacrarii Apostolici Præfecto, sed a quibusdam secundariis Ministris observari, quos accuratiores quandoque, ac diligentiores in examinandis illis indiciis esse fortasse oporteret. In hos, si hac in re negligentiùs se gerunt, tota culpa refundenda est, non in Romanam Ecclesiam, aut Sum-

Summum Pontificem, qui à ludificandis Ecclesiæ fidelibus longè abhorret. Denique si quando ab ipso Summo Pontifice corpora donantur, ea insigniora, & exploratiora esse, certioribusque indiciis prædita, quæ proinde Fidelium venerationi legitimè exponi possunt, non tamen immodico illo, quem dixi, cultu honorari, nisi Pontifex ipse aliter permittat, aut præscribat.

Porrò secundarios illos Ministros, qui hæc corpora vel à cœmeteriis eruunt, vel extergunt, ac lavant, non satis circumspectè aliquando se gerere probat tum Argyridis creditæ Martyris exemplum, cujus corpus è sacro loco amoveri ac donatori restitui præcepit sacra rituum Congregatio, tum alia quædam premenda silentio, quorum recens adhuc in his partibus memoria est. Hæc ex reverentia in Romanam Ecclesiam, Summumque Pontificem à me dicta, sicque accepta esse velim: cujus quantò sincerior, ac major est apud nos Gallos auctoritas, tantò ardentius esse debet studium in purgandis illis factis, quæ illibatum utriusque decus & honorem vel tantillum imminuere possunt.

I I.

NEque verò timendum est, ne ex hoc sacrarum reliquiarum accurato delectu, scandalum, & offendiculum fidelium animis ingeneretur. Immo si nullo nisi fortè levi examine Reliquiæ omnes ex Romanis cœmeteriis efferantur, ac pro veris & sinceris admittantur, ubi negligentia aut fraus deprehensa erit, fidelium vulgus certas, & indubitatas sanctorum quorumvis reliquias, etsi temere, in dubium revocare poterit; itaque fiet ut admissa quarumvis reliquiarum absque congruo delectu veneratione labefactetur debita erga veras religio: *fracta enim*, ait a Augustinus, *vel leviter deminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt*.

a August. lib. de Mend. cap. 10.

Hoc igitur examen eò magis necessarium videtur, quòd illa corporum effossio & elevatio quoddam canonizationis genus censentur, ut ejusmodi corpora venerationi Fidelium in sacris locis exponi possint. Sicut itaque maxima in sollemni sanctorum canonizatione diligentia, & morosa circumspectio adhibetur, atque accurratissimum examen, ut pii homines publico Ecclesiæ cultu honorari mereantur, sic proportione non ambigua, & æquivoca Sanctitatis, vel Martyrii indicia in discernendis illis corporibus adhibenda sunt, ut publica veneratio eis permitti possit, ne ille iniquus sit, qui in malam partem id interpretetur, nam si Romanæ Ecclesiæ consuetudo laudanda, omnibusque probanda est, quòd tam morosam ad canonizandos sanctos diligentiam adhibeat; mihi certè vitio verti non debet, quòd affinem circumspectionem cupiam in illis sanctis recognoscendis, quorum corpora publicæ Fidelium venerationi exponenda erunt. Utrobique verò examen illud sanctorum honori adeò non derogat, ut è contrario illum maximè stabiliat, & illustret. At hypothetica, inquis, & conditionata sufficit ad hoc Sanctitatis, & Martyrii certitudo.

Verùm æquivocatione laborat hæc objectio. Absoluta quidem vix haberi potest de sanctitate quorumdam sanctorum, maximè Confessorum scientia; at moralis saltem necessaria est, eaque diligenti examine comparata, adeóque magno utendum delectu, ne quid contra Religionem in eorum cultu subrepat. Alia ratio est de Martyribus, de quibus longè exploratior cognitio haberi potest ex certis patrati Martyrii indiciis, & argumentis.

Palmas cum vasculis sanguine tinctis pro certissimis signis verarum reliquiarum haberi vult sacra rituum Congregatio : & id quidem sapienter, ac
a ibid.pag.9. prudenter decretum *a* dixi, *si modò constet ejusmodi vasa sanguine tincta esse, non ad continendos suffitus, aut odoramenta, aliaque id genus apposita fuisse.* Certè ampullas Sanctorum Martyrum Sanguine plenas à Fidelibus olim observatas fuisse manifestum est ex Augustino, Gregorio Turonensi Episcopo, aliisque monumentis Ecclesiasticis : an verò in tumulis Martyrum similes ampullæ repositæ fuerint, alias disquirimus. Interim apud me plurimùm valere fateor sacræ rituum Congregationis judicium, cui Romæ subterraneæ auctor disertè suffragatur. Ceterùm nemo veritatis, ac Religionis amans gravatè feret hæc à me adeò moderatè examinata fuisse, reservato Romanæ Ecclesiæ ac Summo Pontifici decretorio judicio, cui Epistolam meam, ut cetera scripta, subjectam esse me velle non semel in hac ipsa Epistola professus sum.

I I I.

HÆc verò diligentia, & cautela si in secernendis Beatorum sive Martyrum, sive Confessorum meritis adhibebitur, tantum abest ut heterodoxi hinc occasionem captent insultandi Romanæ Ecclesiæ, summove Pontifici, ut contrà nihil opportunius, & efficacius sit ad eorum retundenda convicia, & linguas exarmandas. Sicut enim ad refellendos, & convincendos eorum errores maximè conducit nuda catholicæ veritatis expositio, ita ad insinuandam eorum animis debitam sacrarum reliquiarum venerationem, nihil utilius est, ut virtutis sic Religionis forma, & pulchritudo, & vis ac nativa indoles, ut si hominum oculis nuda, & nullo fucata colore exhibeatur, statim in amorem sui, & amplexum rapiat, & alliciat omnes.

I V.

EX his quivis rerum æquus æstimator facilè perspiciet vulgatam à me Epistolam nihil omnino detrahere legitimo cultui sacrarum reliquiarum, immo eum ex illa validè adstrui & confirmari, dum incertis, ac dubiis, dubius, aut nullus honos conceditur, certis & exploratis certus & exploratus cultus asseritur. Eamdem ob causam, ex eadem Epistola adeò nulla Romanæ Ecclesiæ aut Summo Pontifici infertur injuria, ut contra hæc opportuna, & maximè conducibilis videri possit ad utriusque dignitatem ab Adversariorum conviciis vindicandam.

V.

b pag. 20. ASt audire videor nonnullos mihi improperantes, quòd *b Romana vetera cœmeteria ferè tota Sanctorum Corporibus* ante nongentos annos exhausta fuisse dixerim. At si quis consequentia legat id à me dictum intelliget de insignioribus sanctis, quorum corpora Romani Pontifices jam tum è tumulis
c ibidem. extulerant, & in Ecclesiis recèns dedicatis recondiderant *c nempe illo ævo, quo nondum fortè usus invaluerat, ut Baptizatorum quos vocant Sanctorum corpora pro veris ac indubitatis reliquiis sacris haberentur, & in externas regiones submitterentur.* Quamquam ante id tempus quidam Græci Monachi teste Gregorio

gorio Magno *a* nocturno tempore corpora mortuorum juxta Ecclesiam S. Pauli, in campo jacentia effodientes, atque eorum ossa recondentes inventi fuêre, qui deprehensi confessi sunt; *quòd illa ossa ad Græciam essent tanquam Sanctorum reliquias portaturi*. Sed aliud est quod clam, & furtim agit quorumdam cæca pietas, aliud quod cum prudenti, & accurato examine facit oculata Romanæ Ecclesiæ Religio.

a Greg. lib. 3. epist. 30.


Et si verò vetera Romana cœmeteria Gregorii tertii Pontificatu ferè tota Sanctorum corporibus exhausta fuisse dicantur non omnia illo ævo Christianorum cœmeteria detecta erant: quale unum, cùm Romæ anno M. DC. LXXXVI. versaremur, detectum est ad portam Majorem prope aquæductum Sixti V. quod cœmeterium Castuli esse existimant.

Erunt fortasse qui asciæ interpretationem ex Boisoto à me allatam improbaturi sunt, prolato ex vetustis Romanorum legibus hoc edicto, quod *b* Cicero retulit, ne facito rogum, asciâ ne polito; quod potiùs de dolabro, quàm de alio fabrorum lignariorum instrumento interpretandum videtur. Sed hæc aliàs.

b Cic. lib. 2. de legibus.

Hæc sunt amantissime Pater quæ in præsens tibi suggerenda habebam tum ad purgandam Epistolam meam adversùs objecta quorumdam malevolorum hominum, quos nullo modo lædere, aut provocare mihi propositum fuit, tum ad afferendam fidem, & observantiam meam in Romanam Ecclesiam, atque in Summum Pontificem, quam fidem nulla unquam occasione, aut causâ vel tantisper obscurari, aut suspectam reddi, quoad in me erit, permissurus sum. Sanè malè omnino de Romana Ecclesia mererer, si ego qui tam benignè, atque humaniter à Romanis olim acceptus sum tam liberalibus officiis, ingratum me præberem. Vale Parisiis V. Non. Julii anno M. DC. XCVIII.

Honoramus reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyrem honoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. Hieron. in epist. ad Ripar. cont. Vigilant.



LETTRE
D'UN
BENEDICTIN
A MONSEIGNEUR
L'EVESQUE
DE BLOIS,

Touchant le Discernement des anciennes Reliques, au sujet d'une Dissertation de Mr Thiers, contre la sainte Larme de Vendôme.

A PARIS, MDCC.

LETTRE D'UN BENEDICTIN
A MONSEIGNEUR
L'EVESQUE DE BLOIS,

Touchant le discernement des anciennes Reliques, au sujet d'une Dissertation de Mr Thiers contre la Sainte Larme de Vendôme.



JE m'estimerois heureux, MONSEIGNEUR, d'être un des premiers à donner quelque marque publique du profond respect que j'ay pour V. G. & pour le nouveau Siege, auquel le Ciel vous a destiné pour en estre le premier Evesque, si je pouvois esperer que l'Ecrit que j'ay l'honneur de vous presenter aujourd'huy, pût meriter votre approbation. Mais il paroist si mince & si peu considerable, que je n'ose me flater d'avoir cet avantage, à moins que vous ne vous arrestiez uniquement à la matiere qui en fait le sujet. Car je croy pouvoir dire en effet qu'il n'est pas tout-à-fait indigne de votre attention, & que c'est à vous principalement qu'il appartient d'en connoistre.

Vous n'ignorez pas sans doute, MONSEIGNEUR, qu'il paroist depuis peu une Dissertation du Sr Thiers contre la Sainte Larme de Notre Seigneur, que l'on conserve depuis plusieurs siecles dans l'Abbaye de Vendôme; & vous ne sçavez que trop le scandale que ce Libelle a causé dans toute la Province. Quoique cette affaire regarde en particulier V. G. puisqu'il s'agit du culte public que l'on rend à une Relique dans une Abbaye de votre Diocese, on n'auroit pas pris cependant la liberté de vous importuner pour ce Libelle qui ne meritoit pas en effet de vous estre deferé, & qui meritoit encore bien moins d'estre imprimé.

Mais puisqu'il a plû au Sr Thiers de s'adresser à vous, MONSEIGNEUR, pour vous porter à abolir le culte que l'on rend à la Sainte Larme de Vendôme depuis la fondation de cette Abbaye; j'espere que V.G. voudra bien souffrir que je m'adresse aussi à Elle pour luy representer l'injustice du procedé de ce fameux Critique, les fausses regles qu'il donne pour reconnoistre la verité des saintes Reliques, les mauvaises applications qu'il fait des exemples des Saints, & les fâcheuses consequences que l'on peut tirer de la Dissertation qu'il a publiée depuis peu contre la Sainte Larme de Vendôme.

S'il s'étoit contenté de faire voir la difficulté qu'il y a de croire que des saintes Larmes, que Notre Seigneur a versées à la resurrection de Lazare, se soient conservées miraculeusement jusq'à nos jours; s'il s'étoit borné à montrer les defauts, qu'il pretend avoir trouvé dans l'Histoire qui en a esté composée, on auroit peut-estre dissimulé sa critique pour éviter les contestations.

Mais que pour satisfaire la passion violente qu'il a de décrier une Relique, ou plûtost ceux qui en sont les depositaires, il mette en usage des regles & des principes, qui tendent à rejetter les Reliques les plus certaines; qu'il donne pour modelles à un illustre Prelat comme vous, MONSEIGNEUR, des exemples de Saints qui ne prouvent rien moins que ce qu'il pre-

pretend ; qu'il employe d'un ton serieux les saillies d'un Libertin & d'un Bouffon contre les Reliques, ou pour mieux dire contre toute l'Eglise; enfin, que sous le voile specieux de zele & d'amour de la verité & de la pureté de la Religion, il debite une Satyre non seulement contre une Abbaye particuliere, mais contre tout un Ordre, qui tient quelque rang dans l'Eglise; c'est une chose qui a paru insupportable, & on auroit crû abandonner lâchement la cause de l'Eglise & de la Religion, si l'on avoit laissé ce Libelle sans réponse.

Vous aurez sans doute bien senty, Monseigneur, toutes ces malheureuses consequences, si vous avez pris la peine de le lire : mais je me sens obligé de les exposer plus en detail, afin de détromper ceux qui peut-estre auroient esté éblouïs ou seduits par les apparences d'une vaine érudition, qui est debitée dans ce Livre, que l'on doit regarder plûtost comme une Satyre scandaleuse, que comme une Dissertation Ecclesiastique.

La principale & presque l'unique regle que le sieur Thiers apporte pour faire le discernement des fausses Reliques d'avec les veritables, est celle de la Tradition, ou Divine, ou Apostolique, ou Ecclesiastique. C'est sur ce principe qu'il pretend *a* détruire la creance de la sainte Larme de Vendôme, parce qu'elle n'est appuyée ni d'une tradition Divine, „ ni d'une tradition „ Apostolique, ni d'une tradition Ecclesiastique ; mais tout au plus d'une „ tradition populaire, qui ne merite pas de porter le nom de tradition, „ parce qu'elle n'a pas la verité pour fondement. „

a chap. 13.

Et afin que l'on entende bien ce qu'il veut dire par ces trois sortes de traditions, „ il dit que la Tradition Divine est un dogme que Jesus-Christ a „ enseigné à ses Apôtres, & que l'Eglise Catholique a toujours crû, quoy-„ qu'il ne se trouve pas dans l'Ecriture-Sainte. Que la Tradition Apostoli-„ que est celle qui a esté établie par les Apôtres, & qui ne se trouve pas „ dans leurs écrits. Que la Tradition Ecclesiastique est celle qui a esté intro-„ duite ou par les Conciles, ou par les Papes, ou par les Evesques, & qui „ a passé peu à peu en forme de Loy par le consentement tacite des peu-„ ples. Enfin que la Tradition populaire est celle que le Fils de Dieu conda-„ mne en parlant aux Docteurs de la Loy & aux Pharisiens. „

Il est visible, ce me semble, Monseigneur, que si l'on applique cette regle pour verifier les Reliques, il y en aura peu ou presque point qui puissent passer pour veritables. Ce principe peut bien servir pour prouver un point de dogme, de morale, ou de discipline : mais d'en vouloir faire dépendre la verification des Reliques, c'est réduire presque toutes les Eglises à l'impossibilité d'en montrer de veritables.

Je ne crois pas, Monseigneur, que le S[r] Thiers pretende qu'il en faille prouver la verité & la possession, ni par la Tradition Divine, ni par la Tradition Apostolique : ni Jesus-Christ, ni ses Apôtres n'ont rien prononcé sur ces sortes de faits. Ces deux moyens feroient bons tout au plus pour prouver le dogme du culte des Reliques, mais il seroit ridicule de vouloir exiger de demontrer par-là la verité & la possession de celles que l'on conserve.

Il n'est donc question, à proprement parler, que de la Tradition Ecclesiastique. Et afin que l'on sçache ce que le S[r] Thiers entend par cette sorte de Tradition, il s'explique, & dit *que ce qu'on appelle Tradition doit estre premierement établi depuis un long-tems ; ensuite communiqué comme de main en main; & successivement attesté par des Auteurs considerables de tous, ou de presque*

que tous les siecles. C'est sur ce principe qu'il pretend détruire la creance de la sainte Larme de Vendôme, d'où vient qu'il met en fait, *qu'avant la fin du douziéme siecle elle n'a point esté introduite, ni par aucun Concile, ni par aucun Pape, ni par aucun Evesque ; & qu'elle n'a point passé peu à peu à force de Loy par le consentement tacite des peuples*.

Il paroist par ces deux endroits, que le St Thiers n'admet point d'autre Tradition que celle qui est écrite, & qui est transmise & *communiquée comme de main en main, & successivement attestée par des Auteurs considerables de tous, ou de presque tous les siecles*. D'où il s'ensuit qu'un fait ancien ne doit point estre reçu, s'il n'est revestu de tous ces caracteres.

Ce Critique n'estoit pas si rigide, ni si delicat autrefois, lors qu'il écrivoit contre Monsieur de Launoy, „ puisqu'il assuroit pour lors qu'un argu- „ ment *a* negatif, quoique tiré du silence general de tous les Auteurs an- „ ciens, n'est pas concluant, lorsqu'il est contredit par l'autorité d'un Ecri- „ vain docte, exact & habile, quelque nouveau & recent qu'il puisse estre, „ *quantumvis novitii, quantumvis neoterici*. „ Pourquoi donc exiger maintenant que pour qu'une Tradition soit recevable, il soit necessaire qu'elle soit *successivement attestée par des Auteurs considerables de tous, ou de presque tous les siecles*? D'où vient ce changement dans le sieur Thiers? Vient-il de son esprit ou de son cœur ? Est-il plus sage & plus éclairé ? Raisonne-t'il mieux qu'il ne faisoit pour lors? C'est ce qu'il est à propos d'éclaircir.

a Exercit. advers. Laun. pag. 182. &c.

Sans entrer dans l'examen du principe que cet Auteur suppose, je pretens que l'application qu'il en fait est tout-a-fait insoûtenable, & qu'elle est fausse, injuste, & temeraire. Elle est fausse, parce qu'elle tend à rejetter la plûpart des veritables Reliques, & à les confondre avec les fausses. Voyons cecy par un exemple. Il est certain que l'on conserve dans plusieurs Eglises des portions veritables de la vraye Croix de Nôtre Seigneur; mais je mets en fait, qu'il n'y en a peut estre pas une qui puisse estre *attestée par des Auteurs de tous, ou presque tous les siecles;* & que l'on puisse justifier avoir esté approuvée *par aucun Concile, par aucun Pape, ou par aucun Evesque*. Il faut donc suivant le sentiment du sieur Thiers supprimer toutes ces portions de Croix en les confondant avec celles qui ne sont pas veritables. Cela est-il supportable?

Je dis en second lieu que cette application est injuste : parce qu'elle renverse la bonne foy de presque toutes les Eglises, qui assurent qu'elles possedent plusieurs Reliques veritables, qui ne sont ni attestées par des Auteurs de tous les tems, ni par aucun Concile, Pape ou Evesque, dont on puisse produire les témoignages. Que si c'est renverser tout le commerce civil, que de nier la bonne foy parmi les hommes; & si c'est un crime digne de punition, d'imputer à un honneste homme une fourberie sans en avoir des preuves convaincantes : que sera ce d'oster sous de legeres apparences toute creance à la plûpart des Eglises Chrestiennes, qui se vantent de posseder des saintes Reliques, dont elles ne peuvent produire de témoignages autentiques?

Enfin je dis que cette application est temeraire, parce que l'on pretend par ce moyen éclaircir ce qui ne se peut éclaircir, n'étant pas possible de faire un juste discernement de plusieurs Reliques veritables d'avec celles qui sont fausses ou suspectes. C'est pourquoi *b* Innocent III. parlant de certaines Eglises, qui pretendoient posseder le Prepuce de Nôtre Seigneur, aprés avoir rapporté le doute que l'on pourroit avoir si Notre Seigneur ne l'avoit pas repris à sa resurrection, il dit qu'il vaut mieux laisser cette discussion à la connoissance

b Innoc. III. lib. 4. de Myst. c. 30.

sance de Dieu, que d'en vouloir decider temerairement. *Melius est Deo totum committere, quam aliud temerè definire*. Si c'est une temerité que de decider legerement d'une telle matiere particuliere : quel auroit esté le jugement de ce grand Pape touchant les regles generales que l'on pretend établir aujourd'huy pour le discernement des Reliques?

Ne seroit ce pas une temerité, par exemple, de vouloir determiner quel est le veritable Chef de S. Jean-Baptiste d'entre ceux que l'on conserve dans de differentes Eglises? (car il est certain qu'il n'y en peut avoir qu'un veritable) & de pretendre supprimer tous les autres? Et où trouvera-t on des témoignages d'Auteurs de tous, ou de presque tous les siécles pour faire ce discernement? Ah que le sentiment du Pape Innocent III. est bien plus religieux & plus judicieux; & que le Cardinal Baronius avoit raison de répondre à un Chanoine d'Amiens, qui l'avoit consulté sur ce qu'il pensoit du Chef de S. Jean Baptiste, que l'on garde dans l'Eglise Cathedrale de cette ville, *uti possidetis, possideatis*, de s'en tenir à la possession & à la bonne foy de son Eglise, sans prétendre déterminer ce qui ne se peut déterminer.

On peut dire la mesme chose de la Chemise de Nôtre-Dame, que l'on conserve depuis tant de siécles dans l'Eglise de Chartres. Car ne seroit-ce pas une temerité de vouloir nier qu'elle soit veritable sous ce beau principe, qu'elle n'est pas attestée par des Auteurs de tous les tems? Ne seroit-ce pas faire injure à cette Eglise venerable, de croire qu'elle ait exposé d'abord cette Relique sans en avoir de bonnes preuves? Cependant, que sont devenuës ces preuves? Où sont les témoignages des Conciles, des Papes, des Evesques, des Auteurs de tous, ou de presque tous les siécles qui en fassent foy? On voit par tout un profond silence sur ce sujet. Saint Fulbert mesme Evesque de Chartres, ce zelé devot de la sainte Vierge, n'en fait aucune mention dans les Sermons & autres Ecrits qu'il a composez à son honneur. Cependant il est constant que d'un tems immemorial avant luy, l'Eglise de Chartres estoit en possession de ce precieux dépost. Nous en avons une preuve indubitable sur la fin du neuviéme siecle, lorsque Rollon Chef des Normans, ayant assiegé la ville de Chartres, l'Evesque ayant fait une sortie & porté
Labbe Bibl. to. 1. p. 325. la Chemise de Nôtre Dame, *Camisiam sanctæ Mariæ in manibus ferens*, mit en fuite Rollon & son Armée. Que l'on voye aprés cela si l'on a raison de démentir la pretention & la possession des Religieux de Vendôme par le silence de Geoffroy Abbé de ce Monastere.

La preuve que l'on apporte des defauts qui se trouvent dans l'Histoire qui en a esté composée, n'est pas plus solide. Si l'on vouloit revoquer en doute la sainteté des Saints, par exemple, à cause des mécontes & des erreurs de faits & de chronologie, qui se trouvent dans plusieurs Vies, il y en auroit peu qui pûssent éviter la censure. Celle des Apostres mesmes n'en seroient pas à couvert. Tant il est difficile de trouver des Ecrivains exacts pour ces sortes d'Histoires : soit parce que n'ayant pas esté écrites par des Auteurs du tems, il estoit difficile que des Auteurs posterieurs en fussent bien informez : soit parce que ces Vies ayant esté écrites anciennement, elles ont esté retouchées par des Auteurs moins anciens, qui y ont fait des additions contre la verité de l'Histoire.

En un mot la Tradition telle que le Sr Thiers l'expose, est un fort bon titre, pour assurer la verité ou la possession d'une Relique : mais le defaut de cette sorte de Tradition n'est pas un argument suffisant pour decider le contraire. On doit s'en tenir à la bonne foy des Eglises, jusqu'à ce que l'on

ait

ait des preuves certaines & évidentes qui obligent de porter un autre jugement. C'est ainsi qu'en ont usé toutes les personnes sages qui ont esté obligées d'examiner ces sortes de matieres.

Et puisque l'on nous cite le témoignage du Grand S.Charles Archevesque de Milan, voyons un peu comme il en a usé à l'égard du S. Cloud, qui se garde dans le Dôme de Milan, & à l'égard du S. Suaire, que l'on conserve à Turin.

Avant saint Charles ce saint Cloud estoit fort negligé dans l'Eglise de Milan, & *n'avoit esté en telle veneration & devotion du peuple*, dit l'Auteur a de sa Vie, *qu'il luy sembloit estre convenable*. Ce saint Cardinal en fit une Translation solemnelle, & institua une Procession, en laquelle cette sainte Relique seroit portée tous les ans le troisiéme May, jour de l'Invention de la sainte Croix. Quelle diligence prit ce grand Saint pour verifier cette relique? quelles preuves employa-t-il pour l'exposer si solemnellement à la veneration des peuples? Eut-il recours à la Tradition divine, ou Apostolique, ou Ecclesiastique? En auroit-il trouvé d'autre que la possession de son Eglise? c'est ce que je ne crois pas, Monseigneur, & c'est ce que les Auteurs de sa Vie ne nous disent pas.

a *Giussano* livre 4. chap. 9.

Mais quelle devotion ne porta-t-il pas au saint Suaire, qui se gardoit de son tems à Chambery, & que le Duc de Savoye Emmanuel Philibert fit pour lors apporter à Turin, pour abreger la peine de ce grand Serviteur de Dieu qui vouloit faire tout ce grand voyage à pied? b Il le fit en effet ce voyage jusqu'à Turin avec une fatigue & une devotion incroyable, pour donner des marques éclatantes de sa foy envers ce saint Suaire; voyage qu'il fit jusqu'à quatre fois pour le mesme sujet.

b *Le mesme* liv. 5. ch. 5.

Que fit cet homme si éclairé de Dieu pour s'assurer de la verité de cette Relique? Il sçavoit qu'à Besançon, sans parler des autres Eglises, on pretendoit posseder le saint Suaire. Que fait-il pour lever ce doute? Consulte-t-il la Tradition Divine, Apostolique ou Ecclesiastique, avant de faire ce long & penible voyage, & de marquer son extrême veneration pour ce pretieux depost? Nullement. Il s'en tient à la bonne foy que l'on avoit de cette sainte Relique, & sans en examiner les Titres ny l'Histoire, il croit pouvoir donner cette illustre marque de la devotion sensible qu'il avoit pour tout ce qui regarde Notre divin Sauveur.

Si l'on avoit consulté sur cela les principes du sieur Thiers, je ne sçay s'il n'auroit point traité ce voyage de superstition. Car il pretend que tout culte de Reliques qui n'est point fondé sur la Tradition au moins Ecclesiastique, telle qu'il l'a definie luy-même, c'est-à dire qui ne sera point venuë jusqu'à nous, *comme de main en main successivement, & qui* c *ne sera point attestée par des Auteurs considerables de tous, ou de presque tous les siecles*; que ce culte de Reliques qui n'est point fondé sur ce principe, n'est pas fondé sur la verité, mais sur la fausseté, & sur des Traditions populaires, qui sont du nombre de celles que Notre Seigneur a condamnées. Et partant que ce culte est superstitieux.

c pag. 125.

Sur ce principe, Monseigneur, il n'y a presque point d'Eglise que l'on ne puisse taxer de superstition, n'y en ayant presque aucune, qui n'honore des Reliques dont on ne peut prouver la possession par cette Tradition Ecclesiastique que le sieur Thiers veut établir comme l'unique preuve, qui en puisse faire voir la verité, & exempter de superstition ceux qui les honorent. Car combien y en a-t-il que l'on puisse prouver par une Tradition, qui soit venuë jusqu'à nous *comme de main en main successivement, & qui soit attestée par*

des Auteurs considerables de tous, ou de presque tous les siecles? Il faudra donc à ce conte-là rejetter toutes les Reliques qui n'auront point ces caracteres, & traiter de superstition tout culte qui leur sera rendu à l'avenir, si l'on veut suivre ces nouveaux principes.

Je suis bien assuré que vous ne serez pas de cet avis là, Monseigneur, & que vous aimerez bien mieux suivre un juste temperament sur une matiere si delicate, en n'approuvant pas indifferemment toutes sortes de Reliques sans discernement, & apportant de sages précautions pour ne pas rejetter legerement celles qui sont veritables. En suivant ce sage temperament, on évite également & la superstition, & l'irreligion; on conserve la paix dans l'Eglise, & on ne scandalise pas les peuples par des changemens indiscrets. Car enfin, quand on se tromperoit à l'égard de quelqu'une, je ne crois pas que ce soit un culte superstitieux, si l'objet que l'on tient de bonne foy pour averé, est digne de veneration, c'est-à-dire si l'on croit de bonne foy que cette Relique soit d'un Saint, qui est reconnu pour tel dans l'Eglise.

Dira-t-on, par exemple, que ce soit une superstition d'adorer une Hostie non-consacrée, que l'on croit assurément l'estre, & n'est-ce pas au contraire un acte de Religion, aussi agreable à Dieu, que si en effet elle estoit consacrée? Pourquoy cela? C'est parce que ce culte que l'on rend à l'Hostie presente, se termine à son veritable objet, qui est le vray Corps de Jesus-Christ, quoique l'objet immediat ne le soit pas en effet. Il en est de mesme du culte que l'on rend à des Reliques de Saints, que l'on croit de bonne foy estre veritables. Car quand elles ne le seroient pas en effet, on ne peut attribuer à ce culte l'idée que nous avons de la superstition, qui n'est autre chose qu'un culte indû, ou rendu à une chose qui n'en merite pas. *Cultus indebitus, vel rei indebitæ.*

Mais si cela est vray à l'égard des Reliques & des Ossemens des Saints, Monseigneur, il ne l'est pas moins à l'égard des choses qui leur ont appartenu, comme de leurs vestemens, & des instrumens de leur martyre. Car quand il seroit vray que ces Reliques ne seroient pas tout-à-fait certaines, elles peuvent meriter quelque honneur par rapport à la personne à qui on les attribuë, parce qu'encore qu'elles ne fussent pas en effet veritables, elles sont en quelque façon les mesmes choses que les veritables, au moins par representation. C'est sur ce fondement que l'on honore les Croix, quoyque faites d'une autre matiere que du bois de la vraye Croix, parce qu'elles en ont la figure & qu'elles la representent. C'est pour la mesme raison que nous honorons les Images des Saints, & que nous avons du respect non-seulement pour leurs vestemens, mais aussi pour les choses qui y ont touché. C'est enfin pour ce sujet que l'on a honoré de tout tems dans l'Eglise les Linges * & autres choses semblables, qui avoient touché les Saints ou leurs Reliques. D'où vient que saint Charles ayant fait faire plusieurs figures du saint Cloud de Milan, & les ayant fait toucher à cette sainte Relique à nud, afin qu'on les pust garder chez soy par devotion, il en fit present d'une au Roy Catholique Philippe II. comme d'une espece de Relique, comme le témoigne l'Auteur *a* de la Vie de ce grand Cardinal.

** V. les actes des Apostres ch. 19. v. 12. S. Greg. liv. 3 ep. 30. &c.*

a Guissano livr. 4. ch. 12. à la fin.

Je demeure d'accord, Monseigneur, qu'il ne faut pas pousser trop loin ce principe, & que ceux-là seroient tres-blâmables & mesme punissables, qui, sous pretexte de representation, exposeroient une Relique supposée d'un saint pour une veritable. Mais je suppose toûjours la bonne foy, tant de la part de ceux qui l'exposent à la veneration publique, qu'à l'égard

de

de ceux qui l'honorent. Sans quoy ce seroit une fourberie qui meriteroit châtiment.

Voilà, Monseigneur, ce que j'avois à dire touchant les regles que le sieur Thiers veut nous donner pour le discernement des anciennes Reliques, & pour justifier de superstition le culte qu'on leur rend. Permettez-moy, s'il vous plaist, de m'arrester un peu sur les quatre exemples qu'il vous propose pour vous porter à supprimer la sainte Larme de Vendôme.

Le premier exemple est celuy du grand S. Martin Evesque de Tours, qui ne fit *nulle a difficulté*, à ce que dit notre Critique, *de faire démolir un Autel, que le Peuple avoit consacré comme à des Martyrs, & que ses predecesseurs avoient érigé.* a p. 174.

Il est vray que S. Martin fit démolir cet Autel, qui avoit esté érigé a l'honneur d'un faux Martyr. Mais quelle précaution ne prit-il pas pour le faire? Il doute de la verité de ce Martyr : il examine l'origine de cette devotion. Ne voyant rien de bien sûr *dans aucune Tradition constante*, il s'abstient pendant quelque tems d'aller en ce lieu, ne voulant pas ny porter préjudice a cette devotion populaire, dans l'incertitude où il estoit; ny deferer aveuglément a l'opinion vulgaire, dans la crainte de favoriser peut estre quelque superstition par son exemple. Que fait-il donc dans cette perplexité? Il prit un jour avec luy quelques Freres en petit nombre, & s'en alla sur le tombeau de ce pretendu Martyr. Il prie Dieu de luy faire connoître qui estoit la personne, & quel estoit le merite de celuy que l'on y reveroit. Aprés sa priere, il vit un Spectre qui luy declara que c'étoit, non un Martyr, mais un Larron, qui avoit esté executé pour ses crimes, & enterré en cet endroit.

Voilà le premier exemple, Monseigneur, que le sieur Thiers vous propose pour modelle de ce que vous avez a faire pour découvrir la verité ou la fausseté de la Relique de Vendôme. Il n'est pas besoin d'un grand examen pour voir ce que vous avez a faire pour suivre exactement l'exemple de S. Martin. Toutes les démarches & toutes les mesures en sont marquées. En un mot, suivant le Sr Thiers il ne vous faudroit pas moins qu'une revelation pour découvrir la verité de la chose que l'on vous propose. Voyon le second exemple.

Deux Moines ayans apporté des Ossemens d'un Saint prétendu, dont ils ne disoient pas le nom, dans l'Eglise de saint Benigne de Dijon, le bruit se répandit qu'il s'y faisoit des miracles par son intercession. A ce bruit Theobolde Evesque de Langres consulte Amolon Archevesque de Lyon son Metropolitain, pour sçavoir ce qu'il avoit a faire en cette rancontre.

„ L'Archevesque répond que puisque c'est sans autorité que l'on dit que
„ ces Os sont d'un Saint, dont on ne sçait pas le nom, il est d'avis qu'on les
„ enterre secretement, non pas dans l'Eglise, mais tout proche ou ailleurs,
„ mais dans un lieu décent & honête, afin que puisqu'on a cette pensée que
„ ce sont de saintes Reliques, il leur soit rendu quelque honneur ; & que
„ neanmoins parce qu'on n'en sçait rien de bien assuré, on ne donne point
„ de cours a la superstition du peuple grossier & ignorant.

Mais qui ne voit, Monseigneur, que ce cas icy est bien different de celuy que l'on propose? Il s'agit dans cet exemple des Ossemens d'un Saint pretendu, apportez tout nouvellement par deux Moines de nulle autorité. Il s'agit d'un Saint inconnu, dont on ne dit pas seulement le nom. Il s'agit enfin

d'ap-

d'approuver ou d'improuver des Reliques de ce Saint inconnu, apportées tout recemment dans une Abbaye. Qui doute qu'il ne fût pour lors du devoir d'un Evesque d'examiner serieusement, comme fit Theobolde, la qualité de ces Reliques, avant que de les approuver, & de permettre qu'elles fussent exposées à la veneration des peuples? Il sembloit qu'il n'estoit pas necessaire de consulter un Archevêque pour sçavoir ce qu'il y avoit à faire en cette rencontre. Neanmoins ce Sage Prelat ne s'en fie pas à son jugement particulier. Il demande l'avis de son Archevesque, afin de ne faire rien de mal à propos. Mais qu'il est sage & prudent cet avis de l'Archevesque. Ces Reliques son nouvelles; elles sont d'un pretendu Saint, inconnu & sans nom. Elles sont apportées par deux Moines qui n'ont ny caractere, ny autorité, qui merite aucune creance. Il est question de sçavoir s'il en faut approuver le culte ou non. Cependant nonobstant toutes ces incertitudes, Amolon consulté par un de ses suffragans, qui se défie de ses propres lumieres, veut qu'on les mette dans un lieu secret à la verité, mais honeste, afin que d'un costé il leur soit rendu quelque honneur, si ce sont de veritables Reliques; & que d'un autre on empesche la superstition du peuple, si elles ne sont pas veritables.

Quoyque ce ne soit pas mon dessein presentement d'examiner la verité de la sainte Larme de Vendôme, mais de faire voir seulement les defauts qui se trouvent dans les principes generaux que le sieur Thiers pretend établir pour le discernement des Reliques; je ne puis neanmoins m'empescher, Monseigneur, de remarquer l'extrème difference qu'il y a de ce fait à celuy de la sainte Larme, que l'on conserve depuis si long-temps dans cette Abbaye. On peut assurer, avec fondement, qu'elle y a esté apportée avec quelque sorte d'éclat, & q'elle n'y a pas esté exposée à la veneration des peuples sans quelques preuves. On en verra quelques-unes à la fin de cette Lettre. Mais quand il n'en resteroit aucune aujourd'huy, ce qui n'est pas; pourroit-on assurer qu'il n'y en ait point eu au commencement? S'il falloit representer les premiers Titres pour justifier les Reliques, qui se gardent depuis long tems dans les Eglises, combien en trouveroit-on qui le pussent faire? Il est donc visible que ce second exemple, aussi-bien que le premier, est fort mal-appliqué pour le dessein du sieur Thiers, & qu'il ne peut servir de regle au sujet present. Passons au troisiéme exemple.

Il est d'un jeune homme d'Angleterre, qui passant par la ville d'Hamton, donna en depost une partie de son argent à un homme qui le tua, & porta son corps la nuit hors de la ville. Quelques femmes ayant trouvé ce corps mort, luy donnerent le nom & la gloire de Martyr, l'enterrerent, & passerent plusieurs nuits auprés de son tombeau. Le peuple à leur exemple y fit ses devotions, & y apporta des Offrandes. On en donna avis à l'Evêque, qui animant son zele, profana le tombeau, renversa toutes les marques exterieures de veneration, que le peuple superstitieux en avoit données, & deffendit sous peine d'excommunication de luy rendre aucun honneur à l'avenir.

En verité y a-t'il le moindre rapport au sujet dont il s'agit. Le sieur Thiers pretend donner des regles & des conseils à un Evêque tel que vous, Monseigneur, pour examiner une ancienne Relique. Il apporte l'exemple d'un homme inconnu, tué depuis peu de jours, dont on sçait le sort & le genre de mort. L'Evêque du lieu informé du fait, en proscrit la veneration. Qui auroit pû douter de le faire dans de telles circonstances?

Mais peut-estre que l'exemple de S. Charles, que l'on apporte en dernier lieu

lieu pour modelle, sera plus à propos. C'est ce qu'il faut voir. Ce grand Cardinal faisant la visite de l'Eglise de Liano sur la riviere de Garde, il apprit qu'il y avoit proche de cette Eglise un tombeau de pierre, dans lequel estoient renfermées des Reliques que l'on croyoit estre de quelques Saints. Le fondement en estoit, qu'une nuit veille de saint Pierre aux Liens, il estoit sorty de ces Reliques une si grande abondance d'eau, que tout le tombeau en avoit esté remply : & quoy qu'une grande multitude de personnes des lieux circonvoisins y fussent accourus pour prendre de cette eau, la tombe en estoit toûjours demeurée toute pleine. Saint Charles examine d'où estoient venuës ces Reliques; & ne pouvant rien découvrir de certain, cela le fit entrer dans quelque soupçon, que ce ne fût quelque tromperie du demon. Pour s'en éclaircir, il fit vuider l'eau de ce tombeau, donna ces Reliques à garder à un Prêtre la nuit même que l'eau avoit coûtumé d'en couler. Il n'en parut point, & le Saint persuadé de la fourberie, fit enterrer ces Reliques dans une fosse, afin qu'à l'avenir personne n'eut occasion de les honorer. Voilà le fait.

Il est certain que l'on ne peut gueres donner de meilleur modelle à un Evêque, que l'exemple de ce grand Cardinal Mais encore un coup, quelle proportion y a-t'il de celui-cy avec le sujet dont il est question? Il s'agit dans cet exemple d'une devotion nouvelle, devotion à l'égard d'un objet incertain, fondée sur un prodige pretendu, dont on reconnoit visiblement la supposition & la fourberie. Y avoit-il à douter qu'il fallust supprimer ce culte, qui estoit si manifestement superstitieux ? Que l'on nous montre une seule circonstance semblable dans la sainte Larme de Vendôme : que l'on fasse voir que la devotion en est nouvelle, & qu'elle n'est fondée que sur une fourberie, & on consent à la suppression.

Je sçay que le S[r] Thiers dira que les Moines ont supposé des miracles pour donner vogue à leur Relique. Mais peut il en conscience avancer de telles calomnies sans preuves? Peut-il démontrer que cette devotion soit fondée sur quelque miracle supposé? En a-t'on prouvé la supposition? Qu'on le montre encore un coup, & nous donnons les mains.

Il paroît, ce me semble, par ce que je viens de dire, Monseigneur, que l'application que le S[r] Thiers à faite des quatre exemples que je viens de rapporter, n'est nullement juste; & que ces exemples ne peuvent servir de modelle pour examiner d'anciennes Reliques de Saints, que l'on reconnoit pour telles depuis plusieurs siécles. Les trois derniers regardent des Reliques de pretendus Saints, dont la devotion estoit récente, & dont il estoit facile de s'instruire. Le premier mesme qui est de S. Martin, ne pouvoit estre bien ancien, puisque l'Autel de ce faux Martyr avoit esté érigé par un Evesque de la ville de Tours, dont S. Martin estoit le troisiéme, si l'on en croit les anciens Catalogues de cette Eglise. Cependant S. Martin, je le repete, ne se porte pas legerement sur de simples incertitudes à démolir cet Autel. Il examine serieusement la chose, il prie, & il employe mesme le secours des prieres de quelques uns de ses Freres; & Dieu luy fait connoître par l'aveu mesme de ce faux Martyr, que celuy que les peuples honoroient comme Saint, estoit en effet un malfaiteur. Voilà ce que des Saints ont fait pour s'éclaircir de la verité des Reliques nouvellement exposées à la veneration du Public.

Or il y a une tres grande difference entre ces sortes de Reliques & les anciennes. Il faut avoir des raisons bien plus fortes, & apporter beaucoup plus de circonspection pour autoriser celles là, que pour conserver ou tole-

rer

rer le culte de celles-ci. Les preuves des nouvelles doivent estre plus sensibles, & tomber en quelque façon sous les yeux; en un mot, elles ne doivent laisser aucun doute raisonnable. Il n'y a point de mouvemens à craindre dans l'esprit des Fideles, si l'on n'en approuve pas le culte : parce qu'ils ne sont pas encore accoûtumez à la veneration de ces Reliques, comme on le suppose. Il faut donc en examiner serieusement les autentiques avant que de les approuver, afin de s'assurer de leur verité. Si les preuves en sont douteuses, on peut les mettre dans un lieu secret, mais honeste, suivant l'avis d'Amolon, pour ne les pas priver absolument de tout honneur, en cas qu'elles en meritassent.

Au contraire, les preuves des anciennes estant plus éloignées de nôtre tems, il est difficile parmi tant de révolutions qui sont survenuës, de les avoir conservées. Elles peuvent donc avoir esté perduës ou par l'injure des tems, ou par la negligence de ceux qui ont esté les dépositaires de ces Reliques anciennes. La presomtion est en leur faveur, & il y a bien de l'apparence qu'on ne les a pas exposées d'abord, sans les avoir bien examinées. Les anciens Canons le prescrivent, & nous sçavons que dans le doute on les éprouvoit mesme par le feu. Les Reglemens de quelques Conciles, & plusieurs exemples en font foy. Il est donc de l'équité de juger en faveur de la possession, à moins que l'on n'ait de bonnes raisons d'en douter; mais des raisons précises & particulieres, & non vagues & generales. Enfin, le retranchement que l'on feroit de ces anciennes Reliques peut causer de fâcheux mouvemens & de mauvaises impressions dans l'esprit des Fidelles accoûtumez à cette veneration. Cela les porte à douter de tout, & à n'ajoûter presque plus de foy aux veritables Reliques.

Je ne veux pas dire pour cela, Monseigneur, qu'il faille approuver aveuglément les Reliques anciennes & le culte qu'on leur rend, sous la seule raison qu'elles sont anciennes. Si l'on a de bonnes preuves pour les rejetter, il faut le faire avec prudence. Si le culte qu'on leur rend est superstitieux ou excessif, il faut y donner de justes bornes. Pour cet effet, il faut 1. en considerer l'objet, s'il est digne de veneration. 2. On doit présumer que les Evéques qui estoient du tems qu'elles ont esté premierement exposées, ne l'ont pas fait sans fondement. 3. Il faut voir s'il y a lieu de douter de la verité de la Relique, dont on suppose que l'objet est venerable. 4. Si l'on a sujet d'en douter, il faut que ce soit par de bonnes préuves, qui soient claires, certaines & évidentes. Autrement il faut suivre le sage avis d'Innocent III. qui dit qu'il vaut mieux en cas de doute laisser la chose au jugement de Dieu, que de la decider temerairement. *Melius est Deo totum committere, quam aliud temerè definire.* 5. Enfin, il faut voir si la suppression que l'on pretendroit faire ne causeroit pas plus de scandale, que l'abus mesme que l'on pretend oster; & s'il ne seroit pas plus à propos de tolerer ce que l'on ne peut supprimer sans causer un plus grand mal.

Sur ces principes, que j'espere que vous ne desaprouverez pas, Monseigneur, il est facile de juger de ce que l'on doit penser de la sainte Larme, qui se conserve à Vendôme. Le fait est certain, que Nôtre Seigneur a versé des Larmes à la resurrection de Lazare. Il n'est pas moins certain que ces Larmes estoient dignes d'estre conservées, & qu'elles meritoient un respect proportionné à la Majesté infinie du Fils de Dieu. Il est encore certain que les Fidelles ne doivent pas oublier la charité de Jesus-Christ pour les Pécheurs, dont la conversion a esté figurée par la resurrection de Lazare; ni l'exemple qu'il

qu'il leur a donné en pleurant pour eux, de se pleurer eux-mêmes. On pretend que ces saintes Larmes ont esté miraculeusement conservées, & que c'est une de ces Larmes qui est gardée religieusement dans l'Abbaye de Vendôme depuis six cens ans, c'est-à-dire, dés le commencement de la fondation de cette Abbaye. Enfin, la bonne foy & une ancienne veneration autorise absolument ce culte, juste du costé de l'objet, utile du costé de la Religion, & qui ne seroit pas moins legitime, quand l'objet immediat ne seroit qu'une representation, & non la chose mesme : comme l'Eglise le juge à l'égard de la Croix & de tant de Monumens de la Passion du Sauveur, qui sont exposez en tant de lieux à la veneration des Fidelles, dont le culte luy paroît certainement religieux, quoyqu'elle ne pretende pas que l'objet immediat de ce culte soit indubitable; & que plusieurs de ces Monumens souffrent de grandes difficultez par rapport à l'Histoire, & n'ayent rien de bien certain qu'une ancienne bonne foy. Voilà, ce me semble, l'idée que la conduite sage & moderée de l'Eglise nous donne de ces anciennes Reliques, & du jugement que l'on doit porter du culte que les Fidelles leur rendent. Si je me suis trompé dans ce jugement, Monseigneur, j'espere que vous aurez la bonté de me redresser, & de me faire part de vos lumieres, que je recevray avec tout le respect que je dois.

Mais avant que de finir cette Lettre, souffrez, s'il vous plaît, Monseigneur, que je fasse voir l'injustice du procedé du S[r] Thiers contre l'Abbaye de Vendôme, & mesme contre toute une Congregation, dont il faisoit autrefois profession d'estre amy, & dont il n'a nulle raison de se declarer maintenant, comme il fait, l'ennemy par ses Libelles. Mais peut estre qu'il vaut mieux en attribuer la cause à la disposition de son esprit, qu'à celle de son cœur, & que c'est moins sa mauvaise volontè que son humeur, qui en est le principe. En effet, nous ne sommes pas les seuls à qui il en veut. Il a attaqué de la même maniere plusieurs personnes, & même des corps entiers considerables dans l'Eglise, sous pretexte d'éclaircir quelques points de doctrine ou d'histoire. Comme si l'on ne pouvoit traiter les matieres, sans blesser les personnes : comme si les Dissertations n'estoient faites que pour debiter des invectives & des satyres.

Mais sans avoir recours à d'autres Libelles, on n'a qu'à jetter les yeux sur celuy qu'il vient de publier, non pas tant contre la sainte Larme, que contre l'Abbaye de Vendôme, & même contre toute nôtre Congregation, „ nous accusant de conserver qvantité de fausses Reliques dans nos Eglises, „ & de les avoir exposées à la veneration publique, sans se mettre en peine, „ si l'on abusoit par-là de la trop grande crédulité des simples, & de ceux „ qui n'approfondissent pas les choses, ny si on les entretenoit dans des erreurs, dont on auroit dû charitablement les retirer „. C'est ainsi qu'il parle à un illustre Prélat dans l'Epître Dédicatoire qu'il luy a faite de sa Dissertation, mais à son insçu, comme ce Prélat s'en est expliqué luy-même, témoignant qu'il desaprouvoit fort ce Libelle.

Le S[r] Thiers entasse ensuite faits sur faits pour prouver ce qu'il avance, & on peut dire que tout le Livre n'est, à proprement parler, qu'une véritable Satyre & un tissu d'injures contre nôtre Ordre.

On dira, peut-estre, que son zéle & l'amour de la verité l'ont emporté, & que l'on doit l'excuser, par la vûë de son intention qui est bonne, qui est de purger l'Eglise de toutes les fausses Reliques & de toutes superstitions.

Cela feroit en effet à fouhaitter, mais le Sr Thiers prend des moyens tout oppofez à ce deffein. Pour y réüffir, il faudroit que fon zéle fût un zéle de charité, & non pas d'amertume, la charité eftant la compagne infeparable de la vérité, fuivant l'Apôtre de la charité, qui luy donne le premier rang, *in caritate & veritate*.

Il faudroit que ce zele fût fincere & ferieux, fans y mêler des bouffonneries d'un Libertin, qui peuvent induire les Fidelles au mépris de toutes fortes de Reliques. Telles font les railleries que le Sr Thiers tire de l'Herodote *a* d'un Eftienne, railleries impies, indignes d'un Chrêtien & d'un Prêtre.

Il faudroit que ce zele fût jufte & reglé, & non pas partial, comme celuy du Sr Thiers, qui fait un crime à une Abbaye d'une Relique, quoyque plufieurs autres Eglifes pretendent en avoir de femblables. Il en nomme quatre luymême, fçavoir S. Maximin en Provence, Thiers en Auvergne, S. Pierre le Puellier à Orleans, S. Leonard de Chemillé.

Il pouvoit encore y ajoûter une celebre Abbaye de Premontré, c'eft celle de Selincourt au Diocêfe d'Amiens, qui porte le nom de la fainte Larme. Pourquoy donc faire un crime particulier à une Eglife de ce qui luy eft commun avec plufieurs autres?

Tout le crime des Religieux de Vendôme, eft d'avoir publié l'Hiftoire de leur Relique, *dans laquelle ils ont fait entrer à force de bras & de machines*, à ce qu'il dit, *tout ce qu'ils ont crû qui pouvoit favorifer leurs deffeins & leurs interefts*.

Ce n'eft pas moins à cette Hiftoire qu'à la Relique de la Sante Larme que le Sr Thiers en veut. Il auroit feulement fouhaité qu'elle euft efté *mieux digerée & mieux conditionnée*, afin qu'il eût eu plus d'honneur à l'attaquer. En effet, il me paroit qu'il ne s'en eft pas fait beaucoup, en publiant un fi méchant Libelle.

Mais une Hiftoire mal-faite ne doit pas porter préjudice à la chofe, à moins qu'on n'ait des raifons effentielles à y oppofer. Il y avoit du tems de S. Auguftin un Autel érigé à l'honneur de S. Eftienne premier Martyr dans la ville d'Ancone, en Italie, où l'on croyoit qu'un bras de ce Saint eftoit renfermé. Cependant c'étoit feulement une pierre dont il avoit efté frappé au bras, qu'un homme qui avoit efté prefent à fon martyre avoit apportée en cette Ville-là. Il s'y faifoit plufieurs miracles par les merites de ce S. Martyr, & on y avoit recours de toute part, fuivant le témoignage de S. Auguftin: qui loin d'improuver cette devotion, fit un difcours à fon Peuple pour fe réjoüir d'une merveille, qui eftoit arrivée à l'occafion de cette Relique. Cependant, on ne fçavoit pas au vray l'origine de cette devotion, & S. Auguftin fe contente de raporter ce que l'on en difoit communément fans l'improuver. *Latet quidem caufa*, dit *b* ce S. Docteur, *fed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veftræ*. Voilà ce qu'auroit dû faire le Sr Thiers, s'il euft voulu imiter les Saints, dont il fe vante d'imiter le zele. Il eft difficile, je l'avouë, de croire que la fainte Larme de Nôtre Seigneur fe foit confervée jufq'à nos jours, & qu'elle fe garde véritablement, comme on le dit, dans l'Abbaye de Vendôme. *Latet quidem caufa*: mais il en auroit rapporté l'Hiftoire comme on la debite fans l'approuver: *Sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veftræ*. On n'auroit pas même trouvé à redire qu'il euft critiqué cette Hiftoire, pourvû qu'il l'euft fait avec moderation & avec charité: perfuadé qu'il eft prefqu'impoffible qu'il ne fe mêle des erreurs de fait dans ces fortes d'Hiftoires, comme il s'en eftoit mêlé en effet dans celle qui regardoit la Relique d'Ancone, dont je viens de parler.

Mais ce n'eft pas l'effet d'un veritable zéle, mais d'une paffion violente, de

pag. 119. & 160.

a Voicy quelques-uns de ces termes. *Un Moine de S. Antoine, nommé F. Oignon, rapporte qu'étant allé à Jerufalem, le Patriarche luy montra plufieurs Reliques, & entr'autres celles cy, un peu du doigt du S. Efprit, le mufeau du Seraphin qui apparut à S. François &c.* J'ay honte de rapporter de telles impietez, je fupprime le refte.

b *Aug. fer.* 323.

de se déchaîner comme il fait contre un corps sous ombre de zéle & d'amour de la vérité : rien n'étant plus capable de décrier ce prétendu zéle, que les Satyres dont son Livre est remply, & de rendre inutiles les desseins apparens de cet Autheur, qui est de purger l'Eglise de tout ce qu'il s'imagine estre superstitieux. Sans doute qu'il condamneroit comme telle une devotion semblable à celle d'Ancone, où l'on prétendoit avoir un Bras de S. Estienne, avant même que son corps eût esté découvert, comme le témoigne S. Augustin.

Il dira peut estre, Monseigneur, que ce Peuple d'Ancône estoit dans la bonne foy. Mais pourquoy ne porter pas le même jugement à l'égard des Religieux de Vendôme? Ils ont reçû cette Relique de bonne foy comme veritable dès le premier tems de leur fondation. Leur Fondateur l'avoit reçûë de Henry I. Roy de France, ou de Henry III. Roy de Germanie, à qui elle avoit esté donnée par Nitkere Evêque de Frisingue, où elle avoit esté apportée de Constantinople. C'est ce que l'on éclaircira à la fin de cette Lettre. Les Religieux de Vendôme l'ayant reçûë de bonne foy, ils l'ont conservée de la même maniére.

Ils voyoient bien qu'il y avoit de la difficulté à se persuader, que les Larmes du Sauveur se fussent conservées miraculeusement pendant un si longtemps: Ils n'ignoroient pas qu'il n'y avoit rien d'écrit sur cela dans les Livres Sacrez, ny dans les Auteurs des premiers siécles : Mais ils sçavoient aussi que tout n'avoit pas esté écrit : a Que Nôtre Seigneur avoit dit que l'on verroit descendre les Anges sur le Fils de l'Homme, & remonter ensuite au Ciel; & qu'il se pouvoit faire que ces Larmes eussent esté recueillies par leur ministére, & ensuite conservées par les Fidelles. Cette pieuse créance balançoit le doute que la difficulté de la chose formoit dans leurs esprits; sur tout la Sainte Relique leur estant venuë de si bonnes mains. Enfin, ils ont esté persuadez qu'il n'y avoit aucun inconvenient d'honorer une Relique, qui en soy estoit digne de veneration, si elle estoit véritable: & comme nulle raison évidente ne les empêchoit de le croire, ils crûrent que tant de motifs les devoient déterminer à luy rendre cet honneur.

a *Jean ch. 1. 51.*

Tous les Fidelles de la Province depuis ce temps-là ont eu les mêmes sentimens de respect pour cette Sainte Larme, & l'ont regardée comme véritable. Les Guérisons miraculeuses qui se sont faites dans ce lieu, les ont confirmez dans cette croyance. Nos Roys Tres-Chrêtiens & les Reynes, des Princes, des Evêques de Chartres y ont offert leurs Vœux, comme on le fera voir. Si cette voye n'est pas assez certaine pour établir évidemment la vérité de cette Relique, elle suffit au moins pour nous faire recevoir, avec respect, ce que de si Illustres Personnes ont jugé digne de leur culte & de leur vénération. Que l'on voye aprés cela si un Critique a raison de censurer tout la terre; & de prendre occasion de-là de publier impunément cent calomnies atroces contre une Abbaye, contre toute une Congregation, contre tout un Ordre. Je prie Dieu qu'il luy pardonne ces excès, & qu'il luy inspire des sentimens plus Chrêtiens à l'avenir.

Je ne doute pas, Monseigneur, que je ne vous aye fatigué par une Lettre si longue & si ennuyeuse: mais j'ay crû que l'interest commun des Eglises demandoit qu'on s'élevât contre les Regles de ce Critique, qui ne tendent qu'à décrier les véritables Reliques sous prétexte de rejetter les fausses. C'a esté là mon unique dessein, & j'espére que Vôtre Grandeur ne le desapprouvera pas. Je suis avec un profond respect,

MONSEIGNEUR, Ce 5. Février 1700.

Vôtre trés-humble & tres-obéïssant serviteur F. M. B.

MEMOIRES,

Pour servir d'Eclaircissement à l'Histoire de la Sainte Larme de Vendôme.


L'Abbaye de Vendôme au Diocése cy-devant de Chartres, maintenant de Blois, reconnoit pour ses Fondateurs Geoffroy Martel Comte d'Anjou & de Vendôme, & la Comtesse Agnes sa femme, mariée en premiéres noces a Guillaume le Grand Comte de Poitiers, & Duc d'Aquitaine. On jetta les fondemens de cette Abbaye vers l'an 1033. & la Dédicace de l'Eglise en fut faite l'an 1040. le dernier jour du mois de May. Entr'autres Reliques dont ces Illustres Fondateurs enrichirent cette Eglise, furent la Sainte Larme de Nôtre Seigneur, & le Corps de S. Eutrope Evêque de Xaintes. Les premiers Religieux de cette Abbaye n'ont pas eu soin de mettre par écrit ce qui s'étoit passé dans la Translation de ces Saintes Reliques : Ils se sont contentez de representer sur l'Arcade qui environne l'Armoire où se garde la Sainte Larme, des Figures en bosse qui en marquent en quelque façon l'Histoire. Mais comme ces Figures, assez mal-faites, mais telles qu'on les pouvoit faire en ce temslà, n'expliquent pas assez cette Histoire, il n'en est rien resté de bien précis, sinon par tradition, jusqu'au siécle précédent, auquel on fit imprimer un recit abregé de la maniére que l'on croyoit pour lors que la Sainte Larme avoit esté apportée à Vendôme. Ce précis consiste à dire, que Geoffroy Martel ayant esté envoyé par Henry I. Roy de France, au secours de Michel Paphlagonien Empereur de Grece, & luy ayant rendu de grands services contre les Sarrazins, il reçut pour reconnoissance de cet Empereur la Sainte Larme, qui se gardoit pour lors â Constantinople, & que l'ayant apportée en France, il la déposa dans l'Abbaye de Vendôme, où on l'a conservée religieusement jusq' à présent.


Mais comme ce récit ne s'accorde pas tout-à-fait avec les Figures dont nous venons de parler, qui ont esté faites dés le tems de la fondation de cette Abbaye, & conservées avec grand soin lorsque dans le quinziéme siécle on bâtit la nouvelle Eglise qui se voit aujourd'huy, il semble qu'on doit plûtost s' arrester à l'idée que nous presentent ces Figures, & aux indices qui nous sont marquez sur l'un des petits coffres, dans lequel la Sainte Larme a esté conservée jusq'aujourd'huy depuis le tems de la fondation de cette Abbaye. C'est pourquoy on a jugé à propos de faire graver les Figures de cette Arcade & de ce petit Coffre, afin que le Lecteur puisse juger par ses propres yeux de la vérité des choses que l'on avance. C'est ainsi que le saint Poëte Prudence se servit autrefois des Peintures qui se voyoient au Tombeau de S. Cassien Martyr d' Imola, *a* pour en composer & en prouver l'Histoire qu'il nous a laissée par écrit dans ces Vers :.

a Pruden. hym. 9.

Non est inanis aut anilis fabula:
Historiam pictura refert.

L'antiquité de ces Figures est certaine, & il ne faut avoir que des yeux pour s'assurer qu'elles ne sont pas moins anciennes que la fondation de cette Abbaye. D'ailleurs, elles ne peuvent estre en aucune maniére suspectes de supposition. Cependant, ces Figures nous apprennent d'où est venuë la Sainte Larme, & prouvent invinciblement que c'est un présent d'un Evêque, d'un Roy & du Fondateur de l'Abbaye; & justifient par consequent la possession & la bonne foy des Religieux de Vendôme. Outre ces preuves, que j'appelle ex-





extantes, il y en a de *litteraires*, qui prouvent encore la même chose. Commençons par les premiéres.

Preuves Extantes.

La Sainte Larme est gardée dans une Armoire sous une petite Arcade, à costé droit du Grand Autel, c'est-à-dire du costé de l'Evangile. L'Arcade qui est de pierre, aussi-bien que l'Armoire, est soûtenuë de deux piliers, & terminée en forme de voute. Les Figures sont entaillées dans la pierre.

1. Au-dessus de l'Armoire est representée en bosse la Résurrection de Lazare, & une Dame qui reçoit d'un Ange une petite ampoulle, dans laquelle est enfermée une espece de Larme. A droite du Tombeau l'on voit Jesus-Christ avec ses Apôtres & un Patriarche avec une espéce de Tiare.

2. Au-dessus de l'Arcade il se voit un Roy assis avec le Sceptre en main, & auprés de luy une Reine; (c'est apparemment l'Empereur & l'Impératrice :) Ensuite, le Tresorier de l'Eglise, puis le Patriarche, & auprés de luy son assistant, avec un jeune homme, qui reçoit une petite Chasse posée sur une table, sur laquelle sont encore deux autres Chasses, dont il semble qu'on luy donne le choix.

3. Ensuite, dans le rond de l'Arcade sont representez six Chevaliers, deux à deux, dont le premier, qui est à droite, porte une petite Chasse, & le dernier tient entre ses mains une autre Chasse oblongue qui est ouverte, ayant en sa main une espece de tasse, avec laquelle il semble vouloir puiser quelque chose dans cette Chasse.

4. En aprés sont representez les mêmes Chevaliers, mais à pied, dont le premier offre à un Evêque, revétu de ses habits Pontificaux, & assisté de son Clergé, une petite Chasse carrée, que l'Evêque encense. Le second Chevalier tient une espéce de Calice de sa main droite, qui est couverte d'un linge. Le troisiéme semble tenir un Encensoir en main.

5. Ensuite, l'Evêque est representé comme dans une Eglise, ayant devant luy un Autel, sur lequel un Chevalier dépose une petite Chasse, que l'Evêque encense. Autour se voit le Clergé & le Peuple, & un homme qui sonne une Cloche.

6. Au-dessus du Pilier, qui est à droite, on voit sur le devant un Evêque qui donne la petite Chasse à un Roy, qui a le Sceptre à la main & une Couronne sur la teste : au dedans le Roy accompagné d'une Reine couronnée, dépose cette Chasse sur un Autel.

7. Au-dessus de l'autre Pilier, il y a deux Personnes qui semblent verser de l'eau avec des cruches. Tout auprés est un jeune homme, revétu d'un manteau qui pend par derriere, & dont il tient l'attache de la main gauche, comme l'on voit dans d'anciennes Statuës. Sa robe est parsemée de fleurons en peinture. Il n'a point de Couronne en teste. Auprés de luy est une Dame avec une Couronne. Au-devant sont des Anges; de l'autre costé est un Tombeau &c.

8. A l'une des bazes de l'Arcade sont representez un Roy & une Reine.

9. A l'autre baze deux jeunes hommes. Voila pour ce qui est de l'Arcade & de l'Armoire.

Il y a quatre coffres d'or pour conserver la Sainte Larme. Le premier est long d'environ un pied & de six pouces de largeur, & de quatre de hauteur. A la premiere face sont representez en bosse les Prophetes Isaye, Ezechiel, Jeremie & Daniel, avec leurs noms, & au milieu l'Agneau Paschal, avec ces mots, Agnus Dei. Au dessous on lit ce Vers:

ASPICE LAETA TUOS FELIX
FRIGISINSA PATRONOS.

A l'

A l'autre face sont representez les quatre Saints Patrons de Frisingue avec une Aigle au milieu dans un cercle, & au-dessus, ✠ S. Tertulinus. S. Corbinianus. S. Mauricius. S. Georgius : & au-dessus de l'Aigle. S. Eutropius, qui y a esté ajoûté. Au dessous on lit ce Vers:

BIS DUO SYNMISTAE TUA
PANDUNT TEMPORA CHRISTE.

A l'un des côtez est l'Image de Nôtre Seigneur, qui donne la Benediction d'une main, & tient un Globe de l'autre, avec une Croix au milieu : aux quatre coins sont les quatre Evangelistes. De l'autre côté est un Crystal, dans lequel on voit un œil pleurant, & au dessous ces mots en lettres capitales, Heinricus Rex. Nitkerus Episcopus. La couverture ou coulisse de ce coffre est de bois couvert de cuivre, sur lequel sont representez Abraham & Melchisedech, offrans le Sacrifice sur un Autel avec un Calice, & Moïse & Aaron, avec leurs noms. A l'un des costez de cette coulisse on lit ces mots, Henrico Nitkerus Dat. Aux quatre coins du coffre sont representez des yeux, qui semblent y avoir esté ajoûtez. On a crû qu'il suffisoit de faire graver icy ce premier Coffre.

Le second Coffre, qui est enfermé dans ce premier, est de grand prix. Il est couvert d'or avec des philagrames, enrichy de plusieurs pierres précieuses. On tient que c'est un present de la Comtesse Agnés Fondatrice de cette Abbaye.

Le troisiéme Coffre enfermé dans ce second, n'a rien de particulier. Il est simple, sans gravûre ny inscriptions, enrichy de quelques perles & pierres précieuses.

Le quatriéme, qui est le plus petit, est gravé aux quatre faces, où sont representez par forme de Tableaux grossiers & mal-faits, la Resurrection de Lazare, avec des paroles tirées de l'Evangile, dont le caractére est d'environ trois cens ans.

La Sainte Larme, qui est dans ce quatriéme Coffret, est enfermée dans deux petits vaisseaux l'un dans l'autre. Le premier est un espéce de Verre, dans lequel on voit une petite Phiole de couleur bleuë : c'est dans celuy-cy que l'on croit estre contenuë la Sainte Larme.

A ce Reliquaire sont attachées deux chaines d'or, au bout desquelles sont deux bagues d'or, dans l'une desquelles est enchassé un tres-beau diamant, & ne porte aucune inscription : on tient qu'elle est de la Comtesse Agnes : l'autre, qui n'est pas si grande, est enrichie d'un rubis, & autour de la bague on lit cette inscription, I. De Rotelle m'a donnè a la S. Larme.

Je ne parle point des Inscriptions Gréques & Latines, ny des Figures qui se voyent de l'autre costé de l'armoire sur la muraille qui sépare le tour des Chapelles du Sanctuaire : parce que ces Inscriptions & ces Figures sont seulement du siécle passé.

Il paroît par tout ce que l'on vient de dire, quelle idée on avoit de la Sainte Larme dans le tems que l'Abbaye de Vendôme a esté fondée.

On conçoit par le premier Article, que la Sainte Larme, donnée par un Ange à Marie sœur de Lazare, avoit esté dans la suite des tems donnée à un Patriarche, apparemment de Constantinople.

Par le second, que cette Relique avoit esté donnée ensuite à des Chevaliers par l'Empereur, auquel sans doute ils avoient rendu quelque service considerable.

Par le troisiéme & les deux suivans, que ces Chevaliers apportérent cette Relique dans une Eglise, où elle fut reçûë par un Evéque.

Par

Par le sixiéme, que cet Evêque donna cette Relique à un Roy, qui en fit present à une Eglise, c'est à-dire à l'Abbaye de Vendôme, où elle est déposée sur l'Autel pour marquer cette Donation.

Par le septiéme, sont representez le Fondateur & la Fondatrice, lesquels furent portez à fonder cette Abbaye par une Vision qu'ils eurent d'une Etoile, qui parut sur une Fontaine, au lieu où est fondée l'Abbaye.

Par le huitiéme, sont representez le Roy & la Reine, qui ont fait le present de la Sainte Larme:

Et par le neuviéme, deux jeunes hommes, qui sont peut-estre deux des Chevaliers, qui en firent present à l'Evêque. Ce sont les inductions que l'on peut tirer de l'Arcade & de l'Armoire.

Pour ce qui est des petits Coffres, dans lesquels est enfermée la Sainte Larme, par le premier il est évident que le Roy qui a fait ce present s'appelloit Henry, & qu'il l'avoit reçu de Nitkere Evesque de Frisingue, dont les Patrons sont S. Tertullin Martyr, S. Corbinien son premier Evesque, avec S. Maurice & S. George. Ce Nitkere ou Nitgere a esté Evesque de Frisingue depuis l'an 1039. jusqu'en l'an 1052. Il eut de grosses affaires avec l'Empereur Henry III. & mourut enfin en exil à Ravenne. *Metrop. Salisb. to. 1 pag. 106.*

Il est incertain, si c'est à Henry Premier, pour lors Roy de France, que Nitkere fit present de cette Relique, afin d'obtenir sa protection dans sa disgrace; ou si c'est à Henry III. Roy de Germanie, qui ne fut couronné Empereur que l'an 1046. avec sa femme Agnés, fille du premier lit d'Agnés Comtesse d'Anjou, & Fondatrice de Vendôme. Cette Agnés fille de la Comtesse d'Anjou & de son premier mary Guillaume le Grand, Comte de Poitou & Duc d'Aquitaine, fut mariée à Henry III. pour lors Roy de Germanie l'an 1043. Il est vray-semblable qu'elle obtint facilement cette Relique, soit de Henry son mary, soit de l'Evêque de Frisingue, où elle estoit gardée pour lors, & qu'elle en fit present à sa mere Agnés, qui la donna ensuite à l'Abbaye de Vendôme.

Quelqu'un peut-estre pourroit dire, que ce Coffre a esté envoyé d'Allemagne par l'Imperatrice Agnés à sa Mere pour y enfermer la Sainte Larme, que Geoffroy Martel auroit auparavant apportée à Vendôme. Mais cette conjecture se détruit par les Articles 4. 5. & 6. de l'Arcade, où l'on voit que des Chevaliers donnent cette Relique à un Evesque, qui n'est autre sans doute que Nitkere, dont le nom est marqué plus d'une fois sur le Coffre; & que cet Evesque en fait present à un Roy, soit que ce soit Henry III. Roy de Germanie, ou Henry Premier Roy de France.

Voilà à mon avis ce qui se peut recueillir de plus assuré des Figures de l'Arcade, & des inscriptions de ce Coffre, dont l'antiquité est incontestable. Il n'y a personne tant soit peu équitable, qui ne demeure d'accord, qu'elles suffisent au moins pour faire voir la bonne foy des Religieux de Vendôme, qui ayant reçu cette Relique de si bonnes mains, ont crû de bonne foy que c'étoit veritablement une Sainte Larme de Nôtre Seigneur. On peut ajoûter à toutes ces preuves les Sçeaux de quelques Abbez de Vendôme, sur lesquels estoit empreinte la Figure de la Sainte Larme. Le premier de ces Sçeaux se voit pendant à une Charte de l'an 1207. Le second est du mesme siecle.

Voila pour ce qui est des preuves que j'appelle *extantes*: Venons maintenant aux secondes preuves.

Preuves Litteraires.

Une des plus anciennes Chartes que je trouve, qui fasse mention de la Sainte Larme. est celle d'un nommé Jean le Gros, qui renonça a une pretention qu'il avoit

avoit d'une Terre à Gombergen, qu'il disputoit aux Religieux de Vendôme, en faveur desquels il se desista de ses pretentions pour reconnoissance de ce qu'un sien fils avoit esté guery d'une grosse maladie, & sur tout du mal d'yeux : ensuite dequoy il vint luy & toute sa famille à la Relique de la S. Larme, *ad Sanctuarium Lacrimæ Christi*, pour en rendre leurs actions de graces à Dieu. Voicy la Piece entiere:

„ OMnibus posteris nostris intimamus, quod Johannes Crassus nobis Monachis
„ Vindocinensibus calumniabatur terram nostram de Villaruent injuste,
„ quæ est apud Gumberjam: postea vero Dei nutu qui frangit omnem superbum,
„ Johannes primogenitus filius Johannis Crassi, infirmitate oculorum suorum
„ totiúsque corporis detentus, & in lecto decubans, rogavit patrem suum Jo-
„ hannem Crassum, ut pro Dei amore & sua supplicatione, ut Deus illi sani-
„ tatem conferret, omnem calumniam & contentionem, quam Monachis Vin-
„ docini in prædicta terra faciebat, relinqueret. Johannes vero Crassus Dei ti-
„ more compunctus & amore filii sui ductus, in justitiam suam recognoscens,
„ omnem illam calumniam & contentionem penitus dimisit. Post non multum
„ temporis Johannes ille puer de infirmitate convalescens, & Petrus & Rober-
„ tus fratres sui, & Richildis mater eorum cum aliis pluribus Vindocinum ve-
„ nerunt ad Santuarium Lacrimæ Christi. Ibi Johannes prædictus puer pristi-
„ nam sanitatem oculorum suorum Dei gratiâ recepit. Deinde in Capitulum
„ venientes, & pro sanitate pueri gratias ibi convenienter referentes, prædi-
„ ctam calumniam & contentionem omni causa remota dimiserunt, & sic ad
„ propria cum gaudio remearunt. Hoc viderunt & audierunt isti, Guarinus
„ Prior, totúsque Conventus. Richildis uxor Johannis Grassi, & tres filii ejus,
„ Johannes, Petrus & Robertus, & Aymo frater Johannis Grassi & Robinus
„ serviens ejus. De nostris Sirot, Dabre, Robertus de Villa-Dei, Hugo Hos-
„ pitalarius, Petrus Bocini, Oblacr. Osmandus. Russellus Molnerius. An-
„ dreas Panetarius, & alii plures.

Cette Piece est sans datte, mais on sçait d'ailleurs que Guerin Prieur qui y est nommé, estoit du tems de l'Abbé Girard, qui a gouverné cette Abbaye depuis l'an 1160. jusqu'à 1186.

La seconde Piece que je trouve, est de l'an 1195. C'est une donation faite à l'Abbaye de Vendôme par Burcard ou Bouchard qui en estoit Comte, de la somme de quarante sols, à prendre sur les étaux des Bouchers de cette Ville : à condition d'entretenir à perpetuité une lampe ardente *devant la pretieuse Larme de Nôtre Seigneur, ante pretiosam Domini Lacrimam* ; & une autre devant l'Autel de S. Marie Madeleine.

Pour marque de cette donation, ce Prince deposa sur l'Autel de l'Abbaye la Charte qu'il en fit expedier, dont voicy la teneur.

Notitia Burchardi Comitis, filii Johannis de XL. solidis, quos dedit nobis pro anima fratris sui Lancelini in stallis S. Georgii.

„ EGo Burchardus, Dei gratiâ Vindocinensis Comes, Litteris præsentibus
„ volo, tam futurorum, quam præsentium in notitiam devenire, quod
„ pro salute patris mei & matris meæ, & Antecessorum meorum, & pro venia
„ peccatornm meorum obtinenda, Deo & Vindocinensi Abbati donavi XL.
„ sol. annuatim habendos in duobus terminis, scilicet XX. sol. in medio Qua-
„ dragesimæ, & XX. sol. in Nativitate Beatæ Mariæ, qui in prædictis terminis
„ apud

„ apud Vindocinum in meis ftallis carnificum annis fingulis perfolvuntur. Tali
„ verò confideratione hoc donum in Vindocinenfi Capitulo primitus feci, & po-
„ ftea fuper Altare Dominicum obtuli, quod una lampas ante preciofam Domi-
„ ni Lacrimam de cetero, & altera ad Altare Beatæ Mariæ Magdalenæ in per-
„ petuum accendatur, & quod anima dilecti fratris mei Lancelini, qui ibidem
„ requiefcit, omnium beneficiorum Abbatiæ particeps habeatur. Ut autem hoc
„ donum firmius perfeveret, præfentem cartulam feci figilli mei teftimonio ro-
„ borari. Teftes hujus doni funt Goffridus de Balgenciaco, tunc temporis Vin-
„ docinenfis Prior, in cujus manu illud in Capitulo pofui, & totus Conventus.
„ De aliis, Richardus de Sancto Sulpicio, Hugo Garfadon Goffridus de Gravia,
„ Petrus, Vitalis. Hii Presbyteri. Guillelmus de Rupibus, Rainaldus de Infu-
„ la, Fulcherius de Friefga, Johannes de Pofterna, Hii Milites. Rainaldus
„ Villicus meus, Rainaldus Ogerii, Hugo Halope, & filius ejus. Mathæus de
„ Columbariis. Guillelmus Hofpital. Davietus, & plures alii tam Clerici,
„ quàm Laïci. Actum eft hoc Anno Gratiæ M.C.LXXXXV. „

Il paroît par cette Charte, quel refpect on avoit pour lors pour la Sainte Larme de Vendôme, puifque ce Prince fit cette donation pour l'entretien d'une lampe à fon honneur; & ce fut fans doute pour la même raifon qu'il en fonda une autre pour la Chapelle de S. Marie Madeleine, à qui l'on croyoit dés-lors eftre redevable de la confervation de la Sainte Larme. D'où vient que fa Fefte a efté celebrée de tout tems avec beaucoup de folemnité dans cette Abbaye, comme il paroît par le Sermon que Geoffroy Abbé de Vendôme à composé à fon honneur.

Il ne faut pas omettre en cet endroit une lampe d'argent, dont le Roy Louïs XI. fit prefent à l'Eglife de Vendôme pour la S. Larme, pezant treize Marcs trois onces & demy, employée depuis à la Chaffe de S. Eutrope Evefque de Xaintes & Martyr, dont le Corps fut donné à cette Abbaye par fon Fondateur. Urbain II. confacra la Chapelle de ce Saint, auffi bien que le Crucifix de l'Eglife l'an 1096. fuivant nôtre maniere de comter d'aujourd'huy: auquel tems il vint en cette Abbaye, & y donna des Indulgences.

La Delivrance miraculeufe du Prince Louis de Bourbon Comte de Vendôme, pris par les Anglois à la Bataille d'Azincourt l'an 1415. & le Vœu qu'il fit à la Sainte Larme, auffi bien que la Delivrance d'un Prifonnier qui fe fait tous les ans le Vendredy avant les Rameaux, auquel on chante l'Evangile de la Refurrection de Lazare, font fi fameux & fi celebres, qu'il eft inutile de s'y arrefter. Il eft faux que l'on faffe ce jour-la l'Office de la Sainte Larme, ny aucun autre jour de l'année. On fait feulement l'Office de la Ferie, & on porte en Proceffion la Sainte Larme, aprés laquelle on delivre le Prifonnier.

Dans l'ancien manufcrit de la Vie de S. Arnou, qui de Religieux de Vendôme fut fait Evefque de Gap vers la fin de l'onziéme fiecle; on lit que comme le Pape Alexandre II. avantagea l'Abbaye de Vendôme de beaux Privileges, ainfi Dieu l'enrichit du prefent de la Sainte Larme: *Deus autem dono fuo Sancta Lacrima decoravit.*

Ajoûtez à toutes ces preuves que l'an 1513. on porta à Blois la Sainte Larme pour l'accouchement de la Reyne, & que depuis on y portoit tous les ans fon Vœu; & enfin que Meffire Louïs Gaillard Evefque de Chartres alla en Pelerinage à la Sainte Larme le 23. May de l'an 1526. dont il à laiffé une autentique. On ne dit rien icy d'une infinité de miracles qui fe font faits & fe font tous les jours à la Sainte Larme, qui ayant efté apportée a l'Abbaye de Chelles pendant la Guerre des Huguenots, par les ordres du Cardinal de Bourbon Abbé de Vendôme, dont la fœur eftoit Abbeffe de Chelles, fut reportée a l'Abbaye de Vendôme l'an 1574. par les foins de Louïs de la Chambre Cardinal-Abbé du Monaftere de Vendôme.

Il paroît de tout ce que l'on vient de dire, que l'Abbaye de Vendôme possede la Sainte Larme dés le premier temps de sa fondation : qu'elle l'a reçûë comme une veritable Larme de Nôtre Seigneur de Personnes Illustres & dignes de foy ; & partant que c'est une calomnie de dire, comme fait le Sr Thiers, que ce n'est que vers „ la fin du douziéme siecle que les Moines de Vendôme s'aviserent de dire, qu'ils „ avoient recouvré par hazard dans leur Monastere une des Larmes que Nôtre „ Seigneur à versées sur la mort de Lazare. Il ne faut que l'inscription du petit Coffre, donné par Nitkere Evesque de Frisingue avec la Sainte Larme au Roy Henry, pour faire voir la fausseté de cette calomnie.

Et il ne sert de rien de dire que cette preuve & toutes les autres qu'on à rapportées ne demontrent pas la verité de la Sainte Larme. Il suffit qu'elles demontrent que ces Personnes Illustres qui en ont fait le present, estoient dans cette créance; que les Religieux de Vendôme l'ont reçu d'eux avec la même bonne foy;& enfin qu'ils la conserveront avec la même bonne foy, non obstant le Libelle du Sr Thiers. On auroit bien des choses à répondre aux autres faits calomnieux qu'il rapporte dans ce Libelle, mais ils meritent plûtost d'estre méprisez que d'estre refutez.

Lettre de Messire Louis de la Chambre Cardinal-Abbé de Vendôme ; écrite aux Religieux de cette Abbaye, avant que d'y reporter la Sainte Larme, qui avoit esté portée à l'Abbaye de Chelles, & de-là à celle de Saint Germain des Prez à Paris, pendant les Troubles des Huguenots.

„ TRes-Chers & bien-Amez, Sans le sejour en ce lieu de la Royne Mere des „ Roys & du Roy de Pologne, je n'eusse attendu vos Lettres pour le rétablis„ sement du Reliquaire de la Sainte Larme en son lieu destiné, qui est mon Abba„ ye de Vendôme. Mais comme j'ay satisfaict au debvoir & Charge que j'ay en la „ Maison de Sa Majesté d'une part pendant sondit sejour, j'ay encore esté occasion „ d'un tres grand contentement à tous bons & fidelles Catholiques en ce que le„ ursdites Majestez ont avec un grand zele adoré ledit Saint & Pretieux Reliquai„ re avec devotion incroyable, & à la confusion des Heretiques, confirmation & „ consolation des bons Catholiques, & admiration des Etrangers : chose qui s'est „ offerte en tems propre & commode pour la Legation des Polonois, dont les „ principaulx Palatins ont encore voulu participer à la veuë & adoration dudit „ S. Reliquaire. A present donc je fais état en personne le raporter & restituer en „ sondit lieu, m'étant pour cet effet excusé du voyage de Metz avec leursdites Ma„ jestez, proposant quelques jours devant mon arrivée vous en donner avis, afin „ de vous disposer à iceluy recevoir avec la reverence & devotion condignes, esti„ mans que les bons Catholiques de la Province, avec la joye de tel rétablissement „ & restitution, se prepareront encore à congratuler telle reception. Et sur ce, „ aprés vous avoir en general & particulier recommandé le Divin Service, je „ prieray le Createur, Tres Chers & bien Amez, vous donner la grace d'y sa„ tisfaire avec toute consolation & prosperité.

„ *A Paris ce dernier Octobre* 1573. Et plus bas,

„ *Vôtre Abbé & entierement bien bon amy.* Et plus bas, *L. de la Chambre Car*„ *dinal. Abbé de Vendosme.*

Ad-

Addition des Reliques de Sainte Tecle Vierge & Martyre, découvertes depuis peu à Chamalieres en Auvergne.

LA Découverte que l'on à faite l'année passée en Auvergne des Reliques de l'Illustre Vierge & Martyre S. Tecle, est trop favorable au sujet que nous traitons icy, pour ne nous en pas servir contre le faux principe general, que l'on veut établir pour le discernement des Reliques anciennement reconnuës dans l'Eglise.

Cette Sainte & Illustre Vierge, disciple de l'Apôtre S. Paul, est la premiere de son sexe, comme tout le monde sçait, qui ayt signalé son zele en souffrant divers tourmens pour Jesus-Christ, comme S. Estienne à esté le premier entre les hommes qui à levé l'Etendard du Martyre. Aprés avoir passé par le feu, & avoir esté exposée à la fureur des bestes, il n'y à presque point d'autres tourmens qu'elle n'ayt aussi éprouvez. Il n'est pas neanmoins certain qu'elle soit morte dans ces supplices, & il y a d'anciens Auteurs qui assurent, qu'en ayant esté miraculeusement delivrée, elle finit enfin sa vie dans la paix par une mort naturelle. Ce qui me feroit pancher vers ce sentiment, c'est qu'elle n'à pas esté mise dans le Canon de la Sainte Messe, dans lequel, excepté la Sainte Vierge & S. Jean l'Evangeliste, il n'y à que de veritables Martyrs: n'y ayant point d'apparence que l'on n'eût pas rendu cet honneur à une Sainte si illustre & la premiere Martyre de son sexe, si elle avoit en effet expiré dans les tourmens. Cela n'empesche pas que l'Eglise ne l'ait toû jours consideré comme Martyre suivant l'ancien usage, qui donnoit ce Titre d'honneur à tous ceux qui avoient souffert pour la foy, quoy qu'ils ne fussent pas mors par la rigueur des peines.

Quoy qu'il en soit, elle mourut à Seleucie, ville de la Province d'Isaurie, & fut enterrée proche la Ville, ou l'on érigea une Eglise sur son tombeau. Dans un ancien écrit, où il est parlé des Eglises de la Ville & du Diocese de Clermont en Auvergne, & des Saints qui y reposent, il est parlé au second Livre du Monastere de Chamalieres, qui est une Eglise Collegiale d'une petite Ville auprés de Clermont, & il y est dit que Sainte Tecle repose dans cette Eglise, qui est dediée à Nôtre-Dame, *ubi requiescit Sancta Tecla*.

L'Office solemnel que l'on y à toûjours fait de cette Sainte, les Peintures anciennes, & la Tradition du Pays prouvoient assez que cela se devoit entendre de la grande S. Tecle: mais neanmoins comme il ne restoit point de Monument d'aucune Translation, quelques Critiques ne pouvant s'imaginer que les Reliques de cette Saint eussent pû avoir esté apportées de Seleucie à Chamalieres, s'étoient persuadez que c'étoit des Reliques d'une autre Sainte Tecle originaire de Chamalieres, ou du moins du même Pays.

Cependant une Sainte Communauté de Filles ayant esté instituée depuis peu à Paris sous le nom & la protection de la grande S. Tecle, Monseigneur l'Archevesque de Paris, toûjours attentif à tout ce qui peut nourrir ou augmenter la pieté des Fidelles, ayant appris que l'on gardoit à Chamalieres des Reliques de cette Sainte, en demanda quelque portion pour la consolation de ces bonnes Filles, dont il est le Pere, & Protecteur. Monseigneur l'Evesque de Clermont fut ravy de luy rendre ce bon office; & Messieurs du Chapitre de Chamalieres se firent un honneur de luy accorder cette faveur. Ayant ouvert la Caisse où estoient ces Reliques, on y trouva une lame de plomb, sur la quelle estoit gravée une inscription en lettres majuscules, qui fait foy que les Reliques qui estoient enfermées dans cette caisse, estoient de S. Tecle, Disciple de S. Paul. On consulta Sur cela des Connoisseurs pour juger de l'antiquité de cette Inscription; & leur sentiment fut, qu'elle estoit pour le moins de neuf cens ans. Mais afin que tout le monde en puisse porter jugement, on a jugé à propos de la faire graver, & la voicy telle qu'elle s'est trouvée dans cette caisse. Cet-

HES VNT
REL'QV E
BEATE
TECLE:VR
GINIS ET MAR
TIRIS:QVE HIC O
NI FORIVNDA
FVT DE HINC VL
ROA PAVLO:AP LO
CONVERSA SE
LVCIAM REQVI
EVIT:
K

Cette Inſcription, à mon avis, eſt ſuffiſante pour faire changer de ſentiment ceux qui avoient une idée contraire, & doit perſuader toute perſonne équitable, que ce ſont veritablement *les Reliques de la Bienheureuſe Tecle, Vierge & Martyre, iſſue de la ville d' Iconie, convertie par S. Paul Apoſtre, & enterré e a Seleucie*, ſuivant les termes de cette Inſcription, & non pas les Reliques d'une autre Sainte de même nom.

On doit apprendre par cet exemple, qu'il faut avoir beaucoup de reſpect & de deference pour les Traditions des Egliſes, & quoyqu'il s'y meſle aſſez ſouvent des circonſtances fabuleuſes, que la ſubſtance en eſt ordinairement veritable. Je ſçay que ces conſiderations ne ſont pas toûjours capables de lever toute ſorte de doute: mais au moins les Perſonnes ſages & équitables ne s'élevent point facilement à l'encontre, à moins qu'elles n'ayent des preuves certaines & évidentes du contraire; & ſi elles ne ſont pas abſolument perſuadées, elles laiſſent les autres dans la bonne foy où ils ſont, ſans cauſer mal-à-propos du ſcandale dans l'eſprit des Fidelles par des diſputes inconſiderées. Ce qui ſe doit entendre, comme j'ay déja dit, des anciennes Reliques qu'un ancien uſage a autorizées, mais non pas des nouvelles, qui ne ſont pas ſuffiſamment approuvées par l'Egliſe.

J'ay eſté bien aiſe d'avoir cette occaſion de faire connoître a la France l'honneur qu'elle a de poſſeder des Reliques de cette grande Sainte, & l'avantage qui luy revient de ce pretieux Treſor, qui luy eſtoit auparavant inconnu.

On ne ſçait pas au vray en quel tems ces ſacrées Reliques ont eſté apportées en France, & depoſées dans l'Egliſe de Chamalieres. Il y a apparence que ç'a eſté dés le tems de ſa fondation, c'eſt-à-dire vers la fin du ſeptiéme ſiecle, auquel tems vivoit Saint Genez Comte de Clermont ſon Fondateur. Mr Savaron dans les Notes qu'il a faites ſur les deux Livres qui traitent des Egliſes de Clermont & du Dioceſe, a penſé que le Monaſtere de Chamalieres pouvoit eſtre le meſme que celuy qui eſt appellé *Teclatenſe* dans la Vie de Saint Bonnet Eveſque de Clermont ſur la fin du ſeptiéme ſiecle; & que ce nom luy avoit eſté donné à cauſe des Reliques de Sainte Tecle qui y repoſent: Mais il eſt certain que ce Monaſtere, qui eſt marqué dans la Vie de Saint Bonnet, n'eſt autre que celuy *de Teilledes*, qui eſtoit autrefois une Abbaye, mais qui n'eſt plus aujourd'huy qu'un Prieuré dependant de l'Abbaye de la Chaize-Dieu.

TRAI-

TRAITÉ
OU L'ON REFUTE
LA
NOUVELLE EXPLICATION

Que quelques Auteurs donnent aux mots de *Messe* & de *Communion*, qui se trouvent dans la Regle de S. BENOIST.

A PARIS, MDCLXXXIX.

AVERTISSEMENT.

Il y a quelques années qu'un ſçavant & illuſtre Abbé compoſa en François un Commentaire ſur la Regle de S. Benoiſt, dans lequel il pretend que ce S. Patriarche n'y fait aucune mention ni du Sacrifice de la Meſſe, ni de la Communion ſacramentelle : & que les termes de Miſſa *&* de Communio ſancta, *dont il ſe ſert dans les chapitres* XXXV. *&* XXXVIII. *de ſa Regle, ne doivent pas être expliquez en leur ſignification commune & ordinaire. En un mot, il pretend, que pour le terme de* Miſſa *ou* Miſſæ, *S. Benoiſt ne veut rien dire autre choſe que la concluſion des Offices divins; & par ceux de* Communio ſancta, *un peu de pain & de vin que prend le Lecteur avant que de commencer à lire, pour marque de ſon union avec ſes Freres.*

Quoique ce Commentaire n'ait pas été donné au Public, pluſieurs perſonnes en ont eu des copies; & l'Auteur de la Diſſertation de l'Hemine *a trouvé les raiſons de cet illuſtre Abbé* ſi belles & ſi convaincantes, *que dans la ſeconde Edition qu'il a faite de ſa piece l'année paſſée, il n'a pû s'empêcher de retracter ce qu'il avoit écrit dans la premiere Edition touchant la Communion du Lecteur, & d'y ſubſtituer à la place le ſentiment nouveau dont on vient de parler.*

On ne peut diſſimuler qu'on n'a pû voir ſans quelque douleur un tel changement dans un point auſſi important que celui cy : mais le reſpect que l'on a toûjours eu pour le merite & la pieté de l'Auteur, l'emporta pour lors au deſſus de ce reſſentiment, & fut cauſe qu'on ſupprima l'Ecrit qu'on avoit fait contre luy. On crût qu'il valoit mieux prendre le parti du ſilence, que de faire éclater par une diſpute publique une opinion nouvelle, que perſonne peut-être ne voudroit relever ni appuyer.

Mais on a reconnu par experience qu'on s'eſtoit trompé dans cette conjecture, & on vient de voir paroître depuis peu de jours une nouvelle Traduction de la Regle de S. Benoiſt, qu'on pretend mettre entre les mains de tout le monde, où cette nouveauté non ſeulement pour ce qui regarde la Communion du Lecteur, mais même pour ce qui regarde la Meſſe, eſt preferée au ſentiment commun des Interpretes de la Regle.

Je ne crois pas outrer les choſes, en notant cette opinion du titre de nouveauté, & je ne pretens pas pour cela rien diminuer dans le Public ni de l'eſtime, ni encore moins du merite de ces deux Auteurs, pour leſquels j'ay autant de reſpect que perſonne. J'ay crû qu'on ne pouvoit donner un nom plus favorable à cette opinion, que je trouve combattuë par une conſtante Tradition de tout l'Ordre de S. Benoiſt.

C'eſt ce qui m'a obligé de publier ce petit Traité, que je diviſe en deux parties Dans la premiere on examine ce que S. Benoiſt a entendu par le mot de Communion : *& dans la ſeconde, ce qu'il a voulu exprimer par celui de* Meſſe ; *& l'on ſoûtient que l'un & l'autre doivent être expliquez dans leur ſens ordinaire & naturel en quelques endroits de la Regle. On a crû devoir commencer par ce qui concerne la Communion, pour répondre à l'Auteur de la Diſſertation de l'Hemine, à cauſe que cette Piece eſt imprimée, & non pas le Commentaire de cet illuſtre Abbé, auquel on répond dans la ſeconde Partie pour ce qui regarde la Meſſe.*

Mais d'autant que l'Auteur de la nouvelle Traduction, dont on vient de parler, ſemble vouloir adopter les deux points de ce nouveau ſentiment, on a joint à ces deux Parties une Addition pour ſatisfaire aux Argumens qu'il a propoſez dans l'Avertiſſement qui eſt à la tête de ſa Traduction, & à la Note qu'il a faite ſur le dernier chapitre de la Regle.

TRAITTÈ

OU L'ON REFUTE

LA NOUVELLE EXPLICATION

Que quelques Auteurs donnent aux mots de *Messe* & de *Communion*, qui se trouvent dans la Regle de SAINT BENOIST.

PREMIERE PARTIE.



IL y a environ vingt ans qu'il parut une *Dissertation sur l'Hemine du vin, & sur la livre de pain*, que S. Benoist dans sa Regle accorde à ses Religieux pour chaque jour. Cette Piéce fut reçuë avec le succés qu'on en pouvoit esperer, & tout le monde tomba d'accord, qu'il étoit difficile de renfermer dans un aussi petit Livre plus d'érudition, d'exactitude & de pieté. Ceux mêmes qui paroissoient avoir quelque interêt de n'être point du sentiment de l'Auteur, firent néanmoins justice à son Ouvrage ; & tout l'effet que produisit dans leur esprit cette Dissertation, ne fut que certaines difficultez qui naissent ordinairement des choses qui paroissent nouvelles, & un peu difficiles a croire & à pratiquer. Et voici à peu prés comme on raisonnoit. „ Comment se peut il „ faire que Saint Benoist, dont la Regle est si sage & si discrete, ayant vou- „ lu accorder à ses Religieux l'usage du vin, ne leur en ait donné qu'un de- „ mi-setier Romain, c'est à dire environ dix onces pour toute la journée ? „ On tombe d'accord que cela peut suffire à quelques personnes : mais lors „ qu'il est question, disoiton, de prescrire un regime de vivre a des Commu- „ nautez de differens païs, on a égard aux forts & aux foibles. C'est même „ particulierement par rapport à ceux-ci que S. Benoist s'est determiné à cette „ mesure de vin qu'il donne dans sa Regle, *Infirmorum contuentes imbecillitatem*. De plus, il n'est pas aisé de comprendre, pourquoy S. Benoist dans „ un autre endroit de sa Regle use de precaution pour faire éviter à ses Re- „ ligieux l'excés du boire ; cette precaution paroissant fort inutile, si chaque „ Religieux n'avoit pour toute une journée qu'une tassée de vin à boire. D' „ ailleurs le même Saint dit, que si cette mesure de vin ne se pouvoit trou- „ ver, ni même beaucoup moins, *aut multo minùs*, ceux qui seroient dans „ cet état beniroient Dieu, & auroient soin d'éviter le murmure. Comment „ est il possible, ajoûtoit-on, que cette mesure fût reduite *à beucoup moins* „ qu'à un demi-setier Romain? Enfin saint Benoist n'ayant pas suivi exacte- „ ment dans le poids de la livre du pain, la mesure Romaine, puis qu'il en „ a accordé quinze onces pour une livre au lieu de douze ; pourquoy veut on „ qu'il ait été plus exact dans la mesure du vin, & qu'il n'ait pas eu un au- „ tre demi setier que le Romain? „

Voilà à peu prés où se sont reduits les mouvemens qu'a causé cette Dissertation dans les Monasteres reglez de l'Ordre : du reste elle y a été lûë avec tout le plaisir & toute l'edification qu'on en pouvoit attendre.

Je crois bien que ce n'étoit pas là tout le fruit que l'Auteur s'en étoit proposé, & qu'il auroit souhaité que l'on se fût reduit à la mesure qu'il avoit tâ-

ché

ché d'établir dans son Ouvrage. Mais ces sortes de changemens ne se font pas si vîte : il faut du tems pour y passer, & avant que de se rendre tout-à-fait à un systeme nouveau, on est bien aise d'en être pleinement convaincu, sur tout lors qu'il en coûte un peu, & que l'on se trouve en possession du contraire.

Quoy qu'on n'ait pas crû cette nouvelle opinion insoûtenable, on n'a pas manqué neanmoins d'y trouver d'assez grandes difficultez, outre celles que l'on vient de toucher, aprés l'avoir examinée un peu à fond. Feu Mr l'Abbé de Foucarmont, de l'Ordre de Citeaux, proposa les siennes dans un Ouvrage qu'il fit là dessus. Dom Jacques le Clerc de la Congregation de Saint Maur, travailla aussi sur le même sujet : mais ces deux pieces n'ont pas été renduës publiques. Enfin personne n'a rien publié en particulier contre cette Dissertation, jusqu'à ce qu'un Religieux de la même Congregation de S. Maur, ayant eu occasion d'en parler dans la suite d'un Ouvrage qu'il avoit entrepris des Saints de son Ordre, proposa quelques objections contre ce nouveau sentiment, sans pretendre décider la question, qu'il croyoit trop embarassée pour être pleinement éclaircie.

L'Auteur de la Dissertation s'est crû obligé de répondre à ces objections, & cela l'a engagé à retoucher sa piece, à la corriger en quelques endroits, & à l'augmenter même d'une Réponse aux argumens qui avoient été proposez sur l'hemine de vin, & d'une Disquisition touchant le jour & l'année de la mort de S. Benoist. Le but qu'il a eu dans cette disquisition, a été non seulement de décider cette fameuse question, qui a donné la gesne à tant d'esprits depuis plusieurs siécles: mais ç'a été aussi pour faire voir par cet exemple l'effet que la prevention produit ordinairement dans les esprits à l'égard de la verité, telle qu'l croit être son systeme de l'hemine : & c'est pourquoy il publie cette Disquisition, *où il pretend faire voir*, à ce qu'il dit luymême, *que de tant de gens qui ont écrit en divers temps sur ce sujet, il n'y en a pas un qui ait rencontré la verité : quoy qu'elle ne soit pas difficile à trouver, pourveu qu'on la cherche avec toute l'indifference où doit estre la raison pour bien juger.*

On s'attendra peut-être de voir icy une nouvelle refutation du sentiment de ce pieux & sçavant Auteur touchant l'hemine de vin, & touchant la mort de S. Benoît : mais ce n'est pas ce que l'on se propose icy. Car pour ce qui est de l'hemine, on ne croit pas qu'l soit de la bienseance de continuer une dispute qui pourroit donner l'idée que l'on veut appuyer du relâchement. On souhaiteroit au contraire que l'on s'approchât le plus que l'on pourroit du sentiment de nôtre Auteur, & que tous les Religieux puissent pratiquer ce qu'il pratique luy-même avec tant d'édification. Mais au reste, l'autre parti que l'on a pris n'est pas si éloigné des regles de la temperance, qu'il ne puisse suffire pour une juste mediocrité : veu que l'on n'ajoûte pas plus de six onces à la mesure qu'il veut établir pour chaque journée, & qu'au lieu de douze onces qu'il donne dans cette seconde édition à l'hemine de S. Benoît, on croit qu'elle en contenoit dix-huit.

I.

On ne s'arrête donc pas à cela presentement, mais seulement à un changement considerable que l'Auteur a fait dans sa seconde édition, où il corrige ce qu'il avoit dit dans la premiere touchant *la sainte Communion du Lecteur*. Il l'avoit prise au sens naturel qui se presente d'abord à l'esprit, c'est à dire pour la Communion de l'Eucaristie ; mais il veut à present qu'l ne soit question

ſtion en cet endroit de la Regle que de la Communion de la Charité & des Prieres.

Comme cette matiere eſt de quelque importance, & que cette explication paroît être contre le ſens de la Regle, & qu'elle eſt aſſurément oppoſée à la commune explication des Auteurs de l'Ordre; il faut voir s'il a raiſon d'avoir fait ce changement, & ſi par trop de déference au ſentiment d'un habile homme, il n'a pas donné atteinte à celuy de S. Benoiſt.

Mais avant que d'entrer en matiere, il faut propoſer le texte de la Regle, & en examiner enſuite le veritable ſens. Voici en ſubſtance ce que dit S. Benoiſt dans le chap. 38. où il parle du Lecteur ſemainier. Il dit que le Frere qui ſera deſtiné pour lire toute la ſemaine, commencera par le Dimanche, *Dominica ingrediatur* : & qu'avant que d'entrer dans cet exercice, il demandera le ſecours des Prieres de la Communauté, *poſt Miſſas & Communionem*. On ne traduit pas ces deux derniers mots, d'autant qu'ils ſont le ſujet de la premiere difficulté que nous avons entrepris d'examiner. S. Benoiſt ajoûte que le Lecteur ſemainier, avant que de commencer ſa lecture, prendra un *Mixtum propter communionem ſanctam, & ne fortè grave ſit ei jejunium ſuſtinere*.

Voila les deux endroits qui ſont le ſujet du changement qui ſe trouve dans la ſeconde édition de la Diſſertation nouvelle. Il faut voir maintenant quel eſt le ſens de ces paroles.

Un ſçavant Abbé de nos jours, qui eſt mort depuis quelques années, dans un Commentaire manuſcrit qu'l a fait ſur la Regle de S. Benoiſt, a pretendu que ce Saint ne parloit dans ce chapitre, ni de Meſſe, ni de Communion, dans le ſens que nous prenons ces deux mots aujourd'huy: mais que le mot de *Miſſa* ne ſignifie rien autre choſe dans ce chapitre, & même dans tous les autres endroits de la Regle, que la fin & la concluſion de l'Office, que l'on peut exprimer par un autre mot latin qui eſt *miſſio* ou *dimiſſio*. C'eſt enſuite de ce principe qu'il ajoûte, que les mots de *Communio* & *de ſancta Communio*, ne ſe doivent pas entendre non plus à nôtre maniere ordinaire pour la Communion de la ſainte Eucariſtie, mais pour la Communion de la Charité & des Prieres, comme nous prenons ces mêmes paroles dans le ſymbole des Apôtres, *Sanctorum communionem*.

Pag. 48. L'Auteur de la nouvelle diſſertation a ſuivi le ſentiment de ce ſçavant Abbé, & voici comme il s'eſt corrigé luy même dans l'article 33. „ J'avois „ ſuivi, dit-il, dans la premiere édition de ce Livre, le ſentiment de ceux „ qui veulent que ce ſoit *de la Communion Eucariſtique*, qu'entend parler S. „ Benoiſt, & que c'eſt *de peur que le Lecteur ne crache quelque choſe des eſpeces ſacrées*, qu'l uſe de cette precaution. Mais mon Livre ne fut pas plûtôt tombé entre les mains d'un des plus ſçavans hommes de ce ſiecle dans „ la tradition de l'Egliſe, qu'il me fit voir par de ſi fortes raiſons que ce ne „ pouvoit pas être le ſentiment de S. Benoiſt, que j'eus de la peine à ne m'y „ pas rendre.

Voila donc ce qui a porté cet Auteur à changer de ſentiment : mais avant que d'examiner les raiſons de ce ſçavant homme, qui l'ont engagé à ce changement, il eſt à propos de dire un mot de la Communion des anciens Solitaires, dont S. Benoiſt a fait gloire de ſuivre les traces.

II.

Les diſciples de S. Pacome, qui a été le premier Auteur de la vie cœnobitique,

bitique, communioient tous les Samedis & tous les Dimanches de l'année, suivant la coûtume des Grecs & des Orientaux. Et pour se mettre dans une posture plus decente, aprés avoir ôté leur cienture qui ceignoit une peau de brebis qu'ils portoient sur leur cuculle, ils ôtoient aussi cette peau, & demeuroient ainsi revétus de leur seule cuculle, qui étoit leur habit le plus honnête, comme nous apprenons de Pallade, & d'autres aprés luy. Theodore qui étoit disciple de S. Pacome, marque dans une lettre adressée à tous les Monasteres de cet Ordre touchant les Pâques, que l'on y prenoit un grand soin de disposer les Catecumenes, pour pouvoir *soûtenir* aprés le Batéme les redoutables Mysteres, „ c'est à dire la Communion du Corps & du Sang de „ Jesus-Christ, duquel on n'ose même parler, dit-il, qu'avec tremblement, „ *ut possint sustinere Sanguinem & Corpus Domini Salvatoris, de quo etiam cogi-* „ *tasse terroris est.* „ Expression qui fait bien voir, que ce saint Solitaire envisageoit quelque chose de plus qu'une figure dans ce divin Sacrement.

Cassien nous assure sur la fin de la Conference 23. que les Solitaires communioient aussi tous les Dimanches : & il desapprouve la presomption de quelques-uns, qui pour se rendre plus dignes de la sainte Table, s'y preparoient pendant toute l'année, & ne communioient par consequent qu'une fois l'an. Comme si tous les soins & toutes les precautions des hommes pouvoient jamais arriver jusqu'à une si parfaite disposition qu'elles les rende totalement dignes de ce divin mystere. Les Instituteurs de la vie Monastique dans l'Occident ont suivy cette pratique de communier tous les Dimanches : comme il paroît par la Regle d'un Pere inconnu, qui se trouve dans la seconde partie des Regles que Mr Holstein a publiées, par la Regle du Maître, & par quelques autres.

Pour ce qui est de la posture du corps, aprés avoir lavé leurs mains, & donné la paix à leurs freres, ils communioient debout, *erecti*, comme l'ordonne le Maître dans le chapitre 21. de sa Regle; & S. Donat Evêque de Bezançon au chapitre 34. de celle qu'l a composée pour des Religieuses de son diocese, veut qu'elles fassent trois profondes inclinations avant la communion : *Quando ad communionem altaris accedunt, ter se humiliant.* Ce qui est tiré du Penitenciel de Saint Colomban, qui s'en explique un peu moins clairement. Les uns & les autres n'ordonnent point de genuflexions, pour deux raisons. La premiere est, que la genuflexion, suivant Tertullien, étoit anciennement regardée comme une marque de penitence, qui ne convenoit pas au jour que l'on communioit. La seconde, qui est la principale, est qu'en memoire de la Resurrection il n'etoit pas permis de se mettre à genoux les jours *Hieron. in* de Dimanches, qui étoient les jours de communion de ces Solitaires. *Nec de* *Lucif. c. 4.* *geniculis adorare.*

Aprés la communion, quelques-uns prenoient un petit pain & un peu de vin, *παξαμάτης καὶ ποτήριον οἴνε*, comme il est rapporté dans les Apophtegmes des Peres au premier tome des Monumens Grecs de feu Mr Cotelier : *Pag. 507. &* & nous sçavons que S. Iean Chrysostome avoit accoûtumé de manger une pa- *508.* stille dans la Sacristie, aprés avoir celebré les divins mysteres.

III.

S. Benoist s'est conformé sans doute à ces pratiques, qui ont été en usage avant & aprés luy dans les Monasteres bien reglez : & quand nous n'en aurions point de preuves d'ailleurs, on ne pourroit contester que ses Religieux ne se soient approché de la sainte table au moins tous les Dimanches & tou-

tes

tes les Fêtes solennelles : Mais nous ne manquons pas de preuves particulieres pour montrer l'un & l'autre.

Car pour ce qui est de la communion des Dimanches, nous l'avons bien nettement exprimée dans le chapitre 38. de la Regle que nous avons déja cité, où S. Benoist ordonne que le Lecteur, avant que de commencer à lire, se recommandera aux prieres de la Communauté aprés la Messe & la Communion du Dimanche, *post Missa & Communionem.* Je sçay bien que l'Auteur de la nouvelle Dissertation pretend que le mot de Communion ne se doit pas prendre icy pour la communion eucaristique : Mais on a droit de mettre ce passage en preuve, d'autant que l'on fera voir dans la suite que c'est sans fondement que l'on veut le détourner dans un sens metaphorique.

A l'égard des Fêtes solennelles, on peut inferer du chapitre 35. qui traite des semainiers de la cuisine, que la communion se faisoit aussi ces jourslà. S. Benoist dans ce chapitre permet à ces Semainiers de prendre tous les jours un peu de pain & de vin une heure avant leur service, afin qu'ils pussent s' acquitter de ce ministere avec moins de peine & sans murmure : mais ils ajoûte qu'aux Fêtes solenelles ils differeront jusqu'aprés la Messe à prendre ce soulagement : *In diebus autem solemnibus usque ad Missas sustineant.* Il est visible que ce Saint Patriarche n'en use ainsi, qu'à cause que toute la communauté, & par consequent les Semainiers de la cuisine, devoient communier à la Messe qui se disoit ce jourlà. Car enfin voila une Messe pour ces jours de Fêtes; ce qui se justifie par ce que S. Benoist ordonne qu'ils y assisteront à jeûn, *usque ad Missas sustineant.*

Pour ce qui est des autres jours, il y a bien de l'apparence que pour lors on ne celebroit point d'ordinaire les saints mysteres dans les Monasteres de l' Ordre. Hildemare, qui est un des premiers Commentateurs de la Regle, le dit nettement pour le Carême. S. Benoist ne parle pas de Messe pour les jours feriaux : & il seroit mal-aisé de trouver un tems pour la celebrer, eu égard à la disposition & à l'employ qu'il fait des heures de la journée dans le chapitre 48. Mais quand même il y auroit eu une Messe chaque jour, il y a de l' apparence que les Semainiers, qui devoient servir à la cuisine, n'étoient pas obligez pour lors d'y assister, & que par consequent ils n'y communioient pas.

Voyons maintenant si l'on a raison de détourner le mot de *Communion*, & de *Communion sainte*, dans un sens impropre & figuré; & s'il n'est pas constant que S. Benoist dans cet endroit, que l'on vient de marquer, a voulu parler de la Communion eucaristique.

I V.

Nous avons remarqué cydessus, que les Solitaires plus anciens que S. Benoist, qu'il regardoit comme ses Peres & ses Maîtres, assistoient aux divins mysteres, & y communioient tous les Dimanches. S. Benoist parle de Messe & de Communion pour ces jours-là. Cela se doit donc entendre à la lettre & dans le sens naturel des paroles, & non pas dans un sens impropre & detourné.

De plus par tout où l'on voit le terme de Messe & de Communion joints ensemble, & sur tout un jour de Dimanche, il est à presumer qu' ils se doivent entendre dans le sens que l'on a accoûtumé de les prendre, un terme servant à determiner la signification de l'autre, quand il seroit équivoque d'ailleurs. Or S. Benoist unit ensemble les mots de *Messe* & de *Communion* dans le chapitre du Lecteur, & il les unit avec le jour de Diman-

manche, *Dominicâ ingrediatur post Missas & Communionem* : Il est donc indubitable que le mot de Communion se prend en cet endroit pour une veritable communion du Corps & du Sang de Jesus-Christ.

Enfin S. Benoist accorde au Lecteur un peu de vin à cause de la Communion sainte de ces jours-là, *propter Communionem sanctam.* C'étoit la coûtume chez plusieurs anciens Solitaires d'en user ainsi aprés la sainte Communion. Et partant, soit que l'on ait égard aux jours de Dimanche; qui étoit un jour de Messe & de Communion pour les Solitaires; soit que l'on considere l'union des termes de Messe & de Communion, joints ensemble dans un jour de Dimanche; soit qu'enfin on fasse reflexion sur ce peu de vin que le Lecteur prenoit ce jour-là *à cause de la Communion sainte*, on est obligé de tomber d'accord qu'il faut faire une étrange violence au sens d'un Auteur, pour détourner dans toutes ces circonstances le mot de *Communion*, *& de Communion sainte*, dans un sens impropre & metaphorique.

Et on ne peut dire avec la moindre probabilité du monde, que le mot de *sanctam* ne se trouve point dans quelques manuscrits, & qu'il n'y a simplement que le mot de *Communion.* Car les manuscrits de la Regle, tant anciens que des derniers temps, sont tous d'accord en cet endroit; & je n'en ay jamais trouvé aucun qui ne portât ce terme. Il se trouve dans un manuscrit de plus de mille ans qui se garde dans la Bibliotheque d'Oxford en Angleterre. Il se trouve dans la Concorde des Regles, composée il y a prés de neuf cens ans par Benoist d'Aniane. Il se trouve dans un manuscrit que nous avons à Paris, qui est de plus de huit cens ans. Enfin il se trouve dans tous les Auteurs qui ont composé des Commentaires sur la Regle, dont plusieurs ont fait une particuliere attention sur ce terme. Et partant, quand bien même il se trouveroit quelque manuscrit, dans lequel le mot de *sanctam* ne se lût pas, il est de la justice de le suppléer par tant d'autres qui l'ont conservé, Mais quoy qu'il en soit, soit qu'il y ait *sanctam* en cet endroit, soit qu'il n'y soit pas; la suite naturelle de ce chapitre, la Communion jointe avec la Messe un jour de Dimanche, nous obligent d'entendre ce mot de la veritable Communion, quand le mot de *sainte* n'y seroit pas ajoûté.

Cecy pourroit suffire pour convaincre tous les esprits raisonnables, que l'Auteur n'a pas eu raison de changer de sentiment à cet égard dans sa séconde édition : mais on ne comprend pas comment il s'est laissé aller à ce changement sur l'autorité d'un des plus sçavans hommes de nôtre siecle dans la tradition : veu que la tradition constante des Auteurs de l'Ordre depuis plus de mille ans, est que le mot de *Communion* en ces endroits se doit prendre pour la sainte Communion, comme nous l'entendons d'ordinaire.

Car le Maître dans sa Regle, dont une bonne partie a été tirée de celle de S. Benoist il y a plus de mille ans; Hildemar l'un des premiers Commentateurs de la Regle, qui écrivoit il y a prés de neuf cens ans; l'Abbé Smaragde qui est du même tems, Pierre Diacre, Bernard Abbé du Mont-Cassin, Boherius, & generalement tous les Commentateurs tant anciens que modernes, ont expliqué ce mot de *Communion* dans sa signification ordinaire, à la reserve de deux, dont on parlera cy-aprés.

Que peut-on répondre à tant de témoins; & si on fait tant d'estime, & avec raison, de la tradition, quelle autorité peut on opposer à une tradition si constante & si universelle de l'Ordre de S. Benoist ? Car on ne peut pas dire avec la moindre apparence du monde, que tous ces Auteurs se soient expliquez d'une maniere obscure. Leurs termes sont clairs & decisifs, comme

il seroit aisé de le justifier en les rapportant tous les uns aprés les autres. Mais afin d'éviter la redite & la longueur, on se contentera de trois ou quatre des plus anciens, qui ont été suivis par ceux qui ont écrit aprés eux.

Nous commencerons par le Maître, qui écrivit sa Regle environ cinquante ans aprés la mort de S. Benoist, dont il emploie en une infinité d'endroits les reglemens, & les termes mêmes quelquefois, sans pourtant le nommer. Cet ancien Auteur au chapitre 24. de sa Regle ordonne, conformément à S. Benoist, „ Que le Lecteur entre en semaine le Dimanche : qu'il deman- „ de la benediction dans le refectoir : qu'aprés avoir donné le baiser de paix „ à l'Abbé & aux Religieux, il prenne un peu de vin, de peur qu'en cra- „ chant il ne jettât quelque chose des especes du saint Sacrement qu'il avoit „ reçû peu de temps auparavant dans l'Eglise. *Suum merum propter sputum Sa-* „ *cramenti accipiat; & sic incipiat legere.* Voilà, ce me semble, un bon commentaire du chapitre 38. de la Regle de S. Benoist. Ce S. Pere ordonne que le Lecteur avant que de commencer la lecture, prenne un peu de vin *à cause de la sainte Communion*. Le Maître prescrit la même chose au Lecteur, *de peur qu'en crachant il ne jette quelque chose des especes du S. Sacrement.* Comment peut-on douter aprés cela, que les termes de *Communion sainte* ne se prennent pour la Communion Eucharistique?

On répondra sans doute que le Maître est un Auteur fort méprisable : qu'il y a de grandes duretez, & même des pauvretés dans sa Regle : qu'il n'avoit pas grand jugment; & que ce n'est pas par consequent un fort bon garend pour nous assurer du sens de la Regle de S. Benoist.

Quoique cette objection n'ait pas été faite en termes formels par l'Auteur de la nouvelle Dissertation, ce n'est pas neanmoins sans fondement qu'on la luy peut attribuer. Car il a bien changé de ton à l'égard de la Regle du Maître dans sa seconde édition. Dans la premiere il dit, que *cette Regle est extrémement sainte : qu'elle étoit plus austere en un sens que celle de S. Benoist, & qu'en un autre sens elle étoit plus condescendante.* Mais dans la seconde édition de cette Dissertation, ce n'est plus cela. L'auteur fait du Maître & de sa Regle une peinture fort pitoyable, telle que l'on peut voir dans l'article 46.

Pag. 113. & 115.

Pag. 70.

Je ne pretens pas justifier en tout cette Regle. On ne peut nier qu'il n'y ait des choses qui paroissent pueriles & un peu dures en certains endroits : mais on ne peut disconvenir aussi qu'il n'y ait des choses fort belles & fort remarquables. Mais sans entrer dans un détail ennuyeux, on ne dira rien, ce me semble, qui ne soit juste si on répond, que cet Auteur est raisonnable lors qu'il parle conformément aux anciens Peres : qu'il peut être au moins un bon témoin des pratiques de son temps; & que lors qu'il ajoûte quelque mot pour expliquer le sentiment des anciens, il peut passer pour un bon Interprete. Toutes ces circonstances se rencontrent dans le cas dont il s'agit. Le Maître ne fait pas un reglement nouveau, lors qu'il accorde un peu de vin au Lecteur à cause de la Communion du S. Sacrement, puisque S. Benoist en fait de même à cause de la sainte Communion. L'un & l'autre vouloit éviter le même inconvenient. Le Maître avoit vû cette pratique dans les autres Monasteres : & si le mot de *Sacramenti* qu'il ajoûte, paroît plus exprés à l'Auteur de la nouvelle Dissertation, pour marquer la Communion eucaristique, que les termes de *Communion sainte*; ce mot doit servir à determiner ceux-ci à leur signification propre & naturelle.

Venons maintenant à Hildemar, que nous avons déja dit avoir été un des premiers qui ait fait un Commentaire sur la Regle de S. Benoist. Cet Auteur

teur François qui écrivoit en Italie du tems de Loüis le Debonnaire, expliquant ces paroles du chapitre 38. *post Missam* (car c'est ainsi qu'il écrit) *& Communionem*, dit expressément que ces mots se doivent prendre dans leur propre signification. *Ideo sanctus Benedictus secundùm proprietatem Missam dixit & Communionem* : & que la Messe commence, à proprement parler, au Canon, *Te igitur clementissime Pater*. Et venant ensuite à cet endroit, où S. Benoist ordonne que le Lecteur prendra avant que de lire un *mixtum propter Communionem sanctam* : il dit que par ce mot de *mixtum*, on entend un peu de pain & de vin, & qu'il signifie la même chose que les termes de *biberes & panem*, dans le chapitre 36. des serviteurs de la cuisine. Voicy ses paroles. *Mixtum enim intelligitur panis & vinum, sicut superius dicit, singulos biberes & panem*. Et cet Auteur ajoûte incontinent aprés, que c'est une coûtume dans le païs où est situé le Mont-Cassin, de signifier par le mot de *mixtum*, un peu de pain & de vin.

C'est sur cet exemple & sur cet usage de l'Ordre de S. Benoist, que Jean Beleth assure que de son tems, c'est à dire il y a plus de cinq cens ans, „ on „ avoit accoutumé de donner aux Fidéles un peu de pain & de vin aprés la „ Communion Pascale, de peur que s'il étoit resté quelque partie des especes „ sacrées, on ne les jettât en crachant. Ce qui arriveroit sans doute, dit il, „ si on ne mangeoit pas incontinent aprés la Communion. Et il appelle ce- „ la un *mixtum* & un *petit dîner*, *parvum prandiolum*. „

Beleth rapporte cette coutume à la pratique de nôtre Ordre : mais elle est peut-être plus ancienne qu'il ne pensoit. Car outre ce que l'on a dit cidessus, ce que nous lisons dans l'histoire Lausiaque, que certains Solitaires aux grandes Fêtes mangeoient dans leurs Eglises, & beuvoient un peu de vin contre leur ordinaire, pourroit bien se rapporter à cet usage.

Il est aussi tres-probable que c'est de cette pratique qu'a voulu parler l'Auteur contemporain de la vie d'Alcuin. Car cet Auteur racontant ce qui se passa durant le sejour de Charlemagne & de ses enfans à Tours, il remarque que lors qu'Alcuin en qualité de Diacre presenta un coup à boire à Loüis aprés qu'il eut reçu la Communion du Corps & du Sang de Jesus-Christ, Loüois par humilité baisa la main à Alcuin aprés luy avoir fait la reverence. *Cum post communionem corporis Christi & sanguinis propriâ manu eis misceret, isdem Ludovicus, humilitate clarissimus præ omnibus, Patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum*. Il ne faut pas omettre que l'Auteur se sert du mot de *miscere*, pour signifier qu'Alcuin donna un coup à boire à Loüis. Car ce terme est fort usité en ce sens dans les Auteurs de la basse latinité, & il signifie seulement donner ou verser à boire, soit qu'il y ait mélange des liqueurs, ou non. Et c'est de là sans doute qu'est venu le mot de *mixtum*, que les Auteurs plus recens ont crû mal à propos signifier *mixtion* dans la Regle de S. Benoist. S. Adelard Abbé de Corbie nous donne à connoître que ce *mixtum* se prenoit dans la sacristie. *De miscendo in sacrario, & cito liberando*, comme on lit dans les Capitulaires imprimez à la fin du cinquiéme tome des Actes des Saints de nôtre Ordre.

Tout cecy peut servir à éclaircir un endroit de la vie de S. Leger Evêque d'Autun, lequel aprés avoir communié au jour du Samedy saint avec le Roy Childeric, prit un peu de vin avec ceux qui étoient avec luy, au rapport d'Ursin qui a écrit sa vie, *Cum suum perconsummasset officium, & merum cum suis accepisset*. On ne peut pas dire que ce passage se doive entendre de l'ablution que le Prêtre a accoutumé de prendre à la Messe immediatement

ment aprés la Communion : puisque ce ne fut qu'aprés avoir achevé le Service divin, *cum suum perconsummasset officium*, que ce saint Prelat but un coup de vin.

Pour ce qui est des Laïques, ils ne prenoient point cette ablution à l'Autel, où ils recevoient la sainte Communion sous l'une & l'autre espece, suivant l'usage de ce tems-là. Ce n'étoit qu'à la sacristie ou en quelque autre lieu semblable qu'ils mangeoient un morceau de pain, & buvoient un coup. Les malades mémes en usoient ainsi en recevant le S. Viatique, & cette pratique étoit encore en vigueur dans l'onzieme siecle, comme nous l'apprenons d'un petit écrit, qui contient quelques faits remarquables des Religieux de Marmoutier : où il est fait mention entr'autres d'un Frere laïque, lequel étant prest de mourir, reçut le Corps & le Sang de Nôtre-Seigneur, *Dominici corporis & sanguinis Sacramenta percepit* : & aprés avoir reçu le precieux Sang, il prit un peu de vin, *Ubi cum post sanguinem vinum ebibisset &c.* De tout ceci il paroît que l'usage de prendre un peu de vin, auquel on ajoutoit communément un morceau de pain, est fort ancien dans l'Eglise, & qu'il y a duré long-tems, c'est à dire au moins jusq'au tems de Beleth, qui vivoit au douziéme siecle.

On pourroit ajouter à ceci plusieurs choses : mais cette digression n'est déja que trop longue, & il faut revenir à nôtre Hildemar, lequel ne fait point de commentaire sur les mots de *propter communionem sanctam*, d'autant qu'il s'étoit suffisamment expliqué immediatement auparavant, en disant que les termes de *post Missam & communionem* se doivent prendre dans leur propre signification.

Smaragde Abbé de S. Michiel en Lorraine, qui fleurissoit en même tems qu'Hildemar, supplée à celui-cy en cet endroit dans son Commentaire. Car „ aprés avoir dit que par le mot de *mixtum*, S. Benoist entend un peu de „ pain & de vin, & que c'est de là que dans certaines Provinces on appelle „ du même nom de *mixtum*, l'oblation du pain & du vin qui se fait à l'Au- „ tel, il ajoûte que la raison pourquoy S. Benoist donne ce *mixtum* au Le- „ cteur à cause de la Communion sainte, c'est de peur que s'il luy restoit „ quelque particule de l'Eucaristie dans la bouche, il ne la jettât en cra- „ chant, „ *ne aliquid inde sumtum excreans projiciat in sputo.* Ce qui revient à l'explication que le Maître a donnée.

On ne croit pas qu'il soit necessaire de s'étendre d'avantage là-dessus, en rapportant les témoignages des Commentateurs, & même des anciennes versions qui ont été faites de la Regle : d'autant que l'Auteur de la nouvelle Dissertation demeurera facilement d'accord, que depuis le neuviéme siécle ce sentiment a prevalu, sçavoir que le chapitre 38. de la Regle se devoit entendre d'une veritable Communion de l'Eucaristie, & non pas d'une Communion metaphorique.

Mais on ne croit pas devoir omettre les gloses qu'un Religieux de l'Abbaye de S. Gal, appellé Keron, a faites sur nôtre Regle il y a plus de neuf cens ans. Cet Auteur qui vivoit du tems du Roy Pepin, pere de Charlemagne, dans une Interpretation qu'il a faite mot à mot de la Regle de S. Benoist en la langue Allemande de ce tems-là, traduit le mot de Communion par celuy de *Kemeinsamii.* Et pour ne nous laisser aucun doute de la signification de ce terme, il ajoûte incontinent par forme d'explication, *scilicet corporis & sanguinis Christi.* Il est donc constant que dés le huitiéme siécle on expliquoit dans nôtre Ordre le mot de Communion dont il est parlé dans la Re-

Regle, *de la communion du corps & du sang de Jesus Christ.* On a vû que cent ans auparavant, & environ cinquante ans aprés S. Benoît, le Maître l'a entendu de la même maniere dans sa Regle. Depuis ce tem-là cette explication a passé pour une tradition constante dans l'Ordre. Amalaire l'a entendu ainsi dans son Supplement. Les Commentaires, les Versions, les Congregations entieres de Cluny, de Citeaux, & autres qui ont été érigées depuis, ont suivi cette tradition. Et partant il semble qu'on ne peut s'en départir, sans donner lieu en même tems de revoquer en doute les choses les mieux établies & les plus constantes.

Il faut neanmoins avoüer qu'entre tous ceux qui ont expliqué nôtre Regle, il y en a deux qui paroissent favorables à la nouvelle opinion de l'Auteur de la Dissertation, sçavoir Richard de Saint-Ange qui étoit Religieux du Mont Cassin vers la fin du 13. siécle; & le Cardinal Turrecremata qui vivoit dans le quinziéme siécle. Car Richard expliquant les termes du chapitre dont il est question, apporte deux explications de ce passage *propter communionem sanctam*; l'une est celle qui determine ces paroles à la Communion de l'Eucaristie; l'autre, qu'l prefere à celle-là, est que ces mots signifient *à cause de la sainte communauté*, de peur que le Lecteur ne manque de force pour lire, *propter communionem sanctam, id est congregationem, quasi dicat, ne deficiat sanctæ congregationi in legendo.* Turrecremata approche encore davantage de la nouvelle opinion, „ en disant que le Lecteur doit prendre „ le *mixtum pour conserver la communion de bienveillance & d'amour*, qu'il „ sembleroit ne pas garder, si ne prenant point ce soulagement il lisoit „ avec murmure. „ *Propter communionem scilicet servandam benevolentiæ & amoris, quam servare non videtur, qui cum murmure servit fratribus suis.* Voyla tout ce qu'on peut apporter de plus raisonnable & de plus fort pour appuyer la nouvelle explication.

Mais pour peu que l'on fasse attention à l'exposition de ces deux Auteurs sur ce chapitre de la Regle, on verra qu'ils ne sont pas entierement du sentiment que l'on combat icy. Car l'un & l'autre tombent d'accord, que ces mots *post Missas & Communionem*, qui se lisent au commencement du chapitre 38. se doivent entendre dans leur sens propre & naturel. De plus, Richard ne s'est porté à quitter le sentiment commun, que parce que si l'on expliquoit le second passage *propter communionem sanctam* de la veritable Communion, il s'ensuivroit qu'il faudroit admettre qu'il y auroit en effet du danger que l'on ne pût jetter quelques parties des especes sacrées en crachant. Or cet Auteur croit que ce sentiment ne se peut soûtenir, „ *sed hæc expositio non videtur bona* : d'autant, dit-il, „ que le Corps de Jesus-Christ aussi-tôt qu'on l'a reçu par la Communion, „ est incontinent incorporé avec celuy qui a communié. Et partant il ne „ peut être sujet à aucun des inconveniens des autres viandes. „ *Quia corpus Christi, postquam sumtum est, statim incorporatur, & projici non potest, nec in secessum effundi.* On ne veut pas examiner icy si l'opinion de cet Auteur est supportable, ou non : mais on peut néanmoins avancer, que la raison qu'il a euë de se departir du sentiment commun, est encore moins recevable que celle qui est le fondement du sentiment qu'il n'approuve pas. Car quelle apparence y a't'il que les especes sacrées, & par consequent le Corps de Jesus-Christ, ne puissent être sujetes à l'inconvenient que craignoient les anciens, si celuy qui avoit communié les jettoit en crachant immediatement aprés ? Quoy qu'il en soit, il est visible que ce Richard ne

ne s'est départi de l'explication commune des autres Auteurs, que pour avoir trop philosophé sur les inconveniens de cette explication. Le Cardinal Turrecremata n'a pas eu apparemment d'autre motif, & partant l'un & l'autre a abandonné le sens naturel de la Regle, une tradition generale de l'Ordre ; & un fait constant pour une méchante raison.

Aussi n'ont-ils pas été suivis par les Auteurs qui on fait depuis des Commentaires ou des versions de la Regle. Tout le monde est demeuré dans l'explication ancienne & generale. On en pourroit donner autant de témoins & de preuves qu'il y a de ces Auteurs : mais on se contentera de rapporter les termes d'une version & paraphrase françoise, qui fut imprimée à Paris chez Simon Vostre, il y a plus de deux cens ans. Voicy comme nôtre passage y est traduit & expliqué. *Propter communionem sanctam. Pour la sainte communion que le Liseur a reçû n'agueres à la Messe, selon la coûtume pour lors observée, afin qu'en lisant il ne soit provoqué à cracher, tellement qu'il puisse advenir aucune indécence ou irreverence aux especes sacramentelles, dont il a été paravant refectionné : lequel inconvenient peut être évité par la superposition d'autre viande.* On ne peut expliquer plus nettement la tradition ancienne de l'Ordre sur cette matiere, & c'est une pauvre raison de s'en departir, que de le faire, pour ne pas admettre cet inconvenient. Cependant c'est ce qui a determiné en partie cet illustre Abbé qui étoit si sçavant dans la tradition de l'Eglise, à s'éloigner en cet endroit de celle de l'Ordre : & c'est son autorité qui a fait changer de sentiment l'Auteur de la Dissertation. Il faut donc enfin examiner ses raisons, & voir si on s'y doit rendre. Ce n'est pas qu'on ne pourroit se dispenser de faire cet examen. Car lorsque les faits sont aussi clairs & aussi bien établis que celuicy, les inconveniens & les raisons qu'on y peut opposer, quelque plausibles qu'elles paroissent, ne sont pas recevables. Mais neanmoins on veut bien entrer dans cet examen, afin de donner plus de jour à la verité. Voyons donc un peu les raisons qu'apporte l'Auteur de la Dissertation, pour appuyer son nouveau sentiment.

V.

Pour entrer en matiere, il suppose qu'il y a deux sortes de Communion, l'une de l'Eucaristie, & l'autre de Charité ou de Prieres. Cela étant supposé, il ajoute qu'aprés avoir suivy dans sa premiere édition le premier sens de la Communion marquée dans la Regle, les raisons de ce sçavant Abbé luy parurent si fortes, si belles, & si convaincantes, qu'il eut de la peine à ne s'y pas rendre.

„ Car premierement cette grande precaution de ne point cracher quelque tems considerable aprés la Communion, étoit inoüie, disoit cet Abbé, du tems de S. Benoist, & dans les siécles qui l'ont precedé : parce que les especes sont bien tôt alterées, & par consequent ne conservent plus le Corps de Jesus Christ : de même qu'on demeure d'accord qu'elles ne pourroient pas être consacrées en cet état-là. „

Voila la premiere raison de cet Abbé. Mais pourquoi cette precaution étoit elle inoüie du tems de S. Benoist, & avant luy, puisque nous avons vû que des anciens Solitaires prenoient un peu de pain & de vin aprés la sainte Communion, ainsi que l'ordonne S. Benoist? N'a t'on pas raison de dire que c'étoit *pour la communion sainte*, prise dans sa signification naturelle? On n'est pas obligé de croire que la precaution dont il est parlé icy, soit la raison qui ait porté S. Benoist à faire ce reglement : mais neanmoins il y a de l'apparence

rence que cela est ainsi. Car il est fort naturel d'avoir cette precaution, principalement pour un Lecteur, que son exercice dispose davantage à cracher que les autres. C'est la raison que le Maître, qui vivoit peu de tems aprés S. Benoist, a apportée en ce même cas, *propter sputum Sacramenti*; & il est certain qu'anciennement les Prêtres, & ceux qui avoient communié, s'abstenoient de cracher un tems considerable.

Cela paroît par une lettre d'Amalaire à un nommé Guntard, qui luy fit quelque reproche de ce qu'il crachoit incontinent aprés avoir communié: veu que les autres Prêtres avoient accoûtumé de s'en abstenir long-tems aprés la Messe, *quia ceteros Sacerdotes perspexisti à sputo diutius se abstinere post sacrificium.* Amalaire répond à la verité, que ce scrupule n'est pas trop bien fondé: mais il ajoûte neanmoins qu'il s'en abstiendroit aussi luy-même, si cela luy eût été possible: *Si potuissem me abstinere tamdiu à sputo, quamdiu satisfacerem tuis, ut non haberent quod reprehenderent in me, hoc ultro curarem: sed quia hoc mihi difficile est &c.* C'étoit donc un usage commun de s'en abstenir pour lors, c'est à dire il y a prés de neuf cens ans. Cette pratique n'étoit pas sans doute nouvelle: & il ne faut pas la reculer beaucoup, pour la faire remonter jusqu'à S. Benoist. Voila pour la premiere raison. *Spicil. to. 7. p. 168.*

„ La seconde est, que si S. Benoist avoit voulu ordonner de prendre quel-
„ que chose à raison de la Communion Sacramentelle, il l'auroit marqué en
„ general pour tous ceux qui communient; & auroit ordonné qu'on le prit
„ à l'Eglise plûtôt qu'au refectoir; & aussitôt aprés avoir pris la sainte ho-
„ stie, comme on fait encore en quelques lieux. Ce qui auroit été d'autant
„ plus raisonnable, qu'il pouvoit arriver aisément, qu'on eût besoin de cra-
„ cher durant Sexte qu'on chantoit avant dîner. De sorte qu'il y avoit toû-
„ jours un tems fort considerable entre la Messe & le dîner. Ce qui montre
„ clairement, que S. Benoist n'a pas pû prendre icy le mot de *sancta Commu-*
„ *nio* pour la Communion de l'Eucharistie, mais pour l'union sainte qui doit
„ être soigneusement conservée entre les fideles, qui est l'effet de l'union des
„ cœurs, dont il a voulu que le Lecteur donnât quelque preuve sensible à
„ toute la Communauté, avant que de commencer à lire. „

On répond à cette raison qu'il n'étoit pas necessaire d'avoir les mêmes égards pour tous ceux qui avoient communié, dautant que peu de tems aprés la Messe ils alloient dîner. S. Benoist ne dit rien du lieu où l'on devoit prendre ce *mixtum* aprés la sainte Communion. Mais S. Adedard, ce celebre Abbé de Corbie; témoigne dans ses Capitulaires, que le *mixtum* se prenoit dans la Sacristie & il ordonne que cela se fera promtement. *De miscendo in sacrario, & citò liberando.* Neanmoins l'usage a été dans la suite du tems qu'on prît le *mixtum* au refectoir, comme le Maître l'avoit prescrit dans sa Regle.

Nôtre illustre Abbé suppose qu'on chantoit Sexte immediatement aprés la Messe: mais Hildemar dit absolument le contraire en expliquant ces mots du chapitre 35. *In diebus autem solemnibus usque ad Missas sustineant*: par lesquels S. Benoist veut que les serviteurs Semainiers different aux jours solennels jusqu'aprés la Messe, pour prendre le pain & le vin qu'il leur accorde. Hildemar remarque à cette occasion, „ que c'étoit la coûtume pour lors du païs
„ où étoit S. Benoist, de chanter Sexte immediatement aprés la Messe, com-
„ me faisoient les Chanoines du tems d'Hildemar: mais que S. Benoist vou-
„ lant empêcher que cette coûtume ne s'introduisist dans ses Monasteres, or-
„ donna que le Lecteur, aussi bien que les serviteurs, attendroient jusqu'
„ aprés la Messe seulement: afin que le Lecteur ayant le loisir de prendre ce
„ sou-

„ lagement qu'on luy donnoit, on retranchât de cette maniere la coûtume „ de dire Sexte aussi-tôt aprés la Messe. „ *Consuetudo namque fuit in illa terra, sicut hodie faciunt Canonici, post Missam statim incipere Sextam. Voluit itaque beatus Benedictus tollere hanc consuetudinem. Ideo dixit,* USQUE AD MISSAM SUSTINEANT *: ut dum ante Missam non auderet Lector manducare, facto intervallo propter illum, illa consuetudo rumperetur.* Ce n'étoit donc qu'aprés dîner qu'on disoit Sexte en ces jours là : & comme les Religieux qui avoient communié à la Messe devoient dîner avant Sexte, il n'étoit pas necessaire qu'ils prissent quelque chose par precaution.

C'est donc sans fondement que l'on tire cette consequence, que S. Be„ noist n'a pas pû prendre icy le mot de *sancta Communio* pour la Communion „ de l'Eucaristie, mais pour l'union sainte qui doit être soigneusement gar„ dée entre les fideles, qui est l'effet de l'union des cœurs, dont il a voulu „ que le Lecteur donnât quelque preuve sensible à toute la Communauté „ avant que de commencer à lire. „ Car on ne comprend pas comment un morceau de pain & un peu de vin, que le Lecteur prenoit avant sa lecture, ait été employé par une personne aussi sage que S. Benoist, pour un symbole de l'union du Lecteur avec ses freres : veu que celuy-cy venoit d'en donner des preuves si éclatantes & si visibles, ayant donné à ses freres & reçû d'eux la paix à la Messe, & y ayant reçu ensuite avec eux ce divin Sacrement, que Jesus-Christ a institué pour marque de l'union & de l'amour mutuel des fideles. Cependant voila ces raisons fortes & convaincantes, qui ont obligé l'Auteur de la Dissertation de changer de sentiment; mais je ne crois pas qu'ils s'en trouve beaucoup d'autres qui en soient touchez.

Auparavant que de finir cette matiere, il est à propos d'examiner encore une preuve que nôtre Auteur apporte pour montrer que le mot de *Communion* se prend quelquefois pour l'union des cœurs. On en convient : mais c'est en y ajoûtant le mot de *charité*, ou quelqu'autre semblable : & on soûtient que le passage que l'Auteur cite du chapitre 21. de la Regle du Maître est tout à fait contraire à ce qu'il pretend. Ce chapitre porte pour titre, *Comment les Semainiers de la cuisine & le Cellerier doivent communier.* On lit ensuite, „ que lors qu'on étoit dans l'Oratoire devant l'Abbé pour la commu„ nion, *cum ad communionem in Oratorio ante Abbatem statur*, tous ayant re„ çu la paix, l'Abbé communioit. Qu'ensuite ceux qui étoient preposez aux „ serviteurs de la cuisine, alloient avertir ces serviteurs de venir à la com„ munion dans l'Oratoire, *ut hebdomadarios ad communionem repræsentent*, & „ qu'eux cependant faisoient à la cuisine ce qui étoit à faire. Que ces Semai„ niers, aprés avoir lavé leurs mains, entroient aussi dans l'Oratoire, & „ qu'aprés avoir fait quelques prieres, & donné la paix, ils recevoient en„ suite la communion debout, *post modicam orationem erecti communicent & „ confirment.* Qu'enfin aprés avoir prié encore un peu de temps, l'Abbé ter„ minoit leur oraison par un verset & une Collecte : & qu'eux étant retour„ nez à la cuisine, renvoyoient leurs preposez pour communier aussi à leur „ tour dans l'Oratoire. „ Le Maître poursuit à décrire dans le reste de ce chapitre & dans le suivant l'ordre de la communion des autres freres.

On ne croit pas qu'il soit possible de trouver un témoignage plus clair pour prouver justement tout le contraire de ce que l'Auteur de la Dissertation pretend. Il s'agit en cet endroit d'une communion qui se fait dans l'Oratoire, c'est à dire, dans l'Eglise du Monastere. Cette communion se fait aprés s'être lavé les mains, aprés avoir donné & reçû la paix. Cette communion a

deux

deux parties, *Communicent, & confirment.* On communie, & on est confirmé. Ceux qui sont un peu versez dans la connoissance des Rites ecclesiastiques, sçavent que le mot de *confirmer* se prend en matiere de communion pour la communion de la couppe, comme on peut voir dans l'Ordre Romain. Enfin aprés avoir reçû la communion en ces deux manieres, on fait encore des prieres, & on les termine par un verset & une Collecte, *Versu dicto Abbas compleat.* Dans les anciens Sacramentaires la Collecte qui se dit à la Messe aprés la communion, est appellée *ad complendum.* Voila donc la Collecte que l'Abbé disoit pour terminer les actions de graces des freres aprés la communion, *Abbas compleat.* Cependant aprés tant de marques qui nous donnent l'idée de la Communion sacramentelle, on veut qu'il ne s'agisse icy que d'une communion d'amour & de bien-veillance. Il faut avoir grande créance en l'autorité d'une personne pour en être persuadé : mais pour moy, quelque respect que j'aye pour l'Auteur, & pour celuy dont il a suivy le sentiment en cette rencontre, j'avoüe que je n'ay pas encore assez de foy & de déference pour cela.

Ce qui a peut-être engagé ces Auteurs dans cette pensée, c'est qu'il ne paroit pas qu'il soit parlé de Messe dans ces deux chapitres, où le Maître décrit cette communion : & on sçait d'ailleurs que pour lors on ne recevoit l'Eucaristie qu'à la Messe, excepté le Viatique. Et si on répond que le Maître y suppose la Messe, on trouvera sans doute étrange que les serviteurs Semainiers n'y ayent pas assisté : qu'on ne les ait appellez a l'Oratoire pour communier qu'au tems de la Communion même : & qu'enfin ceux qui leur étoient preposés, ayent été suppléer pour eux à la cuisine, eux qui devoient communier incontinent aprés.

Il est vray que cela paroit un peu extraordinaire : mais les choses n'ont pas été toûjours observées comme aujourd'huy. C'étoit l'ordinaire d'assister entierement au sacrifice lors qu'on devoit y communier : mais en certain cas cela ne s'observoit pas si exactement. Dans la Regle de Paul & d'Estienne, qui est citée dans la Concorde des Regles, & dans un ouvrage d'Agobard Archevêque de Lyon, on y voit presque la même disposition que dans la Regle du Maître. „ Car ces deux Peres ordonnent, qu'a l'heure qui est destinée „ pour la Communion, on ne manque pas de se trouver pour répondre, „ *Libera nos à malo* à la fin de l'oraison Dominicale. „ Ce qui ne se peut entendre que de la Messe, quoique le mot de Messe n'y soit pas exprimé. *In hora qua sanctum Corpus & Sanguinem Domini communicaturi sumus, præsentes esse festinemus ad dicendum*, LIBERA NOS A MALO. C'est donc une marque que l'on n'exigeoit pas d'assister ponctuellement à toute la Messe, quoy qu'on y dût communier. Car il est visible qu'il s'agit en cet endroit de la communion du Corps & du Sang de Jesus-Christ : & partant il ne faut pas s'étonner, si dans la Regle du Maître les serviteurs Semainiers, qui devoient communier à la Messe, ne se rendoient à l'Oratoire que peu de temps avant la communion. Ces saints Solitaires s'appliquoient principalement à faire servir de dispositions à la sainte communion toutes les actions de leur vie, qui étoient comme une continuelle oraison : & leur travail même étoit accompagné du chant des pseaumes. Aussi les termes que ces deux saint Peres, dont nous venons de parler, ajoûtent aux precedens, font-ils assez voir avec combien de réverence ils s'approchoient de la sainte Table, puis qu'ils avertissent que l'on ait une tres grande precaution pour ne pas recevoir indignement & à sa condamnation le Corps & le Sang de nôtre Seigneur. *Omnino cavendum est, ne sanctum Corpus & Sanguinem Domini indigne ad judicium sumamus.*

De tout cecy on peut inferer comme une chose constante, que le Maître dans le chapitre que l'Auteur de la Dissertation a cité pour preuve de ce qu'il pretend, se doit entendre à la lettre de la Communion sacramentelle, comme on a fait voir: & que S. Benoist doit être aussi expliqué de la même maniere dans le chapitre du Lecteur, qui a fait le sujet de cet écrit.

C'est aussi de la Communion eucharistique que se doit entendre le même Saint dans le chapitre 63. où aprés avoir reglé l'ordre que les freres doivent garder entr'eux dans la communauté, „ il ajoûte, que c'est dans cet ordre qu'ils „ doivent recevoir la paix & la Communion, „ *sic accedant ad pacem, ad Communionem*; ce que l'on comprend aisément par l'union de ces deux choses, c'est à dire, de la paix & de la communion. C'est ainsi que nos anciens Peres l'ont toûjours entendu, comme il seroit aisé de le justifier par tous les Commentaires de la Regle, & par le chapitre quatriéme des douze, qui furent addressez aux Religieux de Richenaw, au commencement du neuviéme siecle; où il est prescrit, „ que tous les Dimanches de l'année les freres iront suivant leur rang *à la* „ *paix & à la Communion*, excepté ceux lesquels à cause de leur vieillesse ou de „ leur maladie seront obligez de communier separément. Que si quelqu'un se „ prive de ce grand bien fait *de la Communion du Corps & du Sang de Jesus-Christ*, „ l'Abbé qui doit toûjours être present lors que l'on communie, sera informé „ de la cause de ce manquement. „

On peut faire deux remarques sur ce reglement. La premiere est, que la coûtume de donner la paix à la Messe, non seulement aux ministres de l'Autel, comme nous le faisons encore à present, mais aussi à tous les assistans, n'étoit pas encore abrogée dans nos Monasteres, comme elle l'a été ensuite. Boherius dans un de ses Commentaires sur la Regle, rendant raison de ce qu'on ne donnoit point la paix de son tems dans nos Monasteres, il dit que c'est à cause que les Moines étant morts au monde, on observoit chez eux la même chose, qu'à la Messe des morts, où l'on ne donne point la paix. Mais à ce conte il faudroit aussi que les sentimens d'aversion & de haine fussent morts tout à fait dans l'esprit de tous les Moines. Quoy qu'il en soit de la raison de ce changement, on ne voit pas en quel tems il a été fait dans les Monasteres; & il étoit encore en usage au treiziéme siecle dans le Mont-Cassin aux Fêtes solennelles, ainsi que nous l'apprenons de Bernard qui en étoit Abbé pour lors.

La seconde reflexion que l'on peut faire sur ce reglement addressé aux Religieux de Richenaw, est qu'au commencement du neuviéme siecle les vieillards & les malades communioient *separément*, c'est à dire, ou aux Messes privées, ou à quelqu'autre grande Messe qui se disoit le matin. Car dans l'Abbaye de S. Riquier en ce tems là, où il y avoit trois cens Religieux & une psalmodie perpetuelle; on y disoit tous les jours deux grandes Messes, outre plusieurs Messes particuliers. On communioit alors rarement aux Messes privées: mais on ne celebroit jamais de publiques ou grandes Messes, que la communion ne s'y fît, ou par toute la communauté, ou par quelques uns de ceux qui la composoient.

Dans l'Abbaye de Cluny cela s'observoit exactement. Car chaque jour tous les Religieux d'un côté du chœur alternativement faisoient leur offrande avec une petite hostie, dont on en consacroit seulement cinq tous les Dimanches, & trois les autres jours de la semaine pour les Religieux qui avoient devotion de communier à la grande Messe, outre le Diacre & le Soûdiacre, dont le premier communioit de la même hostie que le Prêtre, mais non pas le Soûdiacre. Du reste on benissoit autant d'hosties qu'il en falloit pour les autres Religieux, qui n'avoient pas communié, & qui les mangeoient au refectoir en forme de pain benit

nit avant toute autre viande. Nous apprenons cecy des Coûtumes de cette illustre Abbaye, qui ont été écrites par S. Udalric il y a six cens ans, & qui avoient été compilées avant luy par Bernarde, qui fut depuis Archevêque de Tolede. *Udalric. lib. 1 cap. 6.*

Mais il est certain que cet usage étoit dans l'Ordre avant la fondation de Cluny, qui a tiré ses pratiques de nos plus anciens Monasteres. Les reglemens addressez aux Religieux de Richenaw, dont nous venons de parler, nous en fournissent une preuve. Car nous lisons au chapitre 3. que l'on marquoit tous les jours dans un billet six d'entre les freres qui devoient faire la saint oblation, *sacram offerentes oblationem* : & que chacun devoit être marqué à son tour, en commençant par l'Abbé. Ce qui fait voir que l'on n'exceptoit pas même les Prêtres : lesquels ne disoient pas la Messe reguliérement tous les jours, comme ils font aujour d'huy. Ce reglement ajoute; que ces six Religieux devoient laver les pieds aux hôtes & aux pelerins qui étoient arrivez au Monastere. Le chapitre 6. prescrit que les Religieux étant au refectoir, deux Prêtres devoient distribuër aux freres des eulogies aprés la benediction de la table. Ce qui n'étoit autre chose sans doute que le pain qui avoit été beny pour ceux qui n'avoient pas communié à la Messe. Enfin Hildemar, dans son Commentaire sur le chapitre 53. dit la même chose à l'égard de l'oblation & du lavement des pieds : *Illi, qui offerunt in die ad Missam, illi etiam post vesperam vadunt pedes pauperibus lavare.* Ce qui fait voir que cette pratique étoit universelle, ou extremement répanduë dans l'Ordre avant la fondation de Cluny ; veu même que ces reglemens de Richenaw avoient été tirez des usages, que l'on avoit remarquez dans plusieurs de nos Monasteres.

Aussi l'Abbé Jean, disciple de S. Odon second Abbé de Cluny, dans la vie qu'il a composée de ce Saint, parlant des coûtumes de cette Abbaye, témoigne qu'elles avoient été recueillies par un nommé Euticius Abbé, que l'on croit avoir été le même que Benoist d'Aniane. Et c'est sans doute de cette même source que les Religieux de Cluny ont tiré ces belles ceremonies, qu'ils observoient en faisant les hosties, qui devoient servir au saint sacrifice de la Messe. On ne sera peut-être pas fâché d'en voir icy un petit extrait.

En premier lieu on choisissoit grain à grain le froment qui devoit servir à faire ces hosties, & ensuite on le lavoit soigneusement. On le mettoit aprês dans un sac qui étoit destiné pour ce seul usage ; & on l'envoyoit au moulin par un serviteur honnête, qui avoit soin de laver les deux meules avant que de mettre son froment dans la tremée, & les couvroit de courtines dessus & dessous. Aprés cela il se revêtoit d'une aube, & se couvroit le visage d'un amict à la reserve des yeux : & on observoit les mêmes precautions lors qu'on saçoit la farine. Enfin le Sacristain, s'il étoit Prêtre ou Diacre, accompagné de deux autres Religieux Prêtres ou Diacres, & d'un autre simple Religieux, étant sortis de Matines, se lavoient les mains & le visage, & les trois premiers étant revêtus d'aubes, l'un detrempoit la farine dans de l'eau, & en faisoit une espece de pâte, & les deux autres en composoient les hosties, qu'ils faisoient cuire dans un fer, auquel étoient gravées certaines figures. Toutes ces ceremonies marquent sans doute le grand respect que ces Religieux avoient pour la sainte Eucaristie, & elles font voir clairement qu'ils y reconnoissoient plus qu'une simple figure.

Le Cardinal Humbert, dans l'un des ouvrages qu'il a fait pour répondre aux calomnies des Grecs contre les Latins, nous assure que de son temps on faisoit quelque chose d'approchant dans l'Église Romaine : & que les Diacres avec les Soûdiacres & des Prêtres mêmes, étant revêtus des habits de leur Ordre, faisoient le pain destiné au sacrifice en chantant des Pseaumes : *Sacris amicti vestibus cum melodia psalmorum*. Mais il y a plus : c'est qu'anciennement les fideles avoient

 ac-

accoûtumé de faire eux mêmes les hosties dont ils devoient communier : & S. Gregoire de Nazianze dans l'éloge de S. Basile, nous apprend, que l'Empereur Valens étant entré dans l'Eglise où S. Basile celebroit les redoutables mysteres, il offrit à l'Autel les dons, c'est à dire, l'oblation dont il avoit été luy même l'ouvrier, ὢν αὐτουργὸς ἦν. On sçait sur cela ce qui arriva à cette Dame Romaine, qui doutoit que le pain, qu'elle avoit elle-même travaillé, fut devenu le Corps de Jesus-Christ, comme S. Gregoire luy disoit en prononçant les paroles que le Prêtre a accoûtumé de dire en donnant la communion.

Mais on s'apperçoit qu'on s'est trop étendu sur ce sujet, quoique peut-être cette digression ne sera pas desagreable à bien des gens, ausquels ces faits ne sont pas si connus.

SECONDE PARTIE.

CE sçavant Abbé, pour les sentimens duquel l'Auteur de la Dissertation a tant d'estime, pretend dans un Commentaire qu'il a fait sur nôtre Regle, que non seulement le mot de *Communion* & de *Communion sainte* ne s'y prend jamais pour la Communion sacramentelle, mais même que le mot de *Missa* ou de *Missæ*, par tout où il se trouve dans la même Regle, ne signifie jamais le sacrifice de la sainte Messe, mais seulement la conclusion des divins Offices, c'est à-dire, la permission qui est donnée aux Religieux de se retirer, ce que nous pouvons exprimer autrement par le mot de *missio* ou de *dimissio*. Comme l'Auteur de la Dissertation ne s'est pas encore declaré sur ce second point, il n'est pas juste de luy attribuer ce sentiment nouveau. C'est pourquoy on a crû qu'il valoit mieux traiter separément ce qui regarde la Messe, que de le confondre avec ce qu'on avoit à dire touchant la Communion. Ce n'est pas que ce que l'on a rapporté en passant de la Messe jointe à la Communion, ne fût peut-être suffisant pour refuter cette opinion nouvelle : mais on a mieux aimé donner à cette matiere tout le jour qu'elle merite, afin d'avoir occasion d'examiner plus exactement les argumens de cet illustre Abbé.

Il explique nettement sa pensée en deux endroits de son Commentaire, sçavoir sur le chapitre 35. & sur le 38. Le chapitre 35. qui traite des serviteurs Semainiers, porte ces mots : *In diebus autem sollemnibus usque ad Missas sustineant*, & nôtre Abbé les traduit ainsi, *Aux jours solemnels ils attendront jusqu' aprés l' Office.* Et incontinent aprés il ajoûte ce qui suit par forme de commentaire : C'est „ le sens de ces paroles, *usque ad Missas sustineant.* Car par ce mot de *Missa* nôtre „ Saint entend souvent la fin de l'Office dans sa Regle, & non pas le sacrifice „ de la sainte Messe, qu'il ne comprend jamais sous ce mot. „ Voila qui est bien decisif, & si l'on n'est pas obligé de deferer aveuglement au sentiment d'un si habile homme, on ne peut douter au moins de ce qu'il pense sur ce sujet.

Il n'est pas moins exprés sur ces mots du chapitre 38. qui concerne le Lecteur, *Post Missas & communionem* : ce qu'il traduit de cette sorte, *à la fin de l'Office & des prieres communes.* „ Et aprés il poursuit : C'est le sens de ces paroles la-„ tines : car nous avons déja fait voir, que le mot de *Missa* ne se prend jamais qu' „ en ce sens dans toute la Regle, c'est à dire, pour marquer la fin de l'Office, „ & la sortie de l'Eglise, lors qu'il est permis à chacun de se retirer. Car les an-„ ciens se servent souvent de *Missa* pour dire *missio* ou *dimissio* ; de même que l'on „ trouve *remissa* pour *remissio* dans S. Cyprien, & dans d'autres.

I.

Pour le faire court, on tombe d'accord que le mot de *Missa* ou *Missa* est equivoque dans les anciens Auteurs : & qu'encore qu'il signifie plus ordinairement la sainte Messe, il se prend aussi neanmoins pour la fin de quelque Office divin, & même quelque fois pour les leçons qu'on y recite : & c'est en ce dernier sens qu'on le trouve dans la Regle de S. Aurelien Evêque d'Arles, & dans celle de S. Isidore de Seville.

On avoüe en second lieu que S. Benoist se sert du même terme quatre fois dans un seul chapitre de sa Regle pour marquer la conclusion des Heures de l'Office divin. C'est au chapitre 17. où il parle des Heures du jour qu'il veut être terminées par la Litanie, c'est-à-dire, par le *Kyrie eleison* trois fois repeté, & l'Oraison Dominicale, *Litania, & Missa sint*, ou *fiant Missa*. Et il ne sera pas peut-être hors de propos de remarquer, qu'il ne se sert du mot de *Missa* en ce sens, qu'en parlant des Heures du jour. Car pour les autres, il employe une autre façon de parler, qui revient neanmoins au même sens : comme lorsqu'il parle de l'Office de la nuit au chapitre neuviéme, *Supplicatio litaniæ, id est, Kyrie eleison, & sic finiantur nocturnæ vigiliæ* : & au chapitre 12. & 13. où il parle de la fin des Laudes : *Litania, & completum est*. Cette differente maniere de s'expliquer pourroit bien nous marquer, qu'aprés l'Office de la nuit, & même aprés les Laudes qui se doivent chanter quelque temps aprés cet Office, on ne se retiroit pas pour cela de l'Eglise : mais qu'on s'y appliquoit à l'Oraison, comme il paroit par le 2. livre des Dialogues chapitre 4. & que c'est pour ce sujet que S. Benoist ne se sert pas du mot de *Missa*, comme il s'en sert aprés les Heures du jour, chacune desquelles étant finie, on devoit sortir de l'Eglise, pour aller à d'autres exercices. En effet, dans le dernier article du Capitulaire que les Moines de S. Gal dresserent touchant l'observance reguliere au commencement du neuviéme siecle, il est prescrit que l'on donne du tems aux Religieux aprés Laudes pour faire leurs prieres à tous les Autels de l'Eglise. Quoy qu'il en soit, on voit que le mot de *Missa*, dans les Offices du jour, signifie à peu prés la même chose que *finiantur*, & *Completum est* à l'égard des Heures de la nuit.

Il n'est donc pas icy question de ces endroits, mais seulement des deux autres que nous avons rapportez cy devant des chapitres 35. & 38. de la même Regle, où l'on soûtient absolument, que le mot de *Missa*, se doit expliquer du saint Sacrifice de la Messe.

Ce mot étoit en usage en ce sens long tems avant S. Benoît. S. Hilaire est un des premiers qui s'en soit servi en cette maniere; & il a été suivy de S. Ambroise. Cet usage est devenu plus commun dans le cinquiéme siecle, & encore davantage dans le sixiéme, auquel S. Benoist a vécu & a écrit sa Regle. Gregoire de Tours, qui vivoit sur la fin du même siecle, se sert du mot de *Missa* quelquefois au nombre singulier, mais beaucoup plus souvent au plurier : comme lors qu'il dit de luy-même au Livre second des miracles de S. Martin chapitre 14. *Nobis Missas dicentibus* ; & au chapitre 16. de la vie des Peres, *dum ad Missas Dominicæ Orationis verba decantarentur* ; & en plusieurs endroits, *Missarum solemnia*, pour signifier une Messe particuliere.

Il faut donc voir si S. Benoist dans les deux passages, qui font le sujet de cette contestation, ne se sert pas dans le même sens du mot de *Missa* au nombre plurier, pour signifier une Messe particuliere, que nous appellerions la grande Messe, s'il n'étoit presque constant que du tems de S. Benoist on n'en disoit pas plus d'une dans les Monasteres, aux jours même de Dimanche.

Pour

Pour resoudre cette difficulté, ce n'est pas assez de dire que S. Benoist se sert de ce mot en plurier pour marquer la fin de l'Office. Car comme il a pû l'employer aussi de même pour signifier la Messe, il faut voir si par la maniere de s'expliquer, il ne determine pas le sens à l'un plûtôt qu'à l'autre. Car c'est ainsi qu'on en doit user lors qu'un terme est equivoque; c'est par les circonstances des endroits où il est employé, qu'il en faut juger. On veut bien accorder, par exemple, que *Missæ* dans les quatre passages rapportez cy-dessus de la Regle de ce saint Patriarche, signifie la fin de l'Office : mais il paroît au contraire manifestement que c'est de la Messe qu'il veut parler dans les chapitres 35. & 38.

Car pour ce qui est du premier, *usque ad Missas sustineant*, tous les Auteurs anciens & modernes qui ont fait des Commentaires sur la Regle, ont toûjours entendu ce mot du sacrifice de la Messe. Comme on en a cité quelques passages dans la premiere Partie, on ne croit pas qu'il soit necessaire de les repeter icy.

En effet, il n'y auroit point de sens, si on expliquoit ce passage de la fin de l'Office, & non pas de la Messe. Car il est visible que S. Benoist a voulu marquer en cet endroit un tems determiné, auquel les Semainiers pouvoient prendre un coup à boire aux jours solemnels. Il veut que tous les jours de ferie, ils le prennent une heure avant le repas : mais qu'à l'égard des fêtes considerables, *usque ad Missas sustineant*. Car que voudra dire S. Benoist s'il parle de la fin de l'Office ? On a remarqué cy dessus, qu'il se sert du mot de *Missæ*, pour designer la conclusion des Heures du jour. S'il prend donc en cet endroit du chapitre 35. le mot de *Missæ* pour cette conclusion de l'Office, quel Office voudra-t'il dire? Sera ce Prime ou Tierce, ou bien Sexte ou None? Sera ce enfin, Vêpres ou Complie? Il ne s'explique pas. Sera-ce aprés toutes ces Heures? Cela ne se peut dire, dautant que les Semainiers prenoient ce soulagement avant le dîner, & l'on dînoit ce jour-là à l'heure de Sexte. Il faut donc qu'il ait voulu exprimer par ce mot quelqu'autre chose singuliere & determinée : & ce ne peutêtre autre chose que la Messe, qui se devoit dire vers l'heure de Tierce, & étoit suivie du dîner.

Cela se confirme par le passage du chapitre 38. où nôtre Saint ordonne que le Lecteur prendra son *mixtum* le jour du Dimanche, *post Missas & Communionem*. Car quoyque le mot de *Missa* soit equivoque, il ne le peut être en cet endroit, où S. Benoist joint trois choses ensemble qui determinent le sens au sacrifice de la Messe : & ces trois choses sont le Dimanche, la Messe, & la Communion. Nous avons vû que suivant la coûtume de ce tems là, les Moines communioient au moins tous les Dimanches. On sçait que c'étoit la coûtume alors, comme à present, de dîner aprés la Messe. Le Lecteur prenoit son *mixtum* pour lire à dîner *post Missas & communionem*. Qui ne voit que toutes ces circonstances determinent le sens de ces mots *post Missas & communionem*, a signifier la Messe, quelque equivoque qu'il y ait d'ailleurs dans le mot de *Missa*?

Que si cela est ainsi, comme il semble qu'on n'en puisse raisonnablement douter, il s'ensuit que le mot de *Missa* dans le premier endroit, *usque ad Missas sustineant*, se doit prendre aussi pour la Messe. Car S. Benoist observe la même conduite a l'égard des Semainiers de la cuisine pour leur permettre de prendre un coup à boire aux jours de fêtes, qu'à l'égard du Lecteur pour luy permettre de prendre son *mixtum* aux jours de Dimanche. Il veut que celui-ci prenne son *mixtum* aprés la Messe & la Communion. Et partant lors qu'il dit que les serviteurs aux jours des fêtes attendront à boire un coup *usque ad Missas*, ce mot se doit entendre determinément de la Messe, & non de la fin de l'Office indeterminément.

Que si au contraire on se veut arrêter au sens que nous combattons, S. Benoist ne s'expliquera que d'une maniere fort imparfaite & presque inintelligibile.

Car

Car si on traduit avec ce sçavant Abbé ce passage qui regarde les Semainiers de la cuisine par ces mots, *Ils attendront jusqu' aprés l' Office*, que voudra dire cela? De quel Office l'entendra t'on? Je sçay bien que l'on répondra que cela se doit entendre de l'Office de Sexte. Mais que dira-t'on si on le nie. Et cela ne sera pas sans fondement, puisque nous avons remarqué cy-dessus que selon un des plus anciens Commentaires de la Regle, aux jours de Dimanches, & par consequent aussi aux jours de fêtes solemnelles, on ne disoit Sexte qu'aprés le dîner.

La traduction du second passage touchant le Lecteur ne sera pas plus claire que cellecy, si on suit celle de nôtre illustre Abbé à l'égard de ces paroles *post Missas & Communionem*. Car selon luy il faut traduire *à la fin de l'Office & des Prieres communes*. Quel est cet Office, & quelles sont ces prieres communes? Si on peut faire un bon commentaire sur cette traduction, il faut du moins avoüer que le texte ainsi traduit est tout à fait enigmatique : au lieu qu'en le traduisant selon l'idée que les paroles nous donnent naturellement, on ne voit rien de plus clair que de dire, *aprés la Messe & la Communion*. Il ne faut point de commentaire pour expliquer cette version : & c'est ainsi que S. Benoist a accoûtumé de s'expliquer en ces rencontres, c'est-à-dire, d'une maniere precise & determinée. C'est ainsi que voulant marquer le tems auquel les Semainiers doivent prendre un peu de vin & un morceau de pain aux autres jours de la Semaine, il dit que cela se fera *une heure avant le repas, ante unam horam refectionis*. C'est ainsi que pour marquer les heures de ce repas, il dit que ce sera à l'heure de Sexte, lors qu'on ne jeûne pas ; que ce sera à l'heure de None aux jours de jeûne reguliers, & qu'enfin ce sera à l'heure de Vépres en Carême. Cela est clair & precis suivant l'usage de ce tems-là : & s'il y a quelque obscurité à nôtre égard, c'est à cause que nos manieres d'aujour d'huy sont fort éloignées de celles du sixiéme siecle.

Il semble que l'on ait droit de conclure de ce que l'on vient de dire, que la nouvelle traduction n'est pas soûtenable, non plus que son commentaire ; & qu' il paroît évident, que S. Benoist dans les chapitres 35. & 38. a voulu parler de la Messe pour le premier, & de la Messe & de la Communion tout ensemble pour le second. Mais afin que l'on puisse encore mieux comprendre le peu de fondement qu'il y a dans l'opinion contraire, il en faut rapporter le principal argument, & voir ce que l'on y pourra répondre.

II.

L'unique argument que l'on nous objecte, est qu'il est visible, que si S. Benoist entendoit parler de la sainte Messe, „ il ne diroit pas *usque ad Missas sustineant*, comme si c'étoit assez d'attendre jusqu'à la Messe, pour manger pendant qu'on diroit la Messe : mais il diroit *post Missas*, que l'on ne prit rien qu' aprés la Messe.

On sera peut être surpris de voir que l'on établisse cette nouvelle opinion sur un fondement si leger. Le mot d'*usque* se peut prendre inclusivement, & exclusivement. Il est visible que ce reglement se doit entendre inclusivement, & que lors que S. Benoist dit que les serviteurs attendront aux jours de fêtes *jusqu'à None*, c' est comme s'il avoit dit *jusqu'aprés None*. Il se sert de la preposition *post* lors qu' en pareil cas il parle du Lecteur, *post Missas & Communionem*. L'un sert à expliquer l'autre : & partant le mot d'*usque* dans le chapitre des Semainiers s'étend jusqu'aprés la Messe. C'est de la même maniere que nous lisons dans le chapitre 7. que le neuviéme degré d'humilité est de garder le silence, *jusqu'à ce qu'on soit interrogé*, USQUE *ad interrogationem*. Ce qui ne veut pas dire que l'on parle pendant que l'on est interrogé, mais aprés l'interrogation même. C'est dans ce sens

sens que S. Paul a dit que nôtre Seigneur a été obeïssant *jusqu'à la morte de la croix* USQUE *ad mortem crucis*, ce qui n'exclud pas la mort de la Croix, puis qu'au contraire il l'enferme.

Outre cet argument, qui est l'unique de ce sçavant homme, on peut encore faire quelques objections, qu'il est à propos de prevenir. La premiere est que S. Benoist s'étant servy du mot de *Missa* pour signifier la fin de l'Office, il n'y a point d'apparence qu'il l'ait employé dans un autre sens, pour signifier la sainte Messe, luy dont la Regle est loüée par S. Gregoire a cause de la netteté de son expression, *sermone luculentam*.

Mais cette objection n'est pas plus forte que la precedente. Si cela passoit, les Auteurs qui affectent de parler le plus clairement, ne pourroient jamais se servir d'aucun terme qui fût tant soit peu équivoque. Cela causeroit un furieux embaras. Le mot de *Sacra* qui signifie une chose sacrée, & signifie aussi une chose detestable, ne pourroit jamais être employé par un même Auteur dans l'un & l'autre sens, si l'on vouloit éviter l'équivoque. Il y en a cent autres de la même force. Mais quoique les mots soient quelquefois équivoques en eux-mêmes, ils sont ordinairement determinez, comme on a déja dit, par les circonstances & l'arrangement du discours. C'est ainsi que S. Benoist disant qu'aux fêtes solemnelles, les serviteurs Semainiers doivent attendre à prendre quelque chose jusqu'aprés la Messe, *usque ad Missas*; il est aisé de voir qu'il veut parler de la Messe qui se disoit ce jour-la, & qu'à cause de la Communion que les serviteurs y recevoient, ils devoient attendre jusqu'aprés la Messe. Il fait le même reglement pour le Lecteur aux jours de Dimanche, mais d'une maniere qui explique ce qu'il y peut rester d'obscurité dans l'autre, comme nous venons de remarquer.

Mais si Saint Benoist, dira'ton, veut parler de la Messe au chapitre 38. du Lecteur, ne suffisoit-il pas de dire *jusqu'à la Messe*, sans ajoûter *& la Communion.* La Communion ne fait-elle pas une partie de la Messe? Pourquoy donc ajoûter le mot de Communion, si le mot de *Missas* signifie la Messe.

Quoique cette objection ne soit pas difficile à resoudre, elle paroît neanmoins assez raisonnable, & il faut un peu sçavoir l'usage de l'antiquité pour y donner jour. C'étoit la coûtume anciennement, c'est à dire du tems de S. Benoist, que ceux qui assistoient à la Messe & n'y vouloient pas communier, se retirassent avant la Communion, comme on l'a fait voir dans la Liturgie Gallicane. Cela s'observoit en Italie au tems de S. Benoist, & même dans les Monasteres de nôtre Ordre. Car on peut mettre de ce nombre ce Monastere de Vierges, dont il est fait mention par S. Gregoire au second livre de ses Dialogues chap. 23. Ce saint Docteur raconte en cet endroit, que deux Religieuses d'un Monastere, qui étoit prés du Mont-Cassin & gouverné par S. Benoist, se donnant un peu trop de liberté dans leurs paroles, ce saint Pere les excommunia: & que ces deux Religieuses étant mortes & enterrées dans l'Eglise, elles paroissoient sortir de leur tombeau & de l'Eglise, lors qu'à la Messe le Diacre crioit tout haut, *Si quelqu'un ne communie pas, qu'il fasse place à ceux qui doivent communier*, c'est-à dire, qu'il sorte: *Si quis non communicat, det locum*. Il est manifeste par cet endroit rapporté par S. Gregoire, que l'on congedioit ceux qui ne communioient pas à la Messe, & qu'ils sortoient de l'Eglise avant la Communion: que la Messe étoit censée être achevée pour lors à leur égard: & que comme la Messe des Catecumenes se terminoit aprés l'Evangile, lequel étant dit, on leur commandoit de sortir: aussi la Messe de ceux qui étant baptisez ne communioient pas, finissoit immediatement aprés que le Prêtre avoit dit l'Oraison Dominicale. D'où vient qu'en France & en Espagne la benediction se donnoit par les Evêques avant la

Pag. 35.

la Communion, afin que ceux qui ne communioient pas y participassent : & c'est pourquoy S. Gregoire de Tours dit que la communion du peuple se faisoit, la Messe étant achevée. C'est au livre second des miracles de S. Martin chap. 47. où nous lisons ces mots *Cumque expletis Missis*, voila la fin de la Messe, *populus cœpisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere*, & voicy la communion marquée ensuite bien distinctement.

Ce n'étoit donc pas assez à S. Benoist, qui vouloit que le Lecteur assistât à la Messe & y communiât le Dimanche ; ce n'étoit pas dis-je assés de dire qu'il prît son *mixtum aprés la Messe* ; il falloit encore ajoûter la *Communion* : dautant qu'il auroit pû assister à la Messe, & non pas à la Communion : puisque ceux qui ne communioient pas à la Messe, étoient obligez d'en sortir avant la communion.

Voila ce que nous avions à répondre aux objections les plus considerables qu'on peut faire contre le sentiment que l'on soûtient icy. C'est aux Lecteurs judicieux & équitables de voir, si l'opinion de ceux qui veulent que S. Benoît ne parle ny de Messe, ny de Communion dans sa Regle, est recevable. On croit avoir déja montré que non : & on n'a pas crû devoir souffrir que l'on ôtat à l'Eglise deux aussi beaux témoignages de la Messe & de la Communion sans les revendiquer. Tout ce qui nous reste de l'antiquité touchant cette matiere nous doit être d'une tres-grande consideration : & on doit conserver soigneusement ces precieux restes, comme un sacré dépost qui nous a été confié pour attester la foy de l'Eglise. On ne doute pas que ceux qui ont donné à ces deux passages de nôtre Regle une explication opposée à la nôtre, n'y ayent été portez par l'amour de la verité : mais c'est aussi ce même amour qui a donné lieu à cette refutation, qui ne diminüe en rien l'estime que l'on doit avoir pour leur pieté & leur merite.

Au reste il auroit été bien étrange, que S. Benoist, dont la Regle est si exacte, & entre dans un si grand détail, n'eût rien dit de la sainte Messe ny de la Communion dans toute sa Regle, comme le pretend nôtre sçavant Abbé. Il seroit étrange, qu'ayant fait deux chapitres des Prêtres du Monastere, l'un de ceux qui ayant été Prêtres dans le siecle, se retiroient en Religion ; l'autre des Prêtres & des Diacres que l'Abbé & la communauté voudroient faire ordonner pour l'usage du Monastere ; ce S. Homme n'ait pas dit un seul mot du plus auguste de nos mysteres, qui étoit la fin de ces ordinations.

Je ne puis m'empêcher en cet endroit de remarquer les precautions que nos anciens Peres observoient dans le choix des Ministres, qu'ils vouloient promouvoir aux Ordres sacrez, & principalement au Sacerdoce. Hildemar en fait un grand détail dans son Commentaire. Il dit que l'on doit choisir celuy d'entre les Religieux, dont la vie qu'il a menée dans le siecle, ait été exemte de ces crimes qui ont eu de l'éclat : que s'il est tombé dans quelque dereglement moins considerable avant que d'entrer en Religion, on ne le doit faire ordonner qu'avec frayeur & tremblement, *cum pavore*. Aprés avoir examiné la vie qu'il avoit mené dans le monde, on examinoit sa conduite dans la profession monastique. L'Abbé s'addressoit pour cet effet premierement à son Confesseur, & luy demandoit son sentiment touchant celuy que l'on vouloit faire ordonner, en luy commandant que sans découvrir en particulier aucun des pechez que celuy-cy eût commis, il dît s'il le croyoit digne de cette promotion. Ensuite l'Abbé proposoit la personne en plein Chapitre à la Communauté, & ordonnoit à un chacun de dire son sentiment, ou en public, ou en particulier, dans le terme de huit jours. On jeûnoit pendant ce temps là pour recommander cette affaire à Dieu : & enfin l'Abbé ayant entendu les sentimens de tous les Religieux en particulier sur les qualitez de ce Religieux, on le faisoit ordonner, si la pluralité des suf-

frages luy étoient favorables : sinon, il étoit exclus de l'Ordination. Voila sans doute une conduite fort ecclesiastique, & on n'a pas cru faire une chose desagreable au Lecteur, en finissant ce petit écrit par cette digression.

ADDITION AU PRECEDENT TRAITE.

IL y a peu de jours qu'il paroît une nouvelle traduction de la Regle de S. Benoist, avec un *Avertissement de Mr de Vert Tresorier de l'Abbaye de Cluny sur cette version.* On fait voir dans cet Avertissement la difficulté qu'il y a de bien traduire quelques endroits de la Regle, & entre autres ceux qui regardent la Messe & la Communion, dont nous avons parlé dans ce Traité. Voicy comme on s'explique sur le chapitre 38. où S. Benoist accorde au Lecteur le *mixtum* avant la lecture du Dimanche, *propter communionem sanctam.*

„ Il est assurement tres-aisé, dit-on, de traduire ces derniers mots, *propter* „ *communionem sanctam* : mais entendus & pris dans le sens ordinaire, c'est-à- „ dire, pour la reception de l'Eucaristie, on doit convenir qu'on ne sçait pas „ trop bien ce que la Regle veut dire icy. „ Cela veut dire en un mot qu'on ne croit pas, que ces paroles se doivent entendre de la Communion eucaristique. „ Car quel rapport, ajoûte-t'on, y-a-t-il entre cette communion, & le déjeû- „ ner du Lecteur ? „

On vient de le faire voir ce rapport dans le Traité precedent, où l'on croit avoir montré que cet usage a été pratiqué devant & aprés S. Benoist. Mais voyons un peu ce que l'on oppose de nouveau à cette explication dans cet Avertissement : Car on ne croit pas qu'il soit necessaire de repeter icy les raisons qui luy sont communes avec l'Auteur de la Dissertation que l'on vient de refuter.

Une des raisons qu'ont apportée les Commentateurs de la Regle, pourquoy S. Benoist accorde au Lecteur un peu de pain & de vin aprés la Communion, c'est afin qu'il ne soit pas exposé à rejetter ou cracher pendant la lecture quelque chose des especes sacramentelles qu'il a reçeües.

On pretend que cette raison n'est *d'aucune consideration*, d'autant qu'il y „ avoit entre la communion & la lecture aumoins une heure, ou une heure & „ demie d'intervalle : puisque les Fêtes & Dimanches, qui sont les jours de com- „ munion, la Messe commencée a neuf heures, étoit achevée au plustard à „ dix heures & demie ou onze heures ; & que le Lecteur ne prenoit son verre de „ vin que dans le moment qu'on se mettoit à table, c'est-à-dire immediatement „ avant que de commencer la lecture, *antequam incipiat legere*, & par conse- „ quent à midy, qui est l'heure de dîner ces jours-là : & partant qu'il y avoit „ plus de tems qu'il n'en falloit entre la communion & la lecture, pour que les „ especes sacramentelles fussent alterées & suffisamment digerées, sans qu'il „ fût besoin pour cela de prendre un verre de vin pour obvier à l'inconvenient „ que l'on vient de proposer. Joint qu'il eût fallu encore que toute la Commu- „ nauté, qui apparemment avoit communié, aussi bien que le Lecteur, se fût „ abstenuë de tousser & de cracher pendant tout ce tems-la ; & même pendant „ Sexte, dont le chant est bien plus capable d'exciter le crachement que l'on „ craint, que la lecture. On conclud que voila bien de l'embaras, & qu'il n'y a „ pas moyen d'en sortir, si on n'a recours à quelque autre explication. „

Mais peut-être que l'embaras n'est pas si grand qu'on s'imagine : & quand il y en auroit encore de plus grands, cela feroit voir que nous ne connoissons pas assez distinctement toutes les pratiques de ces tems-là pour développer toutes ces diffi-

difficultés : mais le fait n'en est pas moins constant, puis qu'il est atteſté par une generale tradition de tout l'Ordre depuis ſa naiſſance.

Nous ne ſçavons pas au vray, à quelle heure on celebroit dans nos Monaſteres la ſainte Meſſe aux jours de Fêtes & de Dimanches; ny combien il reſtoit de tems entre la Meſſe & le repas de la communauté.

Nous n'avons point avant S. Benoiſt de reglement certain, qui ordonne de tems precis pour dire la Meſſe. Celuy qu'on attribuë au Pape Teleſphore, duquel on a pris ſujet de fixer l'heure de Tierce, ne doit pas être conté comme autentique. Il eſt vray que S. Caſſius Evêque de Narnie, au rapport de S. Gregoire dans une de ſes Homelies, celebra au jour des S. Apôtres, le ſaint Sacrifice *à l'heure de Tierce* : mais on ne peut inferer de là que ce fût une loy generale. L'Ordonnance que nous avons ſur cela du troiſiéme Concile d'Orleans au canon 14. n'eſt que pour les fêtes principales, & pour la commodité des Prêtres, afin que la Meſſe étant dite aprés l'heure de Tierce, ils euſſent, aſſez de tems pour ſe rendre à l'Egliſe à l'heure des Vêpres, auſquelles ils étoient obligez d'aſſiſter principalement ces jours-là. Dans l'Egliſe Romaine on celebroit ſouvent les divins myſteres dés le matin; & le Pere Thomaſo, ce ſçavant & pieux Theatin, promet de nous faire voir, que c'étoit là le tems le plus uſité anciennement pour le ſacrifice.

Mais quant il ſeroit vray que du tems de S. Benoiſt on ait dit la Meſſe aux jours de fêtes & de Dimanche à l'heure de Tierce, ſuivant la pratique des Moines d'Egypte au rapport de Caſſien, on ne ſçait pas combien duroit le ſacrifice. *Caſſ. Inſtit. lib. 3. c. 2.*
S. Caſſius, que l'on vient de citer, y employa ſix heures. *Qui oblaturus ad horam tertiam venerat, hoc pro extenſa orationis magnitudine ad horam nonam uſque protelavit.* Il eſt vray, qu'il paroît que c'étoit par une devotion particuliere : mais qui ſçait juſqu'où alloit celle de S. Benoît & de ſes premiers diſciples? *Gregor. hom. 37.*

Et puis l'heure de Tierce avoit de l'étenduë ſuivant le ſtile eccleſiaſtique, qui diviſe la journée en cinq eſpaces de tems, à ſçavoir, Prime, Tierce, Sexte, None & Vêpres. Chacun de ces eſpaces comprend trois heures. C'eſt celebrer la Meſſe à l'heure de Tierce, que de le faire dans les trois heures qui s'écoulent entre Tierce & Sexte. Qui eſt-ce donc qui nous oblige de dire que S. Benoiſt ait voulu, que l'on ait celebré la Meſſe preciſément à l'heure de Tierce? Ne peut-on pas dire au contraire que l'on prenoit ſon tems pour la dire un peu aprés Tierce, afin de la finir un peu avant l'heure de Sexte, qui étoit l'heure du dîner.

Car de dire qu'il reſtoit une heure entiere, ou même une heure & demie entre la fin de la Meſſe & de l'Office ſuivant juſqu' à Sexte, c'eſt ce qui n'a pas la moindre apparence. On preſume cela de nos pratiques d'aujour d'huy; & comme on n'employe ordinairement que deux heures au plus pour celebrer le ſaint Sacrifice & les deux Offices qui precedent & qui ſuivent; on conclud qu'en le commençant preciſément à l'heure de Tierce, on l'avoit achevé au moins une heure avant l'heure du dîner, qui étoit à Sexte.

Mais on ne prend pas garde qu'à ce comte, on ne diſoit pas Sexte à l'heure qui luy eſt deſtinée, puiſque ſuivant ce ſentiment, on chantoit Sexte immediatement aprés la Meſſe, c'eſt à-dire environ une heure & demie avant l'heure de Sexte.

Pour le faire court, il eſt certain, qu'au moins dans le neuviéme ſiecle, il y avoit fort peu de tems entre la fin de la Meſſe & l'heure du repas : de ſorte que les Religieux ne ſortoient point du chœur que pour aller au refectoir. C'eſt ce que nous apprenons des Capitulaires qui comprennent les anciens reglemens de l'Abbaïe de S. Gal. *Ut poſt omnes curſus, quando ad refectorium ire oportet, in eccleſia*

clesia illud signum, quod ad refectorium sonat, exspectent &c. Le sixiéme article des reglemens de Richenaw dit la même chose.

A l'égard de ce qu'on objecte, qu'il y avoit autant de danger pour la Communauté, qui avoit communié à la Messe, de cracher en chantant Sexte, comme au Lecteur en lisant : On a déja répondu qu'Hildemar nous assure que ce n'étoit pas la coûtume en ces tems là de dire Sexte aprés la Messe aux jours de Fêtes & de Dimanche. Mais quand on auroit chanté Sexte, il n'étoit pas si difficile de s'abstenir de cracher durant trois petits pseaumes, que pendant une lecture qui duroit prés d'une heure : sur tout si cette lecture se faisoit en chantant, comme il s'est pratiqué de tous tems dans l'Ordre, & qu'il se pratique encore aujourd'huy dans les Monasteres d'Italie & d'Allemagne, aussi bien que dans l'Ordre de Cisteaux.

Il paroît par tout ce qu'on vient de dire, que ces termes de la Regle, qui ordonne que le Lecteur recevra la benediction *post Missas & Communionem;* que ces termes, dis-je, se doivent prendre dans leur sens naturel, & non pas dans un sens figuré & impropre : & que si on ne donne aujourd'huy dans quelques Congregations cette benediction qu'aprés l'Office de Sexte, cela ne fait rien au sujet que nous traitons.

Que si au contraire on explique ces termes *post Missas & Communionem*, dans un autre sens, on tombe dans un plus grand embaras que celui qu'on a voulu éviter, veu qu'on est obligé d'admettre dans un même chapitre de la Regle, & à l'égard du Lecteur, deux sortes de *Communion*, sans parler de la sacramentelle. Car on explique ces mots au premier endroit *de la communion ou union des prieres, des prieres communes, qui précedent le dîner, c'est-à-dire de l'Office de Sexte :* & au second endroit qui suit un peu aprés, où S. Benoist permet au Lecteur de prendre un *mixtum propter communionem sanctam*, on a recours à l'union *sainte que le Lecteur conserve avec ses freres*, en prenant un peu de pain & de vin, *quoiqu'il ne mange pas avec eux.* Il est vray qu'on rapporte aussi en Note l'explication commune : mais il paroît assez par ce qu'on ajoute, & sur tout par l'Avertissement qui est au commencement du livre, qu'on s'arrête au premier sens qu'on vient de marquer. Voila donc deux communions pour le Lecteur au jour de Dimanche, outre la sacramentelle. Premiere Communion, c'est l'Office de Sexte. Seconde Communion, un morceau de pain & un verre de vin. Il est difficile de comprendre, comme on peut en venir dans ces sortes d'explications forcées, contre lesquelles le sens commun se recrie quand on y fait reflexion. C'est ainsi qu'en quittant le sentiment naturel d'un Auteur, on tombe bien souvent dans des embaras qu'on n'a pas prevûs : & on peut dire qu'il n'y a rien de plus naturel & de moins embarassant, que d'expliquer ces deux endroits de la sainte Communion.

C'est dans le même sens qu'on doit prendre le mot de *Communionem* dans le chapitre 63. de la Regle, ou S. Benoist ordonne que les Religieux garderont leur rang de profession, *ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum.* Et il est hors de toute apparence, que ce mot de *Communionem* ait été ajoûté au texte de la Regle, quoique par une faute d'Imprimeur ou de copiste il ait été omis dans la Concorde des Regles imprimée. Tous les manuscrits, tant anciens, que recens, conviennent en ce point avec celuy d'Oxford qui a mille ans, & celuy de S. Germain des Prez, qui en a plus de huit cens. Les Religieux de Richenaw le lisoient ainsi au commencement du neuviéme siecle, comme il se justifie par leur quatriéme Reglement, *sic accedant ad pacem, ad communionem.* Enfin il paroît certain, que S. Donat Archevêque de Bezançon a inseré les mêmes mots dans la compilation de sa Regle, qu'il a faite il y a plus de mil ans; & qu'au lieu de *sic*

ac-

accedant ad pacem, ad unionem, comme porte l'imprimé au chapitre 66. il faut lire comme cy-dessus : & partant que ce mot *ad communionem* n'a pas été ajoûté à la Regle. Le P. Menard n'auroit pas manqué de le remarquer, si ce mot avoit manqué dans son exemplaire. Mais comme il ne fait aucune mention de cette omission, cela fait voir que ce n'est qu'une faute d'imprimeur. En effet ces mots se trouvent dans un ancien exemplaire de la Concorde qui se garde en l'Abbaye de Lyre en Normandie; & ils se trouvent enfin dans le Code des Regles que Benoist d'Aniane a compilé luy-même : ce qui prouve qu'il ne les a pas omis dans sa Concorde.

Aprés ce que nous avons dit sur ces mots du chap. 35 *usque ad Missas sustineant*, il est inutile de montrer qu'ils se doivent entendre de la Messe, & non pas *jusqu' aprés le service*, comme on le pretend dans la nouvelle traduction. Le mot d'*usque* n'exclud point la Messe, mais au contraire il l'enferme, comme on l'a fait voir : & partant ce seroit mal traduire ce passage que de dire, *jusqu' à la Messe*.

Le sens que l'on donne à ces paroles du même chapitre, *ante unam horam refectionis*, n'est pas plus recevable. L'Auteur de l'Avertissement pretend qu'il les faut expliquer comme s'il y avoit, *ante ipsam horam refectionis*; & partant qu'il les faut traduire ainsi, *un peu avant l'heure du repas*, c'est à dire, *un peu avant midy*, pour les jours ouvriers. Mais il est indubitable que c'est contre l'intention de S. Benoist de les traduire de la sorte. Car ce Saint fait distinction en cet endroit entre les jours ouvriers & les jours de fêtes, en ce qu'il ordonne que les Semainiers de la cuisine prendront un peu de pain & de vin aux jours ouvriers *ante unam horam refectionis* : & pour ce qui est des fêtes, il veut qu'ils attendent plus tard, *usque ad Missas sustineant*. Le mot de *sustinere* signifiant en cet endroit, attendre avec patience. Or si l'on prend le premier endroit *ante unam horam refectionis*, comme s'il y avoit *ante ipsam horam*; on fera dire à S. Benoist tout le contraire de ce qu'il pretend. Cela est bien visible, dautant que le service finissant, suivant le conte de cet Auteur, una heure ou une heure & demie avant le tems du repas aux jours de fêtes & de Dimanche, les Semainiers à ce conte pouvoient manger un morceau & boire un coup ces jours-là une heure au moins avant le repas, puisqu'ils pouvoient le faire aussi-tôt aprés le service, *usque ad Missas*. Au lieu qu'aux jours ouvriers ils ne le pouvoient faire que precisement avant le repas des freres, *ante ipsam horam refectionis*. Ce qui est directement contre l'intention de S. Benoist, qui veut que ces serviteurs different plus tard aux jours de fêtes, qu'aux jours ouvriers : *diebus vero solemnibus usque ad Missas sustineant*. C'est-à-dire, en un mot qu'ils pouvoient prendre ce soulagement que la Regle leur accorde, avant l'Office aux jours ouvriers : mais aux jours de Fêtes & de Dimanches qu'ils étoient obligez d'attendre jusqu'aprés la Messe, *usque ad Missas sustineant*.

C'est ainsi que l'ont entendu les anciens Auteurs qui ont fait des Commentaires sur la Regle : c'est ainsi que le pratiquoient au commencement du neuviéme siecle les Religieux de Richenaw. Témoin le neuviéme article de leurs Reglemens, où l'on fait une distinction entre les serviteurs de la cuisine & le Lecteur, en ce que les serviteurs mangeoient un peu de pain & buvoient un verre de vin pendant que les freres faisoient leur lecture du matin, qui duroit pendant deux heures avant Sexte en esté : & que le Lecteur devoit attendre jusqu' aprés l'Office de Sexte, *post Sextam*.

Aprés que l'Auteur de l'Avertissement s'est declaré en tant d'endroits pour expliquer le mot de *Missa* par tout où il se trouve dans la Regle, dans un sens figuré, il ne faut pas s'étonner qu'il se suive luymême en le traduisant de la même maniere au chapitre 60. où S. Benoist parlant des Prétres qui se font Religieux, leur

leur accorde trois choses : *Concedatur tamen ei post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere.* Voicy comme il traduit ce texte. *On luy permettra toutefois de tenir la premiere place aprés l'Abbé, de donner les benedictions, & de presider au chœur.* Il n'y a pas de difficulté pour les deux premiers chefs : mais le sens que l'on donne au troisiéme est tout-à-fait insoutenable.

Il est certain que le *Missas tenere* est une façon de parler qui est usitée parmy les Auteurs contemporains de S. Benoist, pour signifier ou la celebration des divins mysteres, ou l'assistance au saint Sacrifice de la Messe. Le Concile d'Agde tenu l'an 506. distingue le *Missas facere* de *Missas tenere* au canon 21. *Clerici vero si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in oratoriis, nisi jubente aut permittente episcopo, Missas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.* Où l'on voit que *Missas facere* est pris pour celebrer *les divins mysteres*, comme le Concile d'Auvergne l'explique au canon 14. dans le même sujet : & que *Missas tenere* veut autant dire qu'y assister. Ce qui se confirme par les paroles precedentes du même canon du Concile d'Agde, & encore par le 47. dans lequel on ordonne aux seculiers d'entendre la Messe entiere aux jours de Dimanche en ces termes : *Missas die Dominico sæcularibus totas tenere speciali ordine præcipimus.* Où l'on voit que *Missas tenere* signifie assister à la Messe : comme aussi au Concile premier de Brague canon 16. Gregoire de Tours en plus d'un endroit se sert de la même façon de parler pour signifier l'assistance à la Messe, comme au livre 6. de son Histoire chap. 40.

De tout cecy on peut raisonnablement douter, si S. Benoist a voulu permettre par ces termes aux Prêtres qui sont reçus dans le Monastere de celebrer la Messe, ou d'y assister aprés l'Abbé. Hildemar les a entendus dans le premier sens : mais il semble que le second sens n'est pas moins naturel, & que l'on doit sous-entendre dans tous ces trois chefs *post Abbatem*, c'est-à dire, qu'il est permis à ces Prêtres d'avoir place aprés l'Abbé de benir, & d'assister à la Messe aprés luy. Ce qui n'empêche pas qu'il ne leur ait permis d'ailleurs de celebrer le saint Sacrifice. Mais quoy qu'il en soit, il est assuré que le mot de *Missa* n'est nullement equivoque dans tous ces endroits où on lit *Missas tenere*, & qu'il se prend par tout pour la Messe. C'est donc sans aucun fondement qu'on le veut traduire dans un autre sens, & on ne croit pas que l'on puisse montrer, comme pretend l'Auteur de la traduction, par un seul exemple de toute l'antiquité, „ que cette expression „ *Missas tenere* signifie *tres souvent* dans le stile ecclesiastique, *presider à l'Office* ou *tenir le chœur*.

En voila assez ce me semble pour faire voir que c'est sans fondement qu'on a detourné en plusieurs endroits ces mots de *Missa* & de *Communio* dont se sert S. Benoist, dans un sens tout-à-fait opposé au sien. Au reste on trouve dans l'Appendice du premier Ordre Romain les mêmes mots *post Missas & Communionem*, pour exprimer le saint Sacrifice de la Messe & la Communion eucaristique, comme on soûtient qu'ils doivent s'entendre dans la Regle de S. Benoist.

Mus. Ital. to. 2. pag. 31. n. 3.

Mais quoy qu'on puisse encore marquer quelques endroits, où la nouvelle traduction ne s'accorde pas entierement avec le texte de la Regle, on s'arrêtera seulement un peu à la derniere Note, que cet Auteur a faite sur le dernier chapitre de la Regle.

S. Benoist dans ce dernier chapitre, par un effet de sa modestie, avoüe que sa Regle n'est *qu'un commencement d'une conduite religieuse*, INITIUM *aliquod conversationis, minimam inchoationis regulam.* Nôtre Traducteur dans la Note qu'il a mise à ces derniers mots, dit que ce n'est *qu'un commencement de la vie monastique & chrêtienne*, „ en la comparant aux Regles anciennes, que S. Benoist a extre„ mement adoucies, reduisant la sienne à l'égard des veilles de la nuit, de la

„ nour-

„ nourriture, des jeûnes, des habits, & de presque toutes les autres pratiques, „ aux mœurs & à la discipline des premiers Chrétiens, *& même des Chrétiens de* „ *son tems.*

J'avoüe que je ne comprens pas bien le sens de cette Note. Car si la Regle n'est qu'*un commencement de la vie monastique*, c'est à dire, *Chrétienne*, comme l'Auteur l'explique par sa Note marginale : comment se peut-il faire que S. Benoist ait *reduit les Regles anciennes aux mœurs & à la discipline des premiers Chrétiens, & même des Chrétiens de son tems?* Si cela est, sa Regle est donc une copie exacte de ces mœurs & de cette discipline; elle les imite parfaitement : Elle n'en est donc pas seulement un crayon, une ébauche, *un commencement*.

Mais quoique ce soit un assez grand avantage à la Regle d'exprimer la vie des premiers Chrêtiens, sur quoy neanmoins il y auroit beaucoup de choses à dire; dans quelle Histoire a t'on lû, que *les mœurs & la discipline des Chrétiens*, qui vivoient du tems de S. Benoist, ayent été le modele de la vie de ses disciples; & que le Saint ait reduit sa Regle *à l'égard des veilles de la nuit, de la nourriture, des jeûnes, des habits, & de presque toutes les autres pratiques aux mœurs des Chrêtiens de son tems?* Certainement si cela est, S. Benoist pouvoit se passer de composer une Regle, de bâtir des Monasteres, d'engager ses Religieux par la profession à la pratique de cette Regle, & de les empêcher de retourner dans le siecle; puisqu'on y vivoit d'une maniere aussi parfaite que dans ses Monasteres.

C'est à dire, à ce compte, que les Chrêtiens de ce tems là se levoient toutes les nuits pour chanter les loüanges de Dieu : que leur nourriture étoit tres frugale & toûjours maigre, & que leur boisson ne consistoit qu'en une petite portion de vin : qu'ils s'abstenoient toute leur vie de l'usage de la viande: qu'ils jeûnoient neuf mois de l'année ; & que par dessus tout cela ils n'avoient point d'autres habits qu'une tunique, un froc, & un scapulaire d'une tres-vile étoffe.

On pourroit encore ajoûter que les Chrêtiens de ce tems là vivoient tous en commun, qu'ils ne possedoient rien en propre, pour ne rien dire des autres pratiques de la Regle, s'il est vray que S. Benoist ait reduit les Regles anciennes à l'égard *de presque toutes les autres pratiques aux mœurs des Chrétiens de son tems.*

Mais comme tout cela est un peu difficile à croire, on attend que l'Auteur appuye ce qu'il avance par de bonnes autorités, tirées des Auteurs du tems: & cependant nous demeurerons toûjours dans la creance que la Regle de S. Benoist est une Regle de Moines, & non pas de simples Chrêtiens. Que bien loin que l'on vécût du tems de S. Benoist de la maniere que l'Auteur pretend, la plûpart des Chrêtiens vivoient dans un grand dereglement. Que l'habit que S. Benoist accorde à ses disciples, étoit tout autre que celuy des gens du siecle. Que du tems même de S. Basile *l'habit ordinaire des Chrétiens* étoit a proportion aussi different de celuy des Moines, que celuy *d'un Senateur d'avec celuy d'un Soldat*. Que l'habit monastique que S. Benoist reçût des mains de saint Romain, est appellé par S. Gregoire l'habit de la sainte Religion, *sanctæ conversationis habitum*. Que c'est pour cela que S. Gregoire le Grand ne vouloit pas que l'on souffrit certains Moines, qui dementoient par leurs mœurs la sainteté dont ils faisoient profession exterieurement par leur habit. *Nec patiamini in locis vestris eos qui non gerunt in moribus, quod prætendunt in habitu &c.* Que la discipline qui répondoit à cette profession étoit aussi differente que l'habit : c'est pourquoy ce même Saint l'appelle la discipline de l'habit, *disciplina habitus* : & en un autre endroit il distingue manifestement l'habit monastique d'avec l'habit seculier, *sæculari habitu*. Qué c'est dans la même pensée que S. Benoist a dit, que les Moines qui menoient une vie indigne de leur profession, & de la consecration qu'ils avoient faite d'eux-même

Basil. Reg. fus. cap. 22.
Gregor. lib. 3. epist. 22.
id lib. 1. ep. 39
id lib. 2. ind. 11. epist. 62.
S. Ben. Reg. cap. 1.

même à Dieu, en recevant la tonsure monastique, en imposoient à tout le monde & à Dieu même : *Mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Qu'en un mot les pratiques des premiers disciples de S. Benoist étoient aussi differentes de celles des Chrêtiens qui vivoient de son tems, que la vie des Religieux de la Trappe est aujourd'hui differente des mœurs des Chrêtiens de nôtre tems : & que si S. Benoist appelle sa Regle une ébauche & un commencement de la vie des anciens Moines ; „ c'est un effet de son humilité profonde, comme dit un pieux & illustre Abbé. „ Il vient de nous prescrire une Regle toute remplie des verités & des instructions les plus pures & les plus saintes. Elle contient les maximes les plus élevées que l'Evangile nous enseigne. Cependant cet homme de Dieu appelle cet ouvrage d'une sainteté consommée, *le commencement d'une vie honnête & religieuse.* C'est que Dieu jette des voiles sur les yeux de ses serviteurs, lorsqu'il est question de juger ou de leur propre vertu, ou de leurs œuvres ; & quoi-qu'ils fassent ou qu'ils disent, ils regardent comme peu de chose tout ce qu'il fait par leur ministere. C'est que S. Benoist regardoit les anciens, qui l'avoient precedé, comme ses Peres & ses Maîtres, ausquels il se croyoit de beaucoup inferieur. C'est enfin qu'il avoit en vûë quelques adoucissemens qu'il avoit apportez aux Regles anciennes, dans la nourriture, dans les jeûnes, dans les vetémens, dans l'usage du vin : & qu'il ne vouloit pas s'appercevoir de ce renoncement apostolique, dont il recommande la pratique à ses disciples ; de cette humilité sans bornes, de cette obeïssance sans discernement & sans limites ; de cette meditation perpetuelle des jugemens de Dieu, de cette privation de tout plaisir, de cet assujettissement entier, qui ne laisse pas le moindre pouvoir sur les actions des sens, non plus que sur celles de l'esprit : enfin de l'obligation qu'il leur impose de s'élever sans cesse, de s'approcher & de s'unir à Dieu par une charité consommée &c. C'est cet état angelique, ce retracement si exact & si fidele de la vie que Jesus Christ a menée sur la terre, que ce grand Saint appelle *le commencement d'une vie honnête.* „

Explicat. de la Regle de S. Benoist. c. 73.

Voila ce que nous croïons devoir penser avec cet illustre Abbé de la Regle de S. Benoit, en attendant que l'Auteur nous ait justifié la nouvelle idée qu'il nous en a voulu donner.

FIN.

APPROBATION.

J'Ay veu un manuscrit qui porte pour titre, *Traité où l'on refute la nouvelle explication, que quelques Auteurs donnent aux mots de* MESSE *& de* COMMUNION, *qui se trouvent dans la Regle de S. Benoist.* En Sorbonne ce 19. Juillet 1689.

PIROT.

PERMISSION.

VEu l'Approbation permis d'imprimer. Fait ce 22. Juillet 1689.

DE LA REYNIE.

LETTRE
DE DOM JEAN MABILLON
A UN DE SES AMIS,

Touchant le premier inſtitut de l'Abbaye de Remiremont.

A PARIS, MDCLXXXVII.

LETTRE DE DOM JEAN MABILLON A UN DE SES AMIS,

Touchant le premier institut de l'Abbaye de Remiremont.



'APPRENS, Monsieur, par la lettre que vous m'avez fait l'honneur de m'écrire, que l'on me cite mal-à-propos dans des écrits que l'on répand dans le public; je veux dire dans un *Factum*, que les Dames de Remiremont on produit au Procés qu'elles ont contre Madame leur Abbesse. On y avance que l'on n'a jamais fait profession de la vie Monastique dans cette Abbaye : & entr'autres preuves qu'on allegue, on dit que je n'ay jamais osé assurer qu'elle ait été de l'Ordre de S. Benoist; & que je dis au contraire au livre *de re Diplomatica*, que dés le neuviéme Siécle les Chanoinesses Seculiéres y étoient établies. Je ne suis pas surpris, Monsieur, que l'on n'ait pas lû les autres ouvrages, dans lesquels je me suis declaré positivement sur ce sujet : mais il est assez étrange, que l'endroit même de la Diplomatique que l'on cite contre moy, porte expressément le contraire de ce que l'on prétend. Voicy les termes de la Diplomatique. *Porro Romaricenæ Sanctimoniales, quæ pridem Monasticis Sancti Benedicti regulis erant addictæ, postmodùm in sæculares Canonicas, nullis constrictas votis ceù repagulis, evaserunt.* Peut-on s'expliquer d'une maniere plus claire pour dire que les Religieuses de Remiremont, aprés avoir été autrefois assujetties aux loix monastiques de la Régle de Saint Benoist, avoient abandonné dans la suite des tems l'engagement des vœux pour se faire Chanoinesses Seculiéres. Mais ce qui n'a été proposé qu'en passant dans la Diplomatique, se trouve fortifié par des preuves certaines dans les Observations que j'ay faites sur la vie de saint Romaric, dans le second siécle des vies des Saints de nostre Ordre. De sorte qu'il me suffiroit d'avoir indiqué ces endroits, pour me justifier de ce que l'on m'a imposé dans ce *Factum*, que je n'avois osé assurer que l'Abbaye de Remiremont ait été autrefois de l'Ordre de S. Benoist. *Page 321.*

Mais comme ces endroits que j'ay indiquez ne vous étoient pas inconnus, puisque vous les avez apportez à mon insçû pour ma défense; il est juste, Monsieur, que je n'en demeure pas là, & que je retouche encore une fois cette matiére, faisant voir, 1. que l'Abbaye de Remiremont n'a pas été fondée d'abord pour des Chanoinesses, mais pour des Religieuses : 2. que la Régle de Saint Benoist y a été gardée de temps immemorial : & 3. que ce n'a été que bien long tems aprés la fondation de cette Abbaye, que les Religieuses de ce lieu ont été changées en Chanoinesses Seculiéres. Ce sont les trois choses que je prétens prouver dans cette Lettre, afin de satisfaire à ce qui est de mon devoir.

I.

Il est constant par la vie de saint Eustaise second Abbé de Luxeu, écrite par Jonas auteur contemporain, que l'Abbaye de Remiremont a été fondée du temps de cét Abbé par saint Romaric assisté de saint Amé, qui étoient tous deux Religieux de Luxeu. On rapporte communément cette fondation à l'année 620. & cette époque est assez juste, puisqu'Eustaise, du vivant duquel cette fondation a *Sæc. 2. Bened. Pag. 121. nu. 13.*

été faite, est mort *l'an 625.* aprés avoir gouverné l'Abbaye de Luxeu pendant l'espace de dix années. Nous lisons dans la premiére vie de saint Romaric composée incontinent aprés sa mort, que l'Abbaye de Remiremont fut batie premiérement sur une montagne dans un lieu desert & inhabité; *in eremo* : & nous sçavons d'ailleurs qu'il n'y avoit qu'un reste d'un vieux Chasteau, qui s'appelloit *Habundi castrum* : & que ce n'a été que bien longs-tems aprés la fondation, que l'Abbaye ayant été ruinée par les Hongrois, elle fut rétablie dans la plaine au de-ça de la Moselle, où elle est à present située aussi bien que la ville de Remiremont. Il paroît de plus par cette ancienne vie de saint Romaric, que cette Abbaye n'étoit pas fort bien dotée dans son commencement. Ce ne fut que dans la suitte qu'elle s'enrichit par la pieté des fideles, qui firent de grandes donations à ce lieu en consideration de la vertu de saint Romaric & de S. Amé, aussi bien que des saintes Vierges qui fleurirent d'abord en cette maison. On n'aura point de peine à croire que les biens de cette maison ayent été assez modiques au commencement. Car saint Romaric qui en est le fondateur, en se faisant Religieux à Luxeu, ne s'étoit reservé de tous les grands biens qu'il possedoit dans le monde, qu'une seule terre, *unam tantummodò villam*, pour la convertir dans un usage de pieté tel que celuy qu'il en fit dans la suitte en fondant cette Abbaye, *ad bonum opus profuturum*. On n'estimoit pas pour lors que ces sortes de reserves fussent contraires au vœu de pauvreté, d'autant qu'elles n'étoient pas au profit des particuliers qui les faisoient, mais pour de pieux usages qui étoient agréez de leurs Superieurs.

Ibid. p. 417. num. 5.

Ibidem.

Pour ce qui est des personnes que saint Romaric établit à Remiremont, il y avoit une double communauté, l'une de moines, l'autre de filles. Celles-ci sont appellées dans les anciens monumens de ce tems-là *Sanctimoniales, Sanctæ Virgines, Congregatio Sanctarum Virginum, Puellæ, Sorores.* Et enfin il est porté dans la vie de saint Amé qui fut le maistre de saint Romaric & son compagnon dans cette fondation, que c'estoit un Monastere de Vierges *d'une Sainteté eminente* & qui faisoient profession *d'une Souveraine perfection, sub magna sanctitate atque summa perfectionis intentione monasterium puellarum condunt.*

Sæc. 2. pag. 132. num. 13.

De tout ce que je viens de dire il n'y a rien qui ne donne l'idée, que ces Saintes filles qui furent premiérement établies à Remiremont, n'ayent été veritablement Religieuses. Leur fondateur est saint Romaric accompagné de saint Amé qui étoient tous deux Religieux. Elles avoient pour retraite une solitude & un desert. Leur pauvreté étoit grande au commencement, & enfin elles faisoient profession d'une perfection consommée. Tout cela ne convient guéres bien à un établissement de Chanoisses purement seculiéres.

Mais il y a plus : c'est qu'il n'y avoit pour lors dans toutes les Gaules aucune maison de ces sortes de Chanoinesses : & il est constant, comme nous ferons voir dans la suitte, que ce ne fut que plus de 180. ans aprés qu'elles commencerent à y paroistre, c'est à dire environ le tems de Charlemagne. Cela étant supposé, il est evident que c'étoit des Religieuses qui étoient engagées par des vœux monastiques, que saint Romaric établit d'abord à Remiremont.

Enfin ce qui est décisif en cette matiére, c'est que nous apprenons de Jonas auteur de ce tems-là, que saint Romaric fit garder dans Remiremont la même Régle qui s'observoit à Luxeu, sçavoir la Régle de saint Colomban. Voicy les termes de cet Auteur. *Romaricus ad Luxovium veniens, monasticæ institutioni se subdidit. Quo diu sub regulari tenore vitam agente, postea Eustasio annuente puellarum monasterium in propria exstruxit possessione : in quo & regulam beati Columbani custodiendam indidit.* Ce témoignage est si clair & si précis, qu'il n'a pas besoin de commentaire. Romaric aprés avoir fait profession à Luxeu, & y avoir vécu assez longtems,

Jonas in vita Eustasii sæc. 2. pag. 121. num. 13.

tems, bâtit avec la permission de son Abbé, *Eustasio annuente*, un monastere de Vierges dans un fond qu'il s'étoit reservé, & y fit garder la Regle de saint Colomban, Regle qui auroit été assurément trop austere pour des Chanoinesses seculiéres.

Mais voyons un peu quels étoient pour lors les exercices des saintes filles dans cette maison. Premiérement on y établit une psalmodie continuelle, qui duroit jour & nuit sans aucune interruption, toutes ces filles étant divisées en sept bandes, dont chacune étoit composée de douze filles, & qui se succedoient les unes aux autres, comme il est expressément porté par la vie de saint Amé écritte en ce temps là. *Multis virginibus psallentium per septem turmas, in unaquaque turma duodenis psallentibus, instituit.* Ibid. p. 111. num. 20.

En second lieu ces saintes filles vivoient dans une observance & une soumission si exacte, qu'une d'elles ayant mangé une pomme sans la permission de la Superieure, elle en fut punie d'une maniére visible. *Puella sanctimonialis in eodem cœnobio absque licentia superioris pomum edendum præsumpsit. Sed mox diabolus ingressus* &c. On auroit bien de la peine à faire voir une telle dependance & une telle regularité dans des Chanoinesses seculiéres: qu'elles n'osassent manger non pas même une pomme sans la permission de leur Abbesse. Ibid. p. 112. num. 17.

Nous avons encore dans la vie de saint Romaric une belle preuve de l'exactitude avec laquelle on gardoit la discipline réguliére à Remiremont dans son origine. Une sainte Vierge, *puella sanctimonialis*, avoit commis une faute contre la Régle, *contra Regulam aliquid gessit*. Cette faute demeura cachée pendant la vie du saint Abbé : mais ayant été découverte aprés sa mort, cette fille en fit une penitence de quarante jours, *pœnitentiæ terminum quadraginta dierum*. Je ne sçay si on pourroit aisément persuader à des Chanoinesses seculiéres de faire une si longue penitence pour une faute qui seroit commise contre la Loy de Dieu; & une penitence de quarante jours pour une faute purement réguliére ne peut assurément convenir qu'à des Religieuses qui vivent dans une tres-étroite observance. Ibid. p. 420. num. 15.

Pour achever cet article, il nous reste à voir quel étoit l'habit des Vierges que saint Romaric établit à Remiremont. Il paroît par les anciennes statuës & figures qui sont encore à l'entrée de l'Eglise, qu'elles portoient le même habit que les Religieuses de Saint Benoist. Il est d'ailleurs constant, que de toute antiquité les filles de Remiremont étoient voilées : & on sçait assez que le voile ne s'accorde qu'à celles qui ont fait vœu de Virginité.

Que les filles de Remiremont ayent porté le voile, nous en avons une preuve dans la vie de saint Deicole Abbé de Lure. Car on lit dans cette vie, que Vualdrade concubine du Roy Lothaire, aprés la mort funeste de ce Prince, fit mine de se vouloir convertir à Dieu, plûtôt pour éviter la vengeance de la Reine Teutberge, que par un sentiment & un regret qu'elle eût de ses desordres. Elle crût se mettre à couvert de la peine qu'elle meritoit, en se retirant dans Remiremont, *Monasterium sancti Romarici*, non pas comme une véritable repentie, mais comme une hypocrite, *hypocrita intravit*. Mais aprés y avoir demeuré quelque temps plûtôt de corps & *de voile* que de cœur & d'esprit, *velo potius quàm mente*, elle en sortit enfin par une desertion criminelle, pour se remettre en possession de l'Abbaye de Lure que Lothaire luy avoit donnée; *post tergum respiciens doluit locum sancti Deicoli sibi penitus auferri*. Si Vualdrade ne s'étoit mise & engagée dans Remiremont qu'en qualité de Chanoinesse séculiére, elle n'auroit point passé pour une désertrice en quitant ce saint lieu : & il est sans doute qu'elle n'auroit pas porté le voile; qui ne convient, comme on a déja dit, qu'à des Vierges qui sont consacrées à Dieu par le vœu de chasteté. Ibid. p. 115.

Enfin

Enfin on garde encore aujourd'huy dans cette Abbaye un reste de l'habit de Religieuses, en ce que la barbette (c'est ainsi que les Dames de Remiremont appellent ce linge, qui est pendant au coû des Religieuses) leur est donné à leur reception, & qu'elles le portent toutes les fois qu'elles officient, & qu'elles reçoivent la sainte Communion; & elles sont même enterrées avec ce linge; comme si elles n'osoient s'approcher de Dieu qu'avec un reste de cét habit qu'elles ont porté autrefois si saintement.

Il me semble, Monsieur, que j'ay assez bien prouvé, que l'Abbaye de Remiremont a été bâtie dés son origine pour de veritables Religieuses, & non pour des Chanoinesses séculiéres; il faut maintenant montrer que ces Religieuses ont été de tems immemorial de l'Ordre de saint Benoist.

II.

Il ne feroit pas bien difficile de prouver cette seconde partie, si on avoit tous les titres primordiaux de cette Abbaye. Mais peut-être que la pluspart ont été dissipez, & qu'il ne reste que ceux des derniers tems. Néanmoins ceux que j'ay vûs sont plus que suffisans pour mettre en évidence ce que je prétens ici. Car non seulement les Bulles des Papes, & les Chartes des Empereurs, mais aussi les actes particuliers des Chanoinesses de Remiremont, & même les Livres d'Eglise, qui sont des preuves hors de toute suspicion, rendent un témoignage de cette vérité.

Auparavant que de rapporter ces preuves; il faut supposer que saint Colomban, dont nous avons dit que la Régle avoit été établie d'abord à Remiremont, n'a point fondé un Ordre different de celuy de saint Benoist. Les Régles ne faisoient pas pour lors la difference des Ordres; puisqu'on en observoit communément plusieurs dans un même monastére. Comme j'ay étably ceci ailleurs par des preuves qui me paroissent démonstratives, il n'est pas nécéssaire de les rapporter ici. Je remarqueray seulement qu'en supposant même que la Régle de saint Colomban ait été gardée séparément de la Régle de saint Benoist au commencement dans Luxeu & dans quelques autres Monastéres fondez par ce Saint; il est certain que peu de tems aprés la Régle de saint Benoist a été adoptée par les disciples de saint Colomban. Et pour ne nous pas trop éloigner de nôtre sujet, saint Donat Evêque de Bezançon, qui avoit été auparavant Religieux de Luxeu sous saint
Ibid. p. 535. Colomban, composa une Régle pour les Religieuses de Jussane, laquelle n'étoit qu'un tissu des Régles de saint Cesaire Evêque d'Arles, de saint Benoist & de saint Colomban. De plus il fonda luy même un monastére appellé *Palatium*, pour des hommes sous les Régles de ces deux derniers Saints. Ce fut une pratique universellement reçûe dans le septiéme siécle d'unir ces deux Régles ensemble; & si la Régle de saint Benoist n'a pas été établie d'abord à Remiremont; elle y a été reçûe au moins dans ce même temps, c'est à dire vers l'an 640.

On pourroit produire ici la charte de la fondation de Remiremont telle qu'
Histoire de Metz p. 47. elle est imprimée sous le nom de Romaric dans l'histoire des Evesques de Mets composée par Meurisse, & avant luy chez Roziéres. Mais comme cette piéce est gâtée en plusieurs endroits, ou tout à fait supposée, je ne veux pas m'en servir, afin de ne m'arrester qu'à des preuves qui sont hors de toute sorte d'atteinte. On en peut néanmoins tirer une reflexion, qui ne sera pas inutile à nôtre sujet, qui est que ceux qui ont fabriqué ou interpolé cette piéce, étoient dans le sentiment que Remiremont avoit été dés son origine de l'Ordre de saint Benoist: vû qu'on y fait dire à Romaric qu'il a bâti ce monastére sur une montagne affreuse & couverte d'un bois épais, *in monte silvestri satis & horrido*, (ce qui confirme l'idée de la premiere situation, que nous en avons donnée cy-dessus,) qu'il a bâti, dis-je, en ce lieu un monastére de Religieuses de l'Ordre de saint Benoist: *Construxi ibi mo-*

monasterium Monialium Ordinis Benedicti. C'étoit donc le sentiment de ce temps-là, auquel cette piéce a été contre faite, que l'Abbaye de Remiremont avoit été dès son commencement de l'Ordre de saint Benoist.

Roziéres avoit vû cette piéce avant que les Peres de saint Vanne fussent établis au saint Mont : Ce que je remarque exprés afin qu'on ne les accuse pas de l'avoir fabriquée. C'est sur cette piéce que l'on a marqué pour premiére Abbesse de Remiremont Gertrude fille de Romaric : quoy qu'il soit constant par un auteur contemporain qui a écrit les vies de saint Amé, de saint Romaric, & de saint Adelphe, que Macteflede en a été la premiere Abbesse, Cecile la seconde, à laquelle est dediée la premiére vie de saint Romaric, & enfin la troisiéme Gebetrude, autrement ditte Tetta, comme il paroît par la vie de saint Adelphe, où elle est appellée Sainte, mais non pas fille de Romaric, qui ne paroît pas avoir été marié. Au moins dans la disposition qu'il fit de ses biens avant que de se retirer à Luxeu, il donna tout aux pauvres, en se reservant seulement une terre, comme nous avons dit, pour s'en servir dans quelque occasion, qui seroit importante pour la gloire de Dieu, & l'avantage du prochain. Il n'est rien dit de ses enfans, quoy qu'il y soit parlé expressément de ses serviteurs, qu'il eut pour compagnons de sa conversion.

Sec.2.p.133. num.18. *Ibid. p.416. num.1.* *Ibid. p.613. num.7.* *Ibid. p.417. num.4.*

On produit encore une autre piéce de Jean Pape quatriéme du nom, de laquelle il est fait mention dans la seconde vie de saint Romaric, qui a été composée il y a plus de 500. ans, & que nous avons manuscritte. On en peut voir des fragmens dans nôtre second Siécle, page 418. où j'ay rapporté ces mots : *Hujus autem dispositionis summam gloriosus Apostolicæ sedis Papa Iohannes sub privilegii testamento, petitione beatorum virorum, Amati scilicet & Romarici, venerandis faventibus Augustis, propria manu & sigilli impressione signavit*. Par où il paroît qu'au temps que cette seconde vie de saint Romaric a été composée, on avoit pour lors entre les mains un privilege du Pape Jean accordé à la sollicitation de saint Romaric & de saint Amé.

Les Vicaires Apostoliques qui furent députez par le Pape Paul V. en 1613. pour régler les differens de Remiremont, font mention de cette Bulle dans la lettre qu'ils écrivent au Pape pour luy rendre compte de leur commission. Voici comme ils en parlent : *Prostat autem authenticum Epistolæ ad Galliæ Episcopos Iohannis Papæ IV. qui circa annum 643. vixit, qua declarat, petente Romarico Abbate ac fundatore, & instante Rege Clotario, ejus certe nominis secundo, susceptam à se sub Apostolicæ sedis protectionem & immediatam subjectionem prædictum monasterium* &c. Ce qui revient fort bien à la Bulle de Jean IV. telle que nous l'avons aujourd'huy. Cette Bulle est asseurément ancienne, quoy qu'elle ne soit pas tout à fait autentique, n'y ayant point de datte, ni de souscription.

On s'inscrit en faux contre cette piéce, d'autant qu'il y est énoncé que ce privilege a été accordé par le Pape Jean IV. à la recommandation du Roy Clotaire mort dés l'an 628. plus de dix ans avant le Pontificat de Jean IV. On pourroit peut-être répondre que le copiste a lû *Clotarius* au lieu de *Chlodoveus* ou *Chlotovius*, comme les anciens écrivoient autrefois. Et en ce cas il n'y auroit rien dans cette Bulle qui ne fust tres-soûtenable : puisque Clovis second commença à regner l'an 638. comme j'ay fait voir ailleurs : & j'ay rapporté à la fin du cinquiéme tome de nos Actes un privilege tout semblable de ce Jean IV. accordé à la priére de Clovis second à un monastere dedié à Nostre-Dame, à sainte Colombe, & à sainte Agathe. Dans celuy de Remiremont il y est dit que les saintes Vierges, *Sanctimoniales*, seront tenuës de vivre *secundum Regulas Patrum*, c'est à dire selon les Régles de saint Benoist & de saint Colomban, comme j'ay fait voir ailleurs. Je n'ay rappor-

porté ceci en passant que pour éclaircir ces deux points de l'histoire de Remiremont, & non pas pour me servir de ces sortes de piéces pour prouver que la Régle de saint Benoist a été observée de tems immemorial à Remiremont.

Venons donc a des preuves plus autentiques & plus certaines, & commençons par la plus ancienne qui nous reste. C'est une Bulle de Luce II. en datte de l'année 1143. dont l'original se conserve dans l'Archive de Remiremont. Cette Bulle est addressée a l'Abbesse Judith & aux Sœurs tant presentes qu'à venir, *faisant profession d'une vie regulière. Dilectis in Christo filiabus Judith Abbatissæ Romaricensis monasterii, ejusve sororibus, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis*, Si les Dames de Remiremont avoient été pour lors Chanoinesses, le Pape se seroit sans doute servy de ces termes, *Canonicam vitam professis*, & non pas de celuy de *regularem*. Cette Bulle est une confirmation des biens & des Privileges de cette Abbaye : & le Pape ordonne, conformement aux anciens privileges d'exemtion, que nul Evéque ne puisse y celebrer de Messes publiques, de peur que la retraitte des Religieuses, *Monialium*, n'en soit troublée. Ce terme de *Monialium* est remarquable, & il faut rapporter la clause un peu plus au long, afin que l'on y fasse toute l'attention que la chose mérite. *Ut autem in Monialium recessibus populari conventui accessus non pateat, ab aliquo Episcopo Missas publicas inibi celebrari; aut rerum ejusdem loci dispositionem fieri prohibemus, nisi* &c. Enfin ce qui est décisif dans nôtre sujet, le Pape ordonne que l'Abbesse venant à mourir, la Communauté en fasse election d'une autre suivant la crainte de Dieu & la Regle de saint Benoist, *secundùm Dei timorem et beati Benedicti Regulam*.

Le Pape Adrien IV. dans une Bulle de l'an 1157. se sert aussi du terme de *Monialium*, & de la même clause pour l'election de l'Abbesse, *secundùm Regulam sancti Benedicti*. Cette Bulle se trouve vidimée il y a plus de cent ans par des Notaires Apostoliques, à la requeste des Chanoines de Remiremont : qui n'avoient pas interest que la clause qui regarde la Regle de saint Benoist fut inserée dans cette copie autentique, non plus que le nom de *Monialium*.

Les Empereurs reconnoissent aussi que Remiremont étoit de l'Ordre de saint Benoist. Sigismond le dit formellement dans une charte de l'an 1415. par laquelle charte il confere les droits de Regale *Regalia*, à la priére de *Venerabilis Henrietæ de Amonturia Abbatissæ monasterii sancti Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti*.

Non seulement les Papes & les Empereurs, mais les Dames mêmes de Remiremont avoient coûtume de se qualifier de l'Ordre de saint Benoist. L'an 1286. l'Abbaye étant vacante, la Doyenne & les autres Dames voulant établir un thresor commun, elles parlent en cette maniére. *Nos Alaydis dicta de Mareyo Decana, totusque conventus monasterii Romaricensis Ordinis sancti Benedicti*. Dans un autre acte passé l'année suivante, elles se servent des mêmes termes : *Nos Simoneta Decana, totusque conventus monasterii Romaricensis sancti Benedicti Ord.... hæc omnia promisimus pro nobis & successoribus nostris sub Religione nostra*. Il est à remarquer que ce n'est pas l'Abbesse qui parle, mais la Doyenne & le Convent, lesquelles témoignent qu'elles sont de l'Ordre de saint Benoist : De plus elles ne se disent pas séculiéres : ce qui fait voir qu'elles faisoient encore toutes des vœux. D'où vient qu'elles promettent sous la foy de leur Religion, c'est à dire de leurs vœux, *sub Religione nostra* de garder inviolablement le traité qu'elles faisoient par cet acte.

On voit une infinité d'actés particuliers du quinzième siécle qui font mention de ce vœu de Religion. Lorsque ces Dames donnoient leurs terres a ferme ou passoient quelque autre acte public, elles promettoient de le garentir *sous le vot de leur Religion*, ou si ces actes étoient Latins, *sub voto suæ Religionis*. J'en ay

veu

veu plus de vingt-quatre de cette espece tant de la communauté que des particuliéres depuis l'an 1400. jusqu'en 1500.

Marguerite Doyselet Dame Religieuse en l'Eglise de saint Pierre de Remiremont constituant avec la permission de son Abbesse Madame Alix de Paroye un Procureur pour gerer quelques affaires, promet *sous sa bonne foy & sous le vot de sa Religion*, de ratifier ce qu'il aura fait. La même Alix de Paroye dans une semblable procuration donnée l'année suivante 1472. se dit Abbesse *par la patience de Dieu du monastére de saint Pierre de Remiremont de l'Ordre de saint Benoist*. Enfin ladite Abbesse étant morte l'an 1574. les Dames firent élection de Catherine de Neufchastel, & en addresserent leur supplique à Sixte IV. pour le prier de confirmer cette élection. Il est parlé de Niéces en cet acte, c'est le nom que l'on donne maintenant à celles qui sont destinées pour succeder aux Prébandes des Dames anciennes, & toutes ces Dames avec ces Niéces disent qu'elles representent *saniorem & majorem partem Conventus monasterii sancti Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti*.

Les choses changérent de face vers le commencement du seiziéme Siécle, comme il paroît par plusieurs actes de ce tems-là, par lesquels les Dames de Remiremont donnent à leur Eglise le titre de seculiére & de Collegiate : mais elles reconnoissent pourtant toûjours qu'elles sont de l'Ordre de saint Benoist. L'un de ces actes est une élection d'une Doyenne en la personne de Jeanne de Vienne l'an 1521. *Decanissatu monasterii seu sæcularis & Collegiatæ Ecclesiæ sancti Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti, per obitum D. Isabellæ de Ray vacante*. Cette même Jeanne de Vienne parle ainsi dans une piéce de l'an 1526. *Nos Iohanne de Vienne Decanissa totumque Capitulum Ecclesiæ sæcularis & Collegiatæ sancti Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti* &c. Cela se confirme par plusieurs actes que j'obmets pour éviter la longueur. Je me contenteray de rapporter en ce lieu l'acte d'élection d'Humberte de Chastenet de l'an 1580. dont la supplique est addressée au Pape Gregoire XIII. par le Chapitre de Remiremont, *Totum Capitulum Conventus Monasterii sancti Petri de Romarieomonte, Ordinis sancti Benedicti*. Par lequel acte il paroît que ces Dames se disoient encore de l'Ordre de saint Benoist sur la fin du dernier siécle, quoy qu'elles eussent pris le nom de Chanoinesses.

Ce que nous avons prouvé jusqu'ici par les chartes, se peut demontrer aussi par les livres d'Eglise que l'on conserve encore aujourd'huy à Remiremont.

Le plus ancien est un Messel écrit sur du parchemin il y a bien 500. ans, que l'on ne peut pas douter avoir été fait à l'usage des Dames de Remiremont, quoy que la plûpart des Collectes ou Oraisons se disent en masculin & non pas en feminin. Cela se prouve par le Calendrier qui est au commencement, où l'on voit non seulement les festes des saints Romaric, Amé, & Adelphe qui sont particuliérement reverez à Remiremont, mais même l'obit de quelques Abbesses & Religieuses de cette Abbaye, comme d'une Chunegunde Abbesse au sixiéme des Nones de May, & d'une autre Chunegunde Religieuse *Sanctimonialis*, le jour d'avant les Ides de Mars. De plus dans une Oraison qui se disoit en certain tems contre les usurpateurs des biens de cette Abbaye, on y lit ces mots, *Terras sancti Petri & Beati Romarici invadunt & deprædantur* &c. Et il est certain que saint Pierre est Patron de cette Eglise. Cela étant ainsi supposé, il est aisé de remarquer que saint Benoist étoit reveré d'un culte singulier dans cette Eglise. Car 1o. dans le Calendrier sa feste y est marquée en deux differens endroits, sçavoir au mois de Mars & de Juillet. Il est vray que ces festes ne sont pas marquées en rouge, mais on ne s'en doit pas étonner, puisque les festes de l'Assomtion de Nôtre Dame & de la Toussaints ne sont non plus écrites qu'en noir. Dans le corps de ce Mes-

sel on trouve les Litanies qui se chantoient le Samedi Saint, dans lesquelles saint Benoist est invoqué avant saint Colomban & les saints Patrons de ladite Eglise. Mais ce qui fait voir la distinction que l'on faisoit de saint Benoist, c'est que l'on trouve deux Messes propres de ce Saint, avec des Prefaces particuliéres, l'une en Mars & l'autre en Juillet. Il n'y a qu'une simple memoire de saint Colomban le jour de sa feste qui est marquée en Novembre le jour de saint Clement.

Le second livre est un autre Messel in 4°. écrit en parchemin il y a trois ou quatre cent ans. Il y a trois festes de saint Benoist marquées dans le Calendrier, sçavoir le 21. Mars *Depositio sancti Benedicti Abbatis*, lesquels mots sont marquez en lettres rouges, & au mois de Juillet & de Decembre en noir sous le nom de Translation. On y voit aussi dans les Litanies du Samedy Saint le même ordre pour l'invocation des Saints que nous avons remarqué cy-dessus dans le premier Messel.

Le troisiéme manuscrit est un Breviaire avec des rubriques françoises, écrit en papier depuis environ 200. ans. Dans le Calendrier la feste de saint Benoist en Mars y est marquée avec la même solemnité que l'Annonciation de Nôtre Dame, & que la Nativité de saint Jean, c'est a-dire avec office plenier de seconde classe. Deplus l'ordre de la psalmodie, & le nombre des Pseaumes y est gardé conformément à la Régle de saint Benoist. Car il y a douze Pseaumes & douze leçons pour les Matines; & pour les autres Heures du jour ce sont les mêmes Pseaumes qui sont marquez dans nôtre Régle, ce qui n'est observée que dans l'Ordre Benedictin, les leçons propres pour la Translation de saint Benoist sont les mêmes dont on se sert dans l'Ordre. On trouve dans ce Breviaire une feste particuliére de sainte Gebetrude, que nous avons dit avoir été la troisiéme Abbesse de Remiremont. Dans l'hymne de cette feste on demande à Dieu le don d'une Virginité perpetuelle.

Virgo inclita ad te clamantes sustenta,
Et perennem nobis deposce Virginitatem.

Enfin le quatriéme livre est une espece de Diurnal écrit l'an 1583. dans lequel on remarque la même distribution de Pseaumes que dans le précedent. Aux priéres qui sont prêscrittes pour la procession du Dimanche, où l'on fait memoire de tous les Patrons, il y est fait mention de saint Benoist en ces termes. ℣. *Sanctissime Confessor Domini & Dux Benedicte.* ℟. *Intercede pro nostra omniumque salute.* Deplus il y a deux sortes de Litanies dans ce livre. Dans les premiéres saint Benoist y est invoqué aprés saint Gregoire, & avant les saints Patrons de Remiremont. Dans les secondes, qui sont pour les morts. il y est repeté deux fois aprés saint Nicolas en cette maniére. *Sancte Benedicte intercede pro animabus eorum. Sancte Benedicte dilecte Dei intercede.* Cette repetition ne se trouve dans ces Litanies que pour saint Amé & saint Romaric. Ce qui fait voir que l'on considéroit saint Benoist comme un des principaux Patrons, puisque d'ailleurs il est toûjours nommé avant ceux ci. Dans les Litanies du premier de ces quatre livres il y est fait mention de saint Colomban, mais non pas dans les autres. Enfin dans ce dernier il y a un formule où l'on s'accuse d'avoir commis plusieurs fautes contre la Régle, *in prævaricatione & contemptu sanctæ Regulæ*, de ce que l'on a violé le silence du jour & de la nuit, *silentium die ac nocte non servavi*, & de ce que l'on a mangé hors le tems prêscrit, *ante horas & post horas regulariter constitutas frequenter manducavi.* Paroles qui ont une relation visible à la Regle de saint Benoist.

Les Vicaires Apostoliques, qui furent commis par le Pape pour visiter l'Abbaye de Remiremont, furent tellement convaincus de ce que je viens de rapporter de ces anciens usages, qu'ils voulurent que le culte & la memoire de saint Benoist fût conservée dans les *divins Offices*, aussi bien que des saints Romaric & Amè.

C'est

C'est dans le second réglement qui est conçû en ces termes. *Volumus etiam & præcipimus, ut sanctorum peculiarium, videlicet beatorum Benedicti, Romarici, Amati, & aliorum, quorum in hac Ecclesia haberi solet officium vel commemoratio, fiat juxta veterem ejusdem Ecclesiæ morem, cum eorum festivitates occurrunt.* Ce fut pour lors que les Vicaires Apostoliques accordérent aux Chanoinesses de quitter le Breviaire monastique qui avoit esté en usage en cette maison jusqu'alors, comme on voit par ce même Statut, & leur permirent de se servir du Brèviaire Romain: en conservant néanmoins toûjours les festes & la memoire de saint Benoist en la maniere accoutumée.

Enfin pour conclure ce second article, ces Vicaires Apostoliques furent tellement persuadez que la Régle de saint Benoist avoit de toute antiquité été gardée en cette Abbaye, qu'ils ordonnérent par le statut 36. que l'Abbesse continueroit à faire profession suivant la forme qui luy seroit prescritte par le Pape, & que les cinq premiéres Officiéres feroient des voeux simples. *Cùm ex antiquis monumentis & conjecturis, & traditionibus constet, in hac Ecclesia antiquis temporibus viguisse Regulam sancti Benedicti; continuasse in persona Abbatissæ usque ad hanc diem, & in personis aliquarum præsertim Officialium usque ad certum tempus; idcirco ad cultum divinum in hac Ecclesia tenendum & augendum; decernimus, statuimus, & mandamus Reverendissimam D Abbatissam in posterum professionem emittere debere* &c.

Il me semble, Monsieur, que j'ay prouvé assez évidemment ma seconde proposition, sçavoir que la Régle de saint Benoist avoit été gardée de tems immemorial avant ce siécle dans l'Abbaye de Remiremont: Voyons maintenant en quel tems, de quelle maniére, & par quelle autorité de Reguliére qu'elle étoit, elle est devenuë une Eglise de Chanoinesses Seculiéres.

III.

Pour traiter ce point avec quelque exactitude, il faut remonter plus haut, & faire voir l'origine des Chanoinesses en general dans les Gaules.

Les guerres tant externes que domestiques, que la France soutint du tems de Charles Martel, ayant extrémement affoibli la discipline; le Clergé Seculier & Regulier se trouva reduit dans un grand relachement. Carloman & Pepin, tous deux fils de ce Prince, signalérent leur pieté & leur zele pour rétablir le bon ordre. Ils firent assembler à cet effet plusieurs Conciles. Dans celuy de Lestines qui fut tenu au Diocese de Cambray l'an 743. il fut ordonné, que les Clercs vivroient suivant les Canons; & que les Moines & les Servantes de Dieu qui étoient dans les monastéres, *ancillæ Dei Monasteriales*, s'étudieroient de vivre suivant la Régle de saint Benoist. On ne reconnoissoit point pour lors d'autres Communautez de filles que de celles ci, non pas même à Maubeuge, à Nivelle, & à sainte Vvaudru de Monts, où il y a presentement des Chanoinesses: lieux qui n'étoient pas fort éloignez de Lestines, où se tenoit le Concile: Le premier endroit où l'on commence à trouver quelques vestiges de Chanoinesses, c'est dans le Canon 47. du Concile de Francford tenu sous le regne de Charlemagne l'an 794. où il est porté qu'à l'égard des Abbesses qui ne vivoient pas *canoniquement* ou *reguliérement*, on en donneroit avis au Roy, afin qu'elles fussent deposées. *Ut de Abbatissis, quæ canonicè aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* Dans le Concile de Mayence de l'an 813. il en est fait une plus expresse mention au Chapitre 13. où il est ordonné, que les Abbesses qui auront fait profession de la Régle de saint Benoist, vivront *reguliérement*; & que les autres qui ne l'auront pas faite, vivront *canoniquement*. *Quæ verò professionem Sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant: sin autem, canonicè vivant pleniter.* Le Concile de Chalon sur Saône tenu la même année, témoigne assez que ces Chanoi-

 nes-

nesses étoient nouvelles, lorsqu'au Chapitre 53. il donne des preceptes d'une vie réglée *à ces filles, lesquelles se disoient Chanoinesses, iis sanctimonialibus, quæ se Canonicas vocant*. Le Concile fait assez voir par ces termes, que cet institut n'étoit pas introduit dans les formes, & que ces filles prenoient le nom de Chanoinesses sans un pouvoir legitime.

Il arriva la même chose aux Religieuses qu'aux Moines, lesquels s'étant relâchez en plusieurs Monasteres, quitterent le nom de Moines pour prendre celuy de Chanoines. C'est ainsi que les Moines de saint Martin de Tours se sécularizérent d'eux-mêmes du temps de Charlemagne, lequel dans une lettre qu'il leur écrivit, au sujet d'un coupable qui s'étoit réfugié au tombeau de saint Martin, leur ordonne de le rendre à Theodulfe Evêque d'Orleans; & les oblige d'obéïr à ses ordres à peine d'encourir sa disgrace, soit qu'ils se disent Moines ou Chanoines, *sive Canoni dicimini*, dit-il, *sive Monachi*. Les Moines de saint Denys s'étant aussi lassé au même tems du nom de Moine & encore plus de la profession reguliére; prirent le même parti. Les uns quittérent absolument l'habit; les autres niérent tout à fait qu'ils eussent fait profession de la Régle. Ce qui porta Loüis le Debonnaire à les reduire à leur devoir & à leur premier institut, comme on peut voir par un beau Monument qui se trouve sur ce sujet dans le second tome des Conciles de France.

Conc. Franc. to. 2. p. 555.

Il y a eut aussi des Religieuses lesquelles à l'imitation des Moines secouérent le joug de la profession Monastique. Ce desordre s'étant tellement répandu qu'il étoit presque impossible d'y apporter remede, les Evêques assemblez dans un Concile à Aix la Chapelle l'an 816. composerent à la sollicitation de Loüis une Régle pour ces Chanoinesses, afin de les remettre dans la voye de salut, *ob animarum sanctimonialium canonice degentium salutem*. Cette régle qui est presque toute tirée des écrits des saints Peres consiste en 28. Chapitres. Ces Chanoinesses étoient obligées de vivre en commun; elles faisoient des vœux perpetuels; & ne pouvoient retourner au siécle, comme il paroît par le Chapitre 18. *quia nullatenus huic sæculum repetere fas est*. On les obligeoit d'éviter la frequentation des hommes, ce qui se voit par les deux Chapitres suivants. La porte du Monastere étoit soigneusement gardée, Chapitre 26. & enfin on n'en permettoit l'entrée qu'aux Prestres & aux Ecclesiastiques pour leur dire la Messe & leur administrer les Sacremens. Le Chapitre 27. en fait foy, dans lequel on voit que ces Chanoinesses portoient aussi *le voile*. Leur habit étoit noir, Chapitre 10. Toute la difference qui étoit entr'elles & les autres Religieuses, c'est qu'elles vivoient d'une maniére plus large & plus commode, mangeans de la chair, Chapitre 13. ayant chacune leur servante, Chapitre 21. & autres choses semblables, qui ne s'accordoient pas aux Religieuses qui menoient une vie Monastique.

Ibid. p. 405.

Cette mitigation ayant duré quelque tems, ces Chanoinesses ajoûtérent une nouvelle prévarication à la premiére. Elles abandonnérent leur habit & leurs vœux, convertirent leurs places en prébendes, & crûrent qu'à l'exception de l'Abbesse & de quelques Officiéres, il leur étoit permis de retourner au siécle, & même de se marier s'il leur plaisoit. Les Conciles, les Papes, & les auteurs les plus éclairez se sont récriez contre cet état, comme étant visiblement irregulier, nullement approuvé, & tresdangereux pour le salut, pour ne me pas servir des termes des Conciles de Vienne & de Latran, qui sont incomparablement plus durs.

Jacques de Vitry Cardinal s'en explique d'une maniére aussi forte dans son Histoire Occidentale Chapitre 31. qui est intitulé *de irregularitate sæcularium Canonicarum*. Il dit qu'il s'en trouvoit principalement dans le Hainaut & le Brabant, „ & chez les Teutons & Alemans, Que ces personnes s'appelloient *Chanoinesses*

„ sé-

„ *séculiéres*, & *Damoiselles*, *Domicellas* : qu'elles ne recevoient chez elles que
„ des filles nobles, préferant la Noblesse du Sang à la Religion & aux bonnes
„ mœurs : qu'elles s'habilloient à la maniére des femmes séculiéres: qu'elles ad-
„ mettoient leurs parens dans leur refectoir : qu'elles couchoient à la verité ordi-
„ nairement dans un Dortoir commun proche l'Eglise, mais que sous prétexte d'
„ infirmitez elles se retiroient souvent dans des maisons particuliéres, & même
„ alloient à cheval visiter leurs parens : que des Chanoines séculiers ne faisoient
„ qu'un Chœur avec elles : que quelques unes aprés avoir vécu long-tems du pa-
„ trimoine du Crucifix, se marioient. Mais que celles qui vouloient se sauver,
„ sortoient du milieu de cette Babylone, *de medio Babylonis fugientes*, pour se re-
„ tirer dans quelques maisons réglées, afin d'y travailler à leur salut : Que néan-
„ moins plusieurs d'entr'elles demeurant dans cet état si dangereux, se conser-
„ voient dans une si grande pureté & humilité, qu'elles demeuroient incorrupti-
„ bles au milieu de ce feu, *in igne posita non arserunt*.

Voilà le portrait que fait Jacques de Vitry des Chanoinesses de son tems, c'est à dire du quatorziéme Siécle. Je n'en veux pas faire l'application à celles de nos jours, & il me suffira de faire voir en quel tems & de quelle maniére les Dames de Remiremont, de Religieuses Benedictines qu'elles étoient, sont enfin devenuës des Chanoinesses séculiéres.

J'ay remarqué ci-dessus qu'il y avoit eu dés le commencement deux Communautez à Remiremont, l'une de Moines, l'autre de Religieuses. L'une & l'autre y subsista jusqu'au tems des Huns ou Hongrois, c'est à dire prés de trois cent ans : auquel temps ces barbares ayant détruit cette Abbaye, qui avoit été jusqu'alors sur la montagne, Louis IV. fils de l'Empereur Arnoul la rebâtit dans la plaine où elle est à present. Environ deux cent ans aprés ce rétablissement, l'Abbaye cessa d'être double : on mit des Prestres séculiers au lieu de Moines, pour célébrer la sainte Messe & administrer les Sacremens aux Religieuses, lesquelles continuérent à vivre réguliérement jusqu'à la fin du quinziéme siécle, comme on là fait voir dans le second article. Sur la fin de ce même siécle le relachement prévalut enfin : de sorte que les Religieuses qui s'étoient trouvées bien honorées jusqu'alors de porter le nom de *Moniales*, prirent de leur propre autorité le titre de Chanoinesses de l'Ordre de saint Benoist, & commencérent à appeller leur maison une Eglise séculiére & Collegiate.

Ce n'est pas qu'il n'y ait eu avant cela de tems en tems quelque relâchement. Car on trouve que du vivant de l'Abbesse Agnés de Salmes, qui mourut l'an 1246. la manse Conventuelle étoit separée de la manse Abbatiale. Mais ce desordre étoit presque universel dans les Abbayes d'Hommes & de Filles, même sous les Abbez & Abbesses réguliéres ; comme il seroit facile de le montrer, s'il étoit necessaire. Ce desordre avoit commencé dés le temps de Louis le Débonnaire, auquel temps Hilduin, tout Abbé regulier qu'il étoit, fit le partage des deux manses dans les Abbayes de saint Denys & de saint Germain des Prez, pour prévenir les inconvéniens qu'il craignoit des Abbez séculiers, qui s'emparoient pour lors des terres & des biens des Abbayes.

C'étoit donc un relâchement au trézième siécle dans l'Abbaye de Remiremont, que les biens fussent divisez en deux manses : mais ce n'est nullement une preuve qu'il y eût déslors des Chanoinesses. Ce ne fut que sur la fin du quinziéme siécle, ou même au commencement du seiziéme, c'est à dire aprés l'an 1500. qu'elles commencérent à se dire Chanoinesses dans les actes qui regardoient le spirituel de leur Eglise. Mais on ne voit pas que cela se soit fait par l'autorité du Pape, auquel elles sont immediatement soumises : au contraire le Pape n'a pas en-

encore voulu jusqu'à present approuver absolument cet état. La premiere expedition où l'on a fait mettre les mots de *Chanoinesses de l'Eglise Collegiate & séculiére* est la Bulle de l'Abbesse N. de Choiseul; mais on ajoûtoit ceux de *ou moniales du monastere* &c. Ce stile d'alternative a duré pendant plus de soixante années : & ce n'a été que dans les Bulles de Barbe de Salm de 1580. que l'on eût le credit de faire retrancher a Rome l'alternative de l'Ordre de S. Benoist pour mettre seulement les *Chanoinesses* &c. ce qui a été toûjours depuis observé. Mais toutes les expeditions qui viennent de Rome jusqu'a present, portent encore la reserve à la fin : *sans que nous pretendions approuver l'état seculier de ladite Eglise*. Les réglemens qu'on a fait à Remiremont n'ont rien de contraire à cette reserve.

Les Dames de Remiremont commencérent dés auparavant à adopter des Niéces, *Neptes*, pour succeder à leurs places. On voit ces Niéces nommées l'an 1473. dans l'élection de l'Abbesse Catherine de Neuf-chastel. *Margarita de Monte-Amid. Pro me & Nepte mea, Catharina de Acrimonte, cujus votum gero* &c. Pour faire passer plus aisément ces places dans la personne des Niéces, il falloit en faire des prébendes. On voit déja la division des biens Conventuels en prébendes dans un titre de l'an 1324. Il étoit donc necessaire d'ériger cette Eglise de Reguliére qu'elle étoit en Seculiére & Collégiate. Et comme il étoit difficile d'y parvenir par des voyes légitimes, on s'en met en possession par voye de fait. Les Religieuses quittent leur nom pour prendre celuy de Chanoinesses, & on donne à leur Eglise le titre de Seculiére & de Collégiate. On insere ces titres dans les actes publics : on mene en effet une vie de Dames séculiéres; & les choses se trouverent reduite dans un tel état au commencement de nostre siécle, que fermant les yeux à toutes les lumiéres qui se présentoient, on ne peut qu'avec une peine extréme souffrir que l'on dise que l'Abbaye ait été occupée autrefois par des Religieuses Benedictines. De sorte que les Vicaires Apostoliques sont obligez d'inserer dans leurs actes, que les Dames de Remiremont ne doivent nullement rougir ny avoir honte de reconnoître qu'elles ont été de toute antiquité Religieuses de l'Ordre de saint Benoist : *de même que pas une d'entr' elles ne rougiroit point* comme parle l'Evéque de Tripoli. *Si l'on disoit qu'elle fust extraitte de plus grande & plus illustre lignée qu'elle n'est; d'autant que les accidens humains sont tels, qu'il n'y a rien de perdurable sous le Ciel.*

Voilà, Monsieur, ce que j'ay crû à propos de vous écrire présentement sur cette matiére. J'aurois pû m'étendre d'avantage, mais cette lettre n'est déja que trop longue, & il est temps de la finir, afin de ne vous pas ennuyer d'avantage. Au reste si j'ay dit simplement & sincérement ce que je pense, je n'ay pas prétendu choquer personne. Ce n'est pas mon esprit, & je désavouë dés-à-present tout ce qui pourroit m'être échappé de trop dur contre qui que ce soit.

Je sui &c.

A Paris ce 16. Aoust 1687.

Permis d'imprimer. Fait ce 21. Aoust 1687.
DE LA REYNIE.

AD.

ADDENDA.

Ad Præfationem in Sæc. II. num. 63.

In Tabula Chronologica sic illorum quinque Pontificum anni definiuntur.

DCXLIX. MArtinus I. ann. 6. mens. 1. dies 26. *ita Anastasius, hic & in sequentibus præferendus, uti mox probatum est.*
DCLV. Eugenius ann. 2. mens. 8. dies 24.
DCLVIII. Vitalianus ann. 14. mens. 6.
DCLXXIII. Adeodatus ann. 4. mens. 2. dies 25.
DCLXXVII. Donus ann. 1. mens. 5. dies 10.

De Azymo.

Ad quæstionem de Azymo quæ in Præfatione Partis primæ Sæculi III. agitata est, hæc addenda num. 66.

IN primis occurrit S. Augustinus in sermone octogesimo tertio de diversis, ubi recens baptizatis exponens mensæ Dominicæ Sacramentum, singula quæque traducit ad mores; & de pane quidem sic loquitur: *Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? nonne multa erant tritici grana? sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, qua panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem exorcismi Sacramento quasi moletamini. accessit baptismum & aqua: quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? hoc est chrisma.* Augustinus his aliisque verbis accuratè singula distinguit, granorum contritionem, conspersionem & conjunctionem per aquam, coctionem. altum de fermento silentium satis innuit, illud eo tempore inusitatum fuisse. Adde Sanctum Doctorem uti vocabulo *conspersi*, quo massam sine fermenti admistione aquâ conglutinatam significari patet tum ex B. Pauli Epistola ad Corinthios prima, tum ex aliis auctoribus. Porrò iste Augustini sermo adducitur ab Algero in libro primo de Eucharistia capite nono-decimo. Augustinum sequitur Isidorus &c.

In fine num. 76. post verbum adduxi.

HIs Argumentis à Sirmondo objectis addo aliud ex Formula *Renuntiationis* ab Armeniis quondam exigi solitæ, *quum ad Fidem orthodoxorum Romanorum revertebantur.* Quæ Formula his diebus edita est à viro eruditissimo Jo: Baptista Cotelerio in Notis ad librum quintum Constitutionum Apostolicarum. In variis autem anathematismis, quos proferunt Resipiscentes, hic legitur: ἔ τις ἐν βάλ-
λει

λει εἰς τὴν προσφορὰν, ζύμην καὶ ἅλας, οὐδὲ ἅγιον ποτήριον (forsan οὐδὲ ὕδωρ εἰς ἅγιον ποτήριον) μετὰ τοῦ οἴνου, ἀνάθεμα. quem versum ita latinè reddit vir clarissimus : *Siquis in panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit.* Quo ex loco id consequi videtur, latinos aliquando, hoc est eo tempore quo ista professio condita est (quo verò tempore condita est, non apparet : nisi quòd condita est post septimam Synodum in ipsa memoratam, id est post medium Sæculum octavum) fermentum & sal immisisse in panem oblationis : cùm Armenii *ad Fidem orthodoxorum Romanorum redeuntes* diras pronuntiaverint contra eos qui secus agerent. Primo conspectu non parum, fateor, movit me iste locus : nec video qua ratione solvi possit, nisi reponendo, Formulam istam esse Armeniorum in concordiam redeuntium, non cum Latinis, sed cum Græcis; deceptumque fuisse Orthodoxorum vocabulo amanuensem, qui ob id in lemma formulæ intrusit nomen *Romanorum*, ratus non alios esse Orthodoxos quàm Romanos : aut potiùs dicendum, Romanorum nomine comprehendi, atque hoc loco designari Christianos Græcæ communionis. quo sensu usurpatur tum in formula Renuntiationis Manichæorum apud eumdem Cotelerium pag. 374. tum in Theoriani Dialogo adversùs Armenios passim tametsi post schisma Græcorum. Sanè Latino-Romani ab Armeniis nullatenus exigere potuerunt prædictum anathematismum, cùm æquè proferatur adversùs eos qui salem removebant à pane sacrificii. Atqui numquam, saltem ante annos mille, Romana Ecclesia salis usum permisit in oblatione sacra, ut constat ex Alcuini epistola superiùs memorata, in qua Hispanos quosdam erroris arguit, quòd dicerent *salem esse in sacrificium Corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem*, inquit, *nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas.* De Azymo hactenus.

Ad Præfationem I. in Sæc. IV. num. 212.

De Vetula Civitate Vellavorum.

Ad Miracula S. Filiberti & S. Bernardi p. 563. & 585.

1. IN actis hujusce tomi duo exstant testimonia de Vetula Civitate Vellavorum, unum ex Chronico Falconis, Monachi Trenorchiensis : alterum in libello de miraculis S. Barnardi Episcopi Viennensis. Hic *Aquitanici populi cum Pontificibus Concilium apud civitatem, quæ dicitur Vetula in pago Vellavorum celebrasse* perhibentur. Illic Herveus Abbas Trenorchiensis magna Ecclesiæ suæ *in comitatu Vellaico* prædia conquisiisse cum Ecclesia S. Georgii *in Vetula praastio civitatis.* Hunc locum de Anicio, seu Podio Vellavorum interpretatus est eruditus vir Petrus Franciscus Chiffletius in Historia Trenorchiensi, ejusque sententiæ suffragantur auctores quidam recentiores. Et mea quidem hæc persuasio erat, dum legi fragmenta Hystoriæ Aquitanicæ, quæ ex vetustis membranis eruit in dies noster Claudius Stephanotius indefessus rerum antiquarum indagator. Ex istis enim fragmentis didici Vetulam Civitatem non aliam esse, quàm opidum S. Pauliani modò appellatum, uti subjecta argumenta probant.

2. Primum desumitur ex msf. Hagiologio, quod apud Fratres Minores Anicii adservatur continetque hæc verba : *IV. Id. Novemb. fit natale & festum S. Georgii Episcopi & Confessoris, qui versus Occidentalem populum ob gratiam prædicationis missus à beato Petro Apostolo ab urbe Roma cum beato Frontone Coepiscopo, semen vitæ, ubicumque commodum noverant, spargentes Aquitaniam usque pervenere, mor-*

que

que properantes ad quamdam Vallavensis Comitatus civitatem, quæ ob antiquitatis privilegia tunc temporis Civitas Vetula *dicebatur, ibidem sunt suscepti. In hac præfuit beatus Georgius Episcopus primus Doctor Vallavensium* &c. Atqui Sedes Episcopalis Vallavorum primùm constituta est eo in loco, ubi nunc cernitur opidum S. Pauliani, ibidemque perduravit usque ad S. Evodium, qui sedem transtulit Anicium, quod duabus inde leucis distat, ubi basilicam in honorem B. Mariæ construxit.

3. Alterum argumentum suppeditat Historia translationis reliquiarum S. Georgii, primi Vallavorum Apostoli, ex civitate Vetula Anicium: quam translationem Nortbertus ejus urbis Episcopus fieri curavit. Is cùm emulum haberet Vitalem Abbatem, Vicecomitis Podomniacensis * fratrem, qui à nonnullis Episcopus electus fuerat, multaque ob id incommoda ab eodem Vicecomite sustineret, hanc tandem cum eo concordiam iniit, *ut pro reformatione pacis; Vetulam Civitatem, quæ modò dicitur S. Paulianus, Vicecomiti largiretur. Placuit utrique parti, ea tamen conditione vel pacto, ut primitus sanctorum corpora Georgii & Marcellini de civitate Vetula afferrentur: & ita locus iste S. Pauliani in possessionem Vicecomitis commigraret. Præfixa est certa dies, in qua Sanctorum corpora tollerentur, atque ita constitutum est ut beatus Georgius, qui primus fuit Pontifex & Apostolus Vallavorum sedi propria redderetur*, id est loco ubi tum sedes Episcopalis obtinebat. Idem declarat vetus prosa (ut vocant) in die festo S. Georgii à Canonicis Aniciensis Ecclesiæ olim cani solita.

* De Poliñac.

Demum pace confirmata
Urbs vetula sibi data
Fuit, & tum quoque facta
Translatio S. Georgii
Ab urbe prænominata

Utrumque hoc testimonium vidit, retulitque Guillelmus de Chalanconio Aniciensis Episcopus in instrumento ab se condito anno MCCCCXXVIII. de apertione tumuli S. Georgii, quam fecit rogatu Canonicorum Ecclesiæ Collegialis S. Georgii Aniciensis. In eo siquidem instrumento integram refert Historiam prædictæ translationis S. Georgii, ex qua superiorem locum protuli, atque fragmentum prosæ mox relatæ.

4. Itaque ex his duobus testimoniis intelligimus civitatem Vetulam esse opidum, quod nunc vocant S. Pauliani, vulgò *Saint Paulien*: & ex eo loco S. Georgii Episcopi reliquias à Nortberto fuisse translatas Anicium, quod proinde à Vetula civitate distinguendum est. Sanè eo in opido veteres etiam nunc visuntur inscriptiones, quæ ibi olim fuisse caput gentis Vallavorum satis superque probant. Una est ad parietem Ecclesiæ ejusdem loci, in quo exstat lapis quadratus, cui inscripta sunt hæc verba

IVLI . . . .
NOC . . . . . . VR
NAT . . . . RVF
RVFINVS
MARIVS
VXORI CAS
TISSIMÆ
P O

Alia cernitur inscriptio in media via ab opido * Situla ad S. Pauliani, quæ sic habet.

* Seaux.

D. M.

D. M.
ET AETERN
AE MEMORIAE
TVL. . . . MARTI
AE MARTIOLA
MATER. POSV
IT.

Tertia legitur in lapide juxta idem opidum, atque hoc modo habet.

EMMAE
MARTIAE
MARCIOLA
MATER POSVIT

Quarta invenitur in tabula marmorea, ex qua ſequentes dumtaxat apices exprimi potuerunt.

. . . . LVSTRV . . . .
. . . E. ETIAM. POST CE
. . . VM. FIDEM. REPLE
VI. MEIS. HAEC FVIT
DIVITIAE CVRAM. . . .
. . . . . REI . . . .

Omnes iſtæ inſcriptiones bonam antiquitatem penitus ſpirant, referendæ haud dubiè ad tempora Romanorum, quorum numiſmata bene multa circa opidum S. Pauliani eruuntur in dies, ac fragmenta marmorea, quæ priſcum ejus urbis ſplendorem probant. Ex his fragmentis nuper è media via erutus eſt lapis, venerandæ ſanè antiquitatis monumentum; iſque inſtaurando (facinus indignum) molendino (Borbolionis vocant) adhibitus eſt, ubi hodiè viſitur ſub hac forma.

CAES. PRINCEPS
INVENT. . VIAS
ET PONTES VETVSTAT.
CONLAPSOS
RESTITVI. F.

Hæc ſunt antiqua decora Vetulæ civitatis, quæ ſibi reſtitutam veteris ſplendoris memoriam non tam mihi, quàm noſtro Stephanotio acceptam referre debet. Denique Odo Giſſeius Societatis Jeſu Presbyter, Rueſſium Vallavorum apud Antoninum & Ptolomæum contendit eſſe opidum S. Pauliani, quod olim caput Vallavorum gentis fuit, tametſi modò Arvernis attributum.

In Off. lib. 1. Hiſtor. Anicienſis c. 26.

D I S S E R T A T I O.

De uſu atque origine veterum Notitiarum.

Ad Orgerii Elogium p. 66c.

1. INter varia inſtrumentorum genera, quæ in vetuſtis Chartophylaciis repe-riuntur, unum eſt (quod vocant.) Notitiarum, de quarum origine atque uſu hic mihi incumbit agendum, uti pollicitus ſum occaſione Notitiæ ſuperiùs adductæ Fulcoudi Abbatis ſanctæ Crucis ſeu S. Faronis apud Meldos.

2. Notitiæ ab aliis inſtrumentis in hoc differunt, quòd illa ſollemni modo con-

conderentur, sive nomine donatoris, qui rem Ecclesiæ suæ seu Monasterio conferebat, sive communi nomine partium, inter quas aliquid transigebatur; & quòd earum personarum ac testium propria subscriptione, aliquando etiam sigillis roborarentur. At verò Notitiæ privata auctoritate fiebant, maximè ad memoriam & documentum Posterorum, eorum scilicet, in quorum gratiam fiebat cessio vel donatio. Unde passim Monachis ejus loci, cui donatio conferebatur inscriptæ erant. Sic in præclaro Notitiarum libro Castridunensis Prioratus, quia Majori Monasterio pendet, hoc ferè habent exordium: *Notum sit Fratribus nostris, Majoris scilicet Monasterii Monachis* &c. Item alio modo: *Nosse debetis, si qui eritis posteri nostri, scilicet Majoris hujus habitatores Monasterii* &c. De privatis notitiis loquor. Nam aliæ authenticæ erant, quæ signis personarum & testium, aliquando etiam sigillis confirmabantur, & quibusvis directæ erant in hunc ferè modum: *Notum sit omnibus fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris* &c. Privatæ autem de quibus hic agere institui, solam rei gestæ narrationem exprimebant, ac nomina testium, qui rei gestæ interfuerant.

3. Harum usus invaluit maximè à Sæculo XI., atque ad triplicem finem institutæ sunt. Primus erat, cùm nuda traditione fieret rei concessæ investitura, absque scripto publica auctoritate facto (quod non raro temporibus illis contingebat;) necesse erat ejusmodi Notitiis rem gestam describi, quæ essent velut historica rei gestæ narratio, in qua donatorum ac testium nomina exprimerentur, signo Crucis per donatores nonnunquam adhibito. Huic rei probandæ maximè idoneum est auctoramentum Tetbaldi tertii Campaniæ, Blesarum, Meldorum, ac Carnutensium Comitis, de villa Nantulfi: qui Tetbaldus seu Theobaldus idem ipse est, qui donationi Otgerii Carmentriacensis, de qua Fulcoudi Abbatis Notitia edita est, interfuit ac subscripsit.

Notum penè omnibus satisque manifestum credimus Tetbaldum &c. *Factum est hoc sicut diximus apud Castrum Blesium, intra curiam, retro palatium, prope turrem, patulo inter caminatas ejusdem palatii sito XV. Kal. Maii, die Dominico post Meridianam, testibus istis Gilduino Vicecomite* &c. *Signum Tetbaldi Comi✝tis. Signum Stephani filii ejus* ✝.

Hoc auctoramentum est donationis Villæ Nantulfi ab Ebrardo Carnutensium Vicecomite, factæ anno MLXXIII. qualem mox referam: ac proinde superior Notitia anno MLXVI. edita est, quo anno dies XV. Kal. Maii in Dominicam incidebat. Ex quo intelligitur Theobaldum hunc Campaniæ Comitem eo anno adhuc superstitem fuisse, ac signo crucis præmissam Notitiam cum Stephano filio suo muniisse.

4. Aliquando verò ejusmodi Notitiæ condebantur nullo signo ab auctoribus adhibito, nullove alio authentico instrumento, idque duas ob causas. nempè vel quia sollemni facto rem gestam contestabantur, ut cum concepto Monasticæ professionis voto aliquis res suas Monasterio tradebat: vel quia per aliquam tesseram sollemni more porrectam rei concessæ investitura fiebat. Prioris generis illustre exemplum habemus tum in Notitia Fulcoudi Abbatis Faroniani superiùs edita, tum in subjecta Notitia de donatione villæ Nantulfi, ab Ebrardo Vicecomite Carnutensi facta eo modo, quo sequitur in Chartario Dunensi.

Illustris quidam Carnotensium Vicecomes Ebrardus nomine &c. *Inter illa quidem, quæ Domino per manus pauperum suorum condonavit dedit nobis Monachis videlicet majoris Monasterii beati Martini sub regimine tunc agentibus Domni Abbatis nostri Bartholomæi, anno ab Incarnatione Domini MLXXIII. quidquid in dominio habere videbatur in villa illa quæ villa Nantulfi nuncupatur, quæ in Dunensi territorio consistit, id est medietatem ipsius villæ, & Ecclesiam quamdam, quæ apud Averdonum sita est: reliqua verò*

rò prædicta villa medietas in manu fratris sui, Hugonis scilicet, domini de Puteolo castro, ad tempus remansit. Non absurdum autem videtur, hic inserere, quòd prædicta villa non solùm ipsa ab omni prorsus exactione liberrima hucusque perseveraverit; verùm etiam in tantum hujusmodi privilegio omnes ceteras antecellit, ut de proximis Nota. *circumquaque villis ad judicium calidi ferri portandum, & ad bellum campionum clypeo & baculo faciendum ex antiquitate semper illi accusatores, & accusati conveniant; totaque causa ad ipsius villæ domini deferatur audientiam. Sed ut ad propositum redeamus, domnus Ebrardus nudus & pauper effectus patriæ & parentibus suis derelictis, peregrè profectus est* &c.

Primum Domni Ebrardi donum factum est apud Blesis castrum in ipsius domo, & affuerunt hi testes. Gualeranus frater ejus &c.

5. Præmissa Notitia cùm multa observatu digna contineat, tum illud in primis, quod hic demonstrandum suscepi, apprimè probat, nimirum Ebrardi donationem factam esse sola libera cessione villæ Nantulfi, nullâ hac de re (quòd sciam) authenticâ scripturâ editâ: tum quia sollemnis illa Sæculi abdicatio sufficiens erat argumentum factæ donationis: tum quia testes, qui interfuerant id testari poterant in annos triginta, quo temporis spatio legitimæ possessionis inducebatur titulus possessione firmatus. Ideoque in hujusce donationis monumentum sufficiebat privata Notitia, quæ rem gestam, & testium nomina posteris commendaret. In eo genere est Notitia Fulcoudi Abbatis de donatione Otgerii, qui tum cùm Monachum induit Carmentriaci dominium Cœnobio Faroniano largitus est.

6. Alia causa, propter quam ad donationis robur sufficeret privata Notitia citra aliud authenticum instrumentum, inde petitur, quòd rei concessæ investitura fiebat per aliquam tesseram sollemni more porrectam: quæ tessera in rei monumentum servabatur cum litteris notitialibus. Hujus facti exemplum habemus in subjecta Notitia, in qua Radulfus quidam donationem à se factam celebravit primò traditâ *cavillâ caisninâ* in signum investituræ, dein posito *cultello super dominicum altare*. Quam Notitiam hic integram referre libuit, propter eà quòd annum signanter exprimat, quo Philippus Rex Francorum Bertream sive Bertradam sibi copulavit, nempe annum MXCVII.

*Pateat omnibus Dei omnipotentis fidelibus & maximè nostris successoribus, quod quidam vir armis sæcularibus deditus, Radulfus nomine, filius Lancellini de Balgentiaco, concessit & dedit beato Martino, & nobis Monachis suis, Ecclesiam S. Johannis de Camario, & quæcumque ad eam pertinebant, jure perpetuo possidenda, si ea quolibet modo sive dono, sive pretio nobis concederent quidam homines, qui ea de eo tenebant. Erat enim ipsa Ecclesia cum omnibus suis appendiciis de fevo ejus. Hæc autem donavit idem Radulfus per cavillam caisninam * domno Abbati Bernardo in domo Monachorum apud Chilziacum mense Maii, ipso anno, quo Philippus Rex Francorum accepit uxorem Bertream nomine, uxorem Fulconis Andegavensium Comitis, anno videlicet ab Incarnatione Domini MXCII. Testes qui ad hoc affuerunt, sunt hii. De Monachis domnus Abbas Bernardus &c.*

* Une cheville de chesne.

Eodem anno in vigilia Apostolorum Petri & Pauli veniens præfatus Radulfus in Capitulum nostrum, recepit beneficium nostræ societatis. Et tunc reïterans ipsum donum, quod fecerat apud Chilziacum, & concessionem faciens de Ecclesiis de Lancejo, quæ erant de suo fevo; per cultellum Durandi famuli nostri de Sartino, utriusque concessionem misit in manu domni Bernardi Abbatis, promittens, se illa nobis adquietaturum ab omnibus hominibus in omni curia secundùm justitiam. Posuit etiam cultellum donum super dominicum altare. Quod viderunt & audierunt testes subscripti. De suis Petrus Rufus de Balgentiaco &c. *De nostris Durandus de Sartino, de cujus cultello donum factum fuit* &c.

7. Ex

7. Ex his patet, donum hoc factum esse absque litteris authenticis, primò quidem traditione cavillæ caisninæ; posteà cultelli super altare positi, quo ritu donatio & investitura celebrata est. Sic Hugo, Vicecomes Carnutensis, Ebrardi fratris sui concessionem superiùs relatam confirmavit, media parte auxit, *& de utroque donum super altare beati Martini portavit* nimirum donationis tesseram, super altare ponendo. Alia sunt ejusmodi donationum nuda ac simplici traditione factarum exempla sexcenta. Verùm tesseræ traditio non semper à donatore fiebat, sed etiam ab acceptoribus nonnunquam. Insigne hac de re testimonium exstat in notitia infra num. 10. relata, in qua Tetbaldus quartus Campaniæ Comes donationem parentum suorum, Stephani, & Adelæ, de iis quæ habebant apud Francam Villam, confirmasse memoratur: Gausbertus verò Panetarius Majoris Monasterii dedisse eidem Tetbaldo *duo paria pellium vulpinarum, ut si fortè (ut fit) prædictus confirmator paterni beneficii oblivioni tradiderit hanc concessionem se fecisse; sint pro intersignis pelles illæ*. Tantus erat candor, tam candida illorum temporum simplicitas.

8. Denique aliquando neque signum crucis, neque ulla tessera, neque sollemne factum intercedebat, sed sola notitia rei transactæ monumentum ac robur continebat, ut patet ex fragmento subjecto. *Quoniam præteritorum* &c.

9. Secunda condendæ Notitiæ ratio inventa est, ut cùm etiam scripto publico fieret aliqua donatio, rem accuratiùs exponeret Notitia in gratiam officialium Monachorum, ad quorum potissimum documentum hæ Notitiæ condebantur: sicque præter chartam principalem, & authenticam, eo in casu etiam scribebantur litteræ notitiales, quæ primariis instrumentis robur addebant. Hujusmodi Notitiæ exemplum huc refero ex eodem Chartario Tunensi.

Fugax rerum gestarum memoria litterarum vinculis est alliganda, quæ & præsentibus vel oblita in memoriam revocent, vel ignorata notificent, & futuris antiqua renovent, & præterita repræsentent. Notum igitur fiat & fidelibus universis & maximè successoribus nostris quòd Odo &c. Tandem post multa jurgia plurimaque litigia, post multas audientias initas, & præ partium certamine non determinatas, condicto apud Firmitatem-Nerberti Placito, post causæ suæ recitationem cartam Monachi de libertate fæminæ protulerunt. Et quoniam neque lex neque consuetudo erat eis belli faciendi; hominem quemdam suum tradiderunt, qui calidi ferri judicio cartam probaret esse veridicam &c. Nota: Nota.

10. Tertius denique Notitiarum usus is erat, ut cùm primaria rei transactæ instrumenta vel nulla facta fuissent, vel amissa quolibet pacto excidissent; eorum vicem supplerent Notitiæ, valerentque in forensibus causis. Id probat Codex Dumensis multis in locis, ex quibus sequentia in exemplum delibo. Quia ea quæ pro redemptione animarum Ecclesiis ab antecessoribus conferuntur, sæpe solent successoribus calumniantibus infirmari; utile visum est majoribus nostris ea cum testibus litterarum memoriæ commendare &c. Qui videlicet Gausbertus dedit ei duo paria pellium vulpinarum: ut si fortè (ut fit) prædictus confirmator paterni beneficii oblivioni tradiderit hanc concessionem se fecisse; sint pro intersignio pelles illæ &c. Nota:

11 Eodem spectant plures aliæ notitiæ quarum dumtaxat initia huc referre visum est. *Quantum conferat utilitatis tradere scripti memoriæ* &c. *Anno ab Incarnatione Domini MCI.* Ejusdem generis est alia quæ incipit hoc modo. *Ex antiqua discretorum patrum traditione* &c. *Actum Dominicæ Incarnationis MCVII., id est ordinationis Domni Abbatis Willelmi anno secundo*. Coronidis loco erit alia notitia, quæ sequitur. *Pró dolor, ecce dies mali* &c.

12. Hæc sunt quæ de vetustis notitiis observare visum est in præsens, ne quis id ge-

id genus instrumenta, quæ nemo hactenus (ut puto) illustravit, aut temerè reiiciat, aut insuper habenda esse existimet. Certè si quis attentè ea consideret, non minùs utilitatis ex istis Notitiis tum ad historiam illustrandam, tum ad possessiones suas legitimis Dominis vindicandas, quàm ex aliis authenticis instrumentis colligi posse, haud dubiè intelliget.





IN-

INDEX
HISTORICUS, MORALIS, ET ONOMASTICUS,

In quo notæ Arabicæ paginas, Romanæ ſectionum numeros ad marginem in Præfationibus adjectos; caracteres Italici verba, quæ explicantur; ritus verò in Occidentali ſaltem Eccleſia abolitos ſignant aſteriſci.

A

Agon

Bre-

Chri-

D

Dal-

E

H

He-

Mo-

N

O

Of-

S

Sanc-

Spi-

T

Trem-

ER-

Pag.	Num.	Lin.	Errata	Corrige.
12	XXX	31	Credenus	Cedrenus
14	XXXVI	17	*nuperna*	*nupera*
23	LXI	8	lucem	lucem.
28	LXXIII	42	verisimile illinc	verisimile sit, S. Benedicti Regulam in Africam antequam illinc
39	XCVIII	4	supari	subpari
41			III. (in margine)	CIII.
72	XXXIII	30	Monachorum	Monacharum.
80			XLXVII. (in margine)	XLVII.
98	XIX	46	*vestrum*	*vestrûm*
100	XXI	40	*apud eas*	*apud eos.*
101	XXII	31	*jusus*	*jussus.*
126	LXVIII	38	octingentesimun	octingentesimum
158			XCIII. (in margine)	CXIII.
161	I	2	proæmii	prooemii
220	LXXVIII		Ludovicus Pius (in marg.)	Non Ludovicus Pius.
221	LXXIX	33	*deperierit*	*deperierat*
289	CCI	37	respondit	respondet
291	CCIII	3	Austriasiosorum	Austriasorum.
295	CCXI	34	*refundere*	*refunderet*
296	CCXII	7	Orgerii	Otgerii
299			*Verba* quo tempore scriptus, *posita num III. refer ad pag. 300. num. IV.*	
311	XXXV	19	si Theodoritus	sic Theodoritus
336			in marg. ad lin. ult. adde num.	XCV.
342			XVII. (in margine)	CXVII.
365	CLXXIV	50	*Verba* consentque in usu quidam viri docti	*dele.*
378	CXCVII	36	præfatione 9.	præfatione 1.
423	LX	36	Antiquiorum	Antiquiorem.
441		1	*erant. Presbyteris*	*dele. punctum*
443			*ad verba* - Hanc honorem (in margine) *supple*	XCVIII.
452	CXVI	6	itulo	titulo.
500	XIV	42	Leone	à Leone
502			*ad verba* - Ubi hæc; *in marg. deest*	XVIII.
506	XXV	20	respiceret	resipisceret.
617	IV	42	panis	pannis
622		10	*θυπτὸλον*	*θυπτόλον*
		13	*δίτον*	*τρίτον*
630		24	sanctictatem	sanctitatem
632		17	ex consuli	exconsuli



